Digitized by Google

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

A 244/11

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA IOSEPHINA

EX

PATRIBUS DOCTORIBUS ASCETICIS ET POETIS

QUI

DE EXIMIA DIGNITATE S. IOSEPH

SCRIPSERUNT

COLLEGIT EDIDITQUE

FR. IOSEPHUS CALASANCTIUS CARD. VIVES

O. M. CAP.

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA INSTITUTI PII IX

—

1907

Digitized by Google

Protestatio. — Urbani VIII et S. Sedis Decreta inviolate servaturus. sancte profiteor, humana dumtaxat auctoritate accipiendas esse qualificationes personarum et factorum in libro hoc admissas, exceptis iis quae confirmata fuere ab Apostolica Sede, cuius iudicio me omniaque scripta mea omnino subiectum volo.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Patr. Const. Vicesg.

Digitized by Google

PROLOGUS

*

MIRABILEM S. Ioseph humilitatem in convictu B. M. V. commendans S. Bernardus, sup. Missus est, ait: « Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit Centurio praesentiae maiestatem. Exhorruit nimirum et Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias et Sanctam Elisabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? Ait namque: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam ».

Si Ioseph licet innocens, licet sanctissimus, de sanctissima societate Deiparae et Verbi incarnati expavit; diverso ex capite, sed in rei veritate, expavescerem et ego, si miser quidem et homo peccator, imperito calamo meo auderem de tanto Patriarcha tractatus aliquos scribere: cuius tamen gloriam et cultum totis viribus promovere peropto. Sed gaudeo et supergaudeo, quod insipiens licet et nesciens loqui, plurimos tamen, Deo dante, invenerim et collegerim doctos, pios, sanctosque tanti Patriarchae laudatores, qui pro me, et pro te, lector dilectissime, Iosephum sanctissimum, etsi non paribus, nam nec ipsa angelica lingua Eum digne laudare valet, tamen veris debitisque celebrent encomiis.

Gaudeo et supergaudeo audiens eumdem Doctorem Mellifluum, ibidem dicentem: « Coniice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus, et creditus sit: coniice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari, quis et qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul et memento magni illius quondam Patriarchae venditi in Ægypto et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam... Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem sibi fidelissimum ».

Digitized by Google

Gaudeo et supergaudeo cum Iosephino panegyrista, ibidem, de incomparabili nobilitate SS. Sponsi B. V. Mariae: « Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri David incerta et occulta sapientiae suae manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum huius saeculi agnovit: cui denique datum est quod multi reges et prophetae, cum vellent videre, non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire ».

Fuit Ioseph Sponsus Mariae, Pater ut putabatur, Iesu Christi! — Dignitas sublimis, honor incomparabilis, officium maximum, post divinam Immaculatae Virginis maternitatem! Munera super omnia munera purae creaturae post B. V. Mariam commissa, quae eximiae sanctitatis Ioseph causa sunt et lucidissima argumenta!

Quae argumenta sapientissimo calamo compendians et augustissima auctoritate exponens Leo XIII, Enc. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889, absolute affirmat: « Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine Beatissima maritale vinclum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est ».

Et addit: « Iamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribusfamilias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cuiusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri coniugem, divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit: res utrique ad victum cultumque necessarias labore suo parare consuevit: vitae discrimen, regis invidia conflatum, prohibuit, quaesito ad securitatem perfugio: in itinerum incommodis exiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Iesu comes, adiutor, solator exititit ».

Item: « Atqui domus divina quam Iosephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo Sanctissima, quemadmodum Iesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit: itemque Iesus Christus tamquam primoge-

Digitized by Google

nitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. Quibus rebus caussa nascitur, cur Beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Iesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et B. Iosepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat ».

Gaudens igitur et supergaudens cum Leone XIII, quod SS. Patriarcha Ioseph ad praestantissimam dignitatem Sponsae suae Deiparae Virginis **accesserit ipse ut nemo magis**, quodque post B. M. V. **augustissima dignitate unus eminet inter omnes**, hanc *Summam Iosephinam* edendam censui, in qua quae Patres plurimi, Doctores, Ascetici, Poetae, qui ex professo vel data occasione de S. Ioseph scripserunt, una cum actis S. Sedis S. Ioseph respicientibus collecta invenies. *Summam* vero praecedit *Summula*, in qua conceptus praecipuos scriptorum Iosephinorum ex ordine dispositos, et in LV capitula distributos, prae oculis lectoris ponendos censui. In qua *Summula* doctrina vere aurea piissimi Isidori de Isolanis magna ex parte suis ipsa locis traditur, cum aliis praecipuis argumentis, quae vel in *Summa* fuse habentur, nullo tamen speciali ordine disposita, vel quae *Summa* non continet. Et hac de causa specialem indicem alphabeticum in fine etiam ipsius *Summulae* invenies.

Dignitatem et merita S. Ioseph ita recolamus oportet, ut ad praxim deducamus monitum illud S. Ildephonsi: **Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis**, cum isto: **Ut sim servus Genitricis, servitutem appeto Ioseph**, virtutumque SS. Patriarchae imitatores efficiamur, ad memoriam revocantes testimonium hoc SS. Deiparae dicentis S. Birgittae, lib. 6 Revel., cap. 59: « Ioseph nullum verbum non bonum protulit, nec otiosum, nec murmurationis: erat enim patientissimus, diligentissimus in labore et paupertate, mansuetus iniuriantibus, obedientissimus obsequiis meis, constans contra meam virginitatem impugnatores, fidelissimus testis mirabilium Dei: mortuus carni, et mundo, nonnisi coelestia desiderabat; dicebat, si velit Deus me vivere, ut eius voluntatem videam adimpletam: raro erat in hominum congregatione: solum desiderabat Dei voluntati obedire, ideo eius gloria modo magna est ».

Nec non doctrinam hanc Barry, Alim. Piet. erga S. Ioseph, c. 8, med. 8: « S. Iosephus in coelo potens, fidelis et amans suorum clientum, eorumque, qui ad eius opem confugiunt, patronus est. Considera I. Eius potentiam in obtinendo precum, quae ad ipsum fiunt, successu insignem: Sancti et Angeli Iesum ut servi precantur, infimis precibus ei supplices; cum S. Iosephus ut pater non sine quadam auctoritate postulet, ac Filius eius postulatis obtemperet, velut aeque nunc in coelis ei, quam olim in terris morem gerat. II. Eius fidelitatem in amatoribus suis fovendis: exemplo S. Theresia esto, quae plerumque eum Patrem suum vocitabat, palamque asserebat, numquam eum suis precibus atque necessitatibus defuisse. Plures alii hoc ipsum dicunt. III. Eius in omnes maximam charitatem, ut verissimum sit, eum cuicumque in quovis seu corporis, seu animi negotio adesse ».

Digitized by Google

Dicamusque cum eodem Barry, ibidem: « O Sancte Iosephe! verus amator fratrum tuorum! tam probe tua potentia utere, ut possimus ex huius vitae miseriis eripi, ac ad coelum evecti, fructum fidelissimi amoris tui percipere, ubi aeternis laudibus suavissimae tutelae tuae dulcedinem extollamus, in aeternum et amabile carmen illud effusi: **Vivat Iesus, Maria, Ioseph!** »

Et cum Isolano, p.4, prooemio: « Iamiam pater aeterni Verbi dictus, almaeque Matris sponsus, in populo divi sub nomine vigeat, laudetur, placeat; laudibus, hymnisque prosequatur coelestibus; et magnis dignus solemniis, summo sanctorum donetur honore. Vilescent profecto nostra haec praeclarissimis mentibus: duras quando per sylvas, gratioribus in pratis, uberes per agros, flores munerum Ioseph quam iucundissimos colligere studuerint. O pater, o hominum divumque aeterna potestas, cui natum ante saecula placuit ab alto in brachia dimittere Ioseph, toti nutriendum orbi: angelicas iam coge mentes, quanti apud te sit honoris, explicare. Heroum pater Ioseph praestantissimus. Balbutiens ego ipse et ineruditus, cur talia tantaque ausim? Da, pater, alta iam rumpere solatia, et notissimam apud coelicolas gloriam, vulgare mortalibus. Interea audax ipse, dona haec ferens, aethereos velut inter candida nimbos adero, ac perfecta exili virtute, munera magni coniugis Reginae omnium, quae indigno laetus honore, explere nequeo, prosequar. Ignarus equidem inardescere Christi radiis satagam; et ignipotentis triumphos, impavidus aspicere. Ioseph ipse celsa coelestis Ierusalem regia tenens, praesto favens aderit, ne tanta premar mole, suffragia donans ».

Et cum S. Bernardino Senensi, serm. de S. Ioseph, a. 3: « Dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam ipsi exhibuit dum ageret in humanis tamquam filius patri suo, in coelis utique non negavit, quin potius complevit et consummavit ».

Romae, in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. an. 1906.

Digitized by Google

INTRODUCTIO

SEU

SUMMULA IOSEPHINA

EX PRAECIPUIS ARGUMENTIS

PATRUM DOCTORUM ET ASCETICORUM

QUI

DE EXIMIA DIGNITATE S. IOSEPH

SCRIPSERUNT

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I.

De praedestinatione S. Ioseph.

Multa et gloriosa dici possunt de praedestinatione S. Ioseph ad sublimem dignitatem Sponsi B. V. Mariae et Patris Nutritii D. N. Iesu Christi, ex qua tot tantaque dona dimanant, quae nec ipsi angelici spiritus digne enarrare et celebrare valent. Quapropter, teste Pio IX, Litt. Ap. *Inclytum*, 7 Iulii 1871: « Inclytum patriarcham Beatum Ioseph, quem Deus omnipotens prae omnibus Sanctis suis purissimum verumque sponsum esse voluit in terris Immaculatae Virginis Mariae ac putativum unigeniti Filii sui patrem, quemque ad tam sublimia munera fidelissime implenda gratiis prorsus singularibus auxit et abunde cumulavit, merito catholica Ecclesia gloria et honore in coelis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu ».

2. De qua re pie sapienterque scribit S. Bernardinus Senensis, in suo eruditissimo sermone de S. Ioseph: « Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum generalis regula est, quod quandocumque divina Providentia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat quae illi personae sic electae et eius officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in S. Iosepho, putativo Patre Domini nostri Iesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi et Dominae angelorum: qui ab aeterno Patre ELECTUS EST fidelis Nutritius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet, Filii eius et Sponsae suae ».

3. Et infra addit: « Si compares eum ad totam Ecclesiam Dei, nonne iste est homo ELECTUS et specialis, per quem et sub quo Christus est ordinate et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profecto post eam huic debet gratiam et reverentiam singularem ».

4. Unde merito canit Ecclesia in festo eiusdem S. Ioseph: Te Sator rerum STATUIT pudicae, Virginis Sponsum; voluitque Verbi Te Patrem dici; dedit et Ministrum Esse salutis.

5. Quapropter sapienter affirmat Iamar, Theol. S. Iosephi, cap. I. a. I: « Certum est Deum PRAEDESTINASSE beatum Iosephum « secundum beneplacitum voluntatis suae (Ephes. I, 5) », cum Deus elegerit eum in ipso ante mundi constitutionem, non solum ut esset sanctus, verum etiam ut esset Pater Nutritius Salvatoris hominum et Sponsus Deiparae Virginis, uti demonstrant verba Evangelii: « Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus (Matth. I, 16) », et: « Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te (Luc. II, 18) ».

6. Imo neque leviter, neque absque fundamento TERTIUS PRAEDESTINATUS excellentia et dignitate dici potest Sanctissimus Patriarcha Ioseph, post Christum Iesum scilicet et B. M. Virginem. Nam ut notat idem Iamar, ibidem: « In tota praedestinatorum multitudine primus excellentia et dignitate est Christus, « qui praedestinatus est Filius Dei (Rom. I, 4) ». Ex hoc autem immenso amore Dei erga Christum, magnitudinem aeterni amoris Dei erga Sanctum Iosephum colligere possumus. Ipse enim est qui Christo, post Beatam Virginem Mariam, eius Matrem, quam proxime accedit, eique intime devincitur ».

Digitized by Google

7. Ven. Angelus del Pas, in Luc. cap. 1, ex ipso nomine Ioseph praedestinationem eius extollit dicens: « Cui nomen erat Ioseph ». Excellentiam tanti viri, tum nomine Ioseph, tum locutione « cui nomen erat », insinuatur. Etenim loquendi modus: « Cui nomen erat », ut alibi adnotavimus, praeclare quid in nominato designat, videlicet eum esse, qui dignus fuerit scribi, nomenque suum referri apud Deum, qui est, et erat, et erit ab aeterno. Unde dicere « Cui nomen erat », et non « Cui nomen est », interpretatur « Cui nomen erat » antequam esset, antequam videretur in carne, aut quidpiam in proprio genere extaret, nec operaretur. Quoniam nomine aeterno haereditat Deus iustum, ut vivat a generatione in generationem, nec usquam in aeternum deleatur, velut impiorum, quod putrescit, quia non in libro vitae scriptum, Apoc. XXI, sed vel in numismate, ut Caesaris, Matth. XII, mundanique Principis; vel in aedificiis, ut Babylonis superbae, quae cecidit, Apoc. XIV; vel in terra, ut hypocritae, quem proiicit ventus a facie terrae. Psalm. 1; vel in carne, ut Holophernis, quem confundit casta Iudith; vel certe in armis, ut Sennacherib, et omnis tyrannus, quem Angelus percutit, et omnis, qui scriptus est in libro vitae conculcat, conterit, et devicit, ut in martyribus contemplamur, et in nostro Ioseph, qui Herodem armatum delusit, et Aegyptum quae in diis suis tumultuabat placavit, deiectis idolis per eum cuius custodiam, curamque gerebat; quique unquam potuit offendi, quia inter electos nomen habuit aeternum, quod est mirabile in universa terra ». *Haec V. Angelus del Pas.*

8. **Monitum.** — « Cum in patrocinio S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis maxima populo christiano iuvaminis et praesidii spes in dies effulgeat » (S. C. Indulg. 27 April. 1865), S. Iosephum frequentius et ferventius in dies cogitemus, invocemus, et pietatis operibus laudemus.

CAPUT II.

De nomine S. Ioseph.

Barry, Alimenta piet. erga S. Ioseph, c. 8. med. 1, gloriam nominis S. Ioseph pie recolit et constringit dicens: « Eo die, quo fuit circumcisus, Iosephi nomen illi fuit inditum. I. Hoc nomen blandum est et acceptum, neque aliquid agreste, asperum, ingratumque sonat, estque Nomini Iesu et Mariae comparandum. II. Hoc nomen mysteriis, recondito sensu, bonoque omine plenum est: Ioseph enim aut incrementum, aut arborem pulchram, aut filium accrescentem prope fontem, aut ramum fructiferum prope oculum significat. III. Patriarcha Ioseph filius Israelis imago quaedam nostri huius Iosephi fuit, eumque in pluribus adumbravit, sed hoc nomen illi plus addit. O S. Ioseph! tanto nomine illustris, quod ego medullitus amo! nemo mihi praeclara nomina iactet; tuum cupio pro merito amare, tuum centies in die honoris et amoris causa pronuntiare gestio, neque toties aliquid in ore voluere, quam, vivat Iesus, Maria, Ioseph ».

10. Isidorus de Isolanis, in celeberrima sua Summa de donis S. Ioseph, p. 1. c. 1, scribit: Sponso itaque beatissimæ Matris Dei nomen Ioseph divinitus contigisse, tria persuadent. *Primum* est figurae praecessio. Nam Ioseph filius Iacob, de quo in Genesis capitibus multis diversa referuntur, in fide, quam domino suo servavit, non ausus impudice tangere dominam suam, et castitate consequenter et in mysteriorum revelatione, procurationis commissione, cibi conservatione et terrae praelatione, istius Ioseph figura fuit, teste quoque Magno Doctore Alberto in libro super missus est, capit. 48.

11. *Secundum* est eventus successio quamvis enim nos lateat, tacentibus scripturis, quonam modo iustus hic, vocatus sit Ioseph, quia tamen evenisse constat, ut Sponsus Dei Matris esset paterque eius Filii putaretur, quod dona concessa Abrahae, Iacob, ac Petro, exploratum est praecellere, quibus fuere imposita nomina divinitus: idem quoque de Ioseph credere persuademur.

12. *Tertium* est significati expressio. Interpretatur enim Ioseph, augmentum, sive appositio, inde Gen. XXX, dicitur: « Et vocavit

Digitized by Google

nomen illius dicens: Addat mihi Dominus filium alterum ».

13. B. Albertus Magnus, capite praeadducto, ait: Proprietas nominis etiam ac significatio, quae incrementum sonat, ipsi nihilominus optime congruit, qui per hanc dispositionem, quantum ad seipsum, et quantum ad proximum, et quantum ad Deum sublimatus fuit virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia et dilectione, matris Dei familiaritate, et divina, ut putabatur, paternitate ». *Haec Isolanus.*

14. Ven. Angelus del Pas, in Luc. cap. 1, nomen S. Ioseph ita extollit: « Huius tamen nominis excellentiam, nomen Ioseph exponit; est enim Ioseph idem quod augmentum Domini, vel Domini profectus. Et quis nostro Ioseph magis profecit, et augmentum fecit in schola pietatis, ut non solum angelos ad hospitium velut Abraham et Loth recipere meruerit et audire, sed et Dominum facie ad faciem primus post Matrem videre, adorare, vagientem audire, et loquentem lingua altera? Haeccine sunt inchoantis, an vero proficientis? Profecto profecti, et augmentati in omni benedictione spirituali. Clamat ille: « Ostende faciem tuam », et audit « Posteriora mea videbis », Exod. xxx. Ioseph autem laetus ait: « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea », Genes. xxxii. Familiaribus quidem, et iis qui erant primi in palatio, ac secundi a Rege concedebat hoc Assuerus, nec ulli facile modo permittitur ex aulicis regem clare intueri. Ergo multum profecit Ioseph qui regem regum, et dominum dominantium, cum voluit vidit, tractavit, illi ministravit cibum, et reliqua, quae tempus postulavit. Haec quidem glorificant Ioseph, non Moysem; excelsum reddunt eundem, non Aaron; etsi enim omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sint, et in diebus suis haberentur in laudibus, Ioseph in omnibus gentibus praedicatur « Dilectus Deo et hominibus, quem elegit Deus ex omni carne, ut pasceretur inter lilia », Eccl. xlix, inquit Rupertus abbas in cap. 1 Matth.; ut scilicet virgo virginem desponsaret, et Filium Dei ex Virgine natum Filium haberet, et contrectaret deliciis affluens ». *Haec V. Ang. del Pas.*

15. Cardinalis Toletus, in Luc. cap. 1, ait: Quod attinet ad nomen Ioseph idem significat apud Hebraeos, quod apud Latinos « auctus », seu accrescens. Ad hanc significationem alludens Iacob, Gen. xlix, quando filio suo Ioseph benedixit, sic locutus est: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens », quasi diceret: Vere, o fili Ioseph auctus es, et accrevisti, sicut nomen tuum significat, nam excelluisti, et in dignitatem provectus es tantam, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, et qui natu penultimus eras effectus, sis primus honore. Hoc idem nomen Sponsus Beatae Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus, vir accrescens Ioseph, vir accrescens, in tantam enim evectus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas sanctitate, et dignitate nihil est aequale, meruerit esse verus Sponsus, et unigeniti Filii Dei Pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis, et titulis auctus est super omnes Patriarchas, et Prophetas, qui ante eum fuerunt; quibus si adiungas, quod quem Reges et Prophetae desideraverunt videre, et non viderunt, et audire, et non audierunt, ipse eum non solum vidit, et audivit, sed in ulnis saepe portavit, frequenter amplexus, et exosculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, et paternis officiis ipsi ministravit, iure profecto hoc nomen adeptus videbitur.

16. Et addit: Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem invenies. In Ioseph enim illo castitas mirifice commendatur, qui, ut refertur Genes. xxxix, dominae sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram domini sui pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere. Vere magna castitas haec est; at quis non admiretur supra modum nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima Sponsa sua ita conversatus est, ut tamen nec ullo verbo, nec cogitatione, nec motu interiori, quae minus cum summa puritate convenirent, quaeque solent in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus. Talem profecto Sponsum, et consortem habere decebat illam, in qua summa puritas erat, Deique Filium Matri suae si non parem, saltem non degenerem Sponsum eligere aequum erat; nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem. Multa dici possent de viri tanti sanctitate, quae ad conciones reservamus ».

17. Item: « Hoc unum adnotasse contenti, si qui in terris devoti sunt Matris Dei mirabiles in sanctitate progressus faciunt, quantos putabimus fecisse eum, qui per multos annos cum ipsa vivere ac familiariter agere meruit? Si quibus ad horam Christum videre aliquando licet, ii spiritus fervorem ardentissimum concipiunt; quantam charitatis flammam existimabimus in illo fuisse, qui illum educavit, quem Filium Dei et mundi Salvatorem non solum perfectissime credebat, sed suis obsequiis praesens venerabatur? *Haec Toletus.*

18. Iamar, Theol. S. Iosephi, c. 2, a. 4,

Digitized by Google

addit: « Fuit beatus Ioseph et alio modo *auctus* super omnes homines, quia eius gloria accrevit, et etiam nunc accrescit, per cultum honorificum et devotionem populorum, maxime hoc saeculo, in quo ad honorem ipsius decernuntur festa, decantantur encomia, eriguntur oratoria, instituuntur sodalitia, nuncupantur vota, eiusque protectionem specialem sibi adsciscunt religiosa instituta, sancta Dei Ecclesia, ac universi orbis fideles ».

19. Ioannes de Carthagena, lib. 4. hom 3, nomen exaltat S. Ioseph hoc modo: Sed iam de nomine eius dicamus, quod mirum in modum congruit moribus eius: Ioseph enim, quod incrementum interpretatur, egregie concinit vitae illius integritati: quod, ut clarius, ac manifestius fiat, observare oportet ex doctrina Angelici doctoris (3. p. q. 37. art. 2.), nomina ut plurimum hominibus semper imponi, aut ab aliqua proprietate subiecti, quod nomen accipit; aut a tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorum iis, qui in eorum festis nascuntur; aut a cognatione, sicut, cum filio imponitur nomen patris aut alicuius de cognatione eius, sicut propinqui Ioannis Baptistae volebant eum vocare nomine patris sui, Zachariam, non autem Ioannem, quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, sicut patet ex Luca; aut etiam ab eventu, sicut Ioseph vocavit primogenitum suum Manassem, dicens: « Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum »; vel ex aliqua qualitate eius, cui nomen imponitur, sicut in Genesi dicitur, quod, quia ille qui primus egressus est de utero matris, rufus erat, et totum in morem pellis hispidus, vocatum est nomen eius Esau, quod rubeum interpretatur.

20. Et addit: Nomina etiam imponuntur aliquibus divinitus data: sicut in Genesi dictum est Abrahae: « Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te »: et apud Matthaeum dictum est Petro: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Ex quibus facile colligere licet, Iosephi nomen coelitus fuisse delapsum, qui futurus erat Sponsus Genitricis Dei, et Pater legalis Christi: nam his adeo dignitas eius crevit, ut congrue satis ei nomen Iosephi, quod incrementum significat, donaretur.

21. Insuper: Alia etiam ad idem occurrit ratio, quia, cum alii nubentes virginitate minuantur et expolientur, ipsi tamen e contra accidit: nam Mariam in uxorem accipiens, virginitatis suae augmentum suscepit, dum illam ad imitationem suae Sponsae speciali voto firmavit, et constabilivit. Qui ergo praeter communem matrimonii consuetudinem in matrimonio, quo non solum diminui, sed penitus aboleri virginitas solet, illius augmentum suscepit, merito Ioseph, idest, adauctus, vel additus appellatus est. *Haec Carthagena.*

22. Idem Carthagena, lib. 18, homil. magna et ultima, pariter de nomine S. Ioseph scribit: « Fuit etiam sanctissimus Ioseph auctus quatenus nomen eius frequentissime in Evangelio repetitum invenitur; etenim Matth. 1: « Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus »; et infra: « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph »; ac deinde: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus »; et postmodum: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; et rursus: « Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini »; et cap. 11: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph »; et infra: « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto »; et Luc. 1: « Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph »; et cap. 11: « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea »; et ibidem: « Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem »; et cap. 111: « Putabatur filius Ioseph »; et cap. 1v: « Nonne hic est filius Ioseph? »; et alibi sub nomine parentis ».

23. Quod quidem mira Dei providentia gestum non dubitamus, ut optime advertit Albertus Magnus (sup. Miss. cap. 47) in haec verba: « Ut iustus apud Deum demonstretur Ioseph, cuius nomen, tamquam in libro vitae scriptum, in evangelio signanter exprimitur, ut notus hominibus intelligatur, qui testis virginitatis Beatae Virginis adhibetur, ut nomen eius digne in memoriam hominum vertatur qui in patrem Dei assumitur putativum ».

24. Et divus Bonaventura (opusc. de vit. Christ. cap. 6 : « Vere de Sancto Ioseph dici potest, ait, quod laus eius in Evangelio ».

25. Et tandem non solum in terris apud homines, sed etiam in coelis apud Deum, angelos et homines glorificatos, honorabile est hoc sacrum nomen, ut pulchre satis his verbis Isolanus (4 part., cap. 7): « Quantis plausibus, qua laetitia, quibus honoribus, ac praeconiis personare coelestem credimus Ierusalem, cum Ioseph nominatur? quem Parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina angelorum Sponsum amantissimum adhuc clamitat ».

26. His omnibus addo, non sine maxima et peculiari Dei providentia fuisse factum, nullum huius nominis Ioseph appellatione in Christi Domini apostolatum fuisse admissum; ut enim constat (Act. 1), Apostoli agentes de substitutione facienda in locum pro-

Digitized by Google

ditoris Iudae: « Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, et Matthiam »; et per divinam sortem electus, et praelatus fuit Matthias: « Dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis ».

27. Ex quo facile colligemus, valde rationi esse consonum, nostrum Beatum Ioseph prae omnibus aliis, quacumque ratione Christo Domino coniunctis, nomine augmenti pleno esse decorandum. Quod si ut iura disponunt, possit vir nobilis prohibere, ne quispiam alienae familiae arma sua deferat, aut maiorum suorum nomine appelletur; ut tradunt Bartolus (in tract. de insigniis et armis), et Cassaneus (in Catalogo gloriae mundi, 1 part.), et Tiraquellus (de nobilit., cap. 6); certe B. Ioseph omnium nobilissimus et ex davidica regali progenie descendens, iure poterat impedire, ne quispiam suo nomine insigniretur.

28. Quod si ille, qui Christi corpus sepelivit, Ioseph est appellatus, divino consilio factum puta, quia sicut Ioseph noster, corpus saepe tangere, pannis involvere et attrectare debebat, idem etiam illum praestare oportuit, ut divus Matthaeus cap. XXVII narrat: « Venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu, et accepto corpore, Ioseph involvit illud in syndone munda et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra ». Cum igitur hic fuerit in locum et ministerium nostri Beati Ioseph quodammodo substitutus, mirum non est, si eodem nomine gaudeat, cum subrogatus sapiat vicem eius, in cuius locum subrogatur (ut habetur in l. decernimus, ubi Bartolus c. de aquaeductu, libr. II, et resolvit Tiraquellus de iure primog. quaest. 40 ». *Haec Carthagena.*

29. Concludendum ergo cum B. Alberto Magno, sup. Missus est, c. 48: « Proprietas et significatio nominis Iosephi, quod incrementum sonat, optime congruit, quia per hanc dispositionem, quantum ad proximum et quantum ad Deum, sublimis fuit: virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia et dilectione, Matris familiaritate, et, ut putabatur, paternitate ».

30. **Monitum.** — Audiamus Pium IX nobis dicentem, in Brevi *Iam alias*, 5 Iulii 1861: Nobis « vel maxime cordi est, ut illum, qui Iesu custos et Deiparae Immaculatae Sponsus extitit, fideles perpetuo honore prosequantur illiusque praeclararum virtutum vere imitatores fiant ». Haec faciamus et Iesu et Mariae charissimi erimus.

CAPUT III.

De patria S. Ioseph.

Pauca historice, plura mystice de patria S. Ioseph dicenda occurrunt. Ioannes de Carthagena, lib. 4. hom. 3, de patria acturus Sponsi B. M. Virginis sic incipit: Consueverunt non semel divina eloquia vitam et mores alicuius viri de Scriptura, ab eius patria tractationem exordiri; unde de Tobia aiunt, fuisse ex civitate Nephthali; et de patientissimo Iob, ex terra Hus; ac simili modo de aliis innumeris. Hunc eumdem nos morem sectantes, de vita, et moribus sanctissimi Iosephi acturi, ab eius patria narrationem auspicabimur.

32. Scio, non paucos existimasse, patriam illius fuisse Bethlehem, propter testimonium Iustini martyris, qui in eloquio cum Triphone Iudaeo de Ioseph agens, ait, illum a Nazareth, ubi domicilium habebat, ascendisse in Bethlehem veterem patriam, ut nomen profiteretur. Verum hoc fundamentum futile est, quia Iustinus martyr non appellat Bethlehem antiquam Iosephi patriam quia ex ea fuisset oriundus, sed solum, quia maiores eius inde erant quos ibidem ait Iustinus, esse ex tribu Iuda, cuius sortis illud Bethlehemiticum oppidum fuisse testatur.

33. Communem ergo Patrum sententiam amplectentes, asserimus, Iosephi patriam fuisse civitatem Nazareth in provincia Galilaeae, quae est regio terrae Palaestinorum. Est autem regio fertilis, et intermedio monte amplissimos habet campos: unde de illa, et

Digitized by Google

de gentium in ea habitantium natura, et indole dixit Ioseph (lib. 3. de bello iud.): « Sunt pugnaces ab infantia Galilaei, et omni tempore plurimi, neque aut formido unquam viros, aut penuria regiones illas occupavit, quoniam totae optimae, et fertiles sunt »...

34. *Nazareth* fuit patria Ioseph, in qua ipse non solum natus, et nutritus fuit, sed etiam habitavit; meritoque S. Ioseph debuit esse ex patria Nazareth, quae inter alias interpretationes, Custodia, et Separatio interpretatur; cum et Christi infantis, et Mariae virginitatis singularem custodiam habiturus esset; et a Sponsa, licet alioquin matrimonii vinculo cum ea coniunctissimus, quoad thorum tamen separatissimus futurus semper foret.

35. Haec autem civitas Nazareth despecta adeo erat, ut Nathanael, vir insignis, diceret (Ioann. 1): « A Nazareth potest aliquid boni esse? » Postquam tamen B. Virgo et Ioseph in ea nati, et Filius Dei in eadem carnem assumens conceptus fuit, omnes totius orbis splendidissimas ac opulentissimas civitates longo intervallo superat. *Haec Carthagena.*

36. Trombelli, Mariae SS. vita et gesta, dissert. 5. cap. 2. scribit: « Quis vero nescit angelum Gabrielem missum fuisse a Deo (Luc. 1, 26) « In civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, et nomen Virginis Maria? », ut illi scilicet Incarnationis divini Verbi in ea peragendae nuntius foret; Nazaret itaque Mariae patriam fuisse, iure meritoque coniicimus.

37. Confirmamus id auctoritate praeclarissimorum eorum virorum. qui coeptum a Bollando in Sanctorum gestis describendis opus prosequuntur: etenim haec legimus in Actis SS. 20 Martii (23-24): « Quod si per coniecturam agendum esset, quaerendumque unde Virgini, ac Virginis Sponso civitatem suam Bethlehemum agnoscentibus, domicilium obtigerit Nazarethi; cum verisimilitudine maiori crederemus dici posse natos in familia nobili, sed re tenui Ioachimum, atque Iosephum, amissis etiam, si qui ipsis in Iuda ex paterna haereditate obvenerant, fundis, tolerandae levius verecundiae causa, in Galilaeam secessisse, ubi fabrili opificio vitam Iosephus coeperit tolerare, Ioachimus autem exiguo, quod forte superfuit peculio, nonnullas res comparavit: quae res ei non plane infeliciter cesserit: sic ut casulam, quam diximus, sibi potuerit comparare Nazarethi, et uxorem aut ex sua, aut ex alia quacumque, et verosimilius ex Levitica tribu per omnes Israeliticae terrae urbes sparsa invenire: Annam scilicet, cuius genus sacerdotale fuisse, sicut neptis eius Elisabethae fuit eo congruentius, ut nasciturus ex illius filia Messias Rex, et Sacerdos in aeternum, hac saltem parte [quoniam proprie filius esse David debebat] sacerdotes posset maiores habere ». — Vide alia ap. Trombelli, ibid.

38. Mysticas rationes patriae S. Ioseph plures affert Isolanus, p. 1. c. 3, dicens: Ioseph, natione Galilaeus extitit, Galileam autem provinciam, non multum ab Hierosolymis remotam, inhabitasse iudaeos ac gentiles, testante sacro eloquio, didicimus. Nam Esaiae nono, propter gentilium inhabitationem, dicitur trans Iordanem Galilaeae gentium. Quod autem a iudaeis habitaretur, patet per evangelistam Lucam, qui capite secundo dicit: « Ascendit autem Ioseph a Galilaea civitate Nazareth in Iudaeam ».

39. CONVENIENS VERO FUIT IOSEPH, EAM PARTEM IUDAEAE PATRIAM HABUISSE, propter tria: — *Primo*, propter officii commendationem. Educaturus enim erat Salvatorem iudaeorùm atque gentilium... — *Secundo*, propter loci conditionem. Inhabitabant enim Galilaeam iudaei et gentiles, ut dictum est: eaque erat gens malae opinionis apud Iudaeos: iuxta id quod habetur Ioan. primo: « A Nazareth potest aliquid boni esse? »... — *Tertio*, propter nominis interpretationem. Interpretatur enim Galilaea revelatio, sive transmigratio. Fuitque conveniens Ioseph, cui facta est revelatio summi secreti Dei, quod est Verbum... — Neque tam grandis revelatio fuit transiens, sed permanens. Nam Verbum Dei absconditum manibus contrectavit, et experientiam de illo accepit, secundum omnes sensus interiores et exteriores, ac secundum partem intellectivam. — Convenit igitur patria nomine Revelatio Ioseph sanctissimo, propter *revelationem passive* acceptam. — *Revelatio quoque active* Verbi Dei facta est, mediante Ioseph, toti orbi terrarum: ipsum enim enutrivit et custodivit usque ad tempus, quo omni populo manifestaretur. « Vidit enim, ait Propheta David, omnis caro salutare Dei ».

40. INTERPRETATUR ETIAM GALILAEA, TRANSMIGRATIO. HOC VERO NOMEN APTISSIME CONVENIT PATRIAE SANCTI IOSEPH, apud quem divinitas humanam induta infantiam transmigravit nutrienda, custodienda, ac defendenda. Qua mirabili, maxima et incomprehensibili transmigratione, ipse Ioseph transmigravit mente, de humana ignorantia in notitiam angelorum, qui semper desiderant respicere in divinitatem humanatam, de vili conditione in supremam dignitatem, super omnes patres veteris testamenti, qui desideraverunt vel una hora videre, quem beati oculi Ioseph viderunt per multa annorum spatia.

41. De umbra in veritatem. Lex in umbra fuit futurorum, tempore Christi. Transmigra-

Digitized by Google

vit autem de umbra legis ac figuris et prophetiis, ad veritatem omnimodam. Transmigravit quoque Ioseph de servitute in libertatem: et in eam libertatem, qua pater summi Regis putaretur. Itidem de timore in amorem. Non enim cognito Verbo Dei Ioseph credendus est, timore Dei servivisse, quoniam perfecta charitas, foras mittit timorem, sed in libertatem filiorum Dei.

42. Haec profecto transmigratio fuit iucundior, mirabilior et utilior ipsi beato Ioseph, quam transmigratio Iacob de domo Laban ad patriam suam, cum uxoribus Lia et Rachel, filiis, pecoribus et iumentis. Hac nempe transmigratione, illico didicit Ioseph distinctionem inter vitam activam et contemplativam, per uxores Iacob significatas. Expertus quoque est angelorum conversationem, et primogenitum totius universi secum deduxit, Iesum Dominum nostrum. Lia quidem inquieta est et turbatur circa plurima, sed mitior, imo, ut opinor, mitissima fuit cum Ioseph, qui supremis gaudiis affectus, deserviebat Filio Dei.

43. Neque transmigratio populi Israel ex Ægypto, excellentior censenda est, hac transmigratione Ioseph. Viderunt quidem patres illi mirabilia in Ægypto coram Pharaone, mare divisum, manna e coelo cadens, solem stantem, urbis Hiericho moenia solis tubarum clangoribus solo aequata: et ea quidem cum ex Ægypto transmigrarent ad terram promissionis. At mirabiliora mente et oculis conspexit Sanctus Ioseph in sua transmigratione. Mente quidem, quoniam sciebat per filium suum putativum, salvum futurum genus humanum, angelo Domini dicente, Matthaei primo: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Quam salutem noverat nequaquam fore nisi Pharao, id est diabolus, cum suo exercitu, signis, et portentis, et vinceretur, et tandem aqua baptismatis confunderetur. Christus etiam panis fuit angelorum, quem de coelo descendentem manna suaviorem, reipsa Ioseph expertus est.

44. Fuit haec transmigratio excellentior Babylonis transmigratione. Illa enim dirutam Hierusalem terrestrem Iudaei condiderunt, haec captivum humanum genus liberum fore ostendit, novaque Hierusalem de coelo descendit, quin ipsius Hierusalem coelesti muri diruti instaurari coeperunt. Quid plura? illae transmigrationes fuerunt terrenae: haec spiritualis. Illae de gente in gentem: haec de homine ad Deum. Illae uni proficuae: haec omni nationi quae sub coelo est, et non solum praeteritae, sed et praesenti ac futurae, coelos laetificans, mundum innovans, angelosque illustrans.

45. CONVENIT VERO INTERPRETATIO HUIUS NOMINIS NAZARETH, vitae atque officio Sancti Ioseph. Interpretatur namque Nazareth iusta B. Hieronymum, dupliciter.

46. Nam *primo* Nazareth, idem est, quod flos, vel virgultum, sive sanctio, quae interpretatio convenit Christo. Iuxta illud Esaiae nono: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ». Nam Christo apparente, proprietates floris totus mundus expertus est: legis namque veteris hiems transiit, tempus innovationis humanae naturae per gratiae divinae exuberantiam advenit: fructus coelestium donorum appropinquavit; medicinam sacramentorum confecit: sensus vanitate rerum temporalium, virtute sua destitutos, bono odore refecit, coronandis demum pro peccatoribus venit. Et hae quidem sunt proprietates floris propter quas congruit civitas Nazareth Christo Domino.

47. *Secundo* interpretatur Nazareth unctio, vel medicina, seu custodiens, vel separatio. Quae quidem interpretatio aptissime convenit vitae Ioseph, quae munda semper fuit, propter observationem virginitatis et abstinentiam a peccatis, ac divinae observationem legis. Convenit quoque officio eiusdem. Custos enim fuit Immaculatae Virginis et sponsus separatus..., iunctus eidem per continuam custodiam, et ab ea separatus per angelicam munditiam. Ipse enim nescivit thorum, sed in deliciis virginitatis perseverans, cum diva coelorum Regina, unctus superna gratia, mundus puritate mira, custos terrestris Paradisi, et separatus a carnis spurcitiis, ab omnibus angelis primo cognitus fuit quam clarissime, deinde mortalibus significatus. *Haec Isolanus.*

48. Denique Barry, c. 8. med. 1, ait: « S. Iosephus natus est in oppido Nazareth, (quae vox florentem, aut sanctificatum sonat) Galilaeae ditionis, quae una est e provinciis Palaestinae; pater illi fuit Iacob recta a Salomone Davidis filio genus ducens; quemadmodum B. Virgo recta ad Nathan originem refert, qui Davidis item ac Bersabee filius, et ideo Salomonis frater natu minor fuit ».

49. **Monitum.** — Dulcissimo cordis affectu dulcissimum et sanctissimum Patriarcham Ioseph, post Iesum et Mariam et in Iesu et Maria, fidelius frequentiusque quotidie invocemus; nam teste Pio IX, in decreto S. R. C. 8 Dec. 1870: « Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper beatissimum Ioseph, post Deiparam Virginem eius sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit ».

Digitized by Google

CAPUT IV.

De genealogia S. Ioseph.

ISOLANUS, p. I, c. 4. multa de geneologia S. Ioseph praesertim mystice scribit, et ait: « Matthaeus capite primo, Ioseph genealogiam recensens, sic ait: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus ». Ubi glossa: Post omnes generationes patrum, ponit ultimo generationem Ioseph viri Mariae, propter quam omnes aliae introducuntur, dicens: « Iacob autem genuit Ioseph ». Itaque propter Ioseph patrum illa series enumeratur: Ioseph vero propter Mariam: Mariam autem propter Iesum mundi salvatorem ».

51. Seraphicus Doctor, in Luc. cap. I, haec habet: « Sed ex hoc videtur, quod genealogia sequens nihil faciat ad Christum secundum veritatem. Ad quod respondet Beda, secundum Hieronymum, quod non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; deinde et Ioseph et Mariam ex eadem tribu dicit esse generatos, unde ex Lege tenebatur eam accipere ut propinquus. Cuius etiam signum est, quod simul in Bethlehem censentur, sicut habetur supra secundo. Et ideo generationis series in uno pertinet ad alium ».

52. S. Bernardinus Senensis, serm. de S. Ioseph, art. I, scribit: « Si autem quaeratur, quare Matthaeus ponit genealogiam Ioseph, et non Mariae, cum genealogia Ioseph, nihil facere videatur ad genealogiam Christi, nisi forte aliquo modo per accidens? Ad hoc dicendum, quod potuit hoc facere propter tria: primo propter consuetudinem: secundo propter cognationem: tertio propter unionem. — *Primo* propter consuetudinem, id est ut sequeretur Hebraeorum morem, atque Scripturarum sanctarum, quae nullius genealogiam per foeminas, aut matres computant, sed per viros aut patres: tamen haec ratio non sufficit sine sequenti. — *Secundo* propter cognationem. Nam Beata Virgo atque Ioseph erant de eadem tribu et cognatione... — *Tertio* autem ponit genealogiam Ioseph, et non Mariae, propter unionem, id est, ad commendandum Sacramentum coniugii Virginis et Ioseph, sub quo natus est Christus, scilicet, quod tantae fuerit unitatis, ut merito propter ipsum Ioseph dictus fuerit et quodammodo vere fuit Pater Iesu Christi ».

53. S. Ioan. Chrysostomus, homil. in Matth., ait: « Cum itaque progenitores omnes enumerasset, et in Iosephum desiisset, non hic stetit, sed addidit: « Ioseph virum Mariae »: ostendens se propter illam eius genealogiam duxisse. Deinde ne audiens, Virum Mariae, putares communi naturae lege Christum natum esse, animadverte quomodo ea addat quae opinionem istam corrigant. Audisti, inquit, virum, audisti matrem, audisti nomen puero datum; audi etiam generationis modum Matth. I, 18: « Iesu Christi autem generatio sic erat ».

54. Harduinus, com. in N. Test., addit: « Propterea enim, maximeque ob eam causam, oportuit ut usque ad Ioseph a Iuda et Davide perduceret Matthaeus seriem maiorum Christi, quemadmodum iam diximus, ut ostenderet in Ioseph defecisse sceptrum de Iuda, et ducem de femore eius: adeoque Christum esse eum, qui venturus erat, et idem futurus, ut est, expectatio sive spes gentium ».

55. Ven. Beda, in Matth. cap. I, dicit: « Inquiritur, cur potius Ioseph quam Mariae origo describitur, quum tamen propositum evangelistae fuerit demonstrare Christum ex semine David natum, qui non de Ioseph, sed de Maria natus agnoscitur. Ad hoc omnium una responsio est, consuetudinem non esse divinae Scripturae mulierum genealogiam describere: et quoniam evangelista docuit Ioseph iustum fuisse, satis declaravit eum atque Mariam ad eamdem tribum spectare, quum secundum legem quaelibet tribus contrahere debuit cum personis propriae tribus. — Sed obiici potest, quod consequentia ista non teneat, eo quod tribus Levitica cum qualibet tribu contrahere potuit. Ad hoc pro praesenti aliam responsionem non video, nisi ut dicatur evangelista id supposuisse quod omnibus suo innotuit tempore, utpote patrem Mariae fuisse de tribu Iuda et David, vel secutum esse communem cursum, secundum quod uterque coniugum ad eamdem tribum spectabat. — Sed tunc rursus occurrit, cur non potius origo Ioachim patris Mariae, quam Ioseph enarretur. Dici potest quod ideo, quoniam maior est unitas mariti et coniugis, quam patris et prolis, iuxta quod scriptum est:

Digitized by Google

« Erunt duo in carne una, et relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae ».

56. Idem Isolanus, ibidem, scribit: Hic autem quaeritur, cum de optima ac nobilissima genealogia descendisset Virgo Maria, cur non per se, sed per Ioseph genealogizata est? Ad quod respondet Damascenus: Oportet scire, quod non fuerit consuetudo Hebraeis, neque divinae scripturae, genealogizare mulieres. Lex autem erat non desponsare tribum ex alia tribu, Ioseph autem descendens ex Davidica stirpe et iustus existens hoc enim testatur Evangelium divinum) non utique virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descenderet.

57. Si autem quaeratur, cur divinae litterae non consueverunt genealogizare mulieres sicut viros? Respondetur: Quia sexus indignior, natura posterior, culpa prior, ad opera infirmitatis figuranda congruentior.

58. Et addit: « In ea genealogia Mariam genealogizari et per virum. Inde dicitur: « Virum Mariæ de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Genealogizatur quidem propter carentiam maledictionis Evæ, propter excellentiam dignitatis suæ, et propter commendationem novæ puritatis maternae. Per Ioseph quoque genealogizatur. ut mos legis observetur, ut Sancti Ioseph excellentissima virtus commendetur, et ut beatissimae Virginis humilitas amplius exaltetur. In hac autem genealogia advertito, Ioseph esse ultimum inter patres veteris testamenti, nomen eius locari ante nomen Mariae, et per ipsius originem Christi nobilitatem describi, Ioseph ultimum patrem constitui, indicat virtutes eorum in uno homine colligi, sicut in termino refulgent aliquo modo ad illum ordinata.

59. Virtutes vero signantur congruenter et quam ordinatissime in litteris huius nominis Ioseph. IUSTITIA quidem in David, qui etiam primus ponitur, ut mysterium mysterio copuletur. OBEDIENTIA in Abraham, SAPIENTIA in Salomone, EXPERIENTIA exilii in Iechonia, PATIENTIA in Zorobabel, HUMILITAS in ultimis patribus, qui infimae fuerunt conditionis. Et iustum quidem fuisse Ioseph, sancto praedicante Evangelio, credere compellimur, ac voci angelicae obsequentissimum, Sapientiam vero quam a longe et in aenigmate vidit idem Salomon, ipse Ioseph manibus contrectavit. Expertus quoque est exilium Ioseph multos per annos, suaque patientia ac laboribus Christum Iesum Matremque Virginem servavit incolumes fugiens rabiem Herodis persequentis. Tantae demum fuit humilitatis, ut humillimae Virginis unicus inter innumeram multitudinem hominum totius orbis, sponsus a Deo immortali electus fuerit.

60. Si enim Deus Beatam Virginem ideo excelsam fecit, quia respexit humilitatem ancillae suae, quare nobis credere fas non est, sponsum vere humilem, nedum omnium inter hominum genus humillimum, eidem Virgini copulavisse?

61. Verum nomen Ioseph ante Mariae nomen locatur, ut praesidentia viri in coniugio honoretur: ut mutua charitas Ioseph et Beatae Virginis praesignetur, et utriusque magnitudo virtutum declaretur. Nam Christo propinquior est Beata Virgo sanctitate, nec longius distat gloriosis meritis Sanctus Ioseph. Quae autem nobilitas Ioseph, describit nobilitatem Christi, repraesentat nobilitatis eius excellentiam, quae se habet sicut coelum, divinam pulchritudinem, magnitudinem, ac potentiam repraesentans ». *Haec Isolanus.*

62. **Monitum**. — Cum Pio IX, in decreto S R. C. 8 Dec. 1870, laetemur in S. Ioseph et cum S. Ioseph: « Siquidem desponsatam sibi habuit Immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius Ioseph illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverunt, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus eumque paterno affectu complexus deosculatusque est; necnon solertissime nutrivit, quem populus fidelis uti panem de coelo descensum sumeret ad vitam aeternam consequendam ».

Digitized by Google

CAPUT V.

De nobilitate S. Ioseph.

SANCTUS Bernardinus, serm. de S. Ioseph, nobilitatem Sponsi SS. Deiparae extollit, et ait: « Fuit enim progenitus de stirpe Patriarchali, Regali, atque Ducali, secundum lineam rectam, sicut praedictum est: nam Matthaeus I. cap. lineam rectam omnium praedictorum patrum deduxit ab Abraham usque ad Virginis sponsum: ex quo patet, quod dignitas Patriarchalis, Regalis, atque Ducalis in isto fuit terminata ». Multique etiam sapienterque de nobilitate B. V. Mariae et Christi expositis, concludit: « Ex supradictis patet, quod per praedictos Evangelistas describitur nobilitas Virginis, et Ioseph, ut Christi nobilitas exprimatur. Fuit ergo Ioseph tantae nobilitatis, ut quodammodo, si liceat dici, dederit temporalem nobilitatem Deo in Domino Iesu Christo ».

64. Isolanus, p. I. c. 6, praemittit duplicem esse nobilitatem, aliam carnis, aliam mentis seu animi, et utramque agnoscit in S. Ioseph dicens: Utraque nobilitate claruit Ioseph. Nam primo ex patriarchali stirpe descendit Abrahae ditissimi, ac suorum descendentium. Rationabile est autem tot fuisse fere generationes, ab quibus descendit Ioseph ab Abraham, quot etiam fuerunt Beatae Virginis, quae quadraginta et una generatione ab eodem descendit Abraham. Familia Ioseph fuit domus David, ut habetur, Lucae II. Verum Ioseph, de domo David et ab eo distant vigesima octava generatione, humilis et faber ferrarius electus fuit a Deo in sponsum Beatae Virginis et patrem putativum Salvatoris, propter exaltandam humilitatem. Nam regio ac patriarchali iuncta semini, humilitas enarratur, cum Ioseph humilis exprimitur de domo fuisse David. Item propter honorandam paupertatem. Possunt enim ignari hinc intelligere paupertatem nobilitati non repugnare: imo mirabilior demonstratur esse ipsa paupertas, cum nobilius exemplum paupertatis et humilitatis, in Ioseph Sanctissimo ostenditur...

65. Excellit Ioseph sanctitas, propter castam generationem: iuxta illud: « Pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quia apud Deum nota est et apud homines ». Psal.: Generatio rectorum benedicetur ». Excellit secundo sanctitas Ioseph, gemmis undique circumdata radiantibus. Retro nempe radiat praeclarissima nobilitate: ante profundissima humilitate: supra praestantissima dignitate: infra ab mundissima peccatorum immunitate: intus virtutum magnificentissima puritate: a dextris erga Deum ardentissima charitate: a sinistris in proximum ineffabili pietate.

66. Et cap. 7 addit: Animadvertendum est, nobilitatem hominis in tribus considerari, in causa, in substantia, in efficientia. In causa, si a nobili origine principium ducat, quae in Sancto Ioseph, excellentissime fulsit. Nam in origine illius triplex inventa fuit dignitas: prima corporalis, secunda spiritualis, tertia coelestis; prima regalis, secunda sacerdotalis, tertia prophetalis, et haec coelestis, quia futura praedicere, donum Dei est. David enim rex fuit, Abraham patriarcha, Nathan propheta, a quibus originem duxit Ioseph. In substantia vero, sive in persona sua, triplicem pariter possedit nobilitatem. Fuit namque iustus mente, dignitate Reginae coeli Sponsus, officio Dei nutritius, ac pater putativus. In efficientia itidem triplicem effectum praeclarissimae nobilitatis toti universo produxit, Nam Salvatorem mundi suo excepit hospitio, deduxit per longa terrarum spatia incolumem suo servitio ac nutrivit multos per annos, proprio labore et exercitio. Hi sunt novem radii nobilitatis sanctissimi Ioseph, quibus sole clarius praestantissima illius nobilitas mortalibus explorata redditur...

67. Non autem congruebat, ut domestico familiatu Rex regum ab ignobili mente vel corpore nutriretur. Nec fas erat, cui millia millium ministrant angelorum, patrem deligere putativum ignobilem. Neque, qui Virginem, quam sol et luna, ac coelestis quique Ierusalem cives admirantur, Matrem delegit, indigno ignobilitate viro desponsari pateretur. *Haec Isolanus.*

68. Carthagena, lib. 18. hom. magna et ultima, haec habet: « Videbitur fortasse cuipiam frustra me D. Iosephi praeconia nobilitate generis petere, D. Paulo dicente (I. Cor. I): « Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed ignobilia mundi et contem-

Digitized by Google

ptibilia elegit Deus »; super quae verba Glossa ordinaria ait: « Venit Deus humilis quaerens humiles, non altos ». Sed non recte iudicabit; tum quia D. Paulus ibi loquitur de Apostolis, per quos convertendus erat mundus; oportebat autem illos esse plebeios et indoctos, ne eorum nobilitati et sapientiae adscribi posset id, quod Deus per ministerium illorum operabatur, et sic crux Christi evacueretur. Non autem congruebat ut domestico famulatu Christus rex regum ab ignobili homine nutriretur, cui, ut ait (Dan. VII : « Angelorum millia millium ministrabant, et decies millies centena millia assistebant ei »; tum quia. ut recte dixit D. Ambrosius (sup. cap. I Luc., in princ.): « Non solum mores in his, qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudare, ut velut transmissae immaculatae puritatis haereditas in his quos volumus laudare, praeexcellat ».

69. Et infra: Et quidem sicut legimus (I. Machab. III): « Rex Antiochus reliquit Lysiam hominem de genere regali super negotia regia, et ut nutriret Antiochum filium suum »; dubitari non potest de summa Dei sapientia quin unigenitum Filium suum Ioseph educandum minime tradidisset, nisi ex nobili sanguine oriundus esset. Quis enim ignorat nobilitatem naturalem cum spirituali coniunctam, ad virtutis exercitia, calcaria addere, et eius impedimenta removere? tunc namque habet homo cor bifariam praeparatum, iuxta illud (Psalm. CVII): « Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Et quis, quaeso, ignorat, duo vincula simul copulata, fortiora esse uno? ut ait Iustinianus...

70. Ita autem de facto contigisse sacra contestantur eloquia, dum tradunt, ex stirpe ac regia Davidis prosapia, sicut et B. Virginem fuisse; etenim Num. XXXVI habentur haec verba; « Omnes viri ducent uxores de tribu, et cognatione sua, et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient, ut haereditas maneat familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatae sunt ». Cum ergo Beata Virgo desponsata fuerit Ioseph, consequens est illum fuisse eiusdem familiae et prosapiae cum illa.

71. Nobilitatem animi S. Ioseph adserens addit: « Divum ergo Iosephum hac praestantissima nobilitate, ortum habente a virtute et iustitia, per quam Deo efficimur propinqui, et ut ita loquar, spirituales consanguinei, insigniter fuisse praeditum et illustratum, luculenter satis evangelicum eloquium attestatur dicens: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus »; super quae verba divus Hieronymus ait: « Ioseph vocari iustum attendite propter omnium virtutum perfectam possessionem ». Si ergo vera nobilitas sita est in virtute, et Beatus Ioseph adeptus est possessionem illius perfectam; consequens est perfecta claruisse nobilitate. ..

72. Sed praeter haec ex eo etiam capite quod S. Ioseph fuit maritus Deiparae Virginis, illamque habuerit in veram suam coniugem, iuxta angelicum oraculum (Matth. I): « Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam », opus fuit excellenti nobilitate conspicuum esse, eum nubentem reginae consequens est regem fieri; quis autem non videat dignitate regia, ac regali splendore, magnam comparari nobilitatem?...

73. Cum D. Iosephum B. V. latus illustraverit, non potuit exinde non magnam nobilitatem nancisci. Quod si D. Iosephum collateralem esse Virgini, regiam nobilitatem praebuit, plane aliam non inferiorem ex eo quod per plures annos collateralis Christi Domini fuit, adeptum fuisse ambigendum non est; ut enim ait imperator (in praecitata lege 1, c. de praepositis laborum): « Qui praepositi laborum nostro iudicio promoventur, clarissimi sunt inter electos, ita ut ex consularibus habeantur »... Cum ergo Divus Ioseph per omnes annos infantiae et pueritiae Christi lateri eius adhaeserit, non solum ut socius laborum, aut minister, vel famulus, sed ut magni consilii adiutor fidelissimus, imo ut quasi superior, cui Dominus ipse ultro se subderet, ut testatur divus Lucas; non potuit non inde magnum contrahere nobilitatis splendorem...

74. Atque hinc est, quod sicut moris est in singulis nobilium familiis, diversa ab aliis stemmata ostentare, ad earum nobilitatem dignoscendam et distinguendam... unde etiam in catholica Ecclesia plurimorum sanctorum venerandae imagines ex diversis stemmatibus agnoscuntur, princeps Apostolorum Petrus per claves, apostolus Paulus per ensem, sanctissima Deipara per Christum Dominum in ulnis suo pectori admotum; sic stemmata illa, quibus Ioseph insignitur in argumentum suae nobilitatis, tanto splendore coruscant, ut omnia regum et imperatorum, quantumque Caesarea insignia, cum illis nulla ratione valeant comparari.

75. Etenim sicut ipse fuit velut confinium utriusque legis, scriptae scilicet et gratiae, ita etiam ex utroque capite varia ei competunt suae ingenuitatis et claritatis insignia; nam quatenus de domo David in stemmate habet fundam, et quinque limpidissimos lapides, quibus David eius parens giganteam illam Goliae molem prostravit, nec non gladium, quo caput illius gloriose praecidit; quatenus vero Sponsus fuit Virginis, et pater legalis Christi, sicut maiorem inde nobilitatis claritatem mutuavit, ita splendidiora

Digitized by Google

et gloriosiora stemmata sortitus est, non ab hominibus collata, sed ab ipso totius nobilitatis fonte ei tributa; haec sunt Iesus et Maria...

76. Virga igitur cum suo flore in manu Iosephi posita, praeterquam quod significat quasi superioritatem, quam habiturus erat super utrumque, facile nobis ante oculos ponit virgam et florem, Mariam et Iesum sibi in propria suae nobilitatis insignia coelitus data...

77. Quando aliquis strenuus miles in bello iusto regem quempiam debellavit, rex ille catenis vinctus, pro stemmate datur: et qui regem, aut reginam ab insidiis, et morte liberavit, eos in insignia nobilitatis assumit... Merito ergo Maria et Iesus tanquam a Iosepho liberati, in stemmata eius debebantur in praemium sibi dari, Salomone dicente (Prov. XXVIII) : « Qui custos est Domini sui glorificabitur ».

78. Idem Carthagena lib. 4. hom. 12 subiungit: Apertissime constat, nullum virum generis nobilitate Iosepho clariorem umquam extitisse; unde D. Bernardus hom. 2, super Missus est ait: « Vere de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo David, prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem, tamquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum, cui cito committeret secretissimum, atque sacratissimum sui cordis arcanum; cuique, tamquam alteri David, incerta, et occulta sapientiae suae manifestavit ».

79. His non parum consentanea tradit D. Antoninus (4 par. Theol., tit. 15, c. 8', ubi versans illa verba: « De domo David », inquit: « Dicitur Ioseph de domo David, non tantum propter successionem in genere, sed principalius propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur esse de una domo, iuxta illud Psalmistae: « Qui habitare facit unius moris in domo ».

80. Adde etiam, quod qui futurus erat nutritius regis coelestis, par erat, ut esset regia nobilitate conspicuus, iuxta illud Isaiae Prophetae (c. XLVIII) : « Erunt reges nutritii tui », hoc est, Maria, et Ioseph, ex regia Davidis prosapia originem ducentes. *Haec Carthagena.*

81. Barry brevi sermone de nobilitate S. Ioseph agens, p. 1. med. 1, scribit: « Hic considera I. Insignem et nobilem S. Iosephi originem; ut qui sit e regio Davidis sanguine prognatus, tot Regum ac Summorum Pontificum tantique generis, qua digniorem prosapiam orbis non vadit, nepos: quod sane decens erat, quando pro Sponso Coeli Terrarumque Reginae fuit destinatus. II. Praeclarum Dei omnia providentis fuisse consilium, ac coelestis Senatus arcanum, quod Iosephus etsi regio stemmate oriundus, ad quem ius Regni pertinebat, pauperum nihilominus e grege fuit. An fortassis inter alias causas etiam idcirco factum id est, ut disceremus, pauperes magis idoneos esse, ut inter coeli Magnates accenseantur, quam divitiarum et dignitatum huius vitae sectatores? III. Eos saepe esse Proceres, Principes, et Reges, qui minime omnium merentur; et vicissim eos esse pauperes, abiectos, et contemptos, qui maximorum honorum sunt dignissimi ».

82. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O S. Ioseph! vas electionis! in quem a tot saeculis oculos Deus coniecit! parum mea refert, illustri me genere ortum; ac proin ipsa etiam regna despicio: non est mihi animus in terris emergere, cui ius ad coelum et Superum coronam restat: illuc omnis ambitio mea fertur. Ad finem hunc meum tuis precibus pertingam, vitamque hoc desiderio plenus absolvam, ut parvus in terris, in coelo merear magnus esse ».

Digitized by Google

CAPUT VI.

De parentibus S. Ioseph.

MULTA dicta sunt a S. Scripturae expositoribus de parentibus S. Ioseph; nobis pauca sufficiunt quae veritati magis consona videntur. Et in primis dicendum cum Carthagena, lib. 4. hom. 3: Qui autem fuerunt D. Iosephi parentes, non est concors omnium sententia: nam licet S. Matthaeus disertis verbis affirmet, Ioseph filium esse Iacobi, dicens (Matth. 1): « Iacob autem genuit Ioseph », cui minime refragatur Lucas, dum ait Heli fuisse patrem Iosephi, nam ille patrem naturalem, hic legalem descripsit; quidquid singulariter senserit Ambrosius super Lucam 3): unde ille, quia de naturali filiatione loquebatur, gignendi verbo usus est: « Iacob autem genuit Ioseph »; Lucas vero, quia de sola legali, contentus fuit dicere: « qui fuit Heli ».

84. Nihilominus tamen, quisquam fuerit hic pater legalis, non parva dissensio reperitur apud doctores: quidam enim contendunt, illum fuisse uterinum fratrem Iacob: docuit primus hanc sententiam Africanus, theologorum non solum antiquissimus, sed etiam pariter disertissimus, in ea epistola, quam scripsit ad Aristidem, et refertur ab Eusebio Caesariensi (lib. 1. hist. cap. 9), in qua Africanus ipse sic dicit: « Uterini erant fratres Heli, et Iacob: Heli absque prole decedente, Iacob illi semen suscitavit, et genuit Ioseph, qui natura filius eius erat, lege vero Heli ». Africanum non modo sequuntur D. Hieronymus, et D. Anselmus (in 1. cap. Matthaei), Theophylactus, et D. Bonavent. (in 3. cap. Lucae), sed etiam ceteri antiquorum Patrum mira consensione illi adstipulati sunt..

85. Tamen, licet haec opinio verior, et firmior sit, aliorum etiam placitum minime despiciendum esse reor, qui putant, patrem legalem Iosephi fuisse naturalem patrem Beatissimae Virginis, qui binonimus fuit, hoc est, duplici nomine, Heli, et Ioachim appellatus. Favent huic sententiae D. August. (lib. 2. q. evang. c. 5), et Philo iudaeus qui (lib. de temp.) testatur, apud Assyrios, et Ægyptios Heli, Heliachim et Ioachim idem esse, solumque differre ut synonima.

86. Confirmat etiam eamdem opinionem, quod iuxta D. Hieronymi doctrinam contra Helvidium, consuevit sacra Scriptura eumdem virum diversis nominibus vocitare, ut socerum Moysis vocat Raguel, et Iehtro; et Gedeonem appellat etiam Ierobaal; et patrem Davidis Isai, Iesse et Naas; et principem Apostolorum Petrum, Simonem et Cephas: qui ergo huic opinioni adhaerent, asserunt, quod sicut rex Ioachim, qui fuit in transmigratione Babylonis, dictus est etiam Heliachim; ita etiam pater Virginis Ioachim alio nomine vocatus est Heliachim, et brevitatis causa Heli, qui propterea a S. Evangelista Luca pater Iosephi nuncupatur, quia socer eius erat. Mos enim est in sacra Scriptura geneos filios nominare, ut aperte constat ex lib. Genesis cap. 37. *Haec Carthagena.*

87. Seldmayr, Scholast. Mariana, p. 2. q. 1. a. 1. scribit: « Pater Iosephi naturalis est Iacob a Matthaeo laudatus, et pater legalis est Heli a Luca memoratus. Ita antiquissima, et communis Patrum sententia omnibus aliis, quae referri solent, merito praeferenda, et in ipsa Ecclesiae traditione fundata; tradit enim eam secundo post Christum natum saeculo Sanctus Iustinus Martyr... Probatur etiam ex eo quod haec assertio apparentem dissonantiam evangelistarum optime et cum proprietate verborum conciliet; nam Matthaeus, cum utatur verbo: genuit, insinuat hoc ipso verbo progenitores naturales. Lucas vero quia utitur verbo substantivo: fuit, quod aequaliter aptum est ad significandam filiationem legalem, et naturalem, salva proprietate verbi exponi potest de filiatione et paternitate legali, et sic exponi debet, quia filiationem naturalem per Heli prohibet textus Matthaei, et simul Scriptura in proprietate accipienda, adeoque in altero sensu legali in verbo fuit aeque comprehenso ».

88. S. Iustinus Philosophus et Martyr, in resp. ad quaest. ad Orthod., q. 133, scribit: « Efficit divina gratia, ut cum audiamus Christum filium esse Ioseph, nec tamen ex eo natum secundum naturam, non admiremur; ut enim Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinae legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli; sic visum est Deo ex uxore

Digitized by Google

Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundum naturam ex ipso ».

89. Tandem Isolanus, p. 1. c. 8. moralem etiam sensum ponit ex S. Chrysostomo: « Quia vero haec pars evangelii consistit in serie nominum, nihil pretiosum exinde acquiri existimant. Ne igitur hoc patiamur, experiamur etiam hunc passum scrutari. Est enim ex nudis nominibus copiosum haurire thesaurum, quia plurium rerum indicantia sunt nomina. Nam et divinam clementiam et oblatis a mulieribus gratiarum actiones sapiunt. Cum enim filios impetrabant, nomen imponebant a dono. Glossa interpretatur igitur Hely Deus meus vel scandens: qui fuit Mathat, id est donans peccata: qui fuit Levi, id est additus ».

90. **Monitum.** — Cum Cardinali Petro de Alliaco, tr. de XII honoribus S. Ioseph, ita Sanctissimum Sponsum B. M. V. invocemus: « Domine Iesu Christe, aeternaliter Deus de Deo, et ineffabili humilitate temporaliter homo factus de Virgine; qui Sanctum Ioseph Beatae Mariae Matri tuae, virginem Virgini desponsari, et humilem humili sociari voluisti; et eum de parvo magnum, de humili excelsum, multis virtutibus et magnis honoribus augmentatum mirabiliter sublimasti; da nobis, quaesumus, eius exemplo, meritis et praecibus, cum mentis et corporis munditia, veram humilitatis virtutem; nobisque in humilitate fundatis, da fidei, spei, et charitatis, omniumque virtutum augmentum: ut per virtuosa merita gloriosa secum praemia consequi valeamus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen ».

CAPUT VII.

De S. Ioseph sanctificatione in utero.

De hac sanctificatione, praemittenda videntur haec verba Gersonii, in sermone Nativ. B. V. in Concilio Constantiensi habito: « Maria, de qua natus est Iesus, sicut fuerat in utero sanctificata priusquam nasceretur, ita de Ioseph virginali viro suo pia credulitate credi potest, quamvis non omnino similiter. Potest forsan haec dissimilitudo notari in hoc quod Ioseph post originale contractum sanctificatus est in utero baptismo flaminis, sicut Ioannes Baptista et aliorum plurimi. Sic enim in officio Hierosolymitano de Ioseph composito continetur. Et addit: Sicut decuit, ut Virgo summa puritate niteret, sic decuit, ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret: uterque regali progenie illustris, uterque sanctificationem in utero recipiens; cum Maria plena gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia peccatum mortale quodlibet superante. *Haec Gersonius.*

92. Carthagena rem fusius tractat, lib. 4. homil. 3, dicens: Huic etiam sententiae de sanctificatione in utero adstipulantur Episcopus Christopolitanus (in Cant. Virginis), et doctissimus Echius (in ser. de S. Ioseph); eaque ratio illi suffragatur, quia si Ieremias ad vaticinandum, et praedicandum de Christo, et Ioannes Baptista ad eum baptizandum, et digito commonstrandum sanctificati fuere in utero materno; non est a ratione alienum, ut qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus esset sacratissimum corpus Christi, sanctus esse inciperet ab utero matris suae.

93. Nec mirandum, quod D. Iosephum Dei Genitricis Sponsum pie credamus in utero sanctificatum, cum et idem singulare privilegium de aliis permultis Sanctis a gravissimis auctoribus pie creditum fuerit: de Iacobo enim minori id existimarunt Egesippus (lib. 4. comment.), Euseb. Caesarien., Simeon Metaphrast. (in ser. huius Apostoli). et Petr. Episcopus Aquilinus in eius vita: deinde de D. Nicolao et Dominico idipsum quidam asseruerunt, ut auctor est D. Antoninus (3. p. summae, tit. 18, c. 5, § 6) in haec verba: « Legimus Ieremiam sanctificatum: aliquid hoc etiam credunt de D. Nicolao, qui natus stetit rectus, et de B. Dominico, qui iam in cunis, egrediens lectum, iacebat in terra »; immo, et D. Hieronymus sanctam Asellam affirmat in utero matris sanctifica-

Digitized by Google

tam, id referente Card. Baronio in suo Martyrologio: ac tandem idipsum tradit de S. Georgio Episcopo Svellensi frater Dimaserpi (in apodixi sanct. S. Georgii)...

94. Immo, ut idem S. Hieronymus (super Galat.), D. Bernardus (epist. 174). Doctor Augustinus (epist. 57), et Anastasius Nicaenus (in qu. sac. script., tom. 6, bibli. 55, q. 59), rursus non solum in lege gratiae, sed et tempore legis naturae non scriptae, non nullos fuisse sanctificatos referunt non infimi nominis Doctores. Nam de Iacobo nobilis auctor Comestor (66 dist. in Gen.) ait: « Creditur in utero santificatum fuisse Iacob, et in collisione infantium praefiguratum quod non esset consensus Christi ad Belial ». Et Dionysius Carthusianus, dum verba illa (cap. 28): « Ero custos tuus, quocumque perrexeris », explicat: « Magna, inquit, promissio, ex qua sequi videtur, quod Deus in omnibus praeservavit Iacob deinceps a culpa mortali, forsitan et ante, maxime cum credatur sanctificatus in utero ». Et (c. 25) Augustinum in hanc sententiam ducere contendit. In ea ferme est Ambrosius (lib 4. de fide, cap. 4): « Negent, inquit, Iacob sanctum fuisse, priusquam nasceretur, qui fratrem supplantavit in materni adhuc uteri positus arcano ».

95. Ex opinione S. Ephrem (in orat. de transfig. Christi), Moyses addi potest: « Sursum, inquit, discipulos ducit in montem, et ostendit eis se non esse Eliam, nec Moysem, sed Deum Eliae, et qui sanctificavit Moysem in utero matris ». Sansonem quoque ad numerandum, illa verba suadere quidam putant: « Erit Nazaraeus Dei ab infantia sua, et ex utero matris suae ».

96. Idem Carthagena lib. 18, homil. magna et ultima, scribit: « Gravissimi auctores constanter affirmant, Beatum Iosephum fuisse sanctificatum in utero materno, unde ei dicere licuit (Psal. LXX): « In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae; tu es protector meus, in te cantatio mea semper »; ita doctissimus Gerson Cancell. Parisiensis.., Theophilus, Chrysostomus, ut refert Isidorus Isolanus... Margarita Confessorum... Iacobus Christopolitanus .. ac pene innumeri moderniores, quos perlongum esset recensere; idque mihi persuadeo verissimum; quia omnis santificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum Sanctorum speciali ratione ordinabatur; utrumque autem in nostro Ioseph excelluit; ipse enim iustus fuit, et primus, quem Spiritus Sanctus canonizavit in novo Testamento, vocans illum iustum: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus », et supra omnes viros ordinatus fuit prius, et immediatus ad Christi infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in utero fuisse sanctificatum.

97. Unde si Hieremias in utero sanctificatus legitur (Hierem. I): « Factum est ad me verbum Domini dicens: « Priusquam te formarem in utero, novi, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te »; id quod ita fieri decuit propter expressiorem prophetiam, quam de Christo venturo editurus erat; potiori iure D. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros ac familiarissimam quam cum illo subiturus erat consuetudinem. Quod si Ioannes Baptista in utero fuit sanctificatus, ut dicitur (Luc. I): « Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae », quia praecursor Christi et clamosus eius praeco futurus, ac digito illum demonstraturus erat: quanto potiori iure S. Ioseph in utero sanctificari debebat quia Christi Domini non praecursor, sed nutritius, non praeco, sed pater legalis, et Genitricis Sponsus futurus erat? » *Haec Carthagena.*

98. Isolanus, p. I c. 9. sat fuse eamdem questionem exponens, ait: « Dico itaque, non esse catholice determinatum sanctum Ioseph fuisse in utero sanctificatum. Non enim hoc asserunt sacrae litterae non ratio convincit necessaria, neque illud sancta determinavit Romana Ecclesia, ad quam semper est recurrendum, ubi de catholica occulta quaeritur veritate: ut habetur 23. q. 4. capitulo *quotiens*; et capitulo *haec est.* Verum sanctus Ioseph fuisse in utero sanctificatum, esse de numero opinabilium aut pie credendorum sequentibus persuaderi potest.

99. Primo quidem. Omnis sanctificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum sanctorum ordinabatur. Sed utrumque in Sancto excelluit Ioseph. Ipse enim iustus fuit, Sancto Spiritu teste, et supra cunctos viros ordinatus fuit, prius et immediatius ad Christum: ergo videtur quod sanctus Ioseph fuerit in utero sanctificatus.

100. Secundo. Hieremias in utero sanctificatus legitur, propter expressiorem prophetiam de Christo venturo: ergo pariter Sanctus Ioseph potest asseri santificatus, propter expressissimam Christi notitiam, quam habuit supra cunctos viros.

101. Tertio. Si Ioannes Baptista in utero sanctificatus creditur propter digiti demonstrationem: quare non etiam Sanctus Ioseph credetur sanctificatus propter eiusdem Christi educationem?

102. Confirmatur. Apostolus enim ait, primae ad Corinth. III: Idoneos nos fecit ministros: ergo si servos sanctificavit, cur non et

Digitized by Google

patrem putativum, ut idoneus pater et putaretur et esset?

103. Quarto. Si mater in terris creditur magno sanctitatis gradu in utero sanctificata, propter filii dignitatem: quare non etiam Ioseph aliquo gradu sanctitatis credi poterit sanctificatus, qui a Deo electus fuit ut Dei pater diceretur?

104. Amplius hoc convenit paritati coniugii Beatae Virginis et Ioseph: quamvis eamdem Beatissimam Virginem, in pluribus aliis praecellere, conveniens fuerit.

105. Ad haec. Angeli in divinum ordinati obsequium, omni puritate et sanctitate eorum convenienti naturae fulserunt, ut tanto digni forent obsequio. Ioseph autem inter omnes viros et inter spiritus beatos a Deo electus fuit, ut Filio Dei familiaria praestaret obsequia. Cur ergo non erit dicendus in utero sanctificatus, quando hoc naturae ab Adam defluenti non repugnet?

106. Confirmatur, quoniam Ioseph primus fuit, quem Spiritus Sanctus canonizavit in Novo Testamento, vocans illum iustum: ut habetur Matthaei primo.

107. Non desunt quoque pii fideles asserentes Theophilum scripsisse, Ioseph fuisse sanctissimum ab utero, ac Chysostomum dixisse Ioseph ter fuisse sanctum, in utero, in vita, et in morte. Ioannes etiam Gerson, in quodam sermone de nativitate Beatae Virginis ait, in officio hierosolimitano composito ob honorem Sancti Ioseph contineri, ipsum in utero fuisse sanctificatum, sicut fuit Ioannes Baptista.

108. Tametsi praefatas in Theophilo sententias aut Chrysostomo non legerim, qui singula eorum volumina sollicite non pervolvi, iis tamen apud quos ea legi assentio: quoniam eorum professio ac scripta, non infidos illos testes demonstrant.

109. Sed contra praedictas rationes arguitur. Nam beatus Dionysius, quarto capite de divinis Nominibus, ait: Non audendum est aliquid dicere, aut cogitare de illa supersubstantiali Deitate, nec de his quae ab eius mera pendent voluntate, praeter ea quae fuerunt nobis expressa ex divinis eloquiis. Sed sanctificatio divini Ioseph pendet ex mera Dei voluntate, et non est expressa in divinis litteris: igitur nullo modo asserenda.

110. Respondetur quod ea quae sunt expressa in divinis litteris sunt certa et catholica. Impressa vero eisdem sacris litteris opinari possunt, et pie credi cum timore et tremore. Et ea sunt probabiliter constantia ex sacris litteris, secundum formam syllogisticam, formaliter aut virtualiter. Latent enim ceu a clarorum gloria, tecta et obstrusa. De quorum numero, censenda est Ioseph sanctificatio in utero. De expressis autem locutus est beatus Dionysius. Quis enim in novissimis temporibus prohibeat catholicum Romano obsequentissimum Pontifici argumentis inquirere incognitam divini Ioseph sanctitatem? Vidi ego theologos, merita beati Ioseph haud magnifacientes, qui si ex dictis evangelicis argumentari voluissent magnitudinem meritorum eius, cogentes in obsequium Christi intellectum suum, potius exclamavissent dicentes: Magnus est profecto Ioseph sanctissimus, et sicut sol lucet in perpetuas aeternitates, natura, coniugio, officio, dignitate et obsequio; patres omnes testamenti veteris tantum superans, quanta apud filium praestat auctoritate pater magis quam servus. *Haec Isolanus.*

111. Barry, c. 8. med. 1, scribit: « S. Iosephus, ut Gerson ait, fuit in utero suae matris sanctificatus. I. Ita enim erat conveniens, hac illum gratia donari; quando Ieremias, qui Propheta dumtaxat erat, S. Ioannes Baptista, qui Praecursoris tantum partes sustinebat, S. Paulus, qui nonnisi Iesu Christi Apostolus fuit, ante ortum suum sunt divinae gratiae restituti, ut plures arbitrantur: quis igitur prudenter hanc immunitatem illi denegare ausit, qui plus quam Propheta, plus quam Praecursor, et plus quam Apostolus censeri debet. Utique patrifamilias idem honoris genus, quod servis exhibetur: si eos itaque necesse fuit sanctitate donari, sint sane tales, utpote tam insignes Iesu Christi ministri; ergone decuit illum praeteriri, qui Patris locum obtinet? II. Quanto cuivis maiora munia in Dei domo committuntur, tanto maiori sanctitate illi est opus, eaque tanto est maturius instruendus; quemadmodum Dei Mater eam primo Conceptione suae momento recepit. III. Digna profecto Virgo mater tali Sponso erat, qui Sanctus Deique amicus ante ortum suum esset: puduisset ipsum solem, puriorem se quam Iosephum in exortu videri ».

112. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O Ioseph! gemma in Dei domo praestantissima, duabus illis tantummodo obscurior, quae in Nazarenis aedibus tuis coruscant! tu non modo gemma illa es sexaginta pulchritudinum gratia insignis, ob maiorum tuorum virtutes, quae omnes a te possidentur; sed et ille Princeps es, qui admiranda venustate omnes antecedis, ob eam sanctitatem, qua fuisti per anticipationem ornatus. Gratulor tibi prodigiosum hoc munus, tibique cum coelestis aulae praeconibus applaudo ».

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De pulchritudine S. Ioseph.

De pulchritudine corporali et spirituali S. Ioseph, ita loquitur Isolanus, p. I. cap. II: Divum Ioseph praestanti corpore, ut animi virum praeclarissimi decet, ornatum fuisse, sequentibus monstratur rationibus.

114. Figura et signum similitudinem debent habere, cum signato et figurato. Sed omnes viri qui figuraverunt figuram Ioseph in sacra scriptura, fuerunt pulchri, sicut Abraham, Ioseph filius Iacob, ac David: ergo et Ioseph pulcher fuit.

115. Item corpus ordinatur ad animam, ita quidem animae nobiliori debetur corpus nobilius: ergo pulchritudo corporis sequitur ad pulchritudinem animae: ergo ubi fuit perfecta pulchritudo animae a principio usque ad extremum vitae, Deo instituente, etiam ibi fuisse perfectam corporis pulchritudinem rationabile est.

116. Praeterea. Natura est vis insita rebus ex simili simile procreans, nisi fuerit impedita vel erret.. Sed beatus Ioseph fuit ex progenie pulchra David, nec natura fuit impedita vel erravit: Deo sic volente, qui omnem dignitatem progeniei David in Ioseph ac Beata Virgine terminavit: ergo Ioseph pulcher.

117. Adhuc. Opera Dei sunt perfecta, et sponsam sponso decet esse similem. Beata autem Virgo fuit pulcherrima: ergo et Ioseph sponsus eius.

118. Itidem. Castitas et virginitas laudabilior est in pulchris: ergo Sanctus Ioseph pulcher, cuius virginitas laudatissima extitit.

119. Amplius. Pulchra et perfecta societas dedecoratur per deformitatem unius. Sed societas Christi, ac Beatae Virginis et Ioseph fuit pulchra atque perfecta. Et Christus speciosus fuit prae filiis hominum. Beata quoque Virgo pulcherrima: ergo Sanctum pariter Ioseph pulchrum fuisse, asserendum est.

120. Ad haec. Ioseph fuit ultimus patriarcharum, ac totius veteris testamenti terminus: ergo pulcher censendus est, ne pulchritudinem rerum divinarum in deformitatem terminatam fuisse dicamus.

121. Idem Isolanus ib. cap. 12 addit: « Est itaque opinandum Ioseph eam habuisse corporis quantitatem, quae virum decet praestantem. Similiter eum nec nimis fuisse carnosum, sive crassum, vel macie extentum, vel syntecticum; sed aequalem. Æqualitas enim ex omni humorum pari proportione resultat. Si enim consideres, quod qui eligit hominem ad opus, instrumenta operis sibi tradat, necesse est; quibus carens, opus exercere nequit. Ioseph vero electus fuit a Deo, ad longa itinera peragenda, ad labores indeficienter sustinendos, ad obsequia incessanter ac multos per annos exhibenda Christo infanti et puero, Virgini quoque tenerae et cursitare per domos horrenti, vitaeque solitariae amatrici, deservire: quod ubi corpus non aequale sortitus fuisset Ioseph aegritudine superveniente talia perficere nequivisset. Igitur Ioseph corpus aequale habuisse credendum est. *Haec Isolanus.*

122. Carthagena, lib. 18, hom. magna et ultima, de utraque S. Ioseph pulchritudine scribit: Cum corporis pulchritudo naturale Dei donum sit, ut dixit D. Augustinus (lib. 15. de Civ., cap. 22), ambigendum non est, Christum, Mariam et Iosephum, inter quos mira fuit conformitas, naturali pulchritudinis dote minime caruisse. De Christo Domino id cecinit regius vates (Ps. XLIV): « Speciosus forma prae filiis hominum »; de utraque enim pulchritudine spirituali, et corporali locutum fuisse ibi Davidem, testatur divus Thomas...

123. Divum tandem Iosephum pulcherrimum fuisse, ita ut post Virginem Matrem nullus fuerit Christo similior, docuerunt Iustinus Martyr (in Dialog. contra Triph.), et Lexicon Theologicum, verbo Ioseph, et doctissimus Gerson Cancellarius Parisiensis (in serm. de nativ. B. Mariae, habito in concilio Constantiensi, et in sua Iosephina), auctor summae Margaritae confessorum, qui (in quaest. ult. ex moral.), quae posuit in laudem sanctissimi Ioseph, compendiose dixit: « Ioseph fuit Christo simillimus, et per consequens formosissimus ». Et Bernardinus Bustensis (4 part., serm. 12), et Isolanus (4 part., cap. 9, et 1 parte, cap. 11 et 12), idque iam, ut commune receptum est apud fideles, ut quam plurimi nostri temporis scriptores ingenue fatentur.

124. Tum id colligitur ex fine, ad quem fuit ordinatum matrimonium inter Virginem et Iosephum, scilicet propter honorem Vir-

Digitized by Google

gini debitum conservandum, et ipsi etiam Christo Domino, ut filius Ioseph putaretur, ut Patres omnes adnotant: at Christus Dominus speciosus fuit super filiōs hominum; ergo, ut facilius finis filiationis putativae obtineretur, oportebat Iosephum esse similem Christo, atque adeo pulcherrimum...

125. Unde in dubio illius, cuius filius esse putatur, cuius faciem, formamque refert iudicatur; ut si dubitatur, utrum filius sit prioris, an posterioris mariti, ut tradunt Dynus etc.

126. Ut autem loquitur Isolanus (1 part. cap. 11 in princip.), anima Sanctissimi Ioseph fuit ab aeterno a Deo electa, et in utero matris sanctificata, et miris donis, et gratiis ornata, ut posset esse dignus Virginis Sponsus; igitur tali animae corpus pulchrum et recte compositum, erat debitum, dicente divo Ambrosio (lib. 2. de virginit.): « Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis ».

127. Quam autem eximia fuerit interna animi pulchritudo divi Iosephi, ex interiori eius sanctitate et puritate, in qua animi decor et pulchritudo consistit, facile erit colligere: tanta illa extitit, ut nulla unquam fuerit proximior, et similior puritati et munditiae Beatae Virginis; ita docuit Gers. (serm. de nativ. Mariae in exord consid. 1): « Sicut decuit, inquit. ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, ut ait Anselmus, ita decuit ut S. Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus » *Haec Carthagena.*

128. Bernardinus de Busto, Mariale p. 4. serm. 12, ait: « Sicut ipsa Virgo fuit sanctificata ut Dominum pareret, ita ipse fuit iustificatus, ut Domino alimenta nutritionis procuraret tamquam pater. Et ideo dicitur (Luc. III) quod ipse Dominus putabatur filius Ioseph, quia scilicet sedulitatem paternam illi exhibebat. Nos vero possumus assignare aliam causam huius reputationis, quam ponit Ioann. Gerson in sua Iosephina, scilicet quia Domino nostro erat similis Ioseph in facie et in ceteris dispositionibus corporis; quod Deus esse voluit, quia nisi inter staturam, et effigiem Christi et Ioseph fuisset similitudo, non esset reputatus a Iudaeis eius filius, et consequenter reputassent Beatam Virginem adulteram. Ex quibus concluditur quod si Ioseph fuit similis Christo, pulcherrimus extitit. Dicit igitur Ioannes Gerson, ubi supra:

Personas inter similes est nexus amoris;
De Ioseph ast ratio suadet quod facialis
Forma Iesu formae similis reputanda fuisset.
Si non, quo pacto pater eius creditus esset,
Qualiter intactae Matris salvasset honorem,
Disparitas vultus prole cum patre putato;
Gratia naturae fieri vult consona saepe.
Nonne minor Iacobus frater Domini perhibetur
Valde sibi similis? quod gratia non caro fecit.

129. Denique pulchre de pulchritudine S. Ioseph scribens Barry, c. 8. med. 1, ait: Repraesenta tibi e gemmis unam, quae gemma prodigiosa, aut granata vocatur, quod magnam cum punico malo affinitatem habeat. Haec gemma plurium gemmarum, adamantis, carbunculi, smaragdi et aliarum quaedam congeries est. Porro admiranda pulchritudine nitet; et intra terrae viscera delitescit, in qua nascitur, nativa elegantia et nitore praedita, antequam publico se credat: nominis etiam gratia superbit; solet enim gemma sexaginta pulchritudinum vocari. Hanc imaginem tibi siste, inveniesque, apte in S. Iosephum quadrare; quandoquidem maiorum suorum perfectiones omnes et sanctitatem ex utero materno tamque venusti nominis gratiam est consecutus.

130. Et med. 7 addit: Voluptuarium quemdam hortum tibi repraesenta, in cuius areolis omnis generis odorati pulchrique flores visuntur; imprimis vero lilia, caryophyla et rosae oculos ac mentem ad se rapiunt, multumque tulipas, anemones, calthas antecedunt; etsi enim isti pulchritudine sint praediti, attamen odore destituuntur: illi vero flores utroque praestant. Anima S. Iosephi talis areola est, ubi omnium virtutum flores est cernere; sed humilitas, castitas, et constantia illius inter alias omnes eminent. *Haec Barry.*

131. **Monitum.** — Cum antiquo Breviario Carmelitano anni 1495, ita Sponsum B. M. V. invocemus: « Omnipotens et mitissime Deus, qui beatum Ioseph filium David, Beatae Mariae Virgini tuae Matri Sponsum providisti, tuum Nutricium elegisti; da, quaesumus, ut eius precibus et meritis, Ecclesia tua tranquilla pace laetetur, et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducatur. Qui tecum ».

Digitized by Google

CAPUT IX.

De virginitate S. Ioseph.

ISOLANUS, p. 1. cap. 13. scribit: Ioseph debuisse virginem esse re, et voto cordis et oris conditionato, probant sacri theologi rationibus, atque sanctorum auctoritatibus.

133. Prima ratio est ab Evangelio trahens efficaciam. Ioseph enim iustus fuit et fornicatio in iustum non cadit: nec aliam uxorem habuit, et Beata Virgo in aevum virgo permansit: ergo etiam Ioseph virgo fuit. Et voto, quia communi consensu castitas inter eos permansit, secundum beatum Hieronymum contra Helvidium. Beata autem Maria virginitatem Deo sacraverat. Virginitas enim, ut ait beatus Augustinus, laudatur, non quia virginitas, sed quia Deo dicata. Quod quidem corde prius tamen fecit: quia tunc matrimonium praeferebat virginitati, et ipsa forte nondum noverat quod Deo super hoc placeret. Postea vero verbis expressit, quoniam per angelum certificata fuit, et Sanctus Ioseph vir eius consensit.

134. Quod vero votum Sancti Ioseph fuit conditionatum probatur. Nam Ioseph inter viros fuit confinium sive horizon novae et veteris legis, sicut aurora diei et noctis. Et votum eius debuit sapere novam legem, quantum ad virginitatem; et veterem in quantum conditionem apposuit. Item quia lege prohibitum erat non dare operam ad relinquendum semen super terram: ideo non simpliciter credendum est Ioseph virginitatem vovisse: sed sub conditione si Deo placeret.

135. Secunda ratio est. Personae immediate ordinatae ad humanitatem Christi convenit fuisse virginem, sicut patuit in beata Virgine, in Ioanne Baptista atque Evangelista. Sed Ioseph ordinatus fuit immediatius ad humanitatem Christi quam ceteri viri, ergo virgo censendus est.

136. Tertia ratio. Nobilissimae paternitatis dono insignitus fuit Ioseph: ergo habuit conditiones nobilissimae paternitatis. Inter quas enumeratur virginitas, quae paternitati divinae convenit.

137. Confirmatur quoniam Ioseph, vices patris coelestis in terris gessit.

138. Quarta ratio. Deus est melior mundo sensibili, praestantior ac perfectior. Sed angelis cui propter suam munditiam, virgines vocantur, commissa est gubernatio mundi sensibilis; ergo pariter Ioseph virginem omnino credere fas est, cui commissa fuit gubernatio et cura Dei immortalis caro facti.

139. Quinta ratio. Novum testamentum virginitatem consecrat, et supra coniugatos reponit. Sed sanctus Ioseph primus est quem sacra novi testamenti pagina iustum praedicat. Igitur rationabiliter arbitramur illum fuisse virginem.

140. Sexta ratio. In obsequio Christi familiari, Ioseph par fuit angelis: ergo virgo secundum angelicam imitationem.

141. Amplius dixerim. Ioseph virginitatem fuisse nobiliorem, gratiorem, utiliorem, gloriosiorem, ac mirabiliorem, quam fuerit angelorum virginitas. Nam angelorum virginitas et castitas est a natura, Sancti vero Ioseph a gratia: ergo nobilior. Item angelorum necessaria, haec vero voluntaria: ergo gratior. Praeterea angelorum castitas non est meritoria, haec vero est: ergo utilior. Item angelorum est in natura impassibili, haec autem in carne fragili: ergo mirabilior. Est denique perfectior virginitas Sancti Ioseph, quia in anima et in corpore, illa vero in spiritu tantum. *Haec Isolanus.*

142. S. Bernardinus Senensis, serm. S. Ioseph, a. 2. ait: « Credo istum virum Sanctum Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate ardentissimum in Dei amore, et charitate, altissimum in contemplatione, sollicitissimum illius Virginis Sponsae suae.

143. Et addit: « Cuius ratio est, quia quum Christus in passione sua nulli nisi Virgini servandam tradiderit Matrem suam, non est credibile, quod ante conceptum, dum adhuc iuvencula erat, custodienda alicui nisi Virgini traderetur. Proinde Hieronym. contra Evodium dicit, ipsum Ioseph virginem extitisse: ut per Mariam ex virginali coniugio virgo filius nasceretur ».

144. Gersonius, serm. de Nativ. B. V. consid. 3, similia docet dicens: Sicut Maria potuit ex sententia dicere illud Sacrae uxoris Tobiae iunioris filiae Raguëlis: « Tu scis, Domine quod nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere ». (Tob. III, 16). Sic ipse Ioseph potuit apud Deum gloriari, ita enim pie te-

Digitized by Google

neo: Tu scis Domine quia nunquam concupivi feminam, et mundam servari animam meam ab omni concupiscentia ; uxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

145. Testis et assertor huius sententiae nobis est Hieronymus... et alii sanctorum plurimi. Hieronymus enim Ioseph permansisse virginem non dubitat adstruere. Ioseph igitur priusquam iungeretur cum Virgine Maria corruptus vel uxoratus non fuerat. Et hoc maxime concludimus ex eo, quia si Matri suae Dominus iam provectae neminem dare custodem voluit nisi virginem, scilicet Ioannem evangelistam, quanto magis existimandum est quod hoc fieri voluit in adolescentiori aetate? Similiter filius Iesus sicuti non voluit nasci, ita nec nutriri nisi in puritate virginali. *Haec Gersonius.*

146. « Hanc tantorum Patrum sententiam ait Carthagena, lib. 4, hom. 3 ... uti rationi magis consentaneam omnino praeferendam semper duxi: valde enim decebat, cum ille, qui pascitur inter lilia, frequentissime pasci deberet, et inter Mariam, et Iosephum, et ab eis paterno affectu infantile eius corpus saepissime contrectari, utrumque virginem esse, et angelicis spiritibus puriorem ; decebat etiam Sanctum Iosephum maxime liberum, et expeditum esse a filiorum cura, et obligatione illis necessaria providendi, ut ministerium Matri, et Filio inserviendi susciperet et ut ad eorum protectionem propriam patriam relinqueret, et in longinquam Ægypti plagam proficisceretur: sicut enim dixit Apostolus (I Cor. VII): « Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est » : ita similiter pater, filios habens, necesse est, ut sollicitam eorum curam gerat, et consequenter iuxta Paulinam sententiam divisus erit. Ad id ergo vitandum omnino oportebat Iosephum filiis carere ».

147. Isolanus, p. 2, c. 14, scribit: « Votum Sancti Ioseph de virginitate servanda fuit duplex, quemadmodum et votum Beatae Virginis. Primum fuit ante desponsationem eius, et illud fuit conditionale et mentale duntaxat. Secundum fuit post desponsationem Beatae Virginis, antequam ad eam salutandam veniret Gabriel angelus et istud fuit absolutum, et non solum mentale, imo etiam verbale et concorditer cum Beata Virgine perpetuam virginitatem vovit. Et haec S. Augustini ac Magistri Sententiarum est veritas, quam sequitur S. Thomas in 4 d. 30 q. 2. art. primo, quaestiuncula 2 in solu. secundi, dicens: Beata Virgo antequam contraheret cum Ioseph fuit divinitus certificata, quod Ioseph in simili proposito erat. Et ideo nubens non commisit se periculo ».

148. Ioan. Carthagena, lib. 4. homil. 12. scribit: Communi consensu scholastici doctores docent, Iosephum perpetuam virginitatem custodisse; quorum sententiae omnino adhaerendum esse censeo; maxime quod B. Petrus Damianus disertis verbis dicit: « hanc esse Ecclesiae fidem » ; quam propterea variis doctorum testimoniis, et solidissimis rationibus confirmabo. Et quidem in primis deceptionem eorum, qui oppositae sententiae subscripsere, D. Hieronymus, sacrarum Scripturarum diligentissimus scrutator, his verbis luculenter aperit, quibus et Ioseph filios adimit, et simul causam erroris ostendit; sic enim ait: « Quidam, fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et a quadam alia muliercula confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos, Salvatoris, Mariae liberos intelligimus, materterae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi minoris, et Ioseph, et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos; fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat ».

149. Accedit ad haec D. Augustinus (ser. 15. de nat. Dom.): « Habe, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, gaude, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ». Venerabilis Beda (in cap. II Ioan.) de Iosephi virginitate, tanquam de re indubitata loquens, ait: « Absque ullius scrupulo quaestionis scire, et confiteri oportet, non tantum Dei Genitricem, sed et beatissimum castitatis eius testem, atque custodem Ioseph, absque omni prorsus actione coniugali mansisse semper immunem ». Rupertus (lib. 2, in Cant.) versans illa verba: « Pascitur inter lilia », ait: « Quaenam sunt lilia, nisi amicus dilecti, Ioseph, et ego dilecta, cui dicit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias? vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima ».

150. Sed, quod cuncta omnia supradicta longe superat, B. Damianus (in epistola ad Nicol. Pont.) tradit his verbis, veritatem hanc esse de fide: « Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit Mater, Ecclesiae fides est, ut fuerit virgo et is qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur, et hoc, cum adhuc parvulus vagiret in cunis; a quibus nunc, obsecro, tra-

Digitized by Google

ctari vult corpus suum, cum iam immensus regnet in coelis? Haec Carthagena.

151. Trombelli, Mariae SS. vita et gesta, diss. 10 q. 6. c. 3, haec habet: « His vero positis, valde laudabiles eos esse puto, qui toto vitae tempore virginitatem a Iosepho servatam affirmant: id enim nobis persuadet eorum praestantium virorum, quos iam allegavi, aliorumque etiam, quos scholastici saepe allegant, auctoritas. Valde verisimilis coniectura eidem opinioni etiam favet: quam quidem Baronius, Sandinus, aliique praestantes viri adducunt, et haec est: adiutorium, coniugem scilicet simillimum tum fore Virgini Iosephum, si sicut reliquis virtutibus praestabat (quarum causa simillimus erat Virgini, etiam virginitate praestitisset: dilexit enim eximie virginitatem Christus Dominus: quod ut significaret, Virginem matrem dilexit, et Ioannem prae ceteris palam se diligere prodidit: quia eum « specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum », eamque ob causam moriens illi Virginem commendavit. An vero, si in ceteris adeo virginitatem dilexit, eam neglexit in Virginis Matris Sponso, et putativo patre suo, ut cum posset virginem eligere, eum elegerit, qui, si apocryphis fidimus, filiorum iam fuerat pater? Nihil minus ».

152. Barlendus, Let. Lauret., n. 290-293, virginitatem S. Ioseph fuse defendit, et ait: « Ceterum si Iosephus castissimus non cognovit Virginem suam ante partum, fidem praebens archangeli verbis, credensque solidissime Virginem honestissimam plenam esse et gravidam e Spiritu Sancto, atque eam ob rem reverenter aeque ac libenter a tanta sese Matre, sua licet sponsa, continens, quis credat, quis dicere ausit eum matrimoniali in sponsam iure usum, posteaquam probata effectu ipso vidit angeli oracula: posteaquam editum vidit infantulum, nemini mortalium similem, Divinitatem ipso vultu prodentem, nive candidiorem, rosa teneriorem, ambrosia dulciorem, sole splendidiorem, coelis optatiorem; posteaquam angelorum vidit myriades puello e superis accurrentes, cunis accinentes, pacem e coelis hominibus apportantes; gloriam excelsissimam consonantes; posteaquam et stellam novissimam vidit, quae principes Eoos ingentibus thesauris opulentos ad panniculos vagientis procubos fecit, posteaquam Simeonem, senem annosum, probatum, coronatum in amplexibus, in osculis Pueruli lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis Israel e sua coniuge prognatum esse, contestari, dulcique carmine illacrymari et vidit, et audivit; posteaquam alia ingentia prodigia circa et natum e sua Virgine Filiolum, et ipsam suam suavissimam, castissimamque Coniugem vidit? ».

153. Concludendum igitur cum Lipomanu, ap. Surium, die xxv Martii: « Habes ergo meam, bone lector, hac de re sententiam: quam et te quoque, si pius es, si castitatis et sanctimoniae amator, si Beati Ioseph devotus filius existis, secuturum non ambigo ».

154. Barry, Aliment. piet. erga S. Ioseph, c. 8, med. 7, ait: « Considera in eo virginalis castitatis praestantiam. I. Votum edidit, eam se toto vitae tempore servaturum: quod eius decretum Angeli, quin et Deus ipse suspexit, qui in eius nuncupatione fuit in testem voti adductus. II. Votum illud nullo praevio exemplo nuncupavit: ipse enim et B. Virgo primi fuere, qui Deo promisere, se perpetuo virgines fore: et hoc sanctum utriusque propositum, quod conceperant, mutuo sunt divinitus edocti; ac priusquam sibi desponderentur, votum illud communi consensu renovarunt. Et ita fieri omnino expediebat, ut Maria sciret, Deum illi providisse « adiutorium simile sibi » auderetque secure spondere, se illi ius in suum corpus concedere, cui aeque tueri puritatem, quam ipsi, certum esset. III. Erat custos virginitatis Dei Matris: hanc Pater aeternus illi provinciam commisit. Deum bonum! quanta integritate necesse fuit custodem, vel ut rectius loquar, socium tam excellentis virginitatis enitere; quandoquidem illa non alio iterum custode indiguit, quam ea ipsa, quam tuebatur! O quanta fuerit haec in illo virtus! »

155. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O Sancte Iosephe! virgo incomparabilis pudoris, in gloriae, qua frueris domicilio, tot virginum in utroque sexu te misereat, qui de hac angelica virtute periclitantur: e coelo illas clementi oculo dignare, easque in amore puritatis iube constantiam tenere ».

Digitized by Google

CAPUT X.

De arte fabrili S. Ioseph.

SELDMAYR, Scholast. Mariana, p. 2. q. 1. a. 11. scribit: Observo Sanctum Iosephum fabrum fuisse, constare ex Evangelio dicente « Nonne hic est fabri filius? » (Matth. XIII, 55). Qualis vero fuerit faber, non est una et concors auctorum sententia. Sanctus Hilarius, can. 14, in Matth.; L. Leander Hispalensis, lib. De instit. virg., cap. 22; Sanctus Petrus Chrysologus, serm. 48, et alii plures, existimant fuisse fabrum ferrarium. Sanctus Ambrosius super cap. XII Matth., ait simul fuisse fabrum ferrarium, et lignarium. Quaeritur ergo, qualis credendus sit fuisse faber? ad quod.

157. Dico: Sanctus Iosephus fuit faber lignarius tantum. Ita Sanctus Thomas, super cap. XIII Matth., cum communi nunc sententia, quam etiam tradit Historia Orientalis, teste Gratiano, quae, teste Augustino Calmet, dissert. de Sancto Iosepho, vim habet cuiusdam traditionis ex eo maxime, quia ut Stengelius ait in Historia S. Ioseph., cap. 2, antiquissima consuetudo communi Ecclesiae sensu recepta eum depingit tanquam fabrum lignarium serram et asciam manu tenentem, et quia id etiam docet antiquissimus scriptor Sanctus Iustinus martyr, in Dialogo cum Tryphone; D. Chrysostomus, serm. 30, in cap 1 Epist. ad Roman;; Sozomenus, lib. VI Hist. eccles., cap. 2; Theodoretus, lib. III Hist. eccles., cap. 23; Nicephorus, lib. X Hist. cap. 33.

158. Probatur etiam ratione: Talis fuit faber Sanctus Ioseph, qualis fuit faber Christus Dominus; sed Christus Dominus fuit faber lignarius: ergo etiam Sanctus Iosephus. Maior videtur innegabilis, quia Christus fuit Iosepho subditus, et eum in opere quotidiano adiuvit, et sic ambo eidem arti fuerunt addicti.

159. Minor prob.: Quod Christus fuerit faber, liquet ex Sacra Scriptura dicente Marci VI, 3: « Nonne hic est faber? », et quidem lignarius, quia sicut per lignum crucis salutem hominum erat operaturus, ita per triginta annos volebat se in arte lignaria occupare, ut dicit auctor Operis imperfecti, hom. 1 in Matth., et Lyranus super cap. VI Marci, inquiens: « Probabile videtur, quod Christus eamdem Iosephi artem exercuerit, et quod in arte patris sui putativi fuerit occupatus, quia in doctrina et miraculis usque ad trigesimum annum se non exercuit ». Quod etiam confirmat ingeniosum illud responsum cuiusdam Christiani Ludimagistri, qui interrogatus a Libonio sophista Iuliano apostatae familiari: « Quid ageret fabri filius? » respondit, « Eum feretrum fabricare Iuliano », post quod Iulianus etiam paulo post confossus iaculo interiit, ut refert Theodoretus, Histor. Eccles. lib. III, cap. 8. *Haec Seldmayr.*

160. Costerus, de vita et laud. B. V. med. 24, ait: « Considera primo, Christum Dominum in iuventute non dedisse litteris operam, sicut cognoscebant Iudaei, cum de eo dicerent: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (Ioan. VII, 15). Neque tamen munus praedicationis ante annum aetatis tricesimum obiisse, licet privatis subinde colloquiis cives suos instruere niteretur; neque etiam otio fuisse deditum, quia sciebat hominem ad laborem esse natum. Exercuit igitur cum nutritio Iosepho artem fabrilem; unde etiam a suis audiebat: « Nonne hic est faber? »

161. Carthagena, lib. 4. hom. 4 addit: « D. Thomas (sup. c. 13 Matth.) cum communiori, et recentiori sententia, quam etiam tradit historia orientalis, id referente Gratiano (lib. 2), docet Iosephum fuisse fabrum lignarium: quod tribus praecipue non incongruis rationibus stabiliri potest. Prima, quia ad quaerendum victum sibi, et uxori in itinere ad Ægyptum, et dum in ea commoratus est, necnon in reditu in Iudaeam, ars fabrilis lignaria aptior erat, et pauciorибus instrumentis, ad eam exercendam indigebat, quam si faber ferrarius, aut caementarius fuisset. Secunda ratio, quia antiquissima consuetudo, et communi Ecclesiae consensu recepta satis confirmat, D. Iosephum fabrum lignarium fuisse dum frequenter manu serram tenentem eum depingit, quam constat lignariae artis instrumentum esse. Tertia ratio, quia si vera est sententia D. Bonaventurae (in med. vit. Chr.), Caietani (ad cap. 6 Marci), et aliorum, Christum Dominum in fabrili officio non semel adiuvisse ac ministrasse legali suo patri Iosepho, congruentius, ac decentius erat, artem illius fuisse lignariam, non ferrariam, aut caementariam, quibus

Digitized by Google

manus et facies necesse est frequentissime spurcari, et maculari ».

162. De eadem re haec habet Isolanus, p. 1. c. 15: Exercuit divinus Ioseph inter mortales artem fabrilem lignariam: Christo nempe Iudaei obiiciebant: Nonne hic est fabri filius? Cui grandiusculae iam aetatis Salvator idem, pro paterna obedientia saepenumero suffragatus est, ut pie creditur ac rationabiliter valde. Hinc faber ab Iudaeis dictus est Dominus Iesus: ut habetur Marci nono: Nonne hic est faber, filius Mariae? Itidem Anselmus ait: Nihilve sanitatis aestimes tibi accessurum, si eum (scilicet Iesum) apud Nazareth puerum inter pueros contempleris, si obsequentem matri, si operanti nutritio assistentem intuearis. Et Basilius: Ab ipsa autem primaeva aetate parentibus obediens illius, quemlibet laborem corporeum humiliter et reverenter sustinuit. Hanc vero artem sanctum exercuisse Ioseph convenientissime multipliciter declaratur.

163. Primo quidem. Custodem ligni vitae exercere huiuscemodi artem decuit lignariam, quam exercens Noe, humanum instauravit genus.

164. Dicit item Chrysostomus super Matthaeum: Ideo fabro lignario Maria desponsata erat: quoniam Christus ecclesiae sponsus, omnem salutem hominum operaturus erat per lignum crucis.

165. Adhuc. Conveniebat Ioseph artem exercere lignariam, propter materiae decentiam. Lignum nempe materia est munda, pulchra, et faciliter in quamvis deducibilis formam. Communis est quoque ars, qua urbani ac ruricolae egent, nullumque genus hominum est eius non utens artificio. Ioseph itaque cum sua ex arte, victum Nato Dei acquisiturus esset, ac varias orbis regiones petiturus, merito faber lignarius electus a Deo fuit.

166. Ars pariter lignaria undique utilis est, minusve ceteris fallendi carens suspicione.

167. Itidem ad lignarios artifices, nobiles rarius accedunt vel milites propter eius humilitatem, qua si egeant artificem ad se vocant. Quae omnia pacificae vitae, solitudinem sectanti beatissimae semper Virgini mirum in modum congruebat.

168. Adde quod carpentario, in minimis solent mares et feminae deservire quam libentissime; quia quotidiano artis carpentariae suffragio. familia quaeque indiget.

169. Arte demum lignaria devagantis familiae lectuli, coquina, stabulumque componuntur quam facillime; quibus Mater Dei ac *Filius*, longo eguere in exilio.

170. Contemplandum itaque a fidelibus, *Salvatorem nostrum* Dominum Iesum Christum, singulas per aetates ad annos usque triginta, conversatum inter homines fuisse quasi hominem purum, quadam tamen cum excellentia ac conversandi maiestate. Plurimam namque diei partem, in templo, aut synagogis demorabatur, quo id vivendi genus praestantissimum esse doceret, et fini hominis magis magisque aptum. At domi, nulla materna praeterfugiebat officia.

171. Ioseph lignaria laborantem in arte verbis solabatur divinis, humili obsequio, ac hilaris faciei claritudine. O quoties laboranti Ioseph Iesus dicebat: O mi pater amantissime, his ego laboribus, aeterna praemia feram. In hoc etenim mundo pressuram et labores ego ipse, electis meis sum polliciturus. Ardua subibunt innumeri, saeva minime horrentes fata, quatenus mihi obtemperent. Cui Ioseph: O fili, o Deus altissime, labores hi numquid non satis superque praemia accipiunt, solius tuae locutionis iucunditate? Tua nempe vox nimium mihi suavis est: tua eloquia dulciora super mel et favum. O si liceret tuae maiestatis pulchritudinem ac divinitatem notam hominibus efficere, templa tibi, arasque dicari satagerem. Omni sed sacrificio, tua potior existit voluntas. Suscipe, nate Dei, labores quos hac in arte carpentaria exerceo, pro tua qui pietate immensa me tuum in patrem putativum delegisti. Tibi in excelsis angeli famulantur: in terris vero homo carpentarius. Tu beatorum spirituum felicissima es beatitudo, qui nunc homini fabro solatia praestare non dedignaris. *Haec Isolanus.*

172. Barry, Alimenta piet. c. 8. med. 2, pie et pulchre de arte fabrili S. Ioseph scribit dicens: Finge, te officinam fabri lignarii videre, atque illic iuvenem octodecim annorum, qui labori det operam, ligna securi, aut serra secantem; circum multos Angelos versari, qui etsi minime conspicui eius laboris spectatores adsunt, ob sanctitatem istius opificis admiratione defixi: ut et ob notitiam, qua didicere, hunc, quem exercere tam vile abiectumque opificium vident, a Deo pro Dei Matre olim Sponso destinatum... Gratiam a Deo postula, qua circa S. Iosephi conditionem, eiusque felicitatem, qua potuit a primis annis sancte vivere, divinae Maiestatis consilia expendas...

178. S. Iosephus etsi tam nobilis prosapiae, artem fabrilem addidicit, totaque deinceps vita exercuit I. Ei artificio se tradidit, ut honeste occupatus otium vitaret, integritati virgineae, cuius voto se obstrinxit, nunquam futurum exitiale: ad haec se pauperem agnoscens, etsi a Davidica progenie profectum, Dei providentiam adoravit, neque erubuit, proprio sudore vitam sustentare. II, Fabrilem elegit, quod esset ceteris laboriosior,

Digitized by Google

gavisus, se pro Deo, cuius amore ardebat, multa aspera tolerare. III. Submissionis studio id opificium per omnem vitam prosecutus est, nihil inde elatus, quod Patrem se Iesu Christi, aut maritum coelorum Reginae videret: accedebat charitatis impulsus, ut suo labore Dei Filium et Mariam Matrem eius aleret: accessit pietas, qua libenter ligna tractabat, postquam a Iesu intellexit, in ligno Crucis aliquando Redemptionis opus peragendum. O S. Ioseph! instar Cherubini ardens, coelestique consilio plene! impetra mihi, ut saluti meae profutura eligam: non recuso laborem, neque mei abiectionem; si inde perfectio et salus mea dependet: exora mihi eas omnes virtutes, ob quas tanto tui amore me tibi vindicasti...

179. Etsi lignarius tantum faber fuerit, sanctissimus nihilominus fuit: eam gloriam S. Scriptura illi tribuit, quando Iustum appellat. I. Eius ad virtutem propensio ad omnis generis exercendas virtutes eum ferebat, quae veram iustitiam constituunt; qua proclivitate minime caruit, quando prodigiose primam fuit sanctitatem consecutus. II. Ipsum eius nomen ad conservandam sanctimoniam, imo in dies augendam, qua fuit tam liberaliter a Deo donatus, invitabat, ut re et nomine semper esset accrescens. III. Deus illum potentibus subsidiis ad altiorem sanctitatis gradum evexit, quam ullus post Iesum et Mariam pervenit: quando quidem ad id extollere fastigium honoris voluit, ut eum appellatione Patris Filii sui, et conditione Sponsi gloriosae Virginis decorarit. Sanctitas autem ad tam sublime utriusque muneris culmen requisita, nostris comprehendi ingeniis nequit; qua tamen S. Iosephus enituit. *Haec Barry.*

180. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O sancte Ioseph! excellentis sanctitatis Alpha, et speculum omnium virtutum! te obtestor per summam iustitiam et pulchritudinem animae tuae, velis mihi eum sanctitatis gradum obtinere, qua consequi paratam mihi a Deo gloriam possim; si quidem divinis eius circa me consiliis obstaculum non ponam ».

CAPUT XI.

De virtutibus conversationis Sancti Joseph.

MIRABILIA quidem sunt quae de conversatione S. Ioseph pia consideratione scribi possunt. Nobis in primis virtutum tanti Sancti constantiam considerare placet, dicentes cum Barry, Alim. piet. c. 8, med. 7: Expende meritum eius constantiae. I. Constanter fuit paratus per omnia divinae se voluntati permittere, mira quadam mentis aequitate compositus: fugiendum illi fuit e patria, adversa toleranda in Ægypto, redeundum in Nazareth, amittendus Filius, multaque alia devoranda: in quibus tamen constantiam mordicus retinuit. II. Constanter ad sui contemptum et abiectionem aspiravit, dum fabrilem artem exercuit, nunquam conatus emergere, aut ultra regiae prosapiae nobilitatem, illa etiam privilegia publicare, quibus fuit ornatus; unde tamen toti se orbi venerabilem reddidisset. III. Constans fuit in exercitio virtutum, semper in iis maximis incrementis progressus, praecipue in Dei amore: unde cum semper perfectiorem se redderet, effecit, ut quotidie quoque Iesu et Mariae Filio et Sponso fieret amabilior. O S. Iosephe constantiae columna! si quis mihi optionem inter omnes virtutes daret, tuae constantiae me admoneret: parum enim virtutes omnes prosunt, nisi eas constantia coronet. Ah! nunc volo, nunc nolo: quaeso te, impetra mihi constantiam adeo necessariam, et perseverantiam Deo tam acceptam obtine; aliter perii. — Colloquium erit ad S. Iosephum, ab eo spiritualem eleemosynam petendo, seque instar mendicabuli ad eius pedes abiiciendo: ille abundat, et ego sum pauper: ille est cunctis virtutibus instructus, et ego cunctis egeo. Cur enim est in illo fastigio, nisi ut nos iuvet? cur tam dives, nisi ut in nos egentes sit liberalis?

182. De mirabili hac conversatione S. Ioseph, pulcherrime scribit Isolanus, p. 1. cap. 16: « Conversatio Sancti Ioseph sex titulis irradiavit coelestibus. Fuit enim moralis, pia, religiosa, virginea, angelica ac divina.

Digitized by Google

Nam prudentia, alter Ioseph fuit, sive cum suos inter fratres conversatus est, sive cum in Aegypto venditus fuit, sive cum principâtum acquisivit in domo Pharaonis. Sanctus enim Ioseph pater Salvatoris, non minori excellentia inter iudaeos et gentiles propria oriundos civitate, observator fuit paternae legis divinae, ac in Ægypto viam Domini exul non dereliquit. Factus pater putativus Filii Dei, sponsusque Reginae mundi, prudentiae viam, sollicitudine maiori amplexus est.

183. Iustus vero, Dei testimonio, Sanctus Ioseph comprobatur. Iustitia itidem Sancti Ioseph in Noe iusto figurata fuit. Hic, ut habetur Gen. VI, quoniam iustus atque perfectus cum Deo ambulavit, arcam divino gubernavit praecepto, in qua genus humanum salvum factum. Hic est Noe qui columbam virentis olivae ramum deferentem, signum clementiae Dei manibus excepit. Hic signum foederis inter Deum et hominem vidit. Verum mysteria, quae Noe gesta significabant sub umbra, Sancto Ioseph sub vero sole, contigerunt Ipse enim sua promeruit iustitia; ut Virgini beatissimae, in arca Noe, praefiguratae, sponsus et caput esse meruerit. Ipse eamdem gremio gestantem Verbum Dei incarnatum humanae signum reconciliationis cum Deo, obsequio sancto manuum suarum prosecutus est. Ipse signum foederis inter Deum et hominem id est Christum, oculis vidit et exultavit; diluvium humanae naturae amplius non pertimescens.

184. Prudentia, pariter in conversatione Sancti Ioseph emicuit, qua et praeteritorum reminiscebatur, et praesentia alto penetrabat ingenio, futuraque praemeditabatur: quod potissime verbis explanatur evangelicis: Ioseph, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. At isthaec latius suo loco, explanabuntur. Quis vero virgineum hominem, omnibus diebus vitae suae, intemperatum asseverabit? Fortis itidem fuit ut mors, cuius pectus grande, Christum contra persecutores tyrannos illaesum custodivit.

185. Pia quoque censenda est fuisse conversatio Sancti Ioseph, omni atque pietatis genere ornatissima. Est autem triplex pietas: vulgaris, virtuosa, divina. De Vulgari, inquit beatus Augustinus decimo de Civitate Dei: More vulgi, nomen pietatis etiam in operibus misericordiae, frequentatur. Quod ideo arbitror evenisse; quia hoc fieri praecipue mandat Deus, ea quae sibi vel pro sacrificiis placere testatur. Ex qua consuetudine factum est, ut Deus ipse pius dicatur.

186. At pietas Virtuosa, teste Cicerone, est per quam sanguine iunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus.

187. Divina pietas ea est, quae inter dona Spiritus Sancti enumeratur. Ait vero S. Thomas in tertio Sententiarum. di. nona, q. prima, pietatem, ut donum consistere in quadam benevolentia supra modum humanum ad omnes. Religio autem exhibet cultum Deo.

188. Minime autem ambigendum est, conversationem Sancti Ioseph fuisse piam, pietate vulgari, qui ut ait S. Bonaventura, quaerebat victum de arte lignaria, nec dubium quin sibi beatae Virgini ac Christo. Quis dubitabit Ioseph, si forte vicinis in quopiam prodesse posset etiam malis, non illis suffragia praestitisse? Habebat enim interiorem spiritum talia docentem. Habebat beatissimam Virginem coniugem amantissimam, nullius ignaram rei: habebat denique Christum verum Deum misericordiae opera laudantes, suadentes sibi atque suffragantes. Si cum sancto sanctus eris, cur non cum pientissimis, pientissimus evasit? Verum quod ad officium ac cultum diligentem spectat, erga sanguine iunctos, Christum videlicet ac beatam Virginem. nullo scribendi genere, nos prosequi digne aliquando posse arbitramur. Cogitabat Ioseph attentius, acutius ac prudentius, ne in quoquam deesset beatissimae Virgini ac Christo infanti. Perficiebat eadem sollicitius, gratius ac ferventius.

189. Religiosam quoque illius conversationem fuisse, nemo sanae mentis veretur, si enim religio Deo offert cultum. Religiosissima ergo fuit conversatio Sancti Ioseph, qui Christo Deo vero, dies ac noctes serviebat. Dixit beatus Ambrosius: credibile esse Ioseph fuisse iustum et perfectum in omnibus operibus bonis. Dixisse etiam ferunt beatum Hieronymum: fuisse morem Sancti Ioseph ut media nocte oraturus surgeret, cum beata Virgine. Quod valde rationabile esse asseverabunt Deo servientes cum laetitia.

190. Virginea itidem fuit conversatio beatissimi Ioseph voto, verbis, et effectu. Habuit nempe virginitatis votum, ut dictum est; ad quod verbis et rebus conversatio, candida virginitate pollens, subsecuta est. Colloquia siquidem Ioseph assidua erant cum beata Virgine, quae cuncta attigit, sua munditia. Iucundum procul dubio est, inter philosophos ac theologos conversari: quoniam sermo illorum de rebus altissimis sit frequentior. Suave in tantum est, ut etiam philosophantium quispiam animam exhalans, disputationem audire cupierit, eo dicendi genere nimium nimiumque oblectatus.

191. Si rationem optas, accipe. Naturalis beatitudo, mentis humanae ea est: teste Aristotele in decimo Ethicorum: cum intellectu superiora attingimus, ac praesertim substantias separatas Deumque potissime. Hinc ait idem Aristoteles in duodecimo de Animali-

Digitized by Google

bus: Magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus et altissimis, etiam si probabiliter et topice illud sciamus, quam scire multum et per certitudinem, de rebus minus nobilibus. Erat itaque Ioseph vir clarus ingenio, quod gratia etiam atque etiam perficiebat frequensque angelica apparitio, quorum proprium est illuminare. Experiebatur de rebus altissimis in sua sponsa notitiam, cuius erant verba dulciora super mel et favum. Quocirca divum Ioseph a colloquiis talibus, non diu recessisse, rationabile est. O felicem hominem! O castissimum pectus! O virgineam mentem, quae inter mortales talia expertus est in conversatione solatia! Sed iam de illius conversatione angelica loquamur.

192. Angelica nempe fuit moribus, societate, intellectu voluntate, officio, ac contemplatione. Fulgent siquidem beatorum Angelorum mores munditia omnimoda, sapientia praestant divina, ardentque charitate superna. Quae tria, in Angelis apparentibus Abrahae, Gen. XVIII, manifesta sunt. Munditia in cibo et potu: sapientia in revelatione occultorum, quando praedixerunt Isaac nasciturum: charitas cum ostenderunt se Abraham diligere, in persona Dei dicentis: Num celare potero Abraham, quae gesturus sum? Haec eadem ostensa fuere ab Angelo Raphaele in societate Tobiae. Munditia quidem in habitu, sapientia in consilio, charitas cum dixit: Videbar quidem vobiscum manducare et bibere: sed ego cibo et potu invisibili utor, qui ab hominibus videri non possunt.

193. Quare Ioseph mores angelici dicendi sunt, munditiam virginitatis semper spirantes, sapientiam exprimentes divinam, dum prudentissime consilia perficeret Angelica, ac divina ardens charitate Deum verum manibus pertractaret. Numquid coram magno perseverans igne diu quispiam frigescet? Deus autem noster ignis ardens est, cui per singulas horas Ioseph astabat. Multiplici Angelorum apparitione facta, Ioseph, Evangelio praedicante, fateri cogimur ipsum Angelica societate fuisse usum.

194. Familiaritatem autem, cum illis arguimus quoniam propriis, nomine ac cognomine Ioseph vocare consueverunt, dicentes: Ioseph fili David. Intellectus vero Angelici sunt natura praeclarissimi, altera quoque illuminatione ac divina visione. Aristoteles inquit in 2. de Anima: Molles id est nobiles carne, apti sunt mente. Ioseph nobilissimus, ergo intellectu praestantissimus. Illuminationes quoque ab Angelis frequenter accipiebat ut in Evangelio legitur. A betissima itidem Virgine et a Christo erudiebatur.

195. Quis regum, quaeso, nisi mentis inops, gratissima sibi gubernanda committeret viro non sapientissimo, solertissimo, fidissimo? Deus, cuius sapientia incomprehensibilis est, Christum finem totius universi ac toto universo praetiosiorem gubernandum, custodiendum, enutriendumque dedit Sancto Ioseph. Illum igitur ingenio fulgentem praeclarissimo inter omnes homines suae tempestatis recta affirmaverim ratione, crediderim et ab ipsa victus ratione litteris mandaverim. Hinc Ioseph voluntas, charitate in flammas divinas erumpebat, qua omnia illius opera, verba, motus, obsequia quam excellentissime decorabantur.

196. Deo semper astat chorus Angelorum, quorum nonnulli in ministerium mittuntur propter eos, qui haereditatem capiunt salutis. Putasne Ioseph Christi praesentiam sive in infantili aetate, sive in puerili, sive in adolescentia, sive in iuventute sponte aliquanto deseruisse? Eidem pariter Christo deserviebat, magno cordis iubilo, etiam propter eos qui haereditatem accepturi erant salutis. Quare consequitur ut vitam contemplationi Christi Dei addictam duceret, qua absens quoque pro variis rerum familiarium negotiis, mente fruebatur, ut Angelica in eo luceret conversatio. De Angelis enim scribitur: Quoniam semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.

197. Conversatio denique Ioseph divina extitit, cunctos supra mortales, qui ab exordio mundi fuere, eruntque usque ad finem. Divina namque fuit societate, familiaritate, aut etiam fortassis charitate. Societas enim Ioseph gessit personam Dei patris omnium conditoris per Verbum, dum eiusdem Verbi incarnati putabatur pater. Cum Christo itidem Deo conversatus est, cum quo multos per annos comedit et bibit, sub eodem tectoque habitavit. Fuit quoque sponsus beatissimae Virginis, in qua habitavit spiritus Sanctus, Deus verus plenissime. Societas ergo Sancti Ioseph divina fuit inter mortales officio, habitatione, ac coniugio.

198. Laudamus et veneramur patres veteris novique testamenti quia societatem cum Deo habuerint. Noe enim locutus est Deus. Abrahae angeli apparuere, Dei personam gerentes. Iacob vidit in somnis Dominum innixum scalae. Moysi locutus est Deus ore ad os, sicut loquitur amicus ad amicum. Samuel audivit vocem Domini se vocantis, dum puer esset; provectae autem aetatis, Dei allocutione crebra, adeo magnus effectus est, ut reges Israel ipse sacraret. David, divino rapiebatur spiritu. Salomoni in somnis Deus apparuit, cui etiam sapientiam supra cunctos indidit mortales. Prophetae variis sub imaginibus viderunt Dominum, propterea *Videntes* sunt appellati.

Digitized by Google

199. Apostoli cum Christo praeceptore ac magistro conversati sunt. An sua Ioseph divina societate praefatis inferior censendus est? Minime. Quod potissime argumentamur, ab Christi Dei familiaritate. Ipse namque infantulum unius diei vidit Deum, quem adoravit, cuius saltem pedes, haud vereor, exosculatus est. Cui omnia perfecit primus, secundum legem Moysi. Quem detulit in Ægypto, quem per annos septem ibidem enutrivit cum matre.

200. O quoties Ioseph magnae mentis ardentisque fidei Iesum infantem in ulnas accepisse credendum est, quem mirabatur, quem deosculabatur, quem venerabatur ut Deum, amabat intimis visceribus ceu filium unicum omni pollentem dilectione ac dignitate. Verum cum Filius Dei, humana verba promere caepit, quantis gestivisse gaudiis. Ioseph arbitrandum est? O quoties puerulum loquentem brachiis complectebatur: deinde tremens, adorabat.

201. Animadverte quaeso quantum divina fuerit conversatio Sancti Ioseph, quoniam societate divina, familiaritate ac charitate angelos ipsos superavisse, nobis qui divina ex sensatis cognoscimus, quodammodo videtur. Angeli enim in excelsis, Deo subsunt, Ioseph vero praefuit: quoniam pater eius appellatus est. Angeli Deum contremiscunt: Ioseph complectitur, brachiis stringit et exosculatur, Angeli a Deo semper accipiunt munera: Christus Iesus a Ioseph accepit alimenta. Angeli divina edocent: Ioseph Deum infantem, veluti verba proferre cupientem, brachiis defert, eidem arridet, blanditur et praesto adest.

202. Qua de re conversationem Ioseph divinam quoque fuisse, ardentissima charitate, exploratum est. Porro si Deus diligentes se diligit; Ioseph igitur sancta conversatione Dei, amicus censendus est. Quoties enim aliquis sanctorum a Domino diligitur, amicus Dei appellatur; verbi gratia: In veteri instrumento Moyses propter mansuetudinem (fuit enim mitissimus hominum) amicus Dei appellatus est. Exodi. XXIII. David propter humilitatem, invenit Deus hominem secundum cor suum. Item Deus dilexit Ioannem evangelistam propter virginitatem, et vocatus est, discipulus ille, quem diligebat Iesus.

203. Adhuc Ioann. XI. legitur quod Dominus diligebat Mariam et Martham et Lazarum, et constat quia propter hospitalitatem. Praeterea beatus Nicolaus, propter misericordiam, amicus Dei vocatus est. Sed haec omnia in Sancto Ioseph excellentissime fuerunt. Fuit enim tantae mansuetudinis et humilitatis, ut illius foeminae, cuius humilitatem respexit Deus, quae mater pietatis ac mansuetudinis praedicatur, sponsus et virgo perpetuus fuerit electus. Hospitalitatem et misericordiam exercuit erga Deum, et tanta hilaritate, ut domum Ioseph, Deus ipse elegerit, eiusque familiae se ascripserit. Ex his planum efficitur, et claritate clarius, virtutes omnes spirituales, qui in aliorum conversatione virorum excelluerunt, beato quoque Ioseph non defuisse: sed et in eo praestantissimas extitisse. *Haec Isolanus.*

204. Denique in conversatione S. Ioseph, eius humilitas singulariter ponderanda est. Unde Barry, Alim. piet. c. 8, med. 7, merito dixit: « Considera, quam S. Iosephi humilitas fuerit magna et eximia. I. Cum secum reputaret, Sponsam suam Spiritus Sancti opera esse gravidam, ex ea consideratione in profundam sui ipsius ac nihili sui cognitionem incubuit, putavitque omnia sua merita longe inferiora esse, quam ut contemplari suis oculis, olimque intra brachia gestare Deum hominem audeat, aut cum Dei Matre agere: hinc indignum se ratus, inde recedere, ac deserere Sponsam suam cogitabat. II. Cum Bethlehemii diversorium quaereret, quod cum gravida sua coniuge pridie partus ac puerperii sui subiret fuissetque cunctis domiciliis exclusus; compulsus tandem est, eam in stabulum ad stabulantes tunc illic pecudes introducere, quod ille humilitate ac abiectione sui plane maxima fecit, suae vilitati ac demeritis eam repulsam, quam tulit, imputans, ac penes se causam esse existimans, ob quam B. Virgo tam male habitaret. III. Tota vita illius privatim exacta loquitur, humilitatem illi perfamiliarem fuisse singulariter allaborabat, tot coelestia dona virtutesque celare, quibus erat ornatus, et praecipue conabatur pretiosam virginitatis gemmam clam habere, non passus evulgari, se Angelorum more vivere. Hinc matrimonio assensit, ut sub coniugii velo posset tectus latere, aliorumque coniugum conditione nihilo maior censeri ».

205. **Monitum.** — Invocemus ergo clarissimum omnium virtutum exemplar et praecipuum, post B. M. V., humilitatis magistrum, dicentes cum Barry, ibidem: « O S. Ioseph! amabile speculum humilitatis! omnis vita mea vanis cogitationibus absumitur, semperque meipsum ceu vanitatis idolum adoro, obstinatus nemini cedere, nec mei depressionem tolerare, neque bona illa abscondere, quae videor mihi possidere. An non fieri aliqua ratione possit, ut aliquid eximiae illius virtutis a te facta repercussione in me derivetur, quae te in oculis Dei tam magnum effecit, quam parvus eras in tuis? ».

Digitized by Google

CAPUT XII.

De modestia S. Ioseph in cultu vestium.

MODESTIAM hanc ita extollit Isolanus, p. I. c. 17 : Modestia virtus est, qua vestium cultum et omnem domus ornatum temperamus. Duplex est huius temperantiae regula. Una proprie convenientia personae : altera quae negotiis, locis, ac hominibus conveniunt, quibus cum agendum quicquam fuerit sive commorandum Hinc Ambrosius in primo de officiis inquit : Hoc est pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique personae et sexui reddere. Et hic ordo gestorum optimus. Hic ornatus ad omnem actionem commodus. Decent vero timentem Deum talia : quoniam vitae veritatis testes existunt. Veritas autem vitae, talem in exterioribus hominem constituit, qualis est in interioribus Quia teste Sapientia Ecclesi. XIX : « Ex visu cognoscitur vir, ab occursu faciei sensatus ». Qua de re praecipit Apostolus ad Phili. quarto : « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus ». Verum habitus hominis multiplex invenitur, scilicet habitus vanitatis : habitus superfluitatis : habitus mediocritatis : habitus sufficientiae : habitus humilitatis, et habitus simplicitatis.

207. Habitus vanitatis ad iactantiam spectat : cui addit superfluitas ornatus ampliorem immodestiam. Hinc divus inquit Augustinus : Contra modestiam est fucus. Habitus mediocritatis ille est ad quem tenentur omnes secundum communem statum, sive perfecti sive imperfecti existant. Habitus humilitatis sanctorum est. Huius extrema sunt habitus sufficientiae ; qui contentus est eorum, quibus necesse est, et determinat ea quae ad vitam spectant. Habitus denique simplicitatis est habitus contentus eorum quae contingunt, et sollicitudinem vivendi excludit

208. Cum itaque Ioseph iustum semper fuisse credamus ac virginem, habitu non est usus vanitatis, vel superfluitatis. Ait enim Hieronymus : Mulieres serico et purpura indutae, Christum induere non possunt : Auro, margaritis et monilibus adornatae, ornamenta cordis perdiderunt. Item glossa, Lucae XVI, super verbo : Homo quidam erat dives : Si in cultu, ait, pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Domini non tam vigilanter exprimeret, quod dives purpura et bysso indutus, apud inferos irremediabiliter torqueretur. Fuit igitur divini Ioseph habitus humilitatis ac tantae perfectionis, ut nonnunquam habitum sufficientiae contineret, nonnunquam humilitatis.

209. Probantur haec ratione. Tum quia sanctissimum hominem a sanctis ortum ad Sanctum sanctorum ordinatum, habitum decebat deferre sanctorum. Tum quia iusti nomen et rem obtinuit. Est autem iustitiae, illius interiora, exterioribus conformare. Tum quia faber erat, quae ars humilem exoptat habitum. Neque Ioseph habitus humilitatis, ab sufficientiae habitu separabatur quoniam necessaria excogitabat, perquirebat, servabatque divinae suae familiae. At deserta perambulans loca, et inter Ægyptios habitans, vivendi rationem in Deum proiiciebat. Quamobrem sciebat abundare et penuriam pati...

210. Quales fuerunt vestes Sancti Ioseph, cuiusve longitudinis, aut coloris... Dicimus ergo quod per unctionem Spiritus Sancti, scivit Ioseph habitum deferre mediocritatis et humilitatis hominibus suae aetatis conformem. *Haec Isolanus.*

211. **Monitum.** — Modestiae omnisque virtutis magistrum habeamus S. Ioseph, eique toto cordis affectu dicamus : « O S. Ioseph ! qui tanquam pater et manuductor Christum Iesum in pueritia et iuventute per omnes peregrinationis humanae vias fidelissime deduxisti : et mihi, obsecro, in vitae meae peregrinatione tanquam comes et ductor assiste, nec unquam permitte me a via mandatorum Dei declinare : sis in adversis praesidium, in aerumnis solatium ; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et sanctissima Sponsa tua Maria omnibusque Sanctis in aeternum in Deo Iesu meo exsultem. Amen ». (Coeleste Palmetum).

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De coniugio Sancti Ioseph et Beatissimae semper Virginis Mariae.

SANCTUS Bernardinus, serm. de S. Ioseph, a. 2, de conversatione B. M. V. cum S. Ioseph ait: Habuit unitatem quantum ad matrimonialem unionem. Quum enim inter illos fuerit verissimum matrimonium per divinam inspirationem contractum, et in matrimonio fiat unio animorum, in tantum quod una dicuntur persona, sponsus et sponsa, ut dici possit unitas, quasi summa: iuxta illud II Genes. « Erunt duo in carne una ». Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo istum virum Sanctum Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in Dei amore, et charitate, altissimum in contemplatione, sollicitissimum illius Virginis Sponsae suae.

213. Et quia noverat Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, et sciebat istum sibi a Spiritu Sancto datum in sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem. et ad participandum secum in charitatis amore et obsequiosa sollicitudine divinissimam prolem Dei; ideo credo, quod totius cordis affectu hunc Sanctum Ioseph sincerissime diligebat.

214. Propterea quum Beatissima Virgo tot et tanta impetret peccatoribus sceleratis hostibus filii sui, quanta putas impetraverit charismata huic tam amoroso et sollicitissimo et filiali nutritio, et sponso sui pudoris, atque castissimi amoris; amplius, quum omnia quae sunt uxoris, sint viri; credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhiberet. *Haec S. Bernardinus.*

215. Gersonius, in schem. off. pro festo S. Ioseph, haec habet: Consecratum iusti Ioseph et Mariae semper Virginis coniugium, castissima devotissimaque veneratione recolendum, fratres dilectissimi, Matthaeo referente, et angelo praecipiente, et Ioseph obediente celebratum cognovimus. Miretur hinc omne saeculum, gaudeat omnis aetas, omnisque status, et sexus exultet. Itaque si matrimonium quodlibet rite factum, etiam inter peccatores et in concupiscentia iunctos, « Magnum esse Sacramentum, tradit Apostolus, in Christo et in Ecclesia » (Ephes. V, 32).

216. Quale, quantumque iudicandum est hoc Matrimonium, ubi virginitas nupsit; ubi nubentes neque violationem, neque concupiscentiam habuerunt ullam; ubi praeterea perseveravit integerrima, et inseparabilis fides; ubi rursus proles non altera fuit quam ipse Iesus qui est Deus benedictus in saecula? Quo praeconio quid aliud maius potest excogitari? *Haec Gersonius.*

217. Carthagena, lib. 18 hom. magna et ultima, scribit: Nemo sanae mentis ambiget, perfectionem et laudem Divi Iosephi maxime pendere a Sponsa sua Maria: unde ad id innuendum S. Evangelista Matthaeus (cap. 1) notanter dixit: « Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph », quasi dicat: attendite, Iosephum Sponsum esse Matris Iesu; hinc enim valde innotescit sanctitatis et dignitatis eius excellentia, cum absonum sit de Deo cogitare, voluisse Matrem suam in matrimonium coniungere viro sibi moribus dissimili; si enim curam habuit dandi Adae adiutorium simile sibi, quomodo nisi insipienter credam, dissimile Matri suae dedisset? Et quis quaeso sibi persuadeat in sponsalitio Mariae cum Iosepho non fuisse ad unguem impletum illud (Eccle. VII): « Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam »; ubi Glossa Interlin. « Id est, prudenti, strenuo, qui bene servet eam ». Et Lyra et Iansen. « Trade filiam nuptui, et homini prudenti da illam, ita ut magis habeatur respectus ad mores, et prudentiam sponsi, quam ad opes, vel genus ».

218. Sicut ergo B. Virgo fuit omnium mulierum praestantissima, sic etiam sanctissimus Ioseph fuit omnium hominum prudentissimus, ut sic a Deo matrimonium peculiariter ordinatum inter eos debita proportione contraheretur. *Haec Carthagena.*

220. Et lib. 4. hom. 5. figuram huius matrimonii invenit in duobus Cherubinis *Arcae*

Digitized by Google

foederis: Cherubini isti inter se coniunctissimi, Mariam et Iosephum matrimonii vinculo coniunctos significant, per quos Deus, qui aderat in arca sacrae humanitatis Christi Domini; sic enim illam vocat David (Psal. CXXXI): « Exsurge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae » misericordem, ac propitium se exhibet votis, ac precibus nostris: et sicut a Cherubinis illis arca tenebatur, sic a sacris his coniugibus Iesus in infantia, eorum ulnis sustinebatur et sustentabatur: et sicut illi a propitiatorio numquam se avertentes, mutuo se respiciebant, sic Maria, et Ioseph non solum per peccatum aliquod actuale a Deo umquam se avertentes, sed per multos annos Christum, qui est propitiatio nostra, concomitantes, mutuo amore se respexerunt, ut non immerito dicere potuisset B. Virgo, et Ioseph pariter: « Ego dilecto meo, et ad me conversio eius ». *Haec Carthagena.*

220. Isolanus fuse de hac re agit, et p. 2. c. 2, ait: Duplex convenientia in hoc coelesti coniugio animadvertenda est. Prima qua decuit beatissimam Virginem desponsari. Altera qua alto Dei consilio Ioseph tradita est, et non alio viro, inter innumeras hominum turbas quae sub coelo tunc erat, fuerantque ab orbe condito, aut erunt usque ad diem iudicii. Primam quidem convenientiam declarat S. Thomas in tertia parte, q. 29. art. primo, dicens: Conveniens fuit Christum de desponsata virgine, nasci, tum propter ipsum, tum, propter matrem, tum etiam propter nos... At secunda convenientia fuit propter familiae nobilitatem: propter Sancti Ioseph puritatem; propter virtutum eius sublimitatem; et propter angelorum familiaritatem.

221. Fuit Ioseph de stirpe nobilissima Abrahae, ac David, quibus facta est repromissio Christi nascituri. Non fuit autem inventus similis Ioseph in filiis eorum, qui fuerant praestantiores ceteris hominibus mundi. Quod ex eo patet: quoniam Spiritus Sanctus divinarum illos scripturarum testimonio consecravit, eorum mores nobis in exemplum proponens. Non etiam conveniebat, ut Abraham tali coniugio donaretur, qui plures uxores accepit. Ideo vidit Abraham tantum diem Christi, vidit et gavisus est. Ioseph vero non in spiritu solum, sed oculis carnis, vidit dies, annos et aetates Christi, et amplius quam Abraham, gavisus creditur.

222. Idem de ceteris patribus dicendum est usque ad adventum Christi. Ipsi enim aut humanum sanguinem fuderunt, ut Moyses et David: aut divites nimis extiterunt, ut Isaac, Iacob, ac reges Israel: aut virginitatis votum non conceperunt. Et sic Ioseph comparati in puritate, defecerunt.

223. Tempore vero Salvatoris fuere Ioannes Baptista et Evangelista: sed si merita fuerint aequalia, quod ambigitur, contemporalitas atque consanguinitas idem impediere. Inter viros igitur coaetaneos, beatissimus solus Ioseph inventus est, Deo iudice, cuius nobilitas iuncta puritati ac virtutum sublimitati foret. Quibus favebat Angelorum familiaritas, quae conveniret desponsationi beatissimae Virginis.

224. Fuit quoque conveniens ex parte nostri, ut Sanctus Ioseph tantae iungeretur coniugi. Ne homines paupertate aut exercitii vilitate spernamus. Quia saepenumero Deo chariores existunt, et ab Angelis magis magisque diliguntur.

225. Adhuc ut alias esse electiones Dei, alias hominum cognoscamus. Deus enim contemptibilia mundi in magnis elegit negotiis: ut dicitur primae ad Cor. primo: Homines vero satrapas et optimates.

226. Item, ut Deo placere studentes moribus interioribus, praecipue coram Deo et Angelis, clarescere satagamus opinione hominum relicta. Ceu divi Ioseph sancti erudimur exemplis.

227. Praeterea. Ut virginitatis lilium in virili sexu, a Deo consecratum, et ab Augelis intelligamus.

228. Itidem. Ut ex modo vivendi divi Ioseph ad angelicam familiaritatem ascendere discamus.

229. Ad haec. Ut secreta Dei nobis mortalibus inscrutabilia, missa faciamus. Distant enim cogitationes Dei atque eius consilia a cogitationibus hominum, amplius quam distet coelum a terra. *Haec Isolanus.*

230. Pulchre de virginali connubio S. Ioseph cum B. M. V. scribit Barry, Alim. piet. c. 8. med. 3, dicens: S. Iosephum in flore aetatis tibi siste, vultu dignitatis pleno, manu lilium tenentem quemadmodum pingi consuevit: veluti lilium illud eius Virginalem puritatem, quam semper illibatam servavit innueret; sive ante, sive post coniugium eum repraesentes: aut quasi diceret, se primum omnium virginitatis vexillum erexisse sibique lilium potius, quam ulli alteri competere.

231. Cum destinatus dies illuxit, qui B. Virgini Sponsus offerretur, ac cum in finem Sacerdotes in templum omnes e tribu Iuda oriundos Davidicae stirpis convocassent, qui iam erant matrimonio habiles, Pontifex Summus Propitiatorium accessit, Deum ea super re consulturus: cui responsum est, ut Mariam ei Sponso traderet, cuius baculus, ipso praesente, efflorescceret, atque capiti videretur columba insidere. Quod miraculum ubi intra Iosephi manus, supraque illius caput ab omnibus fuit deprehensum, il-

Digitized by Google

lico ad eam erat dignitatem sublevatus, et cum Maria in manum novus Sponsus convenit. Inde Iosephus Sponsae digito annulum inseruit, pro concordiae illius indicio, qua debent sibi mutuo obstringi: atque ut ritus solemnes observarent, eam pallii sui parte contexit, ut testaretur, eius se deinceps tutorem fore eamque in omnium bonorum communionem admittere.

232. O quanta in hoc coelesti potius quam terrestri connubio miracula! ut Rupertus Abbas loquitur: hic singula consideranda sunt. I. Prodigium aridi baculi reflorescentis. II. Columbae tunc apparentis. III. Virginem omnium puellarum nobilissimam, summisque dotibus instructam opifici tradi, qui asciam et securim tractet, potius, quam uni ex orbis magnatibus. Deus bone! Iosephi amator divine! quam potenter a te destinata exequeris! o quam cogitationes tuae sunt a nostris diversae! nos aestimassemus, Matrem tuam in connubium alicui Principi dandam; at tu aliter longe sensisti: et quoniam Redemptionis nostrae Mysterium debuit in ligno Crucis compleri, nolebas alteri eam credere, quam homini, cuius ars in ligno versaretur. Aeternum impera, o summe ac sapiens artifex! nemo te rectius novit nostris rebus providere...

233. Hoc Iosephi cum Maria connubium erat non sine aptis rationibus initum. I. Maria Paradisus est, et pro Divinitate deliciarum locus, unde enasci vitae arbor, omniumque gratiarum torrentes erumpere debebant. Uti ergo in Paradiso terrestri Deus custodem posuit, qui fuit Adam; ita decens erat, in hunc quoque voluptatis hortum destinari, qui simili cura excubaret; ut et B. Virgo in familia adiutorem, et Iesus nutritium patrem haberet, qui eum educaret, et ab iis machinationibus eriperet, quas daemon et homines in eum poterant moliri. II. Ut ita Iesu Christi honor defenderetur, qui alioqui creditus fuisset illegitimo toro natus; ac simul fama B. Virginis servaretur, testemque suae virtutis illa Iosephum haberet, qui ab Angelis edoctus, opera Spiritus Sancti eam esse gravidam, mortalibus testatus demum est, nihil se ad Christi generationem contulisse. III. Quod in pluribus rebus essent sibi persimiles: etsi enim aetate multum differrent, cum S. Iosephus annorum quadraginta circiter, Maria quatuordecim esset; ea tamen una excepta de reliquo per omnia prope pares erant, in praematura sanctificatione, quamvis B. V. citius eam acceperit; in amore ac decreto servandae virginitatis; in utriusque natali solo, quod fuit in Nazareth; in eadem Davidis stirpe; Maria dicta fuit gratia plena; Iosephus Iustus; et si quae alia istam similitudinem efficiunt.

234. O Sponse! o Custos! o viva effigies Mariae! Supremus Dominus tibi suam Matrem committit; et infimus mortalium suam tibi animam credit; non possum meliori tutelae permitti; quidquid a Patrono defendi.

235. Perbeatum et felicissimum illud testimonium fuit. I. Per eas virginales nuptias Iosephus ius est nactus, Iesum Christum suum filium appellandi; quidquid enim ad Sponsam eius spectabat, ad eius etiam dominium pertinuit. O qualis fructus! o quam divina virginitatis remuneratio! II. Foecunditas in eo fuit admirabilis: omnes enim egregii virginitatis sectatores Iosephi sunt filii: Alexius, Elzearius, Iulianus, Henricus et alii omnes ex eo coniugio per tam illustre exemplum prodierunt, quod in S. Iosepho ut authographo inspexerunt. O sancta posteritas! o mira foecunditas! III. Inter fideles omnium coniugiorum speculum fuit: quisquis enim esse fidelis, amare tori consortem, vitam exigere tranquillam et concordem postulat, oculos in Iosephi et Mariae matrimonium vertat. *Haec Barry.*

236. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O S. Iosephe! Pater virgo! coniugatorum omnium vultus acue, ut eos in tuas virtutes defigant, iisque, qui noviter connubio iunguntur, nonnumquam pios stimulos adde, quibus ad virginitatis studium impellantur, ut una tecum olim sequi agnum dato in manus lilio possint ».

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De aetate Sancti Ioseph tempore desponsationis Beatae Virginis Mariae.

SELDMAYR, Scholast. Mariana, p. 2, q. 1, a. 7, ait: « Ioseph non fuit senex, sed vir aetate florens circa triginta vel quadraginta annos, dum Virgini fuit desponsatus. Ita communis sententia, et iuxta Suarez, tom. II in 3 p., dist. 7, sect. 3 certa. Probatur primo; B. Virgo fuit idcirco matrimonio copulata, ut honor eius poneretur in tuto, possetque gravitas eius et partus marito tribui ab omnibus qui peractum in ea mysterium ignorabant, quod autem tunc omnibus erat ignotum sicut et ipsi Iosepho, donec ab angelo fuerit edoctus; atqui si Sanctus Iosephus iam tempore desponsationis fuisset senex ultra octoginta annos natus, non potuisset ipsi gravitas Virginis, et partus eius ascribi, et potuissent homines facile quid sinistri suspicari de uxore iuvencula pariente, ergo non est credendum et asserendum, quod Sanctus Ioseph fuerit tam provectae aetatis tempore desponsationis...

238. Probatur secundo. Decuit, ut in hoc omnium nobilissimo matrimonio servaretur proportio inter virum et uxorem saltem talis, quae communi usu et consuetudine servatur, adeoque ut Virgini, quae primum erat quatuordecim annorum, non daretur senex plus quam octoginta annorum: item oportebat, ut Iosephus tanquam vir esset adhuc aetate florens, et integris viribus ut posset pauperem familiam alere, peregrinationes sustinere, in fovenda et educanda prole Virgini praesidio et solatio esse; ergo omnino credendum est, quod Sanctus Ioseph non fuerit adeo senex. *Haec Seldmayr.*

239. Qui addit: Ad servandam castitatem utriusque coniugis non fuisse necessariam senilem aetatem, sed virtutem et robur Spiritus Sancti, cuiusmodi fuit in Iosepho patriarcha in Ægypto, qui in iuvenili aetate castitatem et fidelitatem domino suo servavit; e contra Susannae insidiatores senes fuerunt, et tamen osores castitatis.

240. Isolanus primum adducit argumenta eorum qui tenent iuvenem fuisse S. Ioseph tempore desponsationis, dicens: « Quaestio est inter plurimos divini Ioseph veneratores: An Ioseph tempore desponsationis Beatae Virginis fuerit aetatis iuvenilis, vel senilis. Cumque taceant hoc divinae litterae, ad ingenium recurrunt quidam, et probare nituntur, Ioseph fuisse iuvenem. Arguunt vero sic: Sponsam sponso decet esse coaevam. Sed Beata Virgo fuit tunc iunior. Credibile igitur est Ioseph tunc fuisse iuvenem.

241. Praeterea. Desponsata fuit beata Virgo, ut sacramentum Filii dei occultaretur. Et per consequens ab hominibus putaretur filius Ioseph: ergo illius saltem aetatis fuit, quae est apta ad generationem. Ea vero minime est aetas senilis: igitur fuit iuvenis.

242. Praeterea. Ioseph electus fuit a Deo in tali aetate in qua posset beatissimae Virgini deservire ac Christo infanti, eundo ad longinquas regiones et ibi victum et cetera necessaria propriis laboribus proprioque ingenio pro se ac Beata Virgine acquirendo. Sed ad haec iuvenilis aetas conveniebat, et non senilis. Iuvenis ergo tunc fuit Ioseph.

243. Praeterea. Hoc dicit glossa super illud Esaiae LXII: Habitabit iuvenis cum virgine. Nam, ait, id est Ioseph cum Maria. Illam vero glosam sequuntur omnes fere divinarum litterarum interpretes. Igitur Sanctus Ioseph tunc fuit iuvenis... ». *Haec Isolanus.*

244. Deinde oppositum tenens, et diversitatem opinionum doctorum circa aetatem S. Ioseph in desponsatione cum B. M. V. exponens, mediam viam eligit, et ait: Praenotandum... triplicem esse opinionem circa aetatem Sancti Ioseph, quando beatissimam desponsavit Virginem. Quidam enim ipsum asserunt fuisse iuvenem, formosum, et omni virtutem conspicuum. Quidam vero senem barbatum, et aliquo modo deformem; et horum sunt rationes praeadductae. Tertiam ac mediam viam tenent nonnulli, affirmantes ipsum iuventutem tunc superavisse, et ad aetatem virilem pervenisse, fortem viribus et corpore decorum, veluti aetati convenit virili. Et hanc opinionem me sequi delectat: quoniam conformis est modo loquendi sacrae scripturae, rationabilis valde et verisimilis, ac ceteras non despiciens opi-

Digitized by Google

niones, erudite respondens earum obiectis, et quoquo modo eas salvans.

245. Divinae nempe litterae virum Mariae Ioseph vocant, ut illius aetas designetur: ut coniugium confirmetur: ut virtutis excellentia commendetur. Vir enim a virilitate dicitur. More itaque consueto apud sacras litteras, quinimo illis proprio nomine viri tria illa significata fuerunt. Nec te moveat, quod doctor quidam asserat nomen viri, non aetatem, sed virtutem significare. Nam verum est, si tantum addideris: non enim sola aetas signatur, sed simul coniugii officium ac virtutum praestantia, unico exprimuntur nomine. Est quoque haec opinio rationabilis. Nam consilium iuris est, si dubitetur de quantitate numeri, quod aequaliter ius et iudex debeant medium numerum determinare. Verbi gratia: Si dubitetur, utrum quis teneatur alicui dare viginti vel triginta, iudex faciat solvi medium. A simili: Dubitatur, an tempore desponsationis Beatissimae Virginis, Sanctus Ioseph fuerit iuvenis vel senex: accipienda est media aetas quae est virilis. Vir ergo erat et a sacris litteris vir semper appellatus.

246. Praeterea. Ioseph tunc illius erat aetatis, qua gravitate, prudentia, ac fortitudine viguit; praesertim apud hominum opinionem. Sed haec est sola virilitas: ergo vir tunc erat.

247. Itidem. Aetas virilis conveniebat aetati Beatae Virginis, ut scilicet maritus eius esset vir. Cuius pudorem in tantum dilexit Dominus, ut maluerit quosdam de eius ortu dubitare, quam de suae matris pudore honestissimo. Ioseph igitur tunc vir fuit.

248. Ad haec: Quid putas dixissent Aegyptii, si vidissent iuvenem formosum, deducentem tantae virginis maiestatem. Cum praesertim populus Aegypti, odio semper ingenti prosecutus fuerit Hebraeos. Ut igitur quieti beatissimae Virginis educantis Deum infantem, summa provideretur exultatione ac reventia, datus est sibi vir a Deo, illius aetatis, qua potius Aegyptii eum venerari quam illi detrahere cogerentur. Haec vero est aetas virilis. Iuvenem enim malis persecuti fuissent verbis: senem vero derisissent. Electa igitur fuit aetas conveniens, aetas media quae est virilis.

249. Argumenta pro iuventute S. Ioseph in desponsatione refutans addit: Quo circa respondetur ad primum; si sensus assumptae propositionis accipitur precise, sequitur quod Sanctus Ioseph debuerit esse puer, cum Beata Virgo fuerit tunc quasi puella. Intelligenda est ergo cum grano salis *ut sponsus* sponsae sit coaevus, quando *aspectu, aetate,* amicitia et hominum opi*nione conveniunt*. Aetate quidem non parili secundum annorum numerum, sed secundum decentiam sexuum, quae fuerunt in hoc sanctissimo matrimonio. Adde, illa unumquemque quae Deus iubet communi vel singulari praecepto. Matrimonium vero hoc divino iussu est institutum.

250. Ad secundum respondendo conceditur prima consequentia: sed negatur secunda propter rationes praeadductas.

251. Ad tertium dicendum, quod licet aetas iuvenilis fortior sit ad labores, plerumque tamen aetas virilis durabilior existit, iam sanitate a viro acquisita per modum habitus, qui est de difficilis mobilis. Ideo decebat Sanctum Ioseph esse aetatis virilis. Nam per multos annos grandia sufferre debebat.

252. Ad quartum dicendum quod S. Ioseph fuit iuvenis florida aetate, non annorum paucitate. Secundo dico quod ille sensus est mysticus, a quo solo non sumitur efficax argumentum: ut dicunt S. Augustinus et B. Thomas. Tertio dicitur quod exemplum adductum de Ioseph et Beata Virgine, non tenet: nisi quantum ad cohabitationem, quam Propheta ibidem praenuntiat. Sufficit autem ad omnia exempla verificari quantum ad aliquid. Non enim opus est, ut verificentur quoad omnia.

253. Ad rationem in oppositum, dicitur quod aetas virilis, cum sit media inter iuventutem et senectutem, participat utriusque extremi conditiones et denominationes. Ideo divus Ioseph et senex et iuvenis dici potuit. Senex quidem in comparatione ad Beatam Virginem, quae puella erat, divini licet, modici tamen aspectus. Ioseph autem barbatus et venerabilis aspectus, tunc fuit. Iuvenis etiam dici potuit propter eius formositatem, sanitatem, fortitudinem, atque assiduum laborem. Per quae praeclarorum virorum dicta venerabiliter sustinentur. *Haec Isolanus.*

254. Haec et alia de vita et moribus S. Ioseph meditari, multorum honorum occasio esse solet, dicente Barry, Alim. piet. c. 8, initio: « Non existimo maiori fructu sanctiusque octiduum S. Iosepho sacrum posse a quoquam impendi, quam si secum illius vitam, obitum et gloriam in coelo expendat: talibus enim cogitationibus noster in illum amor amplius inflammabitur, nosque ad maximarum eius virtutum imitationem acrius exstimulabimur ».

255. **Monitum.** — S. Ioseph frequenter invoca dicens:

O Felix custos, Sponse Reginae virginum
Qui IESUM educasti omnis creaturae Dominum
Iam laetus regnas in choro sanctorum agminum;
Ora pro nobis assidue Patrem luminum,
Ut aeterna luce fruamur in perpetuum.

(Ex Collect. hymnor. 16 saec.).

Digitized by Google

CAPUT XV.

De admirabilibus virtutibus S. Ioseph propter coniugium Beatissimae Virginis.

ISOLANUS, p. 2. c. 4. ait: Libet nunc ex dictis in superioribus capitibus, elicere admirabiles virtutes Sancti Ioseph. Prima quidem S. Ioseph fuit legitimae nativitatis Christi tutor, legitimam vero nativitatem eius ab aeterno patre, angeli beati soli cognoscebant et tuebantur. Ioseph vero, ex matre temporali ortus legitimi, scutum fuit. Quanta auctoritate apud Deum et angelos effulsisse Sanctum Ioseph, credendum est, qui altissimi mysterii scutum fuit inexpugnabile!

257. Secunda est. Quia fuit Christi pueri contra insidias diaboli et astutias defensor. Magna profecto erat et mortalibus inexplicabilis virtus, Ioseph vis quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quae diaboli potestati comparari queat, nec astutia, nec dolus quae cuncta adversus Christum puerum, quanta potuit malignitate exercere studuit. Cui incognitas Ioseph virtutes Deus omnipotens opposuit. Quam fortis, quam excelsus, quantaque fulgebat prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum, ac nequissimum diabolum, Filium Dei infantem ac puerum protexit et defendit! Hic quoque, matris Virginis pudorem tutatus est, tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit. Oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Ioseph...

258. Tertia est, quia ipse Filii Dei fuit nutritor. Vide quantae latebant in Sanctissimo Ioseph virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret et vestiret. Ad varia enim animantium genera alenda atque educanda, omnium corporum coelestium vis concurrit, quas ab Angelis orbium motoribus accipiunt. Ioseph autem Verbi Dei per quod coelestes orbes et angeli conditi sunt et in esse conserventur, enutrivit et aluit...

259. Quarta excellentia virtutum cognitarum in S. Ioseph, propter coniugium cum Beata Virgine, est, quia ipse fuit Christi ex virgine nati unicus testis et hoc munere sanctos aequavit spiritus, qui testes et nuntii sunt ac revelatores mysteriorum Dei: unde angeli vocantur. Corporum coelestium lingua locutus est, de quibus in psalmis dicitur: Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sacrarum quoque litterarum emerita dignitate donatus est. Sacrae enim litterae testimonium Domini vocantur, Psal. xv: Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Fidelis nimium nimiumque Ioseph, cuius unica testificatio satis Deo ac angelis faciebat: cui etiam universae nationes, quae sub coelo sunt, merito assentire debent. Domino sermonem confirmante sequentibus signis.

260. Itidem in hoc sancto coniugio ipse Ioseph divinus typum gessit Filii Dei virginis ecclesiae sponsi perpetui. Veneramur quidem Petrum ac eius successores, quia vices Christi in terris gerunt, aut gesserunt: pari veneratione honorandus est Sanctus Ioseph, qui Christi maximi figura fuit, et vices eius gessit. *Haec Isolanus.*

261. **Monitum.** — In omni tribulatione, in omni necessitate ad S. Iosephum recurre, dicendo cum S. Bernardino: « Memento igitur nostri, Beate Ioseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est eius, qui cum Patre et Spiritu Sancto, vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen ».

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De praestantissima Iustitia S. Ioseph.

ISOLANUS parte 2. cap. 5, praestantissimam fuisse iustitiam S. Ioseph triplici ex capite exponit dicens: S. Ioseph vocari iustum attendito propter omnium virtutum perfectam possessionem, ut ait beatus Hieronymus. Et propter supremam fidei de Christo venturo devotionem, teste glossa, sententiam B. Hieronymi confirmat magnus doctor Albertus, super missus est cap. 46. in haec verba dicens; Fuit ergo Ioseph vir per constantiam fidelitatis, quantum ad iustitiam pertinet; et per virtutem castitatis, quantum ad temperantiam; et per excellentiam discretionis, quantum ad prudentiam; ac per strenuitatem operationis, quantum ad fortitudinem. Et sic in viro notatur excellentia quatuor virtutum. In capitulo quoque sequenti idem Doctor Magnus, reddens rationem illius dicti, cui nomen erat Ioseph, ait: Ut iustus apud Deum monstretur (scilicet Ioseph) cuius nomen tanquam in libro vitae scriptum in evangelio tam signanter exprimitur, ut notus hominibus intelligatur, qui testis virginitatis beatissimae Virgini adhibetur. Ut nomen eius digne in memoriam hominum vertatur, qui in patrem Dei assumitur putativum. Haec Albertus Magnus.

263. Affirmat deinde: Iustitiam Ioseph praestantiorem fuisse iustitia patrum veteris testamenti.

264. Primo quidem Noe, Abraham et Isaac praecipui fuere iustitia inter patres veteres. Sed hi fuerunt figura Ioseph: ergo Ioseph figuratus, praestantior erit iustitia.

265. Praeterea Abel dictus est iustus, quia eius sacrificium respexit Deus, et quia simplex, ut habetur Gen. IV. Et ut ait beatus Augustinus in primo de Civi. Dei: In eo exordium accepit civitas Dei. Sed Deus non modo accepta sibi munera Ioseph ostendit: sed etiam domum, verba, actus, mores, simplicitatem, prudentiam, exercitiumque eius manuale, domum eius sibi habitationem deligens et se eius filium putari non effugiens.

266. Itidem Divus Ioseph terminus fuit omnium patrum iustorum veteris instrumenti, primusque inter patres novi. Ergo illius iustitia censenda est praecelluisse iustitiam patrum veteris instrumenti.

267. Praeterea. Cherubin custodit divino praecepto paradisum terrestrem et lignum vitae, ut habetur Gen. III, ne hominum quispiam ingrediatur: praecipue Adam, ac ex eo nati. Sed in figurato per paradisum terrestrem scilicet Beatam Virginem: ac per lignum vitae scilicet Christum Ioseph custodivit Deo instituente. Ergo iustitia eius apud Deum clarior fuit inventa quam iustitia patrum antiquorum.

268. Adhuc virginitas homines angelis pares efficit Sed Ioseph virgo inter patres veteris testamenti reperitur. Quibus etiam pro humana fragilitate proque multiplicando populo Dei, concessa fuit pluralitas uxorum. Ergo Sancti Ioseph iustitia excellentior.

269. Praeterea. Antiquis patribus Deus praecepit. Ioseph vero idem subiectus Deus obtemperavit. Lucae. II: « Et erat subditus illis ». Ioseph ergo iustitia incomparabiliter superior.

270. Itidem. Qui laudantur patres veteres a sacris codicibus ipsi pariter in aliquibus defecisse describuntur: ut patet in Noe bibente vinum: in Abraham descendente in Ægyptum cum Sara uxore, quam rogavit ut diceret se esse sororem, et bene sibi esset in domo Pharaonis propter eam. Gen. XII, In Loth quoque ebrio, et in multis aliis patribus ab sacris litteris laudatis. Ioseph vero iustus ab evangelio praedicatur, et in nullo defecisse describitur. Ergo iustitia illius illustrior.

271. Adhuc. Ioseph ab Angelis in cunctis admonitus et directus legitur: quo munere patribus veteris testamenti aequalis creditur. Cui si addideris Ioseph innocentiam, humilitatem, paupertatem, putativam Filii Dei paternitatem ac beatissimae Virginis sanctae desponsationis dignitatem fateberis, praedicabis, ac certo certius affirmabis Sancto Ioseph non esse inventum similem inter patres veteres, qui conservaret legem excelsi. *Haec Isolanus.*

272. Iustitiam praestantissimam S. Ioseph meritis extollit laudibus Carthagena, lib. 18, hom. magna et ultima dicens: Porro sub nomine iusti, quo sacra eloquia Divum Iosephum cohonestant: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus », miram eius animi pulchritudinem commendari arbitror. Unde

Digitized by Google

Rupertus (lib. de gloria et honore filii hominis, super cap. 1 Matth.) ait: « Ioseph prius inaudita credidit, scilicet quod ipsa, quae conceperat, virgo esset, et statim obedivit Deo credulus, puellae benevolus, eatenus vir iustus, et exinde iustissimus ». Et paulo inferius: « Hic perconctari libet quare timorem eiusmodi Virginem occultae dimittendi, Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem quae ei desponsata erat? Videlicet ut tentaretur et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus et talis, qui digne sic deberet appellari Ioseph filius David ».

273. Constat ergo virum hunc excellentissimum quemdam attigisse iustitiae universalis gradum; fundatus enim erat supra firmam petram quatuor virtutum cardinalium, excellentius multo, quam alter Ioseph Patriarcha, ipsius figura et imago, de quo Eusebius Cesar. (lib. 7 de praepar. Evang., cap. 3. in fine) dixit: « Aderat enim Iosepho libertas animi, maxime robur invictum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa; sed pietate in verum Deum maxime praestabat, eratque mirabili corporis praeditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur ».

274. Verum iustitiam Iosephi altius mihi contemplanti, plane videtur extitisse in omni iustitiae genere.

275. Primo in legali iustitia, quae singulos dirigit homines ad operandum pro communi reipublicae bono. Cum revera ipse non tantum pro unius reipublicae, aut unius, aut alterius regni utilitate et bono operatus sit, sed et pro totius orbis, ut satis indicant verba angeli: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Unde Sanctus Bernardinus (homil. 2 super Missus est) dixit: « Hic Christum panem vivum servavit sibi et toti mundo ».

276. Secundo fuit iustus iustitia distributiva. Nam cum esset divinae possessionis Princeps, Christique Domini et Virginis Deiparae *quasi* superior, reddebat quod Christi erat Christo, et quod Virginis Virgini, dividens singulis, prout cuique opus erat, et quod eorum unicuique debebatur, Virgini solatium, Christo nutrimentum, tutelam et vigilantiam.

277. Tertio fuit iustus iustitia commutativa inter particulares personas. Hanc enim clare ostendit, dum noluit Virginem praegnantem traducere, sed eam occulte dimittere; reddidit enim Virgini, quod suum erat.

278. Sacra eloquia, ut in plurimum, commendant specialem aliquam virtutem in sanctis, quae in eis magis effulsit: simplicitatem animi in Noe, obedientiam in Abraham, patientiam in Iob, orationem in Iosue, fortitudinem in Samson, castitatem in Ioseph, mansuetudinem in David, constantiam in Machabaeis, fidem in Petro, amorem in Ioanne, vitam contemplativam in Magdalena, activam in Martha; ac tandem de singulis confessoribus canit Ecclesia: « Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi »; quia singuli speciali aliqua virtute floruerunt: at cum noster Ioseph omni virtutum genere praefulgeret, a iustitia, et rectitudine animi, quae omnes illas complectitur, illum laudet evangelista dicens (Matth. 1): « Ioseph vir eius, cum esset iustus ».

279. Certe vulgari sermone idem pollet « iustum », quod « aequale », quae acceptio iustitiae satis consentanea esse perhibetur, cum proprium illius sit, facere aequalitatem rei ad rem; unde cum illud dicatur alteri aequale, quod nec plus, nec minus illo habet; nihil aliud erit esse iustum, quam ita regulae rationis ac divinae legi adaequari, ut nec per defectum, nec per excessum ab ea deflectat.

280. Quia igitur divus Ioseph divinae voluntati obsequentissimus semper extitit, et divinae legis regulae toto tempore vitae suae adamussim se conformavit, ideo etiam merito evangelista illum « iustum » vocavit.

281. Illud discrimen interest inter eum, qui iustis calceis instar nobilium, et eum, qui amplius et lassis instar rusticorum incedit, quod ille, si minimus scrupulus calceos subintret, anxiatur, et premitur; ille vero, cuius calcei lati sunt, etiamsi terra, aut palea ingrediatur, nec minime dolore afficitur; non secus vir iustus quia arctam habet conscientiam, quicumque etiam venialis peccati scrupulus illum angit; peccator vero, qui latam illam habet etiamsi terreni affectus, graviaque peccata illam subintrent, nihili illa facit.

282. Erat igitur noster Ioseph vir iustus adeo, ut nihil terrenum in mundissimum eius animum ingrederetur, sed in dies in iustitia magis, ac magis crescebat, ne a nomine Iosephi, quod incrementum significat, degeneraret; quod si quidpiam levissimi pulveris subintrabat, confestim illum excutiebat. Unde adamussim ad illud (Apoc. XII) respiciens: « Qui iustus est, iustificetur adhuc », in eo semper singularissimam curam impendebat, ut ad anteriora se extendens, continuum virtutum incrementum susciperet, quod proprium est viri perfecti...

Digitized by Google

283. Tandem id mihi palam facit eximiam D. Iosephi iustitiam, et sanctitatem, quod, cum navis aliqua pretiosissimis mercibus plena, in altum tendit mare, quaeri solet assecurator, immo multi, quia unus solus id praestare non potest; ita cum Maria esset quasi « navis institoris, de longe portans panem suum », coelestium charismatum mercibus onusta, ac variis gratiarum praerogativis locupletissima, solus Ioseph inventus est, qui pretiosissimas eius honoris et famae merces assecuraret, quod tamquam divinis muneribus ditissimus, perfecte adeo praestitit, ut etiam Sponsam, quam nunquam tetigerat, gravidam observans, eius honori consulens, minime accusaret, dicente (Matth. 1 : « Cum esset iustus, noluit eam traducere.

284. Quid plura? hoc unum eius iustitiam super omnium sanctitatem mirum in modum extollit, quod rationi consentaneum putaverim, si Christus naturalem aliquem humanum patrem, ut revera potuisset, habiturus esset in terris, non alium elegisse, quam Iosephum, quem in patrem legalem elegit, atque adeo eisdem divinis charismatibus illum exornasse, quibus naturalem patrem cumulasset; maxime cum recte Dominus agnosceret, non minori paterno affectu Iosephum illum fore prosecuturum, quam si naturalis eius pater in terris exstitisset. « Iustum » igitur per anthonomasiam illum fecit, qui « iustus » est per essentiam, Iesus, filius Mariae, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen ». *Haec Carthagena.*

285. Trombelli, Mariae SS. Vita et gesta, diss. 10, q. 6, c. 1, erudite eamdem rem exponit, et ait: Multa de Iosephi sanctitate tradunt Patres, illosque subsecuti theologi, illam primo eruentes ex iis Evangelii verbis (Matth. 1, 19): « Ioseph autem, cum esset iustus, et nollet eam traducere ». Etenim vox « iustus » si stricte et rigorose sumitur, omnium virtutum complexionem significat. Cum autem nihil vetet, ne stricte et rigorose hic eam sumamus, nihil vetabit etiam ne virtutes omnes a Iosepho possessas dicamus.

286. Maior [inquit] Chrysostomo viro eximio et probatissimo Scripturarum interprete *innititur*. Sic enim locum hunc interpretatur: « Iustum hic omni virtute praeditum dicit: ad iustitiam enim pertinet non esse avarum, estque iustitia omnis virtus: et hoc maxime sensu Scriptura iustitiae voce utitur, ut quando dicit: Homo iustus verax (Iob. 1, 1). Et rursum: Erant ambo iusti (Luc. 1, 6) ».

287. Quem quidem Graecum Chrysostomi locum expressius in rem nostram explicat vetustus Chrysostomi interpres Anianus, ad hunc scilicet modum: « Iustum hic in omni virtute dicit esse perfectum: est enim iustitia specialis quaedam, et ex parte iustitia, avaritiae vitio non teneri: est vero iustitia altera generalis, quae ex cunctis omnino perficitur: iuxta quem praecipue modum Scriptura solet appellare iustum: ut cum dicit: Homo iustus verax. Et rursus: Erant iusti ambo in conspectu Dei ».

288. Approbat hanc interpretationem egregius Maldonatus his verbis: « Respondeo Ioseph vocari iustum, non quod iustitia una ex quatuor virtutibus moralibus praeditus esset, sed quod omni virtutum genere cumulatus, ut Chrysostomus adnotavit ».

289. Neque eam displicuisse Calmeto, haec quae scriptis prodidit, aperte declarant: « Vulgo apud Patres est hic iustus vir probus, Deo carus, laudibusque omnibus viri honestissimi praeditus. Tres illae vocis significationes commode in unum colligi possunt, ut in Iosepho coaluisse censeantur omnia, quae nomine iusti menti offeruntur, sive hanc vocem de iustitia proprie dicta, sive de clementia. sive de absolutissima sanctimonia usurpemus ». *Haec Trombelli.*

290. **Monitum.** — Spiritualia colloquia cum S. Ioseph, per pias considerationes, habere non omittas. Hodie, iuxta Barry consilium, tuum « colloquium in admiratione divinae dispositionis versabitur, quae vilem fabrum ad tantae sanctitatis gradum promovet: eam deinde felicitatem S. Iosepho gratulaberis, optabisque, ut pro merito ac magnitudine sanctitatis eius ubique agnoscatur, et ametur ». Et cum eodem Barry dices: « O S. Ioseph! Domus Dei delicium! qui post Filium et Sponsam tuam, meliorem portionem nactus es! cum sis sanctitatis cumulo instructus, pauperis mei te miserat, qui quod extraordinariis illis auxiliis ac privilegiis, quae possides, sim destitutus, in quotidiana pugna versor, cum immorigeris cupiditatibus ad intestinum bellum provocatus ».

Digitized by Google

CAPUT XVII.

An S. Ioseph Visitationi B. Virginis et Elisabeth interfuit.

SANCTUS Bernardinus, Serm. de S. Ioseph, a. 2, affirmative respondet his verbis: « Et statim *B. M. V.* cum ipso Ioseph abiit in montana ».

292. Gersonius in sua Iosephina, d. 6, affirmativam tenet sententiam dicens:

" Quod si praegnantem, si confestim parituram
Dum professurus, et dum numisma daturus,
Sollicitus voluit te vir transducere secum
Bethleem in villam turbis et frigore plenam,
Quid nova nupta tibi, quid delitiosa puella
Nunc facere iustus, dum longius instat eundum
Quomodo desereret te solam, nec comitatam?
Quid? quod Pascha sacrum vel erat vel adesse parabat
Quando Hierosolymis mas quilibet esse tenetur.
Ergo potest ex his concludi sufficienter,
Quod Dominae fidus custos tantique recenter
Conscius arcani, dederit pariter comitem se ".

293. Idem Gersonius, Serm. de Nat. B. V. consider. 3, iterum affirmativae sententiae favet dicens: « Visitavit Maria Zachariam et Elisabeth, non dubium, quin de licentia et consensu viri sui Ioseph, iam de sacramento incarnationis instructi. Visitavit et Ioseph vel illo tunc tempore, vel in solemnitate paschali quae proxima erat, et ad quam ire iubebat lex in Hierusalem. Decantavit canticum Maria, cecinit et ipse Zacharias. Non dubium quin particeps et conscius canticorum istorum Ioseph extiterit. Congratulata est Maria cum ceteris parentibus et cognatis ipsi Elisabeth puerperae, dum Ioannem enixa est; a qua gratulatione Ioseph alienus non fuisse putandus est ».

294. Beda Seeauer, Novendial. exercit. pro festis VII princ. B. M. Virginis, quamvis aliter concludat, nonnullas tamen rationes pro affirmativa sententia tradit, et ait: « Disquirere hic erudite solent Litterarum interpretes, an etiam Sanctus Iosephus virgineus Mariae Sponsus fuerit comes Beatissimae Virginis in hoc itinere ad cognatam suam Elisabetham, cum sacer historicus nullam prorsus faciat mentionem? Quapropter desuper disceptatur, et utriusque sententiae patroni suis non sunt destituti rationibus et motivis probabilitatis. Quibus ergo placet sententia affirmans, sequentibus potissimum rationibus moventur, unde suam sententiam probant. 1. Beatissima Virgo, providente sic supremo Numine, fuit desponsata Sancto Iosepho, ut ab illo ministerium, adiutorium et consolationem acciperet: hac autem fuisset destituta, et privata, si sola ivisset ad Elisabetham super montana; unde videtur, Sanctum Iosephum fuisse comitem, qui tam teneram sponsam utique non permisisset tam longum iter capessere. 2. Indecens videtur, Beatissimam Virginem solam ivisse sine Sponso, maxime, quia alium tamquam comitem, utpote pauperrima Virgo, habere non potuit. 3. Illo tempore, quo Beata Virgo abiit in montana, instabat proxime Pascha Iudaeorum, ad quam solemnitatem omni masculino Hierosolymis erat comparendum ex lege Exod. XXXIII et Deut. XVI. Ergo credendum non est, quod Sanctus Iosephus primum post paucos dies fuerit secutus, sed potius, quod illam deduxerit in domum Zachariae, et exinde velut e propinquo remeaverit Hierosolymam ad solemnia Paschae ».

295. Idem tenet cum aliis multis Marraccius, Principes Mariani, cap. 11, dicens: « Porro sponsum eius Divum Iosephum eam in hoc itinere comitatum fuisse, licet multi refragentur, Sanctus Bonaventura his verbis clare docuit: « O qualis domus, qualis camera. qualis lectus, in qua et in quo commorantur et requiescunt tales matres, talibus filiis fecundatae, Maria et Elisabeth, Iesus et Ioannes. Sunt autem ibi magnifici senes, Ioseph et Zacharias. Quid, quaeso, iucunditatis defuit S. Ioseph, sive dum novam coniugem in itinere comitatur, sive dum in obsequio Elisabeth demoratur? » Eidem opinioni adhaesit firmissime Isidorus de Isolanis antiquus auctor Mediolanensis, ord. Praedicatorum. Subscribit eisdem Ioannes Bonifacius, Laurentius Maselli, Salmeron, Orosius, Vigerius, Suarez, Christophorus Veruchinus, Ioannes de Carthagena, cum aliis pluribus.

296. En argumenta Isidori de Isolanis: Quamvis neminem affuisse, visitationi beatissimae Virginis et Elisabeth divinae referant litterae, nullus tamen est sanae mentis, catholicique ingenii, qui Mariam, virginem tenerae aetatis, solam domo recessisse asseveraret. Creduntur enim a Nazareth usque ad oppidum Zachariae, esse fere quadra-

Digitized by Google

ginta milliaria. Ratio itaque, officiumque sancti Ioseph atque auctoritas, nos credere cogunt, visitationi sanctae Mariae et Elisabeth. eumdem interfuisse. Non enim ratio recta consentit, Ioseph quavis occasione, sponsam divinitus acceptam dereliquisse, ac passum fuisse Virginem tantam, sine se longum iter subire.

297. Amplius. Ioseph ad hoc rationabiliter cogebatur, ut pro nova affinitate, novis congratularetur affinibus, cum praecipue nobiles essent, et magnae apud Iudaeos opinionis, Zacharias et Elisabeth. Opinabantur enim homines eos esse iugales magnarum virtutum: eratque sacerdos Zacharias.

298. Adhuc. Ioseph noverat, ut rationabiliter creditur, senem Elisabeth gravidam. Erat vero conceptus ille inconsuetus ac pene miraculosus. Ut ergo gaudio gaudium iungeretur, videre tunc voluit Elisabeth.

299. Itidem. Rationabiliter creditur Zachariam. mutum effectum, propter incredulitatem suam, raro vel nunquam domum exivisse, usque ad nativitatem praecursoris filii. Et hoc Ioseph non ignoravisse quoque, rationabile est. Ut igitur ex nova desponsatione Virginis senem laetificaret solareturque, voluit Virginem beatissimam associare.

300. Ad haec. Officium ac coniugium Ioseph, erga beatam Virginem, cogunt nos idem asserere. Officium quidem, quoniam a Deo institutus fuit tutor ac ministrator beatissimae Virginis. Quod licet magis magisque cognovisse Sanctum Ioseph non ambiganus, post primam apparitionem Angelicam, suggerente tamen divino spiritu, Virginem non derelinquebat. Non ergo novus gubernator, in tam longo itinere sponsam sibi creditam dereliquit.

301. Hoc idem sancti Bonaventurae in libro de vita Christi, auctoritate comprobatur...

302. Quando Ioseph audivit vocem Elisabeth dicentis: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me, nonne novis affectum gaudiis illum credere fas est? Quocirca in cognatae verbis, vehementer obstupuit. Inter admirandum vero animus eius ad altissima dogmata intelligenda voce Virginis sponsae suae evocatur exordientis: Magnificat anima mea Dominum. Quae non satis mente attingens clariori, cum Zacharia sene solatium quantum, cum muto dabatur ingens, percepit. Cum itaque audis, sancto *evangelio* praedicante: Exurgens Maria abiit *in montana*: intellige, Ioseph sponso *comite* ». *Haec* Isolanus.

303. Erudite pieque Barry Alim. piet. c. 8, med. 4, de hac re scribit dicens: S. Iosephum tibi repraesenta duorum dierum itinere per montes, qua transeundum erat, B. Virginem comitantem, antequam ad oppidum, ubi S. Elisabeth morabatur, a Nazareth pervenirent...

304. Post quatuor circiter menses post B. Virginem S. Iosepho desponsam, et post paucos admodum dies, quam Gabriel Archangelus, ignorante Iosepho, Filii Dei Incarnationem gloriosae Virgini denuntiavit. S. Iosephus a Nazareth iter ad eum locum suscepit, ubi S. Elisabeth versabatur, ut esset B. Virginis comes, Elisabetham cognatam suam visitantis, quae miraculo uterum ferebat: quam B. Virgo salutare, gratularique illi tantum beneficium voluit, quo Deus illam affecit, quando non obstante senio et sterilitate ipsi prolem indulsit.

305. Considera, cur S. Iosephus hoc iter adierit. I. Ne Sponsam suam desereret; non enim sustinuit committere, ut Maria, quam unice diligebat, sola in tam tenera aetate iter faceret, praesertim cum conficienda quatuordecim circiter leucarum via esset per loca aspera et molesta eunti. Ah! non potuit hoc iter declinare: Mariam enim adeo amabilem, tamque dulcis alloquii fuerat expertus, ut acerbum ei futurum fuisset, ab ea vel per horae quadrantem avelli. II. Praeter hunc amorem, prudentia illi dictabat ut Mariae desiderio, ad hoc iter propendentis, pro suo in illam amore obsequeretur, cum ipsa utpote honestatis amans, aegre nec sine dolore sustinuisset, illum a se abesse, praesertim cum nova nupta esset. III. Ob easdem causas viam iniit, quibus B. Virgo fuit ad eam inducta: aeque enim iucundum illi erat, Elisabeth cognatae suae gratulari, et senem Zachariam videre, testemque tam insignis miraculi, fieri. *Haec Barry.*

306. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Barry, ibidem: « O S. Ioseph! incomparabili felicitate donate! quae obsequia tibi et Mariae sponsae tuae non praestitissem, si tantus mihi honor obtigisset, ut vobis me illius itineris comitem adiungerem? o quam dulcis ac iucunda mihi via fuisset! quantis impediis ego tam gratam consuetudinem atque consortium non compararem? Ah! quando aderit felix illa dies ac coeleste contubernium, ubi vobis ad satietatem perfruar ».

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De dubio et haesitatione S. Ioseph.

SANCTUS Bernardinus, serm. de S. Ioseph, a. 2, quaestionem de dubio et haesitatione S. Ioseph sapienter exponit dicens: Sed quaeritur, an Ioseph crediderit Virginem de adulterio gravidam. Ad quod dicendum, quod circa hoc tres sententiae Sanctorum et aliorum Doctorum, quasi contrariae reperiuntur. Chrysostomus et August. volunt, quod crediderit hoc...

308. Secundi vero, ut Origenes et alii quidam volunt quod crediderit eam concepisse de Spiritu Sancto, et quod ex multa reverentia illam fugere volebat, sicut et Petrus, quando Luc. v. Domino ait: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum » Et Centurio, quando Matth. VIII, inquit: « Domine, non sum dignus », etc. Et hi siquidem moti sunt ex evidentia manifestissima maximae sanctitatis et honestatis ipsius Virginis, et ex multa sobrietate et rectitudine iudicii ipsius Ioseph. Nam, et nos videndo aliquem Sanctum, utpote Paulum, vel Franciscum aliquid agere vel dicere, quod secundum communem cursum indecens sit; non statim contra eum sententiam fulminamus, quin potius talem iudicium irreverens et temerarium aestimamus. Sed constat quod Beata Virgo transcendebat omnes alios Sanctos, et tanta sanctitas non poterat Ioseph latere.

309. Amplius, si ex circumstantia gravidationis pro altera parte arguere poterat, ita poterat pro ista ex omnibus aliis insimul congregatis. Constat enim, quod in ea nullum allud signum sinistrae opinionis poterat dari, quin potius omnia alia signa omnino in contrarium erant.

310. Tertii vero dicunt, quod vir iste utraque parte concussus, et pro utraque parte allegans, neutri parti simpliciter adhaerebat, sed stabat mente attonitus et suspensus. Nam ex una parte erat fortissimum argumentum naturae, quamvis illud non esset sibi notum nisi in sola exteriori tumefactione uteri, aut aliorum consimilium signorum. Ex altera parte pugnabant omnia, quae ab initio de Virginis sanctitate viderat et audiverat, et quae per specialem experientiam acceperat et gustaverat, sicut utique sancti gustant et odorant sanctam vitam Sanctorum, cum quibus convivunt. Et, ut isti dicunt, haec erat ei summa ratio, quare nolebat eam traducere seu manifestare. Ex stupore ergo utriusque partis simul sumptae, volebat occulte dimittere eam, tamquam rem sibi ignotam et suum indicium transcendentem; quum protinus expeditioris consilii sit explicari, quam dubiis implicari. Licet infallibiliter nesciam quid horum fuerit verum, adhaereo tamen magis sententiae tertiae...

311. Sed quaeritur, quare Ioseph permissus est incidere in hoc dubium; revelatio enim sibi facta postmodum, ante poterat sibi fieri, sicut et Virgini antequam conciperet, facta fuit. Ad hoc triplex ratio reddi potest. Prima propter maiorem certitudinem; secunda propter maiorem confirmationem; tertia propter maiorem exercitationem.

312. Prima propter maiorem certitudinem, scilicet tanti operis, quando etenim audimus quod vir Mariae sic discretus, sapiens atque iustus omnia haec diligenter consideravit, et vidit; et secundum quod rationalis ratio dictat, sic dubitavit, et tamen postmodum ita firmiter credidit, quod et ipsam in coniugem tenuit, et Christum ut Filium; plus movemur ad fidem, quam si diceretur, quod ab initio simpliciter hoc suscepit, iuxta sententiam Gregor. qui ait, quod minus Maria mihi praestitit, quae cito credidit, quam Thomas qui diu dubitavit.

313. Secunda propter maiorem confirmationem; prout enim in nobis ipsis plenius experimur, dubitationum fortium praecedentes motus fortius nos acuunt ad veritatis inquisitionem, et quando postmodum per manifestationem et illuminationem veritatis fortius et sensibilius expelluntur, tanto perspicaciores et firmiores in ipsa veritate efficimur; et quanto plus in nostra tentatione nostras indigentias et molestias et divinae gratiae necessitatem probamus; tanto in nobis humiliores, et Deo et beneficiis eius gratiosiores sumus, et contra tentationes consimiles cautiores et ad custodiam gratiarum nobis impensarum affectuosiores et diligentiores existimus: et in hoc ipso discimus compati et mederi his, qui dubitant et vacillant.

314. Tertia propter maiorem exercitationem: hoc est, ad observandum, et ostenden-

Digitized by Google

dum simul ordinem gratiae et providentiae Dei; licet enim Deus primo in nobis initiet sua dona, non tamen ea perficit et conservat, nisi prius laboribus et tentationibus fatigemur, et per tentationum triumphos gratias consummatas promereamur. Constat enim quod ipsi Ioseph gratia summa erat effici Virginis sponsus, et quodammodo Christi pater ac semper familiarissime cum eis stare. Proinde post inchoationem huius doni debuit per tentationem exercitari, atque probari; et approbari. *Haec S. Bernardinus.*

315. Similia habet Isolanus; pauca tamen haec eiusdem verba transcribimus: « Descripturus Evangelista Matthaeus prudentissimae cogitationis Ioseph solertiam atque acumen, ait: « Cum esset desponsata Maria mater Iesu, Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante »; et reliqua. Hanc vero altissimam cogitationem doctores plurimi ingenio, prudentia, doctrinaque clarissimi adhuc claram non satis superhabuisse constat. Quod aperte liquet, si varias eorum sententias consideraverimus...

316. Cum itaque haec cogitatio Ioseph altissima fuerit, arbitrandum non est primo motu, examinatione, iudicioque clarissimis caruisse. Possumus ergo dicere, primum huius eminentissimae cogitationis motum, primam explicare opinionem, processum cogitationis ultimam, iudicium vero mediam opinionem. Secundum igitur hoc iudicium, intelligenda sunt verba Chrysostomi dicentis: O inestimabilis venter Mariae Virginis. Magis credebat Ioseph virginitati eius, et magis credebat virginem posse concipere, quam Mariam posse peccare...

317. Denique de hac cogitatione ait glossa: In quo notatur animus sapientis, qui nil temere vult incipere. Item Chrysostomus: Notatur etiam mansuetudo Ioseph, nulli enarravit suspitionem suam, neque ei quae suspecta erat, sed in se cogitabat. *Haec Isolanus.*

318. Rem denique illustrant haec verba Gersonii, serm. de Nat. B. V. consid. 3: Novit Maria mysterium Incarnationis a saeculis absconditum angelo nuntiante, novit et Ioseph admonitus super haec in somnis, ut existimo, pie prius edoctus familiariter a Maria, sicut beatam Ceciliam legimus Valeriano sponso suo dixisse: « Est mysterium quod revelem, amantissime iuvenis, si tota illud fide custodias, etc. ». Quidni fuerit audentior divino confidens auxilio Maria erga Sponsum suum Ioseph pudicissimum, « cum esset iustus » quam Cecilia erga Valerianum, quem urgebat impetus nuptiarum?

319. Turbata est Maria in angelica salutatione, sed non conturbata vel incredula. Turbatus est ipse Ioseph ad stupendum tantae novitatis miraculum, ita ut nollet Mariam traducere, non tamen conturbatus vel culpabiliter incredulus, sed stupor quidam apprehendebat eum, sicut de Petro legimus dum ait ad Iesum: « Exi a me Domine quia peccator sum » (Luc v, 8). Ioseph similiter coniungi coniugio tam excellentissimae Virginis Mariae indignum se iudicabat. Propterea non ex credulitate suspiciosa, sed ex profundissima humilitate videtur Mariam traducere noluisse, sed quasi dixisse: Exi a me Domina, quia peccator sum. Hinc angelus ad eum: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam » (Matth. 1, 20) non dixit: noli incredulus esse.

320. Et addit idem Gersonius in epist. de festo S. Ioseph celebrando, ubi ait: Cognovit hoc igitur ipse Ioseph quod erat gravida, et quod erat de Spiritu Sancto. Sed cur non Maria referente hoc cognovit? Nulla videtur obstare ratio, si redeat in memoriam quanto devotionis ausu Caecilia virgo Valerianum allocuta est sponsum suum: nota est narratio. Propterea post huiusmodi revelationem, Ioseph stupore quodam et horrore subito concussus, et in semet deliberans propriae indignitatis aspectum, voluit Mariam dimittere, simile aliquid in se sentiens cum Petro, et dicens: « Exi a me, Domina, quia peccator et indignus sum ». Aut cum Centurione: « Domina, non sum dignus ut inhabites mecum ». Aut cum Elisabeth: « Unde hoc mihi ut sit Mater Domini Dei mecum? ». Sic Moyses videns rubum ardentem, non audebat propius accedere. Oza quoque punitus est, quod arcam sustentare praesumpsit; et bestia tangens montem lapidibus obruebatur. Sic denique Ioannes Baptista non audebat tangere sanctum Dei verticem. Hoc modo sensit Chrysostomus de timore Ioseph. Aut dicamus quod forsitan permisit hanc fluctuationem Spiritus Sanctus ad tempus concutere pectus Ioseph, quatenus a posteris haec trepidatio vulnus dubietatis amputaret, quemadmodum de Thoma Didimo dicit Gregorius.

321. Ioseph itaque, dum de Mariae virginitate simul, et foecunditate fuit Angelico oraculo solidatus, testis ipse nobis absque ullo exceptionis scrupulo recipiendus effectus. Nam « cum esset vir iustus », utique repudiasset eam, sicut dicit Evangelista quod nolebat « eam traducere »; sed occulte dimittere, si violatam invenisset. Fuit nempe iustissimo dolore permotus. Aut haec postremo dubitatio fuit non in ratione superiori, quae de Mariae virginitate non dubitabat,

Digitized by Google

ex cognitione conversationis eius sanctissimae; sed fuit quaedam trepidatio, vel concussio in sensualitate, consurgens ex insolita re tanti miraculi, quemadmodum dicit Augustinus, Mariam in passione Filii ex horrore tanti facinoris dubitasse. *Haec Gersonius.*

322. Origenes, in Matth. c. 1, ait: « Iustus erat Ioseph, et illa Virgo immaculata erat; sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat: ergo humilians se ante tantam, et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere ».

323. S. Basilius hom. 25, tom. 1 scribit: « Inventa est gravida de Spiritu Sancto; ambo invenit Ioseph, et conceptionem, et causam, quod de Spiritu Sancto; quapropter timens eiusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam dimittere voluit; non ausus publicare, quomodo res ipsius haberent; cum autem esset iustus, assecutus est mysteriorum revelationem; nam, dum haec ipsa animo versaret, angelus Domini apparuit ipsi per somnium dicens: Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam; nec illud cogita, quod suspicionibus absurdis obumbrabis peccatum: iustus enim appellatus es; non est viri iusti iniquitates silentio contegere; ne timeas, accipere Mariam coniugem tuam; ostendit, quod non moleste tulit, neque fastidivit, sed timuit ipsam, veluti Spiritu Sancto repletam ».

324. S. Bernardus, sup. Missus est, ait: « Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc, non meam, sed Patrum sententiam; propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat dicens: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum »: propter quod et Centurio a domo sua illum prohibebat, cum diceret: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum »; ita ergo et Ioseph indignum, et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali, et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem: videbat, et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne, et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam ».

325. Et addit: « Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit Centurio praesentiae maiestatem; exhorruit nimirum et Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem, et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris, quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias et Sanctam Elisabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem, et reverentia? ait namque: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam; sed quare occulte, et non palam? ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio, quid enim vir iustus responderet populo durae cervicis, populo non credenti, et contradicenti? si diceret quod sentiebat, quod de illius impuritate comprobaverat, nonne mox increduli, et crudeles Iudaei subsannarent illum, lapidarent illam? quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt, etiam miraculis corruscanti? Merito ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam ».

326. Viguerius, theolog. institut., cap. 20, § 9, tradit sanctitatis splendorem effulgentem post Christi conceptionem in integerrimae Virginis vultu in admirationem Iosephum rapuisse; et paulo post tamquam indignum ab eius consortio se voluisse sequestrare.

327. S. B. V. Mariae dixit S. Birgittae (Revel. lib. 7, cap. 25): « Postquam consensi nuncio Dei, Ioseph videns uterum meum virtute Spiritus Sancti intumescere, expavit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta prophetarum praenunciantium, Filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali servire Matri, donec angelus in somnis praecepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare ».

328. Barry, Alim. piet. c. 8. med. 4, addit: « S. Iosephus e domo Zachariae, in qua tres circiter menses fuit commoratus, domum reversus, B. Virginem esse gravidam animadvertit: unde graviter commotus, tam perplexis curis iactabatur, ut de illa clanculo deserenda cogitaret. Considera. I. Deum S. Iosepho Incarnationis mysterium aliquanto serius quam S. Zacharias et S. Elisabethae patefecisse ut occasionem haberet B. Virginis, ac Sponsi eius virtutem exercendi: ut verum omnino sit, ipsos etiam Sanctos adversis et tristibus eas ob causas invadi, quas olim in coelo, cum de illis fuerint edocti, felices adorabunt. II. Moerorem angoremque animi in S. Iosepho oppido magnum fuisse: ex una enim parte tumentem coniugis suae uterum videbat, ac ingens dedecus in se derivandum, si vulgo innotesceret, suam hanc prolem non esse: deinde occasionem spectabat, qua posset se ab illa subducere. Ex altera vero parte secum innocentiam ac virtutem Sponsae suae reputabat; neque persuadere sibi potuit, eam coniugii fidem violasse: expendebat, quanta prudentia tractandum hoc

Digitized by Google

sibi negotium esset, a qua iuberetur nihil praecipitare; etsi quadam interim religione urgeretur, eius consuetudinem vitandi, quae adulterii aliqua specie notaretur: occurrebat perfectionis studium, cuius exercendae ansam haberet, si in hoc negotio sibi silentium imperaret, tacitusque secum hanc molestiam devoraret. III. Eumdem iterum in Virginis Sponsae gratiam propensum, dubitasse, num Deum hominem illa ferret; posse utique in Sponsam suam eam dignitatem cadere, ut haec, quando tam sancte viveret, illa Virgo esset, quae Messiae Mater fore praedicebatur. Unde haec ei suborta est cogitatio, ab illa discedendum sibi esse, quod prae modestia suique abiectione Dei Matris consortio se indignum iudicaret ».

329. **Monitum.** — Dicamus cum eodem Barry, ibidem: « O S. Ioseph! vir secundum cor Dei! o ut discam a te, mei depressiones, ac molestias a Deo immissas patienter tolerare! propitium te tot afflictis mentibus praebe, iis maxime, quae molestis scrupulis exagitantur, magnisque obscuritatibus et angoribus perplexis involvuntur: ita te per omnes illas gratias oro, quibus fuisti ex hoc ipso labyrintho eductus, velis nobis tuo patrocinio tam potenti non deesse ».

CAPUT XIX.

De prima apparitione angelica Sancto Ioseph haesitanti facta.

Bdionisius Carthusianus, in Matth. cap. 1. ait: « Haec autem eo, videlicet Ioseph, cogitante », utpote quod Mariam occulte dimitteret, « ecce angelus Domini apparuit in somnis ei », id est ipsi Ioseph dormienti. Apparuit autem ei apparitione visionis imaginariae: et hoc, tempore somni, in quo revelationes divinae atque propheticae solent fieri, quia tunc anima aptior est ad talium receptionem propter exteriorum sensuum clausuram, et a sensibilium perceptione vacantiam, et praesertim propter imaginationis ampliorem quietem. Propter quod dicitur: « Per somnium in visione nocturna, aperit aures virorum, et instruit eos ». Apparuit ergo Ioseph, dicens: « Ioseph fili David », non solum carnis propagine, sed fidei atque iustitiae imitatione. Unde ad commendandam iustitiam Ioseph nominat eum filium David.

331. Isolanus p. 2. cap. 8 scribit: « Cum Ioseph anceps esset, ea in cogitatione et veluti in somno infidelitatis, ut ait glossa interlinearis, animi dubietate premebatur, in somnis ei apparuit angelus Domini. Fuit ergo modus huius apparitionis praeclarus: ratione Angeli facientis et Ioseph suscipientis. Fuit mirabilis: quia conformis statui Sancti Ioseph. Nam somno dubietatis laborabat. Fuit denique venerabilis: quia illa summae secretum venerationis intellexit, omni dubietate repulsa. Nulla vero sanctarum visionum, per somnum, hac est celebrior: quoniam nullus ambigendi locus menti Sancti Ioseph remansit: sed visionis omne secretum profundissime cognovit, assensit, et illico mandantis Angeli imperio obtemperavit.

332. Hinc Ioseph punitus non legitur: sed Zacharias, cui Angelus dixit: Quia non credidisti verbis meis, eris tacens et non poteris loqui usque in diem nativitatis eius. Hinc multiplici in somnis apparitione, donatus est Ioseph. Qui enim munus divinum veneratus est, affectu et effectu; eodem munere saepius affici meruit et donari.

333. Circa tempus huius apparitionis, considera significatum. Nam Ioseph licet cogitatione premeretur, non tamen passione. Sed eius animus quietus erat et intentus ut divinae non in quoquam adversaretur voluntati. Tempus vero noctis hoc congrue significabat humanae deputatum quieti.

334. Denique huius apparitionis, triplex est effectus. Primus ex parte Angeli. Secundus ex parte Ioseph. Tertius ex parte beatissimae Virginis. Et haec apparitio angelicam naturam dignificavit: Sanctus Ioseph iustificavit, ac beatissimam Virginem laetificavit. Haec pariter apparitio erudit nos; ut Angelorum beneficia rogemus, venere-

Digitized by Google

mur, et praedicemus; ut Ioseph admiremur, honoremus et in exemplum sumamus; ut beatissimae Virginis sanctitatem ampliorem credamus, humilitatem intueamur, quae sic latebat in cogitatione viri, quam sciebat et tagebat, cum se excusare, imo mirabilia sua ostendere poterat...

335. Quis vero Angelus fuerit ista operatus, divina tacent eloquia quidem: sed rationabiliter credi potest quod Gabriel fuerit, Qui enim Salvatoris conceptum nuntiavit, eiusdem quoque progressum custodivisse rationabile est. Hic est Gabriel, qui sancti Ioannis ortum praelocutus est, et totius incarnationis Filii Dei mysteriorum executor. Qua ratione, opinamur, eundem esse Gabrielem, cuius admonitione Ioseph secessit in Ægyptum, et reversus est in terram Israel. *Hoc Isolanus.*

336. Costerus haec pio scribit calamo: Considera primo, Iosepho de repudio cogitanti, secundum quietem apparuisse angelum, qui dubitantem confirmaret; ut Dei misericordiam discas, quae non permittit pios diutius affligi. Apparuit autem angelus in somnis, quia in nocturna quiete mens est aptior divinis colloquiis. Unde etiam Ecclesia nocturnis horis Deum laudare consuevit. Et licet somnia observanda non sint, seu, naturalia, seu quae diabolica illusione eveniunt, illa tamen non sunt reiicienda si qua immittit Deus. Siquidem illa tametsi somnia, occurrantque homini dormienti, adiunctam tamen habent certitudinem, qua nihil de visione dubites aut veritate Tu nocte quando ad quietem accedis, omni honestate te compones, ut habeas astantes et custodientes angelos, qui ab illusionibus daemonis corpus tuum mentemque conservent.

337. Considera secundo, ante conceptionem non fuisse ab angelo admonitum Iosephum, ut dubitatio tentatioque tam insignem revelationem praecederet, tuque eius dubitatione in fide confirmaveris, et simul tentationis disceres utilitatem, quae sicut Iosephum instruxit de Filii Dei incarnatione; ita non sine magno emolumento spirituali immittitur Christianis.

338. Considera tertio, et expende angeli verba plena suavitatis et sapientiae. 1. Nomen Iosephi exprimit, quia istorum nomina nota sunt angelis in coelo, a quibus iniusti ignorantur. 2. Addit nobilem Davidis familiam; ut meminisset Messiam ex ea familia nasciturum, ex qua sibi Mariam duxerat uxorem. 3. Depellit metum. Hoc enim proprium est boni Spiritus, consolari, et timorem auferre, scrupulosque excutere. Metus enim Iosephi erat non de infamia, aut de incommodo temporali, sed ne eam servaret uxorem, quam adulteram timebat, sicque Dei praeceptum peccato violaret. 4. Docet incarnationis modum, qui a Spiritu Sancto profectus esset. 5. Imponit ei curatoris Filii Matrisque officium, dum iubet ut Virginem non dimittat, sed uxorem accipiat, hoc est, retineat, Filioque nascituro, tanquam pater putativus, nomen Iesu imponat. 6. Indicat Pueri munus et conditionem, qui salvum faceret populum suum a peccatis eorum: quod cum a nemine praestari posse sciret quam a solo Deo [nemo enim remittit peccata, nisi solus Deus (Matth. IX, 6)], simul intelligeret hunc puerum et hominem esse et Deum. Ex his discis Sancti Iosephi dignitatem, qui et de tantis mysteriis ab angelo docetur, et ad tantum munus curatoris Dei, Matrisque evehitur. Tu singulari pietate hunc Virginis Sponsum coles, utque te Virgini, apud quam plurimum omnino valet, commendare dignetur, precaberis. *Haec Costerus.*

339. Barry, Alim. piet. c. 8, med. 4, addit: Dum S. Iosephus istis fuit curis implicatus, Angelus ei dormienti apparuit, itaque locutus est: Ioseph « fili David! noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Considera imprimis hoc loco I. Fidelitatem Dei, qua suis amicis et servis succurrit, divinis ac prodigiosis rationibus utens, cum artes humanae deficiunt. II. Bonitatem Dei, qua servi sui tristitiam in gaudium vertit, certo illi denuntians prolem, quam coniux eius in utero gestaret, Servatorem mundi esse; cuius ipse curam esset habiturus, eique nomen impositurus. III. Promptam et alacrem Iosephi obedientiam, qua acquievit cum Maria vivere, ac honorificum sibi putavit, tali se coniuge donatum, omnibus ei mentis perturbationibus, quibus laborabat, expositis, et quidquid ab Angelo Gabriele fuisset edoctus.

340. **Monitum.** — Cum eodem Barry, ibidem, dicamus: « O Ioseph semper coelo dilecte! fac nos gaudiorum tuorum participes, nobisque spiritum obedientiae et fidelitatis impetra, quo Redemptoris nostri adorandae voluntati obsequamur ».

Digitized by Google

CAPUT XX.

De privilegio amoris quo Ioseph dilectus fuit a Beata Virgine supra ceteros mortales.

SANCTUS Bernardinus, serm. de S. Ioseph, a. 2, causam amoris B. M. V. erga Sponsum suum purissimum adducit, dicens: Quia noverat Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, et sciebat istum sibi a Spiritu Sancto datum in sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem, et ad participandum secum in charitatis amore et obsequiosa sollicitudine divinissimam prolem Dei; ideo credo, quod totius cordis affectu hunc Sanctum Ioseph sincerissime diligebat. Propterea quum Beatissima Virgo tot et tanta impetret peccatoribus sceleratis hostibus filii sui, quanta putas impetraverit charismata huic tam amoroso et sollicitissimo, et filiali nutritio, et sponso sui pudoris, atque castissimi amoris; amplius, quum omnia quae sunt uxoris, sint viri; credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhiberet.

342. Et addit: Si Beata Virgo unum « Ave Maria » remuneratione vacuum non remittit; quanta cordiali gratitudine respondebat illi, quem cernebat sic sollicite, sic obsequiose ac fideliter laborare pro nutriendo ipsam, et dilectum Filium suum. Maxime quoque ponderabat Beata Virgo, quod Sanctus iste pro conservanda vita Iesu, se tot periculis exponebat, dum, scilicet, ipsum duceret, et reduceret de Ægypto in Ierusalem ad solemnitates legis, et dum fuit cum eo in aliis variis locis, qui explicari non possent.

343. Unde omnibus compensatis, quae devota, atque discreta mens circa Ioseph, et Virginem benedictam potest rationabiliter contemplari, dicere non auderem, quod Beata Virgo non dilexerit Ioseph quantum omnem aliam creaturam, vel supra, post benedictum fructum ventris sui Iesum. *Haec S. Bernardinus.*

344. Carthagena, lib. 4. hom. 7, addit: « Ad haec silentio non praeteribo egregiam inter hos sacros sponsos similitudinem non longe *ab ea diversam*, cuius in Canticis meminit *sponsa, cum dixit* (Cant. II): « Dilectus meus *mihi, et ego illi* ». Adeo enim ambo se dilexerunt, *ut ad invicem* ornamentum, et corona *alter alterius facti* fuerunt. Mariam quidem aureum diadema, gloriosamque Iosephi coronam extitisse satis utique probant verba Proverbiorum (c. XII): « Mulier diligens, corona est viro suo »; e contra vero Iosephum, splendidam coronam, pretiosumque ornamentum Virgini fuisse, non obscure indicant verba illa, quae prudenter protulit uxor sapientis Philonis, quae dum in coetu plurium feminarum adesset, ab eis interrogata, cur non instar reliquorum, aureis monilibus, ac pretiosis vestibus accessisset ornata, respondit sapienter: « Satis uxori magnus ornatus viri sui virtus »: ex quo sane non parum eximia Iosephi sanctitas commendatur, quae tanta fuit, ut ornamentum potuerit esse illius, quae sole vestitur ut amictu, corona stellarum redimitur, et luna, tamquam calceamento utitur, prout se illam vidisse Ioannes testatur (c. XII): « Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius; et in capite eius corona stellarum duodecim ».

345. Isolanus pulchre de hac B. M. V. dilectione erga S. Ioseph agit, et ait: Beatissimam Virginem dilexisse Ioseph, sincera ac perpetua dilectione supra ceteros mortales, docet fundamentum dilectionis, quod est similitudo. Nam simile a simili diligitur. Inde omne animal diligit sibi simile. Fuit itaque inter Beatam Virginem et Ioseph multiplex similitudo, quae in ceteris mortalibus simul nunquam reperta fuit, neque aliquando invenietur, ut catholice arbitramur.

Prima fuit, similitudo carnis.

Secunda fuit, similitudo nobilissimae originis.

Tertia fuit, similitudo perpetuae virginitatis.

Quarta fuit, similitudo divinae desponsationis.

Quinta fuit, similitudo mutuae dilectionis.

Sexta fuit, similitudo mutui obsequii.

Septima fuit, similitudo supernae electionis.

Octava fuit, similitudo figuratae significationis.

Nona fuit, similitudo ad Christum dilectionis et nominationis.

346. Hic est funiculus triplex tripliciter, quo mens coelestis beatae Virginis Sanctum

Digitized by Google

Ioseph virum suum, summopere diligere coacta fuit. Hoc sacro novenario, suo resplendet modo, illud supernae genus charitatis, quo Angelorum novem beati exercitus et chori Deum ardent, diligunt et adorant. Hic novenarius itidem funiculus, tantum coelestis colligans amoris, superat octonarios gradus amoris erga legem Domini, eius qui beatus in ea ambulat. Hos David propheta in psalmis divina lyra altissimoque decantat poemate, prosequitur et explanat.

347. Prima itaque similitudo carnis dicitur, quae ab divina lege, identitas vocatur: propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Gen. II. Verum ceterorum mortalium caro, fere corrupta, immunda et quotidianis peccatis gravis, ignaraque spiritualis iucunditatis invenitur. Sancti vero Ioseph caro non ita fuit, sed similis carni suae coniugis: incorrupta propter virginitatem perpetuam: munda propter contemptum spurcitiae carnis et omnimodam eiusdem inexperientiam: carens peccato, quod continue parit immunda caro coniugum. Supernae quoque contemplationis, non expers fuit Ioseph: sed summa iucunditate eiusce officio incubuit, suae sponsae imitatus exempla.

348. Augebat amorem coniugii in beata Virgine, similitudo nobilitatis eiusdem: ex Abraham enim et David, eadem genealogia, originem duxerunt, Beata Virgo et Ioseph. Didicimus autem natura docente, historiis referentibus, et longa nostrorum temporum malignitatis experientia, ingentem vim esse amoris inter eos, qui ex eadem profluxere familia. Illo nempe attracti mutuo conversantur, alterna sibi praestant obsequia, armaque sumunt. Adde quod scribit Paulus apostolus dicens: Qui suorum curam non gerit, et maxime domesticorum, hic infideli deterior est. At animadvertito in malis hominibus, amorem originis virtutum canone privatum, qui in sanctis ardentior est, perfectior, ac sanctior. Quanta igitur dilectione arbitrandum est, beatissimam Virginem Ioseph prosecutam fuisse, qui eiusdem erat cum eo nobilitatis et originis?

349. Enimvero si Poeta teste, certus amor morum est: Apostolo quoque dicente, charitas, nunquam excidit: maiori beata Virgo amore, prosequebatur Ioseph, quem noverat virginem, ac perpetuae voto virginitatis astrictum. Qua virginitate amplius Ioseph delectabatur, quam miseri mortales, immundae carnis oblectationibus.

350. At cum attendebat, recordabaturque divino nutu, Ioseph, se in sponsum accepisse, magis magisque in eius coelesti charitate accendebatur. Non erat ignara Virgo eius dogmatis, quod etiam, natura duce, cognoscere quisque potest vel rudis ingenii: Quos Deus coniunxit homo non separet. Dicebat ergo intra se beata Virgo: O quam culpabilis essem apud Deum ac universos coelestis Hierusalem cives, si sponsum divina mihi electione donatum, intimae charitatis visceribus non amarem.

351. Rebecca virum tantopere suum amavit, quem incognitum per longa terrarum spatia, servo duce adiit: cur ergo sponsum meum a Deo mihi datum, non amabo, sanctissime, ardentissime, iustissime? Attendo pariter in eo, quanto me amore prosequatur, et non vehementissime illum diligam? Est enim tritum proverbium: Si vis amari, ama.

352. Erat beatissima Virgo, altissimi pectoris, ingenuaeque mentis: Cuius proprium est obsequia praestantibus alternam dilectionem corde, verbis ac rebus ostendere. At Ioseph omni satagebat obsequio, die noctuque sponsam suam prosequi. Quocirca amore incredibili afficiebatur Virgo, quem viro Ioseph omni ex parte notum efficiebat. O quam rationabile est, beatam Virginem sponso suo servivisse, quam promptissime obedivisse, quam dulcissime et quam amantissime illum per singulos dies allocutum fuisse.

353. Credo equidem, o Virgo immaculata, nec vana fides, te erga sponsum tuum castissimum et tibi obsequentissimum, castissima semper dilectione fragrasse. Et puto, quod super omnes patriarchas, prophetas, duces et reges sanctosque alios dulcissime eumdem dilexeris. O felicissime charitatis donum, ubi pax et concordia. ubi charitas et unanimitas, ubi benignitas et mansuetudo, affuerunt. Nullae profecto ibi rixae, nulla discordiae suspitio, nullave displicentia, inter vos coniuges divinos extitere. Hinc divina utrinque officia exercebantur, utriusque mutuam fragrantia charitatem. O quanto studio, Virgo coelestis absenti viro cibos parabat, mensam componebat, domum mundam servabat, redeuntem vero quam iucundissime excipiebat.

354. Cuncta operabantur amore Iesu, quem praesentem intuebantur, quem noverant aeterna providentia se delegisse, ut talibus insisterent. Magnum nempe amoris ignem producit divina electio, quinimo omnis amoris fons est et origo. Noverant igitur beata Virgo et Ioseph se a Deo electos, ut divina inter eos perseveraret dilectio, qua totius humani generis gelida tepescerent corda. Porro, si Adam mulierem quam de sua condiderat costa, summopere dilexisse credimus, quum dixit: Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una: quanto magis beatam Virginem Ioseph dilexisse cre-

Digitized by Google

dendum est, qui illo praefigurabantur sacramento.

355. Connubium enim primorum parentum, ac beatissimae Virginis et Ioseph matrimonium, sanctae matris Ecclesiae indissolubilem praesignarunt nexum, dicente Apostolo: Hoc enim magnum sacramentum est Christi et ecclesiae. Quid quaeso maiori dilectionis vinculo potest aut poterit esse coniunctius sanctissima societate Ioseph et Mariae, quam Iesus aeternus amor instituit, propria custodivit praesentia, auxit et perfecit? Hanc summam dilectionem praenuntiarunt Patriarchae; in quorum coniugiis, grandis amor inventus est. Hic est amor ille divinus, haec suprema charitas, quae sola Deum verum edidit mundo, enutrivit ac induit.

356. Hac dilectione, Deus idem verus, huius sacratissimi coniugii filius putari voluit ac dici. Ex Virgine itaque matre Deus homo prodiit, et eiusce Virginis semper intactae viri filius putari voluit. *Haec Isolanus.*

357. Iustinus Miechoviensis, Lit. Laur. disc. 117, ita amorem B. M. V. ad S. Ioseph extollit: Non dubium inter Mariam et Ioseph singulare vinculum mutui amoris, et perfectissimae amicitiae intercessisse. Pertinet enim ad virtutem et sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, eique omne bonum exoptet et procuret. At B. Virgo in omnibus fuit perfectissima: igitur et in amore coniugali excelluit.

358. Fovit mirifice hunc amorem morum similitudo, de qua iam dixi; simile enim diligit sibi simile. Accessit frequens ac diuturna familiaritas, et cohabitatio absque ulla occasione rixae, odii, dissensionis, de qua mox dicemus, quae non potest non parere summum quemdam amorem et benevolentiam.

359. Deinde noverat B. Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore; non ignorabat quod docuit Apostolus Ephes. v, 25: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam ». Sciebatque comparationem hanc in eo sitam esse, ut sicut Christus nil carius habebat quam Ecclesiam, ita nil carius sit uxori quam vir, nec viro quam uxor. Ideo credo nullam in orbe puram creaturam fuisse, quam maiori quam coniugem suum amore Virgo prosequeretur.

360. Insuper sciebat Iosephum sibi a Spiritu Sancto datum in Sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine erga divinissimam prolem Dei. Ideo inquit D. Bernardus tomo 3 in serm. de S. Ioseph: « Credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat ».

361. Auxit hunc amorem in Virgine ratio gratitudinis quae benefactoribus debetur, et nulla alia re magis, quam amore persolvitur. Ioseph autem tum Matri Virgini, tum Puero Iesu multa beneficia praestitit. Sub illius umbra fama et aestimatio Virginis illaesa permansit: immo virginitas Mariae sub ipsius tutela, et fida custodia magis confirmata et stabilita fuit; propter illum B. Virgo gravida ab Hebraeorum lapidatione liberata est; ipsius cura Puer Iesus a tyrannide Herodis ereptus est. Ut taceam labores, incommoda, coeli iniurias, quas propter B. Virginem, et Filium eius pertulit; omnium enim pene itinerum, laborum, aerumnarum et molestiarum eius comes fuit, in Bethlehem cum ea profectus est, ex Bethlehem in Nazareth reduxit....

362. Rependebat sane, et beneficia beneficiis compensabat. Hinc D. Bernardinus serm. de laud. S. Ioseph ait: « Credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibuit ». *Haec Miechoviensis.*

363. **Monitum**. — Mirabilia quae de mutuo amore inter B. M. V. et S. Ioseph hucusque dicta sunt, assidua recolamus meditatione, et cum devoto Lanspergio, t. v, p. 174, ita Mariam laudemus: « O Virgo integerrima et in aeternum benedicta, quae virgini sanctissimo et iusto Ioseph desponsaris, gaude quoniam candido flori, lilium tu candidius, imo candidissimum sociaris, ut habeas qui tibi futuraeque proli tuae sit in obsequium, et integritatis tuae perpetuae testimonium, cum sine viro paritura sis Angelorum Regem et Dominum ».

Digitized by Google

CAP. XXI.

S. Ioseph post B. M. V. primus adorator et minister Christi nati.

CONSIDEREMUS in primis expectationem et desiderium Nativitatis Domini in B. V. et S. Ioseph. Scribit Cuvelhier, Medit. breviss. De exp. partus: « Desiderabat B. V. videre, illoque frui, quem Deum sciebat et agnoscebat in se, et ex se hominem. Desiderabat illum fovere, servire, maternis obsequiis curare .. Anhelabat et S. Ioseph iam mysterii conscius et sollicitus quo obsequio recenter Natum exciperet, ac deinceps studiose aleret, etc. Tu idem fac ut in te Christus renascatur, et cogita te quoque Christi Matrem fieri posse, si illum per pia colloquia etc., hoc potissimum tempore parias in animis aliorum, eos ad eius amorem excitando, etc. ».

365. Barry, Alim. piet. erga S. Iosephum, c. 8, med. 5, scribit: « Post B. Virginem ab Angelo salutatam, et conceptionem Filii novem iam menses effluxerant; cum Augustus Caesar, qui tunc rebus admodum tranquillis Romanum imperium tenebat, publico edicto omnes sibi subiectos iussit suum nomen profiteri, ut in publica acta in cuiusque natali solo referatur, ac una censum pendere. S. Iosephus, igitur ei mandato obtemperaturus, Nazaretho Galileae oppido cum praegnante coniuge abit, seque in Iudeam, et Davidis urbem Bethleem confert; ut qui et ipse e domo et familia David erat, ut illic cum caeteris e sua cognatione in album referretur. Ubi accidit, ut, cum diversorium illic nullum reperiret, ob frequentem populum undequaque confluentem, qui curaret se in tabulas referri, coactus fuerit, ad stabulum divertere campo ad situm, qui ad cognatam eius Salomen spectabat: quod illi permolestum fuit, cum videret, Dei Matrem utpote iam partui vicinam, eo loci decubituram ».

366. In hac historia considera I. Caecam et generosam S. Iosephi obedientiam, quod domo sua sit egressus, ubi omnes ei commoditates ad manum erant, recentem Mariae partum fovendi; et poterat secundum aliquam humanae providentiae speciem hoc iter differre: nihilominus omnes eas rationes seposuit, ut exacte imperio pareret, rei totius eventu de caetero divinae providentiae permisso. II. Modum quo hoc iter cum Dei Matre aggressus est; quod hiemis tempore et via tam longa ac difficili non potuit non esse molestum: interim temporis fallendi haec pulcherrima illorum ratio fuit, mentes in Deum attollere; quod si inter se colloquerentur, omnis de Deo sermo erat. III. Acerbum dolorem, quem persensit, quod Bethleemii extremum angulum pro diversorio, post longam inquisitionem, non invenerit: nihilominus quia non dubitabat, Dei Filio paupertatem cordi fore, si fuisset in lucem editus, ac simul, vehementi desiderio, quantocyus recens natum videndi, ardebat, aliquantum mitigatus eius dolor fuit.

367. O fortis et magnanime Iosephe! Nazarene civis, virtutum coelestium floribus ornate, qui Nazaretho discedis veritus, ne quarundam temporalium commoditatum flores illic te emolliant, quae tibi, Sponsae tuae, ac novo Messiae tamdiu expectato inservire possint! quaeso te per eximias virtutes tuas, ut verum mihi meipsum edomandi spiritum impetres, ne posthac tantopere mea commoda consecter, omnibusque carnis meae blanditiis nuntium remittam.

368. Eadem nocte, imminente B. Virginis puerperio, ac divino partu, media nocte illa Dei Filium enixa est: tum Infans fuit in praesepium eius stabuli, in quod successerant, repositus; quem mox post illius ortum Maria et Iosephus adorarunt. Ea nocte Angeli eumdem e coelo venerati, nuntium Pastoribus attulerunt: quo fuit mire S. Iosephus recreatus, quando ei coeleste carmen recitarunt, quod in divino illo partu audierunt ab Angelis cani. Maxima quoque fuit consolatione affectus, quando tres Reges tam procul inde huc ad novum Regem profectos excepit; quando fuit iussus eidem Iesu nomen tribuere; quando circa eumdem divinum Infantem fuit circumcisionis minister. Praecipue hic considera. I. Gaudium S. Iosephi, quod ei licuerit omnibus hisce mysteriis interesse. II. Eius felicitatem, quod ad eadem potuerit etiam ipse aliquid operae conferre. III. Sanctam et laudabilem eius celeritatem

Digitized by Google

in gratiis Filio Dei de illius adventu agendis, in gratulando Mariae honorem, quo fuit Mater Dei effecta, in observandis universis, quae illi fieri necesse fuit; sive excipiendi Pastores, sive colendi Reges, sive solatium Matri et Infanti addendum foret.

368. Gersonius, Serm. de Nat. B. V. consid. 3, de prima adoratione Christi nati per S. Ioseph, dicit: « Maria filium suum primogenitum mox ut natus est adoravit cum gaudio et exultatione. Ioseph ab hoc adorationis gaudio et exultatione nequaquam alienus fuisse credendus est. « Maria conservabat omnia quae dicebantur » de puero Iesu per pastores, per tres reges, per Simeonem, per Annam, per ceteros, « conferens ea in corde suo » (Luc. II, 19) et admirans, non ex ignorantia, sed ex insolita mysterii reverentia, Ioseph similiter. Nam scriptum est, quod « erant pater Iesu et mater admirantes super his quae dicebantur de puero ».

369. Isolanus, p. 2, c. 10, ait: Ioseph post beatam Virginem, primum adoravisse Christum, ratio multiplex suadet. Tum quia Ioseph summo desiderio praestolabatur Salvatoris ortum dignissimum. Tum quia a Virginula gravida, parum elongabatur. Tum etiam quia beata Virgo, quae eventus conscia erat, verisimiliter Ioseph admonuisse creditur, ut Deum verum, qui totius orbis quam magnificentissimo apparatu gestientique humani generis exultatione ac iucunditate excipiendus erat, cum nudus et in paupere nimis tugurio reciperetur, saltem matris et patris putativi adoratione susciperetur ferventi. Infantulum itaque Deum, ubi egressum utero vidit et adorantem inspexit Virginem, pronum Ioseph in terram cecidisse non ambigimus. Ad id enim cogebatur, vehementissime desiderio interiori. Virginis sanctissimo exemplo exteriori, divini infantis aspectu praeclariori, atque noctis illuminatione superiori.

370. Haec adoratio omni procul dubio sacrificio acceptior Deo fuit omni mundano apparatu, quovis laetitiae genere, cunctis muneribus excellentior, gratior ac venerabilior. An non Angelos, tunc divina altius cantica praecinuisse, credendum est, divo Ioseph auribus audiende corporeis, gestiente, vel potius extasim, nimio prae gaudio, patiente? Porro, si pastoralibus simplicibus multitudo angelorum altius ac dulcius intonuit: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis: cur non beatissima Virgine ac Ioseph adorantibus, eadem aut maiora potius evenisse credendum est? Nec obstat, evangelium hoc conticuisse: quoniam ampliora tacuit, quae conticuisse haud veremur...

371. Quas gratias Salvatori nostro, mente dixerit Ioseph, catholico atque ingenioso lectori excogitandas relinquimus. Talia nempe sacramenta silentio potius sunt velanda, quam infirmis, raucisque mortalium ineptiis aperienda. *Haec Isolanus.*

372. De Ponte, p. 2, med. 17, post considerationem adorationis pueri Iesu per B. M. V., ita de eius Sponso sanctissimo ait: « Idem S. Iosephum fecisse non est dubitandum, adorasse nimirum infantulum, gratias ei egisse tum pro collato nativitate sua toti mundo beneficio, tum sibi nominatim, in suum curatorem ipsum eligendo; ad quod munus fideliter diligenterque praestandum et in omnibus serviendum se promptissimum obtulisse credendum est. Idem vero et mihi faciendum esse intelligam, ut meipsum cordis affectu Sanctis hisce coniungam, corpus et animam cum eius omnibus facultatibus ad serviendam promptissime offerens ».

373. Marraccius, Principes Mariani, cap. 11, ait: Fortunatissimus etiam mortalium Iosephus, consolatione plenus ad puerum natum accedens, eum continue venerabatur, adorabat, gratias ei agebat, tum pro collato, nativitate sua, toti mundo, beneficio, tum sibi nominatim in suum curatorem ipsum eligendo, ad quod munus fideliter diligenterque praestandum, et in omnibus serviendum, se promptissimum offerebat. Imo persaepe ei contigisse credendum est, ut verum pulchri amoris Deum humana carne indutum contemplans, ardentissimis amoris flammis, ultra quam dici possit, exureretur.

374. Ah! quo gaudio spirituali, quantave exsultatione repletus fuit Iosephus, aspiciens divinum hunc infantulum, tot saeculis a priscis illis patribus exspectatum! Hi enim, ut Christus dixit: « Abraham exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est » (Ioan. VIII, 56). De visione prophetica locutus est, qua adventum Christi a longe praeodoratus est. Potentissimi etiam reges Verbum divinum humana carne indutum propriis oculis intueri cupientes ardentissime, minime obtinuerunt, Christo Domino dicente: « Multi reges desideraverunt videre quae vos videtis, et non viderunt » (Luc. X, 24). At Iosephus vidit eumdem recens natum, vidit infantem, vidit puerum, vidit iuvenem, imo, et per 20 annos, manus eius contrectaverunt Verbum vitae, sub humanae carnis mole delitescens ».

375. **Monitum.** — Dicamus cum Barry, Alim. piet. c. 8, med. 5: « O Iosephe! prime omnium Christiane! ut qui inter mortales ac viros omnes primus Iesum agnovisti, et adorasti; attonitus contemplor tuam pietatem, charitatem, vigilantiam in rebus omnibus, ut rite tuo munere fungaris: obsecro te per dulcedinem illam quam in obeundis

Digitized by Google

universis hisce obsequiis degustasti, cor meum, libertatem meam, et quidquid habeo, divino huic Infanti offer, eique me sisti, quemadmodum ad eum Pastores et Reges adduxisti: noli, quaeso, committere ut inde vacuus recedam; sed omnes mihi gratias impetra, quae sunt ad salutem meam necessariae, et ad hoc, ut tibi, Sponsae tuae, et dulcissimo Servatori meo sim acceptus ».

CAPUT XXII.

De impositione Sanctissimi Nominis Iesu.

CARTHAGENA, lib. 9, hom. 7, ait: « Datum... fuit Iosepho nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit, cum dictum est illi: Vocabis nomen eius Iesum, cuius sane nominis miram virtutem nemo melius percalluit, quam Ioseph: quia si Adamus perfectissime cognoscebat nomina, quae singulis animantibus imponebat; quis quaeso, tam mentis inops est qui dicat, Iosephum ignorasse nomen Iesu quod ex divina revelatione mentem eius irradiante Christo imposuit? »

377. Cardinalis Petrus de Alliaco, tr. de duodecim honor. S. Ioseph, sub 8 honor. habet: « Prius enim ante conceptionem ipsi Mariae, deinde ante nativitatem ipsi Ioseph ab Angelo dictum est: « vocabis nomen eius Iesum ». Postea vero in circumcisione hoc nomen fuit a parentibus publice et solemniter declaratum. O salutare nomen! O nomen gaudiosum! in quo magnum salutis gaudium nunciatur. Quorum gaudium? Sane, Mariae et Ioseph gaudium singulare, qui hoc ab Angelo meruerunt audire; qui hoc primi mundo meruerunt publicare. Sed tamen non solum eorum fuit hoc gaudium; non solum huius aut illius hominis; sed totius humani generis; nec solum hominum sed etiam Angelorum; dicente Angelo ad pastores: « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus »... Hoc igitur gaudium magnum, quod Angelus evangelizavit pastoribus, Sanctus Ioseph publice et solemniter omnibus evangelizavit hominibus: unde non immerito eum « Proto-evangelistam » possumus nominare; quia inter homines primus nomen evangelistae meruit obtinere ».

378. Isolanus, p. 2. c. 1, ait: Non parum attulit dignitatis Ioseph, legatio angelica qua ei demandavit, dicens: Vocabis nomen eius Iesum. Matthaei primo capite. Impositione enim ac sanctissimi nominis huius publicatione secretum coeleste mundo aperuit Ioseph; patris coelestis vices gessit: Spiritus Sancti arcana, quae in canticis ac prophetiis mysterio abscondita erant, patefecit; beatissimaeque mundi reginae coniugi suae collega fuit, atque angelicae maiestatis sublimitatem attigit.

379. Est namque mos apud homines patres nomina imponendi filiis, auctoritatem habeant. Iesus autem erat Filius Dei Patris. Sanctus igitur Ioseph Patris coelestis vices hac in dignitate gessit. Cum filii regum baptizantur, ubi christiani nomina filiis imponere consueverunt, quis quaeso vice Regum patrum, nomen filii baptizandi denuntiant, nonne rex alius aut nuntius Regis, vel magnus quispiam vir? illa igitur tempestate, Sancto Ioseph apud Patrem coelestem nemo grandior, nemo gratior, nemo praeclarior.

380. Hic est Enos novi testamenti, qui caepit invocare nomen Domini. ceu Genesis. VII, de veteri, scribitur, Verum Spiritus Sanctus per ora loquens prophetarum, diversorum variis vocibus aenigmatum, beatissimum nomen Iesu expressit. Legitur nempe, Esaiae septimo: Vocabitur nomen eius Emmanuel. Item capite nono: Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Et item voca nomen eius, spolia, detrahe, festina, praedare. Messias quod nomen interpretatur Christus, notissimum apud Hebraeos est. In Canticis quoque scribitur: Oleum effusum nomen tuum. Lucae vero secundo capite dicitur: Et filius Altissimi vocabitur.

381. Haec vero mysteria, unica nominis Iesu impositione orbi coeco, aperuit Ioseph. An quaeso Spiritus Sancti instrumentum non

Digitized by Google

magnipendendum arbitraris ? Veneramur prophetas, laudamus Salomonem, et admiramur dulcedinem voluminum eius degustantes : quibus haud imparem Ioseph, recta ratione colligimus. Tanta vero percellit dignitate, quanta lux clara crepusculum. At cum nomen Iesu, ab angelo Gabriele, nuntiatum fuerit : Primo quidem beatissimae Virgini ; deinde Ioseph, quando illud Ioseph imposuit octavo die : vices prorsus angeli obtinuit...

382. Nomen igitur Iesu, imposuerunt Deus, Angelus, Maria et Ioseph. Deus quidem, rem nominis praestando, Angelus praedicendo, Maria imperando, et Ioseph exequendo. Ne quaeso turbet quempiam, deducta Ioseph ab impositione nominis Iesu, excellentia. Talis etenim argumentandi modus, a glossa sumptus est, Lucae secundo Non decuit, inquit, tam gloriosum nomen, prius ab homine appellari : sed ab excellentiori natura : ne homo machinator huius nominis videretur. Eadem igitur ratione, a viro ceteris digniore, primo imponi debuit. *Haec Isolanus.*

383. **Monitum.** — Dicamus dulcissimo, sanctissimo, amabilissimo Puero Iesu : O Iesu Domine, cuius admirabile Nomen Angelus praedixit, Maria et Ioseph imposuerunt, Simeon cognovit, Anna laudavit, salva nos, laetifica nos. O Iesu, o Maria, o Ioseph, diligam vos, moriar inter desideratissimos amoris vestri amplexus!

CAPUT XXIII.

De multiplici Apparitione angelica facta S. Ioseph.

Barry, Alim. piet. erga S. Iosephum, c. 8. med. 5, scribit : Post quadraginta a puerperio dies, quod tempus erat puerperis praefixum, ante cuius finem prohibebantur templum ingredi, Iosephus cum Maria coniuge sua a Bethlehem Ierosolymam abiit, ut Purificationis Legi satisfaceret, para turturum, aut duobus columbarum pullis oblatis, utque simul alteri praecepto pareret, iubenti ut omnis proles mascula primo partu edita Deo consecraretur. Haec omnia mysteria considera, et imprimis. I. Admirationem Iosephi et Mariae, cum Simeon Sanctus senex divino Spiritu afflatus diceret, divinum hunc Infantem fore salutem, lumen, et gloriam gentium et iudeorum. II. Benedictionem, qua idem Sanctus senex utrique fuit bene precatus. III. Sanctam illam supplicationem, quae in eo occursu fuit habita : cum Ioseph et Simeon anteirent, magna hilaritate Deo accinentes, sequente Virgine Matre, quae divinum puellum brachiis coeli ac terrae Regem stringebat, Anna Prophetissa, quae eius latus claudebat, comitata ; quibus deinde ii succedebant, quos melior tunc fortuna ad templum ferebat.

385. O S. Ioseph ! Pater Iesu, quem totum coelum adorat ! qui amabilem hunc Infantem cum Maria aeterno Patri obtulisti : unde munus illi tam fuit gratum, tum ob offerentium pietatem, tum muneris oblati sanctitatem. O si meae oblationes possent a me tanta illi gratia offerri !

386. Et in med. 6, addit : Vix Ioseph cum Maria Nazarethum rediit, et Iesus parvulus non nisi duos menses vixit cum Deus scelestum Herodis consilium elusurus, quis eius vitae insidias moliebatur, Angelum submisit, qui in somnis S. Iosephum allocutus : « Surge », inquit « et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Ægyptum ; et esto ibi, usque dum dicam tibi ; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum ». Considera I. promptam S. Iosephi obedientiam, ac magnum desiderium, quo cupiebat Dei Filio hoc genus officii praestare, ut eius vitam servaret. II. Curam, quam Filio et Matri impendit toto illo itinere, quod octoginta circiter leucarum fuit, donec ad villam pervenerunt, tribus ultra Babylonem (vulgo Cairum) leucis dissitam, qui Matures nomen, ubi substitit, sedem illic fixurus. III. Laborem, quem in extera regione ad comparanda vitae subsidia exhausit ; ubi fabri lignarii artem aliquot annis exercuit, ut se et sanctam suam familiam aleret : quod magna suae voluntatis cum divina conformatione ac singulari simul gaudio faciebat, adhuc se beatum reputans, quod in tam sancta Societate tolerare adversa posset.

Digitized by Google

387. O S. Ioseph! divine ductor, et admirabilis domus Dei oeconome! posthac in omnibus corporis animique necessitatibus ad promptissimam bonitatem tuam confugiam, cum Domini mei ac Dominae meae in te curam susceperis: audebisque servulo beneficium negare?

388. Herode post septem circiter annos, a S. Iosephi in Ægypto commoratione, defuncto, cui Archelaus in regno successit, Angelus S. Iosepho in somnis conspicuus eum alloquutus, « Surge, ait, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel ». Cui voci S. Iosephus quamprimum obsecutus Nazarethum rediit. Considera I. Fidelitatem Dei in suis promissis, quando S. Iosephum de reditu admoneri iussit, quemadmodum illi fuit pollicitus. II. Gaudium, quod concepit ex eo, quod videret se certum, cum Iesu et Maria se sine turbis et metu Archelai victurum, etsi esset hic suo parente crudelior: ita enim sub finem sui reditus ei fuit ab Angelo promissum. III. Summas delicias, quibus fuit a Iesu Puero adhuc octo annorum recreatus, dum ei osculum tulit, dum ei blanditus est, individuus hinc inde obambulantis comes.

389. O S. Ioseph! mortalibus universis felicior! cum foris esses, beneficiis exteros cumulasti, totamque gentem Ægypti tua inter eos commoratione recreasti. nunc vero redis, tuis civibus profuturus, quos omnes tuo reditu exhilarasti: de omnibus bene mereris, totumque mundum laetitia comples. Talem, quaeso, te et mihi exhibe, et me miserum exhilara. *Haec Barry.*

390. Isolanus, p. 2 c. 12, ait: « Matthaeus evangelista, capite secundo, multiplicem apparitionem factam Ioseph, in haec verba aperit dicens: Ecce angelus Domini apparuit Ioseph dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum: et esto ibi usquedum dicam tibi Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem eius nocte et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut impleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde. Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama, audita est: Rachel plorans filios suos: et noluit consolari, quia non sunt, et reliqua...

391. Colligendum tamen ex evangelicis verbis, quantum insit dignitatis praedictis Ioseph visionibus, et ad nostram utilitatem ac experientiam in nobis singula referentes, laudis divini Ioseph et nostrae utilitatis dona, simul liceat intueri.

392. Septem angelicam visionem vere consequuntur, quando fuerit perfecta, id est non ad iustitiam, sed ad conservationem.

Primum est illuminatio de Verbo incarnato.

Secundum. Veneratio sanctae matris Ecclesiae.

Tertium. Despectus rerum terrenarum.

Quartum. Alta cognitio divinae providentiae.

Quintum. Spiritus intelligentiae sacrarum litterarum.

Sextum. Invidia diaboli ac sequentium eum, erga decoratum visione angelica.

Septimum. Exterior afflictio sive ab hominibus, sive a natura, sive quovis modo illata a Deo.

393. Considera igitur ad quamvis harum visionum Ioseph, septem haec semper consecuta et in Ioseph inventa fuisse.

394. Illuminatio quidem de Verbo incarnato innuitur cum Evangelista ait: Surge et accipe puerum. Quod enim re faciebat, intellectum magis de Verbi Dei cognitione perficiebat. Et matrem eius. Mater autem est sancta Ecclesia, quae quotidie et gignit et nutrit filios, et pientissimae matris more prosequitur. Et fugex in Ægiptum. Quia qui propriam spernit patriam divino amore, terrena cuncta se odire ostendit. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: qui divinae providentiae omnia gubernantis testis fuit et hostis. Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam Osee: scilicet dicentem: qui divinarum litterarum unus fuit scriptor ac propheta magnidicus. Invidiam diaboli signat Herodis ira exterioresque afflictiones: eiusdem denotat saevitia. Ideo sequitur: Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde. Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem. Latent plurima in evangelii verbis mysteria, quae illuminato lectori, et meditanda dulcius et latius aperienda relinquimus ». *Haec Isolanus.*

395. **Monitum.** — Hoc ex Lanspergio, t. v, p. 186, pium colloquium cum Iesu habeas: O altitudo divitiarum sapientiae Dei! O profunditas iudiciorum eius! O quam investigabile consilium tuum, Deus. quod in hoc mundo, cum tui foret arbitrii ubi, quando, et e quibus velles nasci, elegisti parentes pauperes, qui manuum te suarum labore nutrirent, manibusque operando victui suo pariter et tuo necessaria conquirerent.

396. Sed quibus laudibus extollam nescio virum illum dignissimum, virum unum ex millies millibus propterea electum, Ioseph

Digitized by Google

loquor, qui tibi Salvatori suo panem manibus operando lucraretur, qui Virgini tuae Matri, utpote testis et custos eius virginitatis tanquam vir et Sponsus vitae necessaria provideret. Itaque tui parentes manibus operabantur: Sanctus quidem Ioseph nutritius pater et faber lignarius in sua arte: Mater vero tua texendo, nendo suendoque, victum quaerebant.

397. Et quid tu interea, o Puer suavissime? Quid parentibus operantibus faciebas, amantissime Iesu? Quid, suavissime Virginis nate, agebas? Num otiosus fuisti? Non fuisti otiosos. sed utrique parenti, quae per aetatem licebant. Puer optimus inserviendo necessaria afferebas. Quid enim prohibet de te cogitare, quod ad honestissima quaeque Matri inservieris? puta, aquam, ligna, aliaque eiusmodi apportando perrigendove: aquam quoque manibus eius infundendo ut pietate et compassione plenus, parentum tuorum laborem cooperando inserviendoque allevares?

398. Nec temeritatis aut superbiae fuerit, piissime Iesu, quod tui parentes, a te, Deo videlicet universorum, haec obsequia acceperint, sed potius obedientiae, ad quam intus illuminati ac moti sapiebant, quod voluisti sic agere, ut impleres omnem iustitiam: quare eorum humilitas quoque non parum proficiens inde merebatur, quod obedientes tuae dispositioni huiusmodi admittebant.

CAPUT XXIV.

De inexplicabili iucunditate qua fruitus est Ioseph propter cohabitationem Christi ac Beatae Virginis.

ELIAS a S. Theresia, Legatio Ecclesiae, dedic. tom. 2, scribit: Aiebat olim Salomon Prov. VI : « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? » Certe cum Ioseph ignem, id est, Christum (Deus, enim, ignis consumens est) sinu suo tamdiu portaverit, imo millies contrectaverit, vestierit, exuerit, amplexatus et exosculatus fuerit, consequens erat flammis hunc amoris illius vehementissime inardescere. Fabulatus quidem fuit Virgilius, Didonem ubi a Cupidine sub Ascanii figura pateretur amplexus, amoris interius flammis conflagrasse. Sed fabula haec quid vere in D. Ioseph acciderit, ostendit; hic namque ubi toties verum Deum humana carne indutum suis brachiis amplexatus fuit, et sinu suo dulcissime confovit, ardentissimus amoris illius flammis ultra quam dici possit, frequenter exarsit.

400. S. Maria Magdalena, sedens secus pedes Domini optimam contemplationis partem obtinuit. D. Ioannes Evangelista supra pectus Domini quiescens, coelestia contemplatus fuit ac percepit arcana. D. Paulus in tertium usque coelum raptus, verba audivit quae non licet homini loqui. Apostoli tandem, ac pii illi viri, qui a Salvatore nostro edocti perseverantes erant in oratione. Quos tamen omnes S. Ioseph tanto perfectioris contemplationis privilegio antecelluit, quanto prae his ex visibili ac continua Christi et Mariae per totos triginta annos praesentia amplius excitari potuit, et ut ferventissimos amoris actus eliceret, potenti eorumdem auxilio ob intimam dilectionem fuit adiutus.

401. O si prolixius hic explicare liceret, quantis ex assidua Christi societate, atque arctissima illius unione S. Ioseph gratiarum praerogativis dotatus sit? e multis hoc pateret exemplis quorum vel aliqua saltem recensere, duxi conveniens. En ut Christum adhuc infantem ubi semel tantum conspexit Simeon iustus, exclamet: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum ». En ut (Ioann. VIII): « Abraham exultaverit ut videret diem Christi, vidit, et gavisus est ». En unde ipsemet Salvator discipulos suos (Lucae X) beatos appellet: « Beati, inquit, oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt ».

402. Audine quid discipuli illi dixerint,

Digitized by Google

quibus se in Emmaus pergentibus Christus comitem dederat: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobiscum in via? » brevissimo illis spatio Salvator adfuerat, et ita tamen inde ardebant. Quid igitur de Iosepho credendum? Vide praeterea: S. Ioannes Baptista Christum ostendit, et plusquam Propheta appellatus est: eum baptizavit, et maior illo inter natos mulierum non surrexisse perhibitus ». *Haec Elias a S. Theresia.*

403. Iustinus Miechoviensis, Lit. Lauret. disc. 117, scribit de Maria et Ioseph: Ambos voluit Iesus in sua infantia, pueritia et iuventute individuos, comites, tutores, custodes, domesticos, familiares habere. Ambobus permisit se millies contrectari, amplexari, osculari, ut in officio Ecclesiae canitur:

Nunc ad Ioseph tanquam patrem,
Nunc ad sanctam repsit Matrem,
Per virgineas cervices
Gratas alternando vices.

404. Item: Quis enarrare sufficiat quanta dulcedine, quanto gaudio, quanta consolatione spiritali Iosephus quotidie replebatur, cum Sponsam adeo caram, et dilectam intuebatur? quanto iubilo animus eius agebatur, cum Deum incarnatum sibi obsequentem videbat? quae verba, quae colloquia, quae responsa, quae mysteria, quae secreta, quae oracula inter eos erant? *Haec Miechoviensis.*

405. Isolanus, p. 2, c. 13, addit: Magna est homini iucunditas, cum filium a se genitum videt, cum eove conversatur et cohabitat. Tum quia in eo quoquo modo completur desiderium perpetuitatis... Tum quia utile a filiis parentes exoptant. Tum quia in eorum virtutibus ac bonis gloriantur quasi in propriis.

406. Verum cum divus Ioseph Christum maximum verum Deum, certissima arbitraretur fide, inexcogitata afficiebatur iucunditate: quando non solum divinum esse et immortale participaret: sed ipse cuius est esse divinum et immortale, filium suum putari disposuisset: a quo immortalitatem deinceps sperabat, ardentissimo pectore ac magna et excellenti prudentia. Plurimi summum bonum pene excogitarunt esse, si nobilissima prole ab natura donarentur. At quae gaudia Ioseph expertum fuisse credimus, cum omnis principium nobilitatis ac boni a se enutriri et custodiri animadverteret.

407. Didicerat dudum Ioseph plurima sanctarum litterarum dogmata, quae angelorum illuminationibus, collocutione Virginis beatissimae, ac praesentia Verbi Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc nundum, Christum Deum personare noverit. Quocirca pro varia aetate Christi, diversa expertus est solatia, quae sacrarum non immemor litterarum mente voceque revolvebat.

408. Incipe a prima Salvatoris infantia. Contemplabatur ea in aetate Ioseph nonnunquam Iesum infantulum dormientem. Ecce de quo scriptum est: Non dormitabit neque dormiet... somnum cepit et dormit. Mirum negotium. Hic est sponsus speciosus prae filiis hominum de quo in Canticis scribitur: Ego dormio et cor meum vigilat. Dormit ergo in te, o Iesu, assumpta humanitas, et cor tuae divinitatis semper vigilat. Infantulum si forte vagientem voce illa divina. audiebat, timore afficiebatur, et dicebat: Ecce Deus noster similis nobis effectus vagit et in nubibus tonat.

409. O quoties infantem exosculans quam dulcissime, aiebat: O felicia oscula, quae humani generis sancti patres per tot et tanta saecula exoptarunt. Hic est enim, cuius oscula optantur a Canticis exordientibus: « Osculetur me, osculo oris sui ».

410. Nonnunquam Ioseph, divinum infantem considerabat, et prae gaudio eliquescens dicebat: Pulchrae sunt genae tuae, sicut turturis: collum tuum sicut monilia. Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus. Dilectus meus candidus et rubicundus electus ex millibus. Caput tuum aurum optimum. Oculi tui sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae et resident iuxta fluenta plenissima. Genae tuae sicut areolae aromatum. Labia tua lilia distillantia myrrham primam. Manus tuae tornatiles plenae hyacinthis. Venter tuus eburneus distinctus sapphiris.

411. Et haec mente pertractans, quae plena magnis sacramentis in Canticis scribuntur, mysticos Iesu Christo sensus copulabat. Hinc signantia verba replicabat, illinc signatum attendebat, laetabatur in his, gestiebat, et quasi supra hominis vires in divinam rapiebatur naturam.

412. Verum, cum infans Iesus ore proferre verba coepit, aiebat: Vox dilecti mei quam suavis et decora. Vox haec illius est de quo scribitur: Semel loquitur Deus et amplius non repetit illud. En repetit decies et amplius. Haec vox eius est, qui in prophetis locutus est. Sed haec humana est, quam auribus percipio, locutionem vero divinam ab aeterno incessabilem, unam et indivisibilem non audio: sed Pater qui est in coelis, Spiritus Sanctus quoque et angelicus beatorum spirituum exercitus.

413. Si vitam omnem per multa annorum curricula, quam Ioseph attentissime animadvertit in Christi infantia, pueritia, et adolescentia ac iuventute prosequi voluero: consurgat caput in volumen grande necesse est. Quis, quaeso, Ioseph exarsisse non crederet, cum Iesum contingebat, qui ignis venerat

Digitized by Google

ignem mittere in terram volens ut ardeatur. Quapropter contemplantis animi ardentissimae flammae, isthaec in lucem prodenda relinquo.

414. De conversatione itidem beatissimae Virginis tacendum censeo, quae eodem igne Sancti Spiritus, ab fideli contemplatore animadverti poterit. Fuit enim, teste B. Hieronymo, Ioseph et beatissimae Virginis societas, floridus et prorsus immaculatus affectus. Virginem namque beatissimam sanctitatis angelicae habere, illam videre, cum illa morari, et cum eadem operari, illi convivere et illi convivari astante Filio Dei: ara est coelestis exultationis et tripudii. *Haec Isolanus.*

415. S. Bernardinus, serm. de S. Ioseph, art. 2, dicit quod S. Ioseph « habuit erga Christum ardentissimam charitatem. Quis deneget, obsecro, quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam pater, et balbutienti, aut confabulanti cum ipso ut pater, Christus, sive infans, seu adultus, non ingereret, et imprimeret ineffabiles sensus, atque iucunditates de semetipso, et hoc cooperante exterius gratia Christi cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu. O quanta dulcia oscula ab ipso recepit, o quanta dulcedine audiebat balbutientem parvulum, se patrem vocare, et quanta suavitate sentiebat se dulciter amplexari.

416. Considera etiam cum quanta compassione in itineribus, quae fecerunt, parvulum Iesum ex labore lassatum, quum grandiusculus esset in suo gremio requiescere faciebat; quia omni amore transformativo ferebatur in eum, ut in dulcissimum filium, sibi in coniuge sua Virgine per Spiritum Sanctum datum...

417. Considera igitur, quod si nos per evidentiam experimur, quod vix potest quis saltem longo tempore fuisse socius magnorum Sanctorum, utpote sancti Pauli, vel Francisci, quin ab ipsis, et cum ipsis miras illuminationes, et infiammationes, atque consolationes Dei receperit; quanto magis credendum est, quod sanctissimus iste vir in tanto tempore, quanto fuit cum Christo, et matre eius? et hoc sicut Pater, atque nutritius Christi, et sicut legitimus Virginis sponsus, et pro eis, et cum eis labores, atque peregrinationes die noctuque sustinens, miras illuminationes, et consolationes ex istis adeptus est ». *Haec S. Bernardinus.*

418. Iustinus Miechoviensis, Lit. Lauret. disc. 294, ait: Satis laetitiae, et beatitatis Beatissimus Ioseph in hac vita mortali habuit, cum tam assidue Christum intuebatur, et nedum intuebatur, verum et contigebat, immo portabat, et amplectebatur. Quanta fuerit laetitia illa, quantum gaudium, quanta exultatio Deum in humano corpore videre, et quod maius est, hospitio recipere, in brachiis portare, per singulas horas illi adstare, eique ministrare, explicet quis potest, ego non valeo. Quis enim explicet huius patriarchae dignitatem, sanctitatem, et puritatem? S. Ioannes Baptista ex eo quod Christo occurrit, Christum vidit, eumque digito monstravit, tam magnus, tam sanctus fuit, ut Christus crederetur, seque ad hoc officium triginta annis angelicam vitam ducens paravit, ut protenso digito Christum demonstrare posset. Qua putas sanctitate, qua puritate S. Ioseph pollebat, qui Christum, non dico digito monstravit, sed manibus contrectavit, hospitio excepit, in sinu fovit, nutrivit, vestivit, eique omnia necessaria ministravit? quantam putas dulcedinem, quantam suavitatem, quantamve laetitiam inde habuit?...

419. Quanto putas gaudio exultabat Ioseph, quanta laetitia perfundebatur, cum ab Altissimi Filio audiebat se appellari patrem, cum videbat sibi in mensa et alibi serviri cuncta regentem? Nec lingua dicere, nec calamus id exprimere valet...

420. Vides ergo quam uberem materiam gaudiorum gloriosa Virgo S. Ioseph sponso suo praebuit, quae cum consortio suo maritali adeo nobilitavit, talibus ac tantis divinae gratiae muneribus, ac praerogativis singularibus auxit, ornavit, ditavit.

421. **Monitum.** — Dicamus ergo cum eodem Miechoviensi, ibidem: « O Beate Ioseph, qui ex consortio Virginis verus Ioseph, hoc est crescens in virtutibus effectus es velut alter angelus, ex Christi tui aspectu beatus, Deo Patri, ac Spiritui Sancto similis, eorumque quasi vicarius factus, inenarrabili laetitia perfusus es, obtine ut nos quoque aeternis illis gaudiis participes efficiamur, praestante Domino nostro Iesu Christo, intercedente Beata ac Gloriosa Dei Genitrice Maria coniuge tua, te quoque suffragante. Amen ».

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De pari laude B. M. Virginis et S. Ioseph in inventione pueri Iesu in templo.

PRAEMITTENDUM cum Barry, Alim. piet. erga S. Ioseph, cap. 8, medit.: « Post quartum a reditu ex Ægypto annum, cum Iesum duodecim iam annos natum duceret Ierosolymam, ut Pascha celebrarent, quod singulis annis solebat, toto triduo illum S. Iosephus amisit, ad cuius finem eum in templo reperit, medium inter Doctores assidentem, quibus aurem dedit, et vicissim quaestiones proposuit: quo loco B. Virgo, quae cum Sponso suo eum quaerebat, compellans, « Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Post haec Christus cum Matre sua et S. Iosepho Nazarethum reversus illic octodecim circiter annos fuit cum ipsis versatus, eis per omnia obsequens, et ad omnem utriusque nutum paratus. Considera in hac tota serie praecipue. I. Dolorem, quo Iosephi animus ob talis Filii iacturam conficiebatur; examen, quod instituit, ne forsan sua culpa hoc accidisset, dum crederet eum penes Matrem fore, quae seorsim cum ceteris feminis incedebat; curam, qua toto eo tempore illum quaesivit, Deum interim enixe de successu eius negotii precatus. II. Gaudium, quod ex eo reperto et quidem inter Doctores medio concepit, ut et inde, quod B. Virgo eumdem Iesu Patrem appellarit: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ».

423. Et pia consideratione, subiungit Ludovicus de Ponte, p. 3, Medit. 30, « Verbum illud expendam: « Pater tuus et ego »; in quo Beatae Virginis splendet humilitas, non solum quod priore loco S. Iosephum posuit ob reverentiam erga Sponsum, sed etiam quod palam coram omnibus Christi patrem eum appellavit. Ex quo audientes coniicere poterant, viri illius opera Christum fuisse generatum; quod ad ipsiusmet Virginis etiam pertinebat humiliationem. Sed quae vere humilis erat, pluris Sponsi sui, quam proprium faciebat honorem ideoque honorifico illo titulo eum compellavit, suo hoc exemplo docens nos, proximos honorare etiam cum nostri honoris aliqua imminutione ».

424. S. Bernardinus, serm. de S. Ioseph, art. 2, haec habet: « Considera etiam cum quanta compassione in itineribus, quae fecerunt, parvulum Iesum ex labore lassatum, quum grandiusculus esset in suo gremio requiescere faciebat; quia omni amore transformativo ferebatur in eum, ut in dulcissimum filium, sibi in coniuge sua Virgine per Spiritum Sanctum datum.

425. Ideo prudentissima Mater sua, quae experta fuerat eius affectum, ad filium suum Iesum dilecto filio in templo reinvento ait: Luc. II. « Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Ad huius verbi intellectum notandum est, quod duo saporum genera continet in se Christus.

426. Primus est dulcoris, secundus est doloris. Primus est dulcoris, et hunc per experientiam sensisse ostendit Beata Virgo, quum ait: « Fili, quid fecisti nobis sic? » Nusquam profecto legitur in scriptura, Virginem vocasse Iesum filium, nisi in hoc loco. Filius enim a φίλος quod est amor, denominatur. In ore siquidem matris gustum praetendit cordialissimi dulcoris, et maxime quando est talis, qualis est filiatio Dei. Profecto dulcius amoris verbum proferre non potuit, quam hoc, quum ait: « Fili ». Et admiranter subdit: « quid fecisti nobis sic? ».

427. Secundus est sapor doloris seu amaritudinis summae, quem explicat pia mater, quum subdit: « Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Et quia sanctissimus Ioseph horum duorum gustuum mirabiliter particeps fuit, ideo beata Virgo vocat eum singulariter patrem Christi. Ubi notanter advertendum, quod hic solum legitur Virginem Ioseph appellasse patrem Iesu; quia sensus doloris, quem habuit de Iesu perdito, verum in eo monstravit patris affectum. Si enim secundum humanas leges divinitus approbatas potest extraneus aliquem adoptare in filium, multo magis Dei Filius datus ipsi Ioseph in sua sanctissima sponsa sub virginalis matrimonii admirabili Sacramento debet eius filius appellari, et etiam credi, quod in eo fuerit gustus paternalis amoris, atque doloris respectu dilecti Iesu ». *Haec S. Bernardinus.*

428. Pulcherrima piissimaque sunt quae de hac re scribit Isolanus, p. 2. c. 14, qui ait: « Magnum et admirabile sacramentum, Lucas

Digitized by Google

evangelista describens amissionis et inventionis pueri Iesu in templo, paribus laudum generibus Deum affecisse, Ioseph et Virginem beatissimam, exploratum reddit quam clarissime.

Est autem primum genus. Communis parentibus dignitas.

Secundum. Eiusdem nescientiae paritas.

Tertium genus est. Similis laboris anxietas.

Quartum est. Unius termini hilaritas.

Quintum. Eiusdem responsi honorabilitas.

Sextum est genus laudis. Unius itineris iucunditas.

Septimum est paris obedientiae sublimitas...

429. Iesu enim *parentum communis dignitas* ter repetitur: cum Evangelista ait. Ascendentibus parentibus eius Hierosolymam. Et iterum: Et non cognoverunt parentes eius. Et item: Ego et pater tuus dolentes, quaerebamus te.

430. Verum *eiusdem nescientiae paritas*, attribuitur Ioseph ac beatissimae Virgini, cum dicitur: Et non cognoverunt parentes eius. Nescierunt ergo Ioseph ac Maria Hierosolymis remansisse Iesum. Nescierunt pariter illum esse in comitatu, vel non fuisse: sed quod non erat utrique arbitrati sunt: Maria opinante, quod in comitatu virorum cum Ioseph esset: Ioseph vero existimante quod in mulierum caterva cum Maria matre foret Neque haec nescientia crimini ascribenda est, quippe quae neque incuriae defectu, neque negligentiae, neque imprudentiae evenit...

431. Tertium laudis genus est, *similis laboris anxietas*: dicente Evangelista: Requirebant eum inter cognatos et notos. Et non invenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum, invenerunt illum in templo. Et paulo inferius diva mater communis doloris exprimens anxietatem, dixit: Ecce pater tuus et ego dolentes, quaerebamus te. Par labor, par dolor, par sollicitudo a simili fluxerunt charitate.

432. Quartum genus laudis est, *unius termini hilaritas*. Diverso namque itinere uno vero affectu Iesum perquirentes, illum pariter invenere. Inde Evangelista ait: Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum. Qui pariter Iesum quaerunt, ac pariter inveniunt, pari laude digni existunt...

433. Quintum genus paris laudis est, *eiusdem responsi honorabilitas*. Quid est, inquit, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his quae patris mei sunt, oportet me esse. Hac responsione Ioseph et Virginem, communi parentis dignitate, Iesus veneratur. Et quid est, inquit, quod me quaerebatis, o pater meus et mater mea? Hic locus est singularis, ubi Christum semper parentis nomine prosecutum fuisse Sanctum Ioseph suspicamur. At morem hunc loquendi Christi, expressius innuit Virgo beatissima, cum ait: Ecce pater tuus et ego. Illa virum, Ioseph vocabat: Iesus vero patrem. Coniugis nomen, familiare Virgini erat: Christo vero parentis, vox assidua. Quare familiaris elocutionis Christi, consuetudinem virgo secuta, dixit. Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.

434. Sequitur sextum genus laudis quod dicitur, *unius itineris iucunditas*. Et descendit, ait Evangelista, cum eis et venit Nazareth. Cogita, invento gaudii auctore, invento puero coelesti, invento Deo ipso, quibus gaudiis, qua mentis iucunditate, quibusque verbis laetabantur, exultabant, gestiebant, ambulantes et domum redeuntes. Virgo pueri dextram tenebat, Ioseph sinistram, quasi pavidi, ne illum denuo amitterent. Quod si non timentes amissionem, saltem fruentes eius praesentia, qua triduo caruerant. Et forte illis, dies unus fuit sicut mille prae doloris magnitudine.

435. Finge solem mundi huius visibilis nunquam biduo ortum aut triduo: quamobrem mortales lumen vidisse nunquam, nisi nocturnum: ceu poeta refert dicens: Impiaque aeternam timuere saecula noctem. Tertio itaque die, quales credimus hominum cogitationes, timores, suspiria, anxietates fore? Quae quaeso vota? quae lachrymae, quae voces, qui clamores, coelum ascenderent, Iesus, puer duodecim annorum, carior, iucundior, ac gratior erat divinis parentibus, sole sensibili, quem ipsius solis creatorem esse certo certius tenebant. Illo ergo amisso, quantum doluisse illos tertia praesertim die, credimus. Ubi eum viderunt, quanta affectos pariter iucunditate arbitramur. Eadem igitut erat iucunditas unius itineris, eadem exultatio, idem mentis tripudium.

436. Ultima denique laudum a nobis prositarum nunc laus est, *paris obedientiae sublimitas*. Haec maioris arguit dignitatis Sanctum fuisse Ioseph, quam ulla mortalium ingenia excogitare queant. Quis enim intelligere poterit illius maiestatem, qui Deo imperavit, cuique Deus ipse subiectus fuit? Hebetis sunt ingenii, qui Ioseph munera a Deo concessa non esse peculiaria: summam arguentia sanctitudinem, innocentiam, charitatem, gloriam? Et erat, inquit Evangelista, subditus illis...

437. Sed tanta erat horum parentum veneratio erga filium Iesum, ut altissimi fuerint ordinis actus illius obedientiae. Non eos intelligeret humanum ingenium: quia tantae charitatis expers existit. Quod si Sancto Spiritu quis ferveat, plurima percipiet, quae convenienter

Digitized by Google

exprimi verborum serie nequeunt. Fatemur angelum angelo obedire apud superos, et modum ignoramus, quia alterius existunt ordinis obedientiae illius actus a nostris. Ingenium, amor, reverentia Ioseph ac Virginis beatissimae, divinitas sola in Christo, quae eos delegerat parentes, haec nobis inexplicabilia affirmant, exclamant, sole clarius ostendunt...

438. At, cum nos balbutiendo, excelsa Dei resonare satagamus, accedat homo ingenii praestantis ac catholici animi ad cor altum: et interiora domus Christi, quam obediens Ioseph ac Virgini Matri inhabitavit puer, adolescens, ac iuvenis Iesus, ingrediatur: limina conscendat fide clarus, Christum nunc parentes alloquentem, nonnunquam in mensa positum, aliquando laborantibus suffragantem, nunc lecto iacentem, aut surgentem, deambulantem, cum parentibus sedentem, ac eos alloquentem, imaginetur. Discutiat singula nunquam immemor, ea a divino fieri supposito. Et me domum quidem tangentem adiudicabit: sed interiora nescientem exprimere. Caecos quoque aliter sentientes, non ambiget ». *Haec Isolanus.*

439. **Monitum.** — Dolores et gaudia S. Ioseph frequenti meditatione recole, et dicito: O S. Ioseph, qui Sponsae Spiritus Sancti virginalis Sponsus effici meruisti, propter dolorem et gaudium tuum in amissione et inventione Pueri Iesu, intercede pro me apud immaculatam Sponsam tuam et Reginam augustissimam Mariam, ut misereatur mei, quoniam teste Ioanne a Iesu Maria, ipsa est: « Mater divini Salomonis dulcissima, cum qua crevit ab infantia miseratio », cuiusque miserationis imitator maximus fuisti super omnes sanctos.

CAPUT XXVI.

De praecipuo Amore S. Ioseph erga Christum.

Sanctus Bernardinus, serm. de S. Ioseph, art. 2, ait: « In tribus maxime studuit, scilicet, diligenter habere Ioseph in conversatione cum Christo Iesu, ex quibus magnam perfectionem adeptus est. Nam habuit erga eum, primo reverendissimam puritatem: secundo radiosissimam fidelitatem: tertio ardentissimam charitatem, id est, apposuit omnes vires animae suae ».

441. Isolanus, p. 2. cap. 15, scribit: Amavisse Ioseph Christum Deum ea dilectione, qua nemo filium aut amicum aliquando dilexit, ratio asserere cogit, persuadent opera, interiorique spiritu illuminante, mens credit catholica, affirmat et praedicat. Deum enim omnia appetunt, ut sacri probant Theologi et quanto magis Deus cognoscitur, tanto magis diligitur. Sed Ioseph perfecte cognovit secundum statum hominis mortalis Christum verum Deum: Illum igitur ineffabili amore dilexit.

442. Amplius. Pulchritudo filii accendit amorem patris amantis. Sed Ioseph Christum speciosum prae filiis hominum, in cuius labiis erat diffusa gratia, intuebatur, amplectabatur, osculabaturque. Ergo inexcogitato amore illum dilexit.

443. Praeterea. Spes de filio in magnum virum evasuro, patris amorem auget vehementer. Sed Ioseph viva fide credebat Christum Deum verum, sperabatque iuxta angelica promissa illum futurum Salvatorem mundi. Igitur vehementissime illum dilexit.

444. Adhuc. Abraham figura fuit Ioseph, Isaac Christi. Sed Abraham praecipuo amore Isaac dilexit: ergo pariter Ioseph Christum amavit.

445. Item. Salomon a patre dilectus fuit, quem post se regem futurum noverat ac Christum figurare: ergo et Ioseph amore praecipuo Christum amavit, qui ampliora de Christo credebat.

446. Ad haec. Ioseph Christo semper deservivit, ac eius genitrici et fideliter: nulla devitans discrimina, nullosve labores effugiens: ergo amor illius in Christum praecipuus fuit. Operatur enim magna, inquit Gregorius, amor si est: et quanto maiora, maior: et eo qui ponit animam suam pro aliquo, maiorem charitatem nemo habet. Quae omnia ardentissime pro Christo egisse, Sanctum Ioseph credimus.

447. Accede vero ad cor, o fidelis, et diligentissime attende, Ioseph non minus de-

Digitized by Google

sideravisse adventum Christi, quam patres antiqui cupiverint, dicentes: Utinam dirumperes coelos et descenderes. Putas durabo, putas videbo. O si me inveniat illa nativitas. Paribus, ardore ineffabili, succensus desideriis Ioseph, cupiebat infantem Iesum videre. Qui egressus ex utero Virginis matris, visusque a Ioseph et adoratus, illius cor vulneravit, aeterni vulneris indesitura cicatrice. Hoc egisse, proculdubio docet divinae bonitatis mos: quae ad eam accedentes vulnerat et accendit.

448. Verum, ab ea hora citra, novum hominem Ioseph induisse non ambigimus. Qui prius mundus et sanctus, mundior deinceps fuit et sanctior. Infantem Iesum, o quoties Ioseph brachiis gestabat, eius amore languens. O quoties iam loquenti Iesu et rationem ostendenti, dixit Ioseph: Quid a me petis, o fili mi: O Deus immortalis, annue, iube, impera, quia quem patrem putari mandas, servum tuum se esse gestit et gloriatur. Quis te non diliget pulcherrimum, sapientissimum, fortissimum, potentissimum, amantissimum? Tu enim es verus Deus. Tu sapientia patris. Tu splendor gloriae. Tu salus humani generis. Te adoro, o fili mi. Te amo, et a te amari opto. Suscipe famulatum, quem tibi et tuae sanctissimae genitrici exhibere satago. Ubi ego mortalis et infirmus defecero, tu annuere digneris. O dulce solatium. O fons amoris, liquefacta est in te anima mea, prae tui amoris dulcedine.

449. Talibus vehementissimi amoris verbis resonabat vox Iesu suavissima, faciesque laetior eius videbatur. Quocirca praecipuo et inexcogitato amore, Christum amavisse ambigendum minime est. Da Christum Iesum Dominum amantem, da illum desiderantem. Et haec omnia luce clariora esse asseverabit, probatione non egentia: sed dulcis amantis meditatione. *Haec Isolanus.*

450. Denique Iustinus Miechoviensis. Lit. Laur. disc. 117. amorem S. Ioseph erga Christum similem dicens amori SS. Deiparae, ait: Deipara Virgo magna charitate erga Deum et proximum flagrabat, ut discursu XCVI fuse probatum est, Ioseph similiter erga Deum magna charitate ardebat, cui affectum paternum in ministerio exhibebat, ut discursu sequenti palam fiet. Amor Dei Virginis erga proximum in hoc maxime enituit, ut discursu supra citato recoluimus, quod pro redemptione generis humani Iesum filium suum genuit, et mundo exhibuit. Ioseph quoque amoris huius haud expers fuit, nam Salvatorem generis humani fideliter custodivit, educavit, enutrivit, et sic quodammodo salutis nostrae cooperator fuit. Tota Trinitas redemptionem nostram operata est: Pater Filium mittendo, Filius carnem assumendo, Spiritus Sanctus eum in utero Virginis formando. Tota quoque Trinitas in hoc venerando et admirando Mariae cum Ioseph matrimonio, videlicet Iesus, Maria, Ioseph, salutem nostram operata est. Iesus Filius Dei carnem nostram assumpsit: Maria carnem suam ei subministravit: Ioseph carnem subministratam, et assumptam fovit, nutrivit et educavit. Quis igitur neget Iosephum in redemptione generis humani Christo et Mariae cooperatum fuisse?

451. Isaias divinus vates de incarnatione loquens, cap. XL, 13, querit: « Quis adiuvit spiritum Domini? » Nullus. Ausim dicere, Iosephum nutriendo et educando Christum extitisse in reparatione generis humani eius coadiutorem. Ille enim pretiosus sanguis, quem Christus pro reparatione generis humani in ara crucis effudit, et Deo Patri obtulit, alimento sudore vultus S. Ioseph comparato acquisitus fuit, proinde S. Ioseph auctori salutis nostrae materiam ad conficiendum pretium pro redemptione nostra suppeditavit: consequenter salutis nostrae auctor quodammodo extitit. *Haec Miechoviensis.*

452. **Monitum.** — Ut sim servus Christi, servitutem appeto SS. Genitricis; ut sim servus SS. Genitricis, servitutem appeto S. Ioseph. O Ioseph sanctissime, doce me Iesum et Mariam ardentissimo cordis affectu diligere, non verbo tantum, sed opere et veritate; fac me virtutum tuarum imitatorem ac laudatorem assiduum.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Benedictionibus in universali ac diei Sabbati S. Ioseph concessis

QUONIAM beatissimo Ioseph benedictionem omnem gentium plenissime dedit Dominus, post B. V. Mariam; benedictiones, dona, et sanctitatis munera sive in Veteri sive in Novo Testamento patriarchis, prophetis, apostolis aliisque servis Dei collata prae oculis habenda sunt, quando agitur de dignitate et sanctitate eiusdem S. Ioseph. Et quidem merito dixit Carthagena, lib. 4. hom. 9: « Quanto magis coelestia contemplor charismata, quibus eximia Christi Domini magnificentia legitimum Genitricis suae Sponsum, legalemque suum patrem, Iosephum locupletavit, tanto in maiorem admirationem rapior, vehementiusque in eam propendeo sententiam, ut illum, Deipara Maria excepta, cunctis coelicolis praeponendum pie, et religiose censeam ».

454. Rite etiam Cardinalis Petrus de Alliaco, in suo de S. Ioseph celebri tractatu, ita exorditur: « Si colligimus in unum, quae sparsim de S. Ioseph evangelica scriptura commemorat, inveniemus profecto eum multis privilegiis magnisque laudum praeconiis commendatum ».

455. Isolanus, p. 3. prooem., Angelicum citat, et ait: Benedictio Dei significat, donorum eius collationem et multiplicationem. Quocirca aliud est benedicere Dei: aliud benedicere Deo: aliud benedicere Deum. Est etenim benedicere Dei, bonum in rebus creatis producere sive bonas res ad esse deducere. Benedicere Deum, est bonum operari et in eius exerceri iustificationibus. Benedicere vero Deo, est confiteri laudes eius. Bonum, inquit propheta, est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime. Hominis itaque benedictio donorum Dei est ac maiestatis cognitio. Dei immortalis multiplices variaeque benedictiones, apud sacros leguntur codices, quibus veteris ac novi instrumenti patres percelluere: quas pariter unus Ioseph beatissimus possedit animus; ut Reginae coelorum sponsus esset, ac Filii Dei pater non incelebris putaretur Aperto igitur benedictionum thesauro magis magisque Ioseph sanctitudinis altissimam dignitatem, demirabimur, laudibus efferemus ac totius imperii militantis ecclesiae finibus, exploratam reddere satagemus, laudantes nomen Domini. Sed iam sacri huius instituti limites ingrediamur.

456. Et cap. 1 addit: Benedictiones singulas in sacris litteris expressas ambigendum minime, Ioseph a Deo fuisse coelitus datas, si finem Sanctarum scripturarum, si mores eiusdem sanctissimos, si singula quoque eius coelestia munera quam attentissime consideraverimus. Finis sanctarum litterarum, Christus est, dicente Domino: De me enim illi scripserunt. Excellentia morum per similitudinem ad eundem Christum est. Dona quoque hominum praeclaram sortiuntur dignitatem a fine, qui est vita aeterna. Scrutemur itaque scripturas, et ante mentis oculum quascumque benedictiones ponamus: et nobis exploratum fiet, Sanctum Ioseph ubere omnium fructus percepisse.

457. Benedixit autem Deus diei septimo: quia requievit in eo ab omni opere, quod patrarat. O quoties, Iesu, maxime in gremio Ioseph quievisti, eius collum tuis tenens brachiis, illius haerens pectori ac humeris. Quievit igitur Deus in Ioseph corporaliter. Quievit spiritu per donum gratiae gratum facientis. Quievit fiducia, desponsans ei matrem. Quievit cura, vocans illum patrem. Quievit laetitia, laboribus eius vivens. Vere Ioseph, magnus est dies ille sabbati, in quo quievit Deus gloriosus ab omni opere quod patrarat.

458. Verum, cum ex traditis in fide argumentari studeamus, ad comprobandam dignitatem Ioseph, cognoscant se ridiculos fore et ingenio debiles, qui talia in divinis litteris non contemplantur. Et haec studiosis dixerim. Nam loquentes imperiti non magnipendendi sunt, ne sagittae parvulorum fiant plagae nostrae Iamque igitur patrum veteris instrumenti benedictiones referamus: dona Ioseph, voce personantes coelesti ». *Haec Isolanus.*

459. Unde merito dicendum cum S. Bernardino, serm. de S. Ioseph, a. 2: « Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna

Digitized by Google

facta est; sic profecto post eam huic debet gratiam, et reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit ».

460. **Monitum.** — Cum Patribus Conc. Prov. Valentini, ita laudemus Sponsum B. V. Mariae: « Beato Ioseph, dignissimo Dei Genitricis Sponso, Iesu Christi Domini nostri Nutricio, praestantissimo Ecclesiae Catholicae Patrono, benedictio, laus et gloria. Amen, amen. Ioseph celebrent agmina coelitum, Ioseph cuncti resonent christianum chori. Sancte Ioseph, adesto Christi Vicario, Ecclesiam defende, ora pro nobis ».

CAPUT XXVIII.

De Patriarchis in genere, et de SS. Ioachim et Anna, relate ad S. Ioseph.

Antequam agamus de specialibus benedictionibus et personis antiquorum Patriarcharum eorumque relatione vel comparatione cum S. Ioseph, liceat nonnulla praemittere de ipsis Patriarchis in genere, in ordine ad eumdem S. Ioseph. Et in primis affirmandum, omnibus Patriarchis dignitate et donis maiorem esse S. Ioseph, ratione sanguinis, officii et sanctitatis.

462. Benedictus XIV, dum esset Fidei Promotor, in discursu de nomine S. Ioseph reponendo in Litan. maioribus, ait: « Quod autem S. Ioseph dici valeat patriarcha comprobatur, cum patriarchae iuxta sanctos patres et antiquos recentesque scriptores fuerint illi, qui totidem familiarum protoparentes extiterunt, quibus Dei populus constat, uti late ostendit Celada de bened. patriarch. in praef. num. 2: « Cumque S. Ioseph fuerit pater putativus Christi Domini Nostri qui praedestinatorum et electorum caput est, hac de causa nomen patriarchae iure merito Sancto Ioseph attribuitur et hoc eodem nomine ipse compellatur a plerisque scriptoribus hic inutiliter non congerendis ».

463. Nam omnino dicendum cum Carthagena, lib. 4. hom. 9: « Quod, si ad priscos tam legis naturae, quam scriptae patriarchas mentis aciem convertimus, longe illis nostrum Iosephum feliciorem iudicabimus. Fateor, illos Christo consanguineitate fuisse coniunctos; sed Ioseph coniunctior multo, cum propinquior sanguine esset illius Genitrici. Patres illi Christum Dominum videre desiderarunt, sed solam eius umbram aspexerunt; « Omnia in figuris contigebant eis », ait Paulus (1. Cor. x). Unde cum Christus dixit (Ioan. VIII): « Abraham exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est » de visione prophetica locutus est, qua adventum Christi a longe praedoravit ».

464 De qua re scribit Iamar, Theol. S. Iosephi, c. 12. a. 1: « Inter progenitores Christi numerantur omnes illi quos recensent Evangelistae (Matth. 1, Luc. III), ab Adamo usque ad Abrahamum, et ab Abrahamo usque ad Sanctum Iosephum. Adeo ut quaestio sit: utrum Sanctus Ioseph sit maior omnibus patriarchis ab initio mundi usque ad ipsum... Circa quod dicendum est sanctissimum Iosephum fuisse maiorem omnibus his progenitoribus Christi. Ostenditur, imprimis, argumento sancti Thomae (Summ. 2-2, quaest. 26, art. 7 et 8), quod saepius proponit: quia ille censetur maior apud Christum, Deum Hominem, et magis diligi ab ipso, qui est illi magis et proximius coniunctus quam omnes progenitores... »

465 Et addit: « Qui magis a Deo amatur, ille censetur coram Deo maior, quia amor Dei est effectivus, reddens eum quem amat meliorem. Sed Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus Christi fuit amatus, quippe qui longe plures affectus amoris expertus est quam parentes Mariae. Etenim, per annos non pauciores quam triginta cum Iesu intime vixit, et deinde in Iesu et Mariae manibus vitam et oculos clausit. Aliunde, ut docet sanctus Thomas (Summ. part. I., quaest. 57, art. 5), filius praecipue amare

Digitized by Google

debet patrem. Fuit ergo Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus a Christo dilectus, et vi consequentiae, maior illis existit ».

466. Rem multum illustrat Seldmayr, Scholast. Mariana, p. 2. q. 1. a. 15, dicens: « Sanctus Ioseph fuit maior quam omnes progenitores Christi. Ita Iacobus Reiss, in sua Iosephina, elog. 68; et probatur primo ex scala Iacob Gen. XXVIII, 12 et seq. visa, ubi per scalam, cui Dominus innixus est, intelligunt interpretes progenitores Christi ab evangelistis recensitos, et quia evangelistae integram seriem totius genealogiae in Iosepho finiunt, et claudunt, ideo hunc pro praecipuo in tota illa serie habent, quia Dominus huic finaliter innixus est tamquam fundamento totius progenituraе.

467. Probatur secundo argumento sancti Thomae, quod 2-2, quaest. 26, a. 7 et 8, et alibi saepius proponit, quia ille censetur maior apud Christum Deum hominem, et magis diligi ab ipso, qui est illi magis, et proximius coniunctus, quam omnes progenitores: atqui Sanctus Ioseph est illi magis et proximius coniunctus, quam omnes progenitores; ergo etiam maior est apud ipsum, et magis ab ipso diligitur. Min. prob.: Progenitores Christi, uti sunt proavi, et atavi, avus, et avia, nempe Ioachim et Anna, tantum mediate coniuncti sunt Christo mediante nempe Sancta Dei Genitrice: e contra Sanctus Ioseph, ut recte Suarez tom. II, in III p., disp. 8, sect. 1, docet, est immediate coniunctus Christo tanquam verus et proprius pater eius secundum iura matrimonii, quia ipse ius verum habet in corpus Virginis, et quamvis miraculose ex hoc virgineo corpore natus sit Christus, tamen ipsi tanquam verus matrimonialis filius nullo alio mediante patre fit proprius: cuius exemplum est in fructu alio, qui in fundo tuo miraculose producitur; iste enim tuus immediate esse censetur: ergo quia Sanctus Ioseph dominus est virginei corporis, et ei prodigiose quidem sed legitime nascitur Christus, ideo iste proxime Iosephi esse censetur, et sic immediate ei est coniunctus.

468 Probatur tertio: Qui magis a Deo amatur, censetur coram Deo maior, quia amor Dei est effectivus reddens eum, quem amat, meliorem; atqui Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus Christi fuit amatus, ergo etiam maior est ipsis coram Deo. Min. prob.: Sanctus Iosephus longe plures affectus amoris expertus est, quam parentes Mariae, quia per annos non pauciores quam triginta cum Iesu vixit et deinde in Iesu et Mariae manus vitam. et oculos clausit; et aliunde, ut Sanctus Thomas docet loc proxime cit., filius praecipue amare debet patrem; ergo Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus Christi fuit a Deo homine dilectus...

469. Obiicies secundo: Parentes Mariae Virginis Ioachim et Anna genuerunt et educaverunt affectu maximo Mariam filiam suam, ei nomen imposuere a Spiritu Sancto desígnatum, et vitam duxerunt omni ex parte sanctissimam: ergo maiores sunt, vel saltem pares Iosepho.

470. Respondeo, Iesum Christum infinities maiorem esse Maria Virgine Matre eius, et hunc Iosephum educavit, et simul vir fuit Mariae, de quo dicit Scriptura Gen. II, 24: « Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae »; ergo magis coniunctus est Sanctus Iosephus Sponsae suae Mariae, quam eius parentes coniunctione quae est ex praecepto divino in ordine ad individuam vitae societatem, et augmentum sanctitatis ex ea capiendum; habuit enim Sanctus Ioseph ex conversatione tot annorum cum Iesu et Maria occasiones ad sanctitatem suam perficiendam millies et innumerabiliter plures, quam Beatae Virginis parentes, et quia dici non potest quod eas neglexerit ideo ex his argumentum satis evidens est, quod Sanctus Ioseph in suo ufficio et sanctitate vitae fuerit antegressus progenitores Beatae Virginis, et Christi Domini. *Haec Seldmayr.*

471. **Monitum.** — Dicamus tanto Patriarchae: O S. Ioseph, Patriarcharum princeps gloriosissime, qui divinae legis observator fidelissimus, divinae voluntatis minister diligentissimus, divinae sapientiae discipulus studiosissimus semper fuisti, fac me imitatorem tui et B. M. V. Sponsae tuae, quae merito dicta est a Richardo a S. Laurentio: Mater sapientiae, quae est Filius Dei, in lege Filii misericorditer instruens servos suos.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Benedictionibus primi parentis S. Ioseph concessis.

B. V. Maria merito dicta est a Georgio Nicomediensi, Benedictio humani generis, Benedictio suorum parentum. et a S. Damasceno, Benedictio mundi; quae quidem encomia secundario conveniunt et S. Ioseph, cui commissus est auctor, dator, thesaurus omnium benedictionum Christus Iesus, et distributrix maxima omnium benedictionum superbenedicta Virgo Deipara.

473. Unde recte dixit Isolanus, p. 3. cap. 2: Scribitur Geneseos capite secundo, Deum primis parentibus in haec verba benedixisse: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli et universis animantibus quae sunt super terram, Triplex vero donum in hac benedictione designatur; foecunditatis, subiectionis et dominationis: quae iuxta sensum allegoricum, praeclarissime in Ioseph micuerunt. Exponunt nempe doctores per terram beatam Virginem: ergo per Adam intelligi Ioseph, non absurde poterit.

474. Hic nempe virgo, sponsae Virginis ante et post partum foecunditate gavisus est, ac eius fructu, cuius odor coelum laetificavit, universae opprobrium abstulit sterilitatis, et foecundis dignam operibus gloriam attulit. Eamdem terram, id est beatam Virginem, subiectam habuit: quia vera coniux fuit illius eidemque praefuit, quae Domina Angelorum erat. Hac Ioseph praelatione, cogitationibus dominatus est suis, quae per mundi huius aequoreas moventur procellas, praefuit affectibus instabilibus humanam consequentibus naturam, et bene sensus regens corporis, animalia veluti terrae, subiecit. Hoc principatus munere, inferum regna tenentes Ioseph superavit: angelos coeli habuit deservientes, et animantibus, id est hominibus ratione haudquaquam utentibus, sua praefuit sanctitudine.

475. Primus homo Adam de terra terrenus: secundus de coelo coelestis. Adam paradiso praefuit terrestri: Ioseph Christo Deo, per quem factus est paradisus: praefuit itidem beatissimae Virgini, quae in eodem paradiso praefigurata fuit terrestri. Adam de paradiso eiectus fuit, propter peccatum: Ioseph in dies maiora accepit, propter gratiae augmentum. Adam totius humanae scandalum fuit reipublicae: Ioseph per Iesum filium suum, ut putabatur, maculam illam abstulit, ac undecumque deformem.

476. Adam peccavit propter uxorem: propter suam Ioseph sponsam, ignotam mortalibus dignitatem et gratiam a Deo accepit. Adam mortem invenit: Ioseph Christum, qui vita est, enutrivit. Adae mulier de latere sumpta est: Ioseph coniugio mundi Regina iuncta est. Magnum Christi et ecclesiae Adam sacramentum cognovit et a longe vidit: Ioseph, non tantummodo Christum intellexit; sed etiam vidit, pavit et enutrivit: sanctae vero patronam ecclesiae sponsam habere meruit Virginem beatissimam. *Haec Isolanus.*

477. Pulchre de comparatione S. Ioseph cum primis parentibus scribit Carthagena, lib. 4. hom. 9: Ut rem tamen altius repetamus, in primis eum praefero primo nostro parenti: si enim illium constituit Deus caput omnium gentium, Iosephum certe constituit caput illius Sacrae Familiae, ubi Christum, et Mariam subditos sibi habebat: corpus capitis primi parentis genus humanum est, cuius plurima membra peccatis scatent; corpus autem mysticum, cuius caput constitutus fuit Ioseph, Iesus et Maria erat: ex huius ergo corporis excellentia coniice maiorem dignitatem capitis illius.

478. Deus olim Evam multis animi dotibus decoratam, in uxorem primo parenti tribuit: « Faciamus et adiutorium simile sibi »; at excellentiorem aliam feminam, immo omnium feminarum decus, et ornamentum, Mariam scilicet, futuram sui Filii Matrem, Iosepho in coniugem dedit; cuius dos copiosa adeo fuit, ut longe superaret ingentem illam dotem antiqui Patriarchae Iosephi sponsae datam; nam si illa, ut tradit Sixtus Senensis (lib. 2. Bibl.), secum in dotem tulit centum millia talenta auri, quibus, iuxta veriorem computationem, respondent sex ducatorum, aut scutorum milliones; Beata tamen Virgo non caduca auri, et argenti bona, sed coelestia gratiae munera et

Digitized by Google

virtutum pretiosissimas margaritas in dotem tulit, quarum omnium vir eius Ioseph mirum in modum particeps fuit.

479. Si etiam Adamo potestatem concessit Altissimus, ut animantibus nomina imponeret; sane auctoritas, quam Iosepho contulit imponendi nomen « Iesu » Filio suo, « vocabis nomen eius Iesum », longo intervallo potestatem illam antecellit.

480. Idem Carthagena, lib. 18, hom. magna et ultima, addit: « Quid pluta? illud celsissimae dignitatis Sponsi Deiparae excellentiam mirum in modum commendat, quod si, cum Adam et Eva matrimonium iam copulati, communis perditionis, et iacturae humani generis, antiquo serpente suadente, principium et origo extitere; ita Maria et Ioseph vero matrimonio coniuncti, tamquam aptissima Dei instrumenta, reparationi antiquae illius ruinae totius generis humani primordia exhibuere. Unde verba illa (Ps. XVIII): « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam »; iuxta explicationem D. Thom. ita quidem interpretari licet: « Dies, i. e. Gabriel, eructat verbum diei, i. e. Virgini », Verbum divinum in ea incarnandum ei praenuncians; « nox noctem, id est, diabolus, indicat scientiam noctis i e. Evae », quam ipse fraudulenter obscuravit, dicens: « Eritis sicut Dei, scientes bonum et malum ».

481. Deinde sicut tunc serpens prius mulierem seduxit, et postea virum, ut legimus (Gen. III): « Comedit, deditque viro suo, qui comedit », sic similiter angelus prius Virgini incarnationis mysterium manifestavit: « Concipies in utero, et paries filium »; postmodum vero Divo Iosepho, dicens: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Ac tandem sicut Adam et Eva mortem peccati in posteros omnes transfuderant, ita Maria et Ioseph vitam in universum orbem terrarum intulerunt, illa concipiendo et pariendo auctorem vitae Christum Dominum, hic vero eumdem infantem nutriendo, fovendo et ab Herodis tyrannide liberando. *Haec Carthagena.*

482. **Monitum.** — Abiiciamus opera tenebrarum et induamus arma lucis, dicamusque sanctissimo omnium Patriarcharum Principi: O S. Ioseph, ora dulcissimum Iesum tuum, ut exuat me veterem hominem cum moribus et actibus suis, et induat me novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

CAPUT XXX.

De benedictione Noe S. Ioseph concessa.

MULTA dicenda forent de virtute et benedictione Noe cum S. Ioseph comparati, sed sufficiunt quae pulchre pieque tradit Isolanus, p. 3. cap. 3, ubi scribit: Benedixit quoque Deus Noe, ceu legitur Genesis nono: et filiis eius et dixit ad eos: « Crescite et multiplicamini et replete terram ». Ac pleraque similia benedictioni Adae et Evae. Verum ibidem duo addita sunt, ieiune haud a nobis pertranseunda. Primum est, cum ait Dominus: « Quasi olera viventia, tradidi vobis omnia: excepto quod carnem cum sanguine non comedetis ». Terra Virgo est beatissima. Terra quoque sacra Scriptura, in qua vitam conservantia oriuntur. Tradidit profecto Deus, iuxta sensus allegorici interpretationem, spiritualia bona Sancto Ioseph Deus: excepto quod carnem Christi Iesu cum sanguine non comedit, ut nunc fit in ecclesia.

484. Corpus enim Christi quod brachiis gestavit, nunquam ore deglutivit, neque sanguinem bibit. Nam ante institutionem sacramenti altaris, obiit divus Ioseph. At cetera animalia sano comedit palato. Prophetas enim intellexit, psalmos penetravit, aenigmata patriarcharum non ignoravit, Sancto Spiritu, beata Virgine, ipso quoque Christo maximo interpretantibus. O quoties Ioseph, sive domi, sive in itinere, beatissima Virgo carnes decoxit prophetarum ac suo manducanda sponso proposuit, cum eorum dicta, proprio interpretata est spiritu. Carnem vero non comedit cum sanguine, Deo sic volente, qui Ioseph legalia observare voluit.

485. Secundum est, cum dixit Dominus: Hoc est signum foederis quod do inter me et vos. Arcum meum ponam in nubibus coeli, et erit signum inter me et terram.

Digitized by Google

Cumque obduxero coelum nubibus, apparebit arcus meus in nubibus. Et recordabor foederis mei, quod pepigi vobiscum et cum omni anima vivente, quae carnem vegetat; et non erunt ultra aquae diluvii ad delendam universam carnem.

486. Pro clariori horum intelligentia, sensum sequendo allegoricum, memorandum Sancti Ioseph tempestate, diabolum universam cooperuisse terram, aquis ignorantiae, infidelitatis et vanitatis. Nam Romani totius fere orbis principes idolatrae erant inanissimi: Iudaei vero propter sua peccata Deo nimis ingrati comperiebantur. Quamobrem vitam degebant sub infidelium imperio, Christum tandem cruci affigentes. Erant autem pauci, ceu valde rationabile est, qui in fide divinae providentiae legem observantes naturalem, aut in fide Christi venturi degentes sub lege Moysi salvari meruerunt. Hi assimilabantur Noe, qui continue, ut ait Iosephus, Dominum rogabat, ne ultra disperderet aquis diluvii omnem terram. Rogabant, siquidem et praestolabantur adventum Domini in carne: iuxta illud prophetae: Utinam disrumperes coelos et descenderes.

487. Secundo animadvertendum iridem Christum significare: veluti docet singulariter sanctus Thomas in quolibeto tertio q. 14. ar. primo. Nubes vero divinas apud litteras, indicare sanctos nemo ambigit. Licet enim sint terrestres corpore, mente tamen sunt a terrenis elevati, ardoremque terrenorum, suis moribus, verbis et scriptis, temperant. Terrenis quoque dant hominibus virtutem germinandi. Quibus nubes aptissime signare sanctos, declaratur.

488. Quis ita caecus et minus perspicax invenitur, qui praedictis animadversis, non videat in Sancto Ioseph, huius donum benedictionis Noe magis magisque claruisse. Nubes fuere tempore suo, beatissima Virgo et Ioseph, suaque excellentia ceteris elevatiores nubibus, in quibus Christus Iris, positus fuit. Quo viso, diluvium amplius universale timendum non est: ipso dicente: Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem saeculi. Divus igitur Ioseph, donum benedictionis Noe consecutus est.

489. Ne vero titubes, o lector, in his; et ut incredulus supremae dignitatis Sancti Ioseph altitudinem sine velamine contingas: reminiscere, communi doctorum sententia, arcam Noe, beatam significare Virginem. Igitur Ioseph, pariter Noe, figura fuit. Cumque figuratum, ampliori dono, vigeat quam figura, ut sic, ignavus et intellectus aegritudine laborans, qui a Deo benedictionem datam Noe, perfectius inveniri in Sancto Ioseph, corde minime credit ». *Haec Isolanus.*

490. **Monitum.** — Sanctissimum Sponsum B. V. Mariae in Patrem, Magistrum et Patronum eligamus, dicentes: « O S. Ioseph! Redemptoris mei Christi Iesu fidelis oeconome ac nutritie, et castissime Virginis Deiparae sponse! Ego N. N. te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me nunquam te derelicturum nec permissurum, ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris ». (Coeleste Palmetum).

CAPUT XXXI.

De benedictione Iacob S. Ioseph concessa.

CARTHAGENA, lib. 4, hom, 9, scribit: Cum autem omne datum optimum de sursum sit, descendens a Patre luminum, ut (Iacobi c. 1) verbis utar, non aliam tot donorum, ac coelestium munerum [S. Ioseph collatorum] causam quaerendam esse reor, quam liberalem, ac copiosam benedictionem, qua Iosephum Pater misericordiarum benedixit; cuius magnam foecunditatem, ut clarius agnoscamus, placet Isaac Patriarchae benedictionem, quam dedit filio suo Iacob, necnon et alias, quas ipse Iacob iam iam moribundus filiis suis impertivit, in memoriam revocare, easque Iosepho nostro adaptare.

492. Isaac quidem, ut sacra Geneseos narrat historia (Gen. XXVII), in hunc modum filio suo Iacob benedixit: « Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti, et vini, et serviant tibi populi, et adorent te tribus ». Huius bene-

Digitized by Google

dictionis quis non videat altius, et sublimius participem fuisse Iosephum, cum loco materialis roris, qui facile evanescit, ei datus fuerit in custodiam ros ille incorruptibilis, quem antiqui Patres desiderantes clamabant (Isai. XLV) : « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum » ; loco autem pinguis terrae, frumentum, et vinum producentis, data fuerit ei Mariana illa terra, foecunda quidem adeo, ut germinarit « Frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? » (Zach. IX). *Haec Carthagena.*

493. Isolanus, p. 3, cap. 4, haec habet : « Isaac benedixisse Iacob filio suo, Sancto edocente Spiritu, Genesis capite XXVII, in haec verba legitur : « Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae abundantiam frumenti vini et olei, et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur ».

Haec benedictio quinque continet :
Abundantiam necessariorum,
Dignitatem bonorum,
Favorem populorum,
Amotionem malorum, et
Largitionem bonorum.

494. Pro notitia altiori primae benedictionis iuxta sensum allegoricum, memento in sacris litteris, Christum roris ac pluviae vocibus significari : psalmigrafo dicente : « Descendet sicut pluvia in vellus. Et sicut ros Hermon ». Ecclesia itidem concinit : Descendet sicut ros in uterum Virginis. Terram superius quoque meminimus, beatissimam mundi Reginam indicare : cuius pinguedo fuit humilitas in temporalibus, quam Dominus respexit. Frumentum quoque Christus est, ex quo panis in ecclesia conficitur : de quo pariter in psalmo dicitur : « A fructu frumenti et olei sui, multiplicati sunt ». Ipse idem vinum de quo scribitur : « Bibite, amici, et inebriamini, charissimi ». Adhuc ros coeli, gratia actionis, ex quibus fit frumentum fidei et vinum spei, laetificans cor. Paulo docente ad Rom. XII : « Spe gaudentes ». Oleum denique emanat charitatis. At praedictis, quaecumque corpori conducunt, intelliguntur. Exploratum vero est praefatis omnibus divinum Ioseph fuisse gavisum.

495. Considerato autem Ioseph copiam non habuisse panis, sed frumenti. Nondum enim Christus panis erat : sed frumentum Iudaeorum passionibus conterendum. Quamobrem, Christus ante passionem granum frumenti se vocavit dicens : « Amen amen dico vobis : nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. » Ioan. XII.

496. Verum secunda benedictio a nobis bonorum dignitas nuncupata, his explicatur verbis : « Serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum ». Populi sunt gentiles, tribus iudaei, fratres christiani. Praeterea populi plebes sunt iudaeorum, tribus capita, fratres patriarchae et prophetae. Qui ad fidem vocati sunt gentiles, servierunt Sancto Ioseph : per exhibitionem honorum : per largitionem munerum : per conscriptionem librorum. Iudaei pariter ac christiani, beatum adoraverunt Ioseph, ut beatissimae Virginis sponsum ac veneratorem praecipuum, ut Salvatoris patrem putativum, et ut illius enutritorem charissimum. Inter patriarchas denique ac prophetas, Ioseph habetur ut dominus, propter apertam visionem (multi enim reges et prophetae voluerunt videre, quae Ioseph vidit et non viderunt), propter summam perfectionem, ac propter praeclarissimam nominationem. Dictus enim fuit pater Dei, sponsusque fuit Reginae mundi.

497. Tertia benedictio his innuitur verbis : « Et incurventur ante te filii matris tuae. Hi proculdubio sunt Iudaei in Christum credentes, et nationes in Syria ac partibus orientalibus habitantes, qui solemniis et ingenti laetitia, festum Sancti Ioseph celebrare consueverunt. Iamque in partibus occidentis, Spiritus Sanctus seminavit, in mentibus populorum, ut singulares Sancto Ioseph exhibeant honores. Qua veneratione, multa amoveri mala a fide catholica, et pluribus affici bonis, fideles non ambigimus, meritis ac precibus Sanctissimi Ioseph. Benedicite igitur, o populi, Sancto Ioseph, ut benedictionibus repleamini.

498. Enimvero, praemissis vel leviter animadversis, quinque benedictionum Iacob excellentiam in Beato Ioseph inventam fuisse, luce clarius constat. Nec quinque benedictiones sub trinario comprehensa numero, minus explicantur : sed magis magisque uniuntur ; ut communicatis radiis praeclare nimis effulgeant. *Haec Isolanus.*

499. Gersonius, serm. de Nat. B. V. consid. 4, ubi vult « convenienter aptare, quod Iacob genuit Ioseph virum Mariae », ait. « Quid enim per Iacob, qui supplantator appellatur, rectius accipitur, quam lucta et supplantatio vitiorum, quod fit in activa in qua primum contemplativum exerceri necesse est. Oportet insuper ut activus post se gignet ex se meditationem. Est autem meditatio vehemens animi applicatio ad divinum aliquod investigandum, cognoscendum, et degustandum ; quae meditatio recte per Ioseph exprimitur, quia Ioseph « crescens » interpretatur. Neque enim potest aliter anima melius excrescere spiritualibus augmentis,

Digitized by Google

quam per meditationem fortem et salubrem per quam ascendit anima de virtute in virtutem, reiecta vel superata fluxibilitate inanium cogitationum et volutabro desideriorum carnalium evacuato. Haec insuper meditatio, quia robusta est, neque fluida vel enervis, sicut est ipsa cogitatio, rectissime vir dicitur ».

500. **Monitum.** — Sanctissimus Patriarcha Ioseph merito eminenterque vocatur *alter Iacob*. post B. V. Mariam. O Maria, quae iuxta Idiotam rite dici potes: Iacob, qui interpretatur supplantator, quia simul et semel omnia vitia supplantasti; iuxta Serlonem Abbatem: Iacob, id est, luctatrix contra vitia, plusquam omnes; iuxta Barth. de Pisis: Iacob indeficiente Dei visione et contemplatione; ora pro me cum S. Ioseph, ut vitia fugiam, et Deo in magna charitate semper adhaeream.

CAPUT XXXII.

De benedictionibus singulorum filiorum Iacob S. Ioseph concessis.

ISOLANUS, p. 3, cap. 5, scribit: « Benedictiones duodecim filiorum Iacob recensitae a sacris litteris. Genesis capite XLIX, famosae sunt et virtutum proprietates, quae vere sunt benedictiones innuentes. Quamvis autem sub benedictionis titulo omnes contineantur, nonnullae tamen illarum prophetiae sunt: et potius maledictiones quam benedictiones. Vere itaque benedictiones, tantummodo prosequamur.

Benedictio Iudae.

502. Dicitur Genesis XLIX: « Iuda laudabunt te fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda. Ad praedam ascendisti, fili mi. Requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leaena; quis suscitabit eum? non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium; ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam: lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino: et dentes eius lacte candidiores ».

503. Quibus verbis, apte charitatis proprietates significantur. Charitas enim per Iudam intelligitur. Est autem charitas virtutum dignissima: propter prioritatem, quia maior: propter virtutem, quia ceteras informat, et propter utilitatem. Nam vitia opprimit, sensualitatem extinguit, daemones vincit, Christo iungit et sanctae matris ecclesiae membris vivis ac veris unit: quae omnia magnifico sensu, in praefata benedictione, si attentius meditabere, contineri invenies. Cumque charitas Sanctissimi Ioseph magna fuerit, uberes quoque benedictionis huius proprietates in eo radiarunt. Adde iuxta sensum litteralem sententiae illius benedictionis, ceteris benedictionem praeclariorem, esse Christi venturi nativitatem: cuius fructum nemo de tribu Iudae copiosiorem, iucundiorem, ac dulciorem accepit, quam Ioseph. Benedictio igitur Iudae in Ioseph sublimior ac foecundior invenitur.

504. Carthagena, lib. 4. hom. 9 addit: Venio ad benedictiones, quas ipse Iacob natis suis impertivit. Ad Iudam dixit, non esse auferendum sceptrum de Iuda, et ducem de femore eius: quod sane in domo Iosephi impletum fuit, cum de ventre Sponsae illius Christus Dominus, christiani populi dux, egressus fuerit in salutem populi sui. « Lavavit », inquit deinde (Gen. XLIX), « in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum »; id etiam singulari modo contigit Iosepho, qui infanti Iesu sanguinem in circumcisione effundenti compatiens, lacrymarum profluvio animam suam inundavit.

Benedictio Zabulon.

505. Isolanus, ibidem: Sequitur Zabulon: per quem, ut exponit Magister de sancto amore, significatur zelus animarum: cuius sunt proprietates: peccantes odire, Deum

Digitized by Google

placare, mala patienter tolerare, inter malos blande vivere: a Deo interiorem illuminationem, ac dona spiritualia suscipere: quae omnia significari mystice intelliges, cum a Iacob dicitur: « In littore maris habitabit », et reliqua. In Ioseph vero innocentissimo, Christi hostiae totius mundi enutritore etiam inter persecutiones, quem angeli admonere non cessabant in necessariis, munere praeclarissime huius benedictionis donatum fuisse, nemini locus superest dubitandi.

506. Carthagena, ibidem: Zabuloni « insuper dixit, habitaturum in littore maris, et in statione navium perventurum usque ad Sidonem: Mariam sponsam Iosephi, « Mare » interpretari docet Divus Hieronymus (de nom. Hebr.): iuxta hoc ergo mare, in quod confluxerant omnium gratiarum flumina, per triginta annos habitavit Ioseph, et in consortio illius tandem ad mortem pervenit, per Sidonem « insidias » significantem apte praenotatam; cum nusquam daemon maiores, quam in hora mortis illas paret.

Benedictio Issachar.

507. Isolanus, ibidem: Alius filius Iacob fuit Issachar: per quem ut glossa ait, internum gaudium designatur. Huius benedictio altius speculata, proprietates eiusce gaudii interioris exprimit.

Prima est: quoniam gaudium interius falsam excludit delectationem.

Secunda, vanam perturbationem elidit.

Tertia, est merces laborum.

Quarta, mentem stabilitat.

Quinta, animum roborat.

Sexta, hominem humiliat.

Septima, animum in suspendium elevat.

Octava, terram prospicit.

Nona, requiem sentit.

Decima, gloriam Deo ascribit et reddit.

508. Has proprietates distinctius enumerare libuit: quoniam, Virgine beatissima excepta, nullus mortalium tanto gradu gaudii interioris gavisum fuisse crediderim, quanto Sanctus Ioseph, propter coelestem Virginis coniugis praesentiam, propter Christi infantiam ac pueritiam, et propter singularem angelorum custodiam. Sed mens devota ad interiora, et haec meditans altiora de Sancto Ioseph semper opinabere, quam ea quae nos balbutiendo resonamus, scribendo non explicamus: sed exprimendi animum adesse ostendimus. Maxima enim mens mea de sancto Ioseph opinatur, ac certo certius credit: sed melius dispositis contemplanda relinquit, distinguenda remittit: sed explananda ad plenum minime promittit.

509. Carthagena, ibidem addit: Ad Issachar autem Iacob se convertens (Gen. XLIX): « Inter medios terminos habitaturum » dixit, et humerum suum ad portandum onera suppositurum; id quoque ad unguem, immo excellentius impletum intueor in Ioseph, qui et inter terminos veteris et novae legis vixit, et inter illos alios coelestes totius sanctitatis terminos, ac fines Iesum, et Mariam, vitam egit: nec enim excogitari potest perfectior filius, quam Iesus, nec excellentior sponsa, quam Deipara Maria. Humerum item ad gravia onera portanda Iosephum supposuisse, nemo sanae mentis ambiget, qui varia itinera ob Christi defensionem suscepta, tam profectionis in Aegyptum, quam reditus inde in Ierusalem, non ignoraverit.

Benedictio Dan.

510. Isolanus, ibidem: Sequitur benedictio Dan, his verbis explicata: « Dan iudicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel ». Glo. Per officium Dan, illecelebrosas cogitationes comprehendimus, arguimus, damnamus, castigamus. Recte enim Dan, id est iudicium, vocatus est. Consideranti vero ea quae in superioribus de altissima cogitatione Sancti Ioseph scripsimus constat, quam praeclarissime huius fructum benedictionis eum fuisse consecutum. Hic est Dan, qui in futuro iudicio, populum Israel iudicaturus est, iudicio confessionis, comparationis et approbationis. Nullus profecto patrum veteris instrumenti, maiori arguet ingratitudine tribus Israel, quam Ioseph, qui mundi salvatorem apud Iudaeos ab eo nutritum, tam crudeliter crucifixere. Ipse idem quoque cum sponsa innumeras ab Iudaeis perpessus est angustias. Recte igitur benedictio Dan sancto ascribenda est Ioseph.

511. Carthagena, ibidem: Post haec filio Dan hanc benedictionem Iacob dedit, quae haec duo praecipue continet; primum, quod faceret hostem suum cadere retro, secundum quod expectaret salutare Dei: nihil certe horum desideratur in Iosepho, cum communem humani generis hostem per matrimonium cum Beata Virgine, celata diabolo eius integritate, fefellerit, et quasi cadentem retrorsum irriserit; praeterea expectavit salutare Israel, sed aliter, quam ille cum Sponsa sua salutem, et Salvatorem mundi mox pariendum certo sciret, quod ei solum fuit concessum, qui solus meruit in Sponsum Virgini dari.

Benedictio Gad.

512. Isolanus, ibidem: Gad benedictio haec est. Gad accinctus praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum. Qui praelium ineunt adversus pietatem accincti retrorsum, merito dici possunt. Ioseph ergo iusto bello contra tyrannos adversus Dominum ac Christum assistentes, prudentiaque dimicans di-

Digitized by Google

vino consilio, alienas petens regiones atque apud exteros humilis habitans, Gad alter extitit.

513. Rursus ad filium suum Gad respiciens, hanc illi dedit beneditcionem: « Gad accinctus, praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum »: sane D. Ioseph angelico oraculo monitus, ut fugeret in Ægyptum, continuo accinxit se, et Herodem mortem infantis Iesus machinantem delusit; benedictio ergo Gad apte convenit Iosepho.

Benedictio Nephtalim.

514. Isolanus, ibidem: Sequitur benedictio Nephtalim. Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Ex glossa colligitur, quod per Nephtalim intelligitur contemplatio invisibilium per visibilia cum doctrina. Cervus enim a terra elevatus, neque terram deserens, aptissime id contemplandi genus insinuat. Considerato, post coniugem suam, primum esse Ioseph, cui in summo haec benedictio conveniat. Deus enim, homo factus cum sit, ut per hominem Deum cognoscamus, et visibilis naturae cogitatio ad invisibilia nos pertrahat, beatissimam mundi Reginam ac Ioseph huiusce benedictionis fructum consecutos fuisse, ambigendum non est: apud quos idem Deus homo factus habitavit, a quibus enutritus fuit: quosve primos, loquendi more, consolatus est.

515. O beatissime Ioseph, si cervus es, quomodo eloquia das pulchritudinis? Cervi nempe elocutionis sunt expertes. Sed eo loqueris modo, quo cervus esse describeris. Cervus es operis imitatione, eloquia vero donas contemplationis benedictione. Dies es profecto, nobis eructans verba pulchritudinis. Quam pulchra eloquia tua sunt, o beate pater: quia apud te loqui didicit ille de quo scriptum est: Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum. Ille, inquam, qui linguas infantium facit disertas, in tuis residens brachiis, tuoque haerens pectori, loqui caepit. Quocirca Nephtalim merito dici potes, dans eloquia pulchritudinis.

516. Carthagena, ibidem: Ad Nephtalim deinde verba faciens, in hunc modum benedixit (Gen. XLIX): « Nephtali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis ». Si solent parentes, et nutritii infantibus dulcia verba loqui, persaepe repetentes: mi rex, mi princeps; id non semel Iosephum factitasse crediderim, mellifluis verbis Iesum infantem demulcendo, at non falso, sed veracissime ei dicebat: mi princeps, mi rex, cum revera Rex esset regum; et Dominus dominantium.

Benedictio Aser.

517. Carthagena addit: Iam ad Aser Iacob sermonem dirigens, inquit (Gen. XLIX): « Aser, pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus » certe cum pane Ioseph nullus quantuncumque pretiosissimus panis valet comparari: Maria fuit, « quae quasi navis institoris de longe portans panem suum » (Proverb. XXXI), coelestem illum panem nobis praestitit, qui dixit (Ioan. VI): « Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi »: hic panis datus fuit Iosepho, ut custodiret illum filiis, non canibus: quia, ut Veritas ipsa dixit (Matth. XV): « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus »: unde, cum rabidus ille canis Herodes hunc panem devorare concupisceret, Ioseph abscondit illum ab eo, et in longinquam Ægypti regionem transportavit.

518. Isolanus, ibidem: At nunc dicendum est de benedictione Aser, quae talibus explicatur verbis: « Aser pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus ». Aser interpretatur atrium. Panis Christus est, ipso dicente: « Ego sum panis vivus »: de quo pariter dicitur psalmo XLIV: « Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis ». Quocirca apte nimis huius benedictionis dignitas, Sancto convenit Ioseph. Atrium enim fuit Virginis beatissimae: cuius maiestatem porta templi speciosa designat. Christus itidem nunc pinguis panis, delicias praebet regibus. Inde glossa inquit: O qualis panis eius. O quales deliciae eius: quae tantum sapiunt regibus talibus. Certe reges isti iam ad nuptias introierunt, iam ad illud aeternum convivium sedent; iamque illo pane angelorum in deliciis aeternis, vescuntur; iam torrente voluptatis inebriantur, et adhuc Aser delicias insatiabiliter esuriunt. Haec glossa. Pulchre igitur Aser benedictio, Sancto Ioseph convenit.

Benedictio Ioseph filii Iacob.

519. Sufficiunt quae alibi de hoc Patriarcha dicuntur, sub multiplici respectu ad S. Ioseph Sponsum B. M. V.

Benedictio Beniamin.

520. Isolanus ibidem: Quapropter de benedictione Beniamin ultimo agendum est, his verbis explicita: « Beniamin lupus rapax mane comedet praedam, et vespere dividet spolia ». Haec benedictio tria continet. Primum est, a culpa, perditorum omnium ereptio. Secundum in gratia, de ereptione congratulatio. Tertium in gloria, omnium et singulorum congratulatio. Haec vero tria, cum effecta sint per Christi virtutem: eorum fructus quoque specialiter Sancto debetur

Digitized by Google

Ioseph: quia illius putatus est genitor: quia illius assiduus enutritor: quia eius et ab ipso factorum praecipuus amator et venerator. His itaque apertum sit, vere benedictiones filiorum Iacob divo Ioseph convenire.

521. Fient autem haec manifestiora sublimius contemplanti: quoniam Christus est a patriarchis praefiguratus, in eorum gestis signatus, atque ab omni littera sacrae Scripturae contectus. Quam ubi velamine exueris, intuebere filium Beatissimae Virginis ac Ioseph, ut putabatur. Ideo eadem littera exprimitur, Deo volente, qui litteram fecit, et super viros mundi quosque Sanctum sibi coniunxit Ioseph. *Haec Isolanus.*

522. **Monitum** — Benedictiones benedicti et Sanctissimi Ioseph imploremus dicentes: O S. Ioseph, dignare me servulum et clientem tuum uberrimis benedictionibus benedicere, et totum Iesu et Mariae dicare et donare.

CAPUT XXXIII.

De benedictionibus Balaam S. Ioseph concessis.

QUIA pulcherrime de hac re agit Isolanus, integrum capitulum ex illo transcribimus. Ait enim: Legitur Numeri capitibus vigesimotertio et quarto, Balach regem Moabitarum evocasse per nuntios Balaam; ut malediceret populo Israeli, contra se pugnaturo. Qui spiritu Dei actus quater non maledixit: sed eidem benedixit. Prima vero benedictio statum praesentem populi Israelis tunc respiciebat. Secunda praeteritum. Tertia futurum. At quarta magis causam benedictionum expressit, quam benedictionem novam.

Prima benedictio Balaam.

524. Prima itaque his exprimitur verbis, Numeri XXIII: « De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo eum. Populus solus qui habitavit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Iacob et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum; et fiant novissima mea, horum similia ». Haec benedictio felicem vitam viri perfectissimi, sensu explanat mystico. Cuius sunt quinque conditiones.

525. Prima est conversationis altitudo. Et haec est duplex vel imitatione angelorum: unde ait de summis silicibus, vel exemplo sanctorum hominum, qui collium nomine a divinis vocari litteris consuevere. Haec autem conversatio roboratur et perficitur contemplatione Dei. Quare sequitur: considerabo eum.

526. Secunda conditio est a malis separatio, sive daemones sint sive homines. Haec ponitur ibi, populus solus.

527. Tertia conditio vitae perfectissimae est, actionum perfectio, sive interiores sint, sive exteriores. Actiones enim exteriores semper sunt turbulentae pulvere terrenorum: iusta illud Salvatoris: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima ». Interior vero clara et una plures parit: iusta illud psalmi: « Dies diei eructat verbum ». Haec vero per nomen Israelis rectius signatur, exterior vero per Iacob. Inde dicitur: « Quis dinumerare possit pulverem Iacob et nosse numerum stirpis Israel »: qua de re.

528. Quarta conditio est, seminis multiplicatio, id est spiritus, quae declarata est.

529. Quinta est in fine quietatio. Et hic duplex: bona mors, et beatificatio. Quocirca sequitur: « Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia ».

530. Verum praefatae benedictiones Sancto Ioseph excellentissime conveniunt. Fuit enim conversationis angelicae, propter deiformem virtutem, peccati immunitatem, ac coelestem virginitatem. In carne etenim praeter carnem vivere, non humanum, sed angelicum est. Primam vero necessario comitatur secunda. Excellentia itidem actionum sive interiorum sive exteriorum in Sancto Ioseph inventa est, propter conversationem Christi ac Beatae Virginis, propter singularem erga eos dilectionem, ac propter fidelem ministrationem.

531. Hanc quoque quarta saecuta est, quae est spirituum multiplicatio, qua attigit familiaritatem angelicam. virgineam et divinam. Felici demum fine quievit, propter sanctissimae vitae efficaciam, propter Christi ac

Digitized by Google

Beatae Virginis praesentiam, ac propter aegritudinis veram patientiam. Quibus patet primae benedictionis Balaam praeclariores fructus fuisse consecutum Sanctum Ioseph, quam ipse populus Israel.

Secunda benedictio Balaam.

532. Secunda benedictio, talibus explicatur verbis, Numeri, XXIII capitulo: « Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus, cum eo est et clangor victoriae regis in illo. Dominus eduxit eum de Ægypto: cuius fortitudo similis est rhinocerontis. Non est augurium in Iacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur in Iacob et Israel, quid operatus sit Deus. Ecce populus, ut leaena consurget, et quasi leo erigetur. Non accubabit donec devoret praedam, et occisorum sanguinem bibat ».

533. Haec benedictio sensu allegoriae magnifico, convenit Sancto Ioseph. Continet vero multas particulas de quibus singillatim dicendum.

534. Prima est sincera latria. Idolatria autem nunquam maculatus fuit Sanctus Ioseph.

535. Secunda est divina praesentia: ideo apte dicitur: Dominus Deus cum eo est, et modis admirabilibus ac inconsuetis, ipsis quoque angelis venerandis. Fuit enim Deus cum eo, ut filius cum patre, ut infans cum nutritore, ut subiectus cum maiore.

536. Tertia est factorum Dei notitia. Unde subditur: Et clangor victoriae regis in illo. Victoria haec illa fuit, qua Christus de diabolo triumphavit, dicente Domino: Nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Huius clangor ab Ioseph auditus fuit per sacrarum litterarum profundam cognitionem: per angelorum revelationem: ac per sensuum exteriorum visionem et contrectationem.

537. Quarta est in tribulationibus divina assistentia, quam Ioseph expertus fuit, in fuga a facie Herodis, in mora in Ægypto, et in regressu ad terram Israel. Quamobrem sequitur, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Hoc nempe animal, uno donatum cornu in fronte a natura, fortissimum invenitur; ac cetera superans quadrupedia.

538. Quinta est suprema cordis munditia, qua totis animi votis in Domino confidebat: ea contemnens suffragia, quae divinae adversantur voluntati. De futuris nullo modo erat sollicitus: nisi quantum ex clara Dei pendebant voluntate. Eo vero crimine, mortalium plurimi laborare consueverunt: quoniam criminibus onusti, deorum alienorum auxilium requirunt. Idola ignari colunt: quia Deum verum, hostem arbitrantur. Inde apud eos cultus viget auri, superbae mentis elatio, et in rebus terrenis oblectatio. Devagantur per curiosa dogmata, ut scire queant circa se futura. At divinum apud Ioseph nunquam idolum fuit: quia nil concupivit terrenum, nisi pro Dei voluntate. Auguria perhorruit: quoniam Deum suum de omnibus curam habere, immota mente credebat. Eumdem Deum immortalem cum nosset factorem, gubernatorem, provisoremque omnium, divinationes merito pessundedit.

539. Sexta est suarum virtutum certa notitia. Pro cuius ampliori intelligentia ,animadvertendum: notitiam spiritualium, quae habetur fidei via communi et non per elevationem, aut illuminationem mentis singularem a Deo peculiariter, notitiam, inquam, spiritualium non spectantium ad humanam salutem, haberi longo temporum successu: ut fides locum habeat et eadem certius credantur: ceu patuit in notitia Sanctae Trinitatis, in modo incarnationis Verbi Dei, in cognitione dignitatis altissimae Beatissimae Virginis Mariae ac auctoritatis Romani Pontificis. Si enim tantorum mysteriorum nascens ecclesia fuisset scrutatrix, oppressa forsitan fuisset a gloria. Quare quod erat, satis tunc faciebat humanae reipublicae, cum cognitione aliqua modi intrinseci.

540. Idem evenit circa excellentiam sanctitatis divini Ioseph. Ea etenim occulta latuit fideles, contenta nomine sponsi Beatae Virginis, nutritoris Filii Dei ac patris eiusdem putativi. In his autem modos altitudinis eiusdem sanctitudinis intueri possumus, visione saltim tenebris mixta, id est in communi.

541. Temporibus autem suis dicetur in Iacob, id est apud fideles vitae activae deditos: et in Israel, videlicet apud contemplativos ingenio praeclaros ac scientia praeditos: quid operatus est Deus in Sancto Ioseph. Et recte ac considerate dicitur in eo: quia extra illum facta innotuerunt cum notitia Verbi Dei caro facti; in eo vero facta, non nisi temporibus suis, quae sunt tempora novissima, in quibus sancta Romana Ecclesia annuit ut publicis solemniis, sponsus Beatissimae Virginis Sanctus Ioseph veneraretur. Novi ego ipse volumina simplicium licet, bonorum tamen hominum: vidi quoque ingenio praeditos, totis animi studiis satagere, ut temporibus suis dicatur quid actum fuerit a Deo in Sancto Ioseph.

542. Ultima particula erit exultatio ingens futura, in militanti ecclesia, pro sanctitatis divini Ioseph certa notitia. Non enim Spiritus Sanctus deficiet a movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis ecclesiae exultans. divinum Ioseph, nova prosequatur veneratione: condat coenobia, ecclesias, ac altaria in eius erigat honore. Haec autem aptis imaginibus mystice designantur.

Digitized by Google

Tertia benedictio Balaam.

543. Tertia benedictio Balaam, hisce exprimitur verbis. Numeri capite XXIV: Quam pulchra tabernacula Iacob et tentoria tua Israel: ut valles nemorosae: ut horti iuxta fluvios irrigui: ut tabernacula, quae fixit Deus quasi cedri prope aquas: fluet aqua de situla eius, et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agad, rex eius, et auferetur regnum illius. Deus de Ægypto eduxit illum: cuius fortitudo similis rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent et perforabunt sagittis. Accubans dormivit, ut leo, et quasi leaena, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus, qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.

544. Quibus verbis inenarrabilis benedictio pulchritudinis Sancti Ioseph describitur. Varia nempe dona unam sanctitudinem constituentia, pulchritudo vocari possunt: quo nomine Spiritus Sanctus in Canticis saepenumero usus est. Primum itaque donum spirituale in Sancto Ioseph compertum dicitur, integritas omnium virtutum.

545. Primum etenim constituens corpoream pulchritudinem integritas est membrorum. Quae enim aliquo carent membro, eoipso deformia existunt. At integritas omnium virtutum, in Beato effulsit Ioseph: ex parte intellectus practici designati per Iacob: ex parte intellectus speculativi per Israel: ex parte affectus sensitivi, qui recte vallis umbrosa dicitur: quoniam illuminationi superum carnis semper opacitatem opponit. Ex parte demum appetitus intellectivi qui Deo subiicitur: donec irrigatione oblectatur coelesti. Et ex parte Dei donantis: cuius dextera, firmitas ac robur in actibus virtutum inveniuntur, ut in gloriam sui cedant auctoris.

546. Secundum, pulchritudinem constituens corpoream, proportio vocitatur membrorum. Est autem haec proportio in virtutibus, excellentia operationum ab eis provenientium. A magno nempe virtutum acervo, turpe nimis est si solummodo exiles proveniant operationes, etiam bonae: magnus quia ignis vehementer calefacere consuevit. Fuere vero divini Ioseph opera altissima, ut cedri Libani, quarum semen sive fructus non cadit nisi in mentibus gratiarum munere divinarum affluentibus.

547. Ultimum, corpoream pulchritudinem constituens est claritas. Nam colorata pulchra vocare consuevimus. Refulsit quidem sol Christus, in Sancti Ioseph operibus: ratione temporis. Quod lumen est cognitum in defectu regni Iudaeorum, tempestate Ioseph. In fuga quoque, exilio, ac reversione ex Ægypto. In prudentia ac fortitudine, quibus Filium Dei incolumem servavit, contra rabiem persequentium regum. Quare secutum est, ut hostes Ioseph et eorum omnis fortitudo fuerit devorata a gentibus, Romanis scilicet. Moriens vero divinus Ioseph accubavit, ut leo fortissimus, et in fide Christi leonis armatissimus. Quietem Ioseph, nullus daemonum ausus est turbare, ad Lymbum quamquam patrum descenderit: quia in virtute magna Dei annuntiavit adventum gigantis currentis viam vitae mortalium. Claritas denique cognitionis dignitatis ac famae divini Ioseph, futura magna est temporibus novissimis: in quibus, qui maledixerit illi maledictionibus amplioribus ipse maledicetur; propter cognitam Filii Dei maiestatem, qui Ioseph patrem vocare dignatus est. Et qui benedixerit Sancto Ioseph, numquid non benedictionibus replebitur? quia meritissimo, pientissimo, ac potentissimo benedicentem, impossibile est benedictionibus non repleri.

Quarta benedictio Balaam.

548. Quarta denique ac ultima benedictio Balaam, quae potius causa existit benedictionis quam benedictio, est descriptio adventus Christi, his expressa verbis: Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel: et cetera. Minime vero ambigimus, excellentiam Sancti Ioseph, causam habere incarnationem Christi, coniugiumque Virginis benedictae. Ut enim tanto existeret aptus muneri, Ioseph donorum Dei incredibilem summam accepit desuper. *Haec Isolanus.*

549. **Monitum**. — Piis et sanctis operibus benedictiones Domini obtinere cura, et implora SS. Sponsum B. M. V. dicens: O S. Ioseph, super omnes puras creaturas post B. M. V. benedicte, benedic et tu animae meae; benedic meis charis, benedic clientibus tuis.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De benedictionibus a Moyse datis populo Israeli observanti praecepta Domini S. Ioseph concessis.

INTEGRUM hoc capitulum ex libro Isolani transcribimus. Ait enim: Benedictiones Dei datae per Moysem, populo Israeli servanti mandata Domini, scribuntur Deuteronomii capite XXVIII: Benedictus tu in civitate et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum et caulae ovium tuarum. Benedicta horrea tua et benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris ingrediens et egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent adversum te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te: et per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua et super omnia opera manuum tuarum. Benedicetque tibi in terram, quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iuravit tibi. Si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis eius. Videbuntque omnes terrarum populi, quia nomen Domini invocatum sit super te et timebunt te. Abundare te faciet Dominus, omnibus bonis fructu ventris tui et fructu iumentorum tuorum, fructu terrae tuae, quam iuravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum coelum, ut pluviam tribuat terrae tuae in tempore suo. Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum; et foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies. Constituet te Dominus in caput et non in caudam: et eris semper supra, et non subter.

551. Hae vero benedictiones iuxta sensum mysticum, in divino claruere Ioseph. Fuit enim benedictus in civitate; id est in anima, quae civitati comparatur. Fuit benedictus in agro, cui corpus assimilatur. Fuit benedictus in fructu ventris sui, qui est capacitas animae rationalis: et hoc per generationem habituum omnium virtutum. Fuit benedictus in iumentis et gregibus: id est in optima dispositione sensuum interiorum et exteriorum. Fuit quoque benedictus in Christo, qui fuit fructus terrae suae, id est Beatae Virginis coniugis suae. Benedictus fuit itidem Sanctus Ioseph in horreis suis, id est in donis Spiritus Sancti, quibus fuit repletus ad conservandam, augendam, ac magnificandam vitam spiritualem in dies. Benedictus fuit in ingressu tribulationum per patientiam: et in egressu, id est liberatione per laetitiam.

552. Inimici vero Ioseph corruerunt coram eo, per compressionem virtutis illorum: ut patet in daemonibus. Item per punitionem temporalem: sicut in regibus eum persequentibus, quorum vidit interitum et effugit excidium: per viam unam, id est suggestionem diaboli venerunt contra eum et multiplici coacti virtute coelesti scilicet ac terrestri, quae multiplex pariter est, ad inferna victi descenderunt. Post devictos hostes, divinus Ioseph in quiete existens, cum mundi Regina ac Christo Deo, augmentum accepit in cellariis suis: id est in donis Spiritus Sancti interioribus et in assiduis operibus manuum suarum, Christo Deo immortali ministrantium.

553. Quamobrem benedictus fuit in terra, id est in Beata Virgine, quam accepit uxorem. Post quae suscitavit Dominus Sanctum Ioseph sibi ad honorem nominis sui, caput et patronum peculiarem imperii militantis ecclesiae. Ante quoque diem iudicii futurum est, ut omnes populi cognoscant, venerentur et adorent nomen Domini, ac magna Dei munera, quae Deus ipse in Sancto posuit Ioseph; et latere pene voluit, longa per tempora.

554. Quocirca abundabit nomen Sancti Ioseph muneribus omnium bonorum terrae. Ædificabuntur templa, ad illius honorem. Festa celebrabunt, et vota vovent eidem populi, et solvet. Aperiet enim Dominus aures praecordiorum intellectus: et viri magni scrutabuntur interiora Dei dona in Sancto abscondita Ioseph, et invenient thesaurum optimum, qualem apud sanctos patres veteris instrumenti non invenerunt. Hoc autem accidet, praecipua sanctorum angelorum illuminatione.

555. Populis denique sanctum invocantibus Ioseph, foenus idem dabit de coelo, et ipse in maiestate gloriae suae perseverans, a nullo mortalium foenus accipiet. In calendariis san-

Digitized by Google

ctorum, nomen decantabitur Sancti Ioseph: et iam non erit in caudam, sed in caput. Fiet enim de illo festum praecipuum et venerabile. Mandabit enim Christi Vicarius in terris, Sancto suadente Spiritu, ut festum patris putativi Christi, sponsi Reginae mundi, hominis sanctissimi celebretur, in omnibus finibus imperii militantis ecclesiae. Quamobrem, qui in coelis semper fuit supra, in terris non erit subter.

556 Quibus omnibus diligenter animadversis, exploratum redditur, benedictiones praedictas in Sancto Ioseph, tanto clarius reperiri, quanto spiritualia, praestantiora sunt terrenis et interiora exterioribus. Exigunt vero isthaec mentem non consuetudini alligatam: sed clara luce intelligentiae utentem. Quem enim Deus immortalis patrem vocare dignatus est, ineffabilibus donis coelestibus, ornatum non ambiget mens praeclara, luce intelligentiae illustris. *Haec Isolanus.*

557. **Monitum.** — Per observantiam legis Domini benedictiones Moysis obtinebimus. O S. Ioseph, fac me fidelem et prudentem servum Iesu et Mariae, ut tuarum benedictionum particeps effici merear.

CAPUT XXXV.

De Benedictionibus datis a Moyse filiis Israel S. Ioseph concessis.

ITEM Isolanus: Post haec videndum est de benedictonibus datis filiis Israel a Moyse, quemadmodum Deuteronomii trigesimotertio capitulo legitur: Ait vero ad RUBEN: Vivat Ruben, et non moriatur, etsi parvus in numero. At glossa addit: Maximus in fide. Tanguntur his quatuor benedictiones.

559. Prima est, vita per gratiam.

560. Secunda, immunitas ab actuali peccato per innocentiam.

561. Tertia est excellentia dignitatis, per contingentem paucis Dei electionem.

562. Quarta est maiestas fidelitatis, per summam rerum altissimarum cognitionem. Quae in divino Ioseph claruisse non ambigimus.

563. **Sequitur benedictio Iudae:** Audi Domine vocem Iudae, et ad populum suum introduc eum. Manus eius pugnabit pro eo, et adiutor illius contra adversarios eius erit. His pariter verbis quatuor innuuntur benedictiones.

564. Prima est precum exauditio, qua designatur Beatum Ioseph mediatorem fore continuum inter Deum et homines.

565. Secunda est, ad populum introductio: qua innuitur, quod electorum in hoc mundo est assiduus conservator, ad populum suum, donec illos introduxerit.

566. Tertia est, sui ipsius defensio, in hoc mundo contra diabolum, carnem ipsiusque mundi illecebras, per gratiam, ac contra tyrannos, per prudentiam.

567. Quarta est aliorum protectio. Populi quidem sui, ut minora sua caecitate, mala accipiat in carne; ut a sua resurgat duritie, ut velamen a lege Moysi auferat; et Iesum tandem verum cognoscat esse Messiam. Totius autem populi Christiani est protectio, auxilio ab ira Filii Dei, suffragio in bonis acquirendis, et exemplo.

568. **Sequitur dicendum de benedictione Levi,** quem est: Levi perfectio tua a viro sancto quaem probasti in tentatione et iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixerit patri suo et matri suae, nescio vos, et fratribus suis ignoro vos et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. Iudicia, o Iacob, et legem tuam, Israel ponent, et thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudinem eius, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius, et qui edunt illum non consurgant.

569. Ponuntur autem in praefatis verbis novem benedictiones.

Prima est, vitae perfectio: ibi, *Perfectio tua.*

Secunda est, doctrinae altitudo: ibi, *tua.*

Tertia est, Christi educatio et conservatio: ibi, *a viro sancto.*

Digitized by Google

Quarta est, omnium abnegatio: ibi, *Qui dixerit patri.*

Quinta est, praeceptorum et consiliorum impletio: ibi, *Qui custodiunt eloquium.*

Sexta est, pro aliis intercessio: ibi, *Ponent thymiama.*

Septima est, in passione gloriatio: ibi, *Benedic, Domine, fortitudinem.*

Octava est, remuneratio de operibus: ibi, *opera manuum illius suscipe.*

Nona est hostium destructio: ibi, *percute dorsa.*

570. Quae omnia quam excellentissime in Sancto claruere Ioseph. Ipse enim fuit in vita perfectissimus: altissimus in doctrina Christum enutrivit: veram spiritus paupertatem servavit: et quae sensum illicite oblectarent, cuncta sprevit: praecepta omnia atque consilia adimplevit: communis pro ceteris intercessor existit, sicut et Salvatoris enutritor. Passiones aequa pertulit mente. Gloriosus apud supernae Ierusalem cives permanet: quo suffragante magna nobis panditur via devincendi daemonum carnis et mundi incentiva.

571. **Sequitur benedictio Beniamin.** Ait autem Beniamin amantissimus Domini: habitabit confidenter. In eo quasi in thalamo, tota die, commorabitur: et inter humeros eius requiescet. Proculdubio haec benedictio huic uni viro Sancto convenit Ioseph in summo. Prae ceteris enim viris, fuit Domini amantissimus; ita ut ex eius Virgine coniuge nasci voluerit; illumque patrem vocare dignatus fuerit. In Sancti quoque Ioseph thalamo habitavit infans, puer, adolescens ac iuvenis. In cuius humeris proculdubio idem Dominus Iesus infans resedit, atque in illius quievit brachiis.

572. **Sequitur benedictio Ioseph.** De benedictione, inquit, Domini terra eius de pomis coeli et rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis atque lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum et de frugibus terrae et de plenitudine eius, benedictio illius. Qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem Nazaraei inter fratres suos.

573. Benedictio Ioseph profecto, clarius refulget in Ioseph sanctissimo: octo vero continet.

Primum est, divinae dulcedinis praegustatio: et hoc est quod ait: de pomis coeli et rore; pomum in quantum reficit affectum, ros in quantum illuminat intellectum.

Secundum est, in humanitate Christi delectatio; et hoc est, atque abysso subiacente.

Tertium in operibus Christi refectio. Et hoc est de pomis fructuum solis.

Quartum est, de gratiis ecclesiae iucundatio. Et hoc est et lunae.

Quintum est, de gratiis et virtutibus antiquorum patrum exultatio. Et hoc est de vertice montium antiquorum.

Sextum est, modernorum perfectorum congratulatio. Et hoc est de pomis collium aeternorum.

Septimum est, de gloria triumphantis ecclesiae exultatio. Et hoc est de frugibus terrae.

Octavum est, gloriae hominis Christi participatio. Et hoc est benedictio illius qui apparuit in rubo.

574. Constat vero Ioseph beatissimum primum inter viros degustasse dulcedinem Dei caro facti. In qua carne oblectatus est, illam nutriendo, eidem serviendo, atque illam adversus persequentes tuendo. Cum Christo itidem habitasse creditur, usque ad extremum vitae suae: qua de re illius oblectatus est operibus, ludens cum eo in orbe terrarum per singulos dies, ut dicitur de Sapientia Proverbiorum octavo. De profectu quoque ecclesiae laetatus est: quia summam in illam habuit charitatem: cui panem Christum, caput eius ac sacrificium nutriebat, ingenti perculsus amore.

575. Exultavit pariter de patrum sanctitate, a quibus duxit originem et possedit perfectionem. De profectu itidem modernorum, congratulationem habuit: quibus omnibus perfectionis magistrum, ducem et exemplum Christum; ceu pater, filium, transmisit. De ecclesiae vero triumphantis gloria, gaudebat in hac vita, per spem: nunc vero gestit per fruitionem. At de Christi gloria, magnam partem habere creditur rationabiliter: quia illum patrem vocavit et nunquam illum vivens dereliquit. Ipse vero Christus ille est, qui diligentes se diligit, et bonorum omnium remunerator est. Sanctus itaque Ioseph benedictiones patriarchae Ioseph plenissime consecutus est.

576. **Benedictio Gad** his exprimitur verbis: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque gladium et verticem et vidit principatum suum, quod in parte sua, doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi sui et fecit iustitias Domini et iudicium suum cum Israel. Benedictio Gad quatuor principaliter continet: latitudinis scilicet imperii Domini: fortitudinis sapientiae ac iustitiae cognitionem. Ea vero notitia singulariter claruit in Sancto Ioseph, apud quem natus est Christus: cuius imperium super humeros eius: de quo pariter scriptum noverat: Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Magis vero magisque isthaec patebunt meditanti.

577. **Dan quoque ait:** Et Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.

Digitized by Google

578. Haec benedictio tres continet, virtutes cordis scilicet et operis humilitatem cum ait: Catulus fortitudinem: cum ait: Leonis et affluentem liberalitatem. Tria haec eadem munera in Divo fulsere Ioseph, supra quosque suae aetatis viros.

579. Propter primam etenim virtutem datus fuit a Deo sponsus Virginis illius, cuius Dominus respexit humilitatem. Putandum ne Deum Patrem, superbo humillimam iunxisse Virginem?

580. Propter secundam virtutem enutrivit leonem de tribu Iuda: et eum veluti in humanitate dormientem feras adversum tutatus est atque incolumem servavit.

581. Propter tertiam virtutem, panis copiam angelici mundus habet omnis, ciborumque spiritualium et aurum charitatis obrizum in magna possidet copia. Fluxit, inquam, haec copia toti orbi, medio Sancto Ioseph de Basan, id est ab Iudaeis pinguibus propter divinas leges; sitientibus propter defectum spiritus in intelligendo eas, et confusis propter illorum ingratitudinem. Basan vero interpretatur pinguedo, siccitas aut confusio. Et haec de benedictione Dan.

582. **At benedictio Nephthalim** haec est: Nephthalim abundantiam perfruetur et plenus erit de benedictionibus Domini. Mare et meridiem possidebit. Quibus verbis quadruplex signatur benedictio.

583. Prima est abundantia donorum spiritualium quae Sanctus in se cognovit Ioseph et passus est: iuxta illud beati Dionysii dicentis: quod praeceptor suus Ierotheus non solum erat sciens: sed etiam patiens divina.

584. Secunda est, copia benedictionum Domini, quas patribus antiquis largitus est, in quibus nunc versamur, easque balbutiendo resonare satagimus.

585. Tertia est principatus super peccatores per mare signatus.

586. Ultima est dominium super iustos. Ipse enim medius fuit inter peccatores, Deum illis enutriendo Salvatorem. Dux quoque fuit iustorum. exempla omnium virtutum eis relinquendo.

587. **Ultimo agendum est de benedictione Aser,** his explicita verbis. Benedictus in filiis Aser. Sit placens fratribus suis. Tangat oleo pedem suum. Ferrum et aes calceamentum eius. Sicut dies iuventutis: ita et senectus tua. Haec benedictio continet excellentiam dignitatis, gratiam conversationis, affectus interioris, fervorem operis exterioris, terrorem atque totius aetatis immutabilem morem.

588. Quae omnia in divino fuere Ioseph, propter paternam dignitatem, supra Filium Dei: propter curam diligentem Matris eiusdem: propter custodiam ferventem utriusque: ac sanctissimum vivendi genus, usque in finem vitae.

589. Patet igitur beatissimum Ioseph, omnes benedictiones filiorum Israel, Ioseph possedisse excellentius: sicut lux excedit umbram: sicut spiritualia praecedunt corporalia: sicut aeterna superant dignitate temporalia. Illorum benedictiones erant a sua causa distantes: hae coniunctae semper perseveraverunt. Illae transierunt: hae in perpetuum perdurant. Illarum vetus est memoria: harum continua gloria.

590. Quamobrem, praestantior quoque reperitur in Sancto Ioseph benedictio quae data fuit omnibus filiis Israel simul in haec verba: Non est Deus alius, ut Deus rectissimus ascensor coeli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes; habitaculum eius sursum et subter brachia sempiterna. Eiiciet a facie tua inimicum, dicentque conterere. Habitabit Israel confidenter et solus. Oculus Iacob in terra frumenti et vini, coelique caligabunt rore. Beatus tu Israel. Quis similis tui, populo, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, et tu eorum colla calcabis.

591. Haec benedictio plura continet in superioribus manifestata. Nempe fortitudo, excellentia, ac sapientia Dei in Sancto excelluere Ioseph. Pinguedo quoque et abundantia donorum spiritualium in eo singulariter micuerunt. At in coelesti patria beatissimus Ioseph existit: et in ecclesia militanti veneratus, ita ut similis ei non inveniatur. Sancti enim novi instrumenti a Christo dicti sunt amici: Ioseph vero pater, ab eodem vocatus est. Illi mundi Reginam coluerunt ut Dominam: Ioseph ut sponsam. Verum quae de patrum benedictionibus quam brevissime prosecuti sumus, altius in volumen consurgent meditantibus. *Haec Isolanus.*

592. **Monitum.** — Benedictionem Domini uberrimam per S. Ioseph obtinebimus. O S. Ioseph, o benedicte super omnes post Sponsam tuam, benedic mihi, protege me, fac me fidelem servum Iesu et Mariae.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

De donis Sacramentorum Ecclesiae; an aliquo modo et qualiter conveniant S. Ioseph.

ISOLANUS hanc quaestionem tractat dicens: **Prima conclusio.** Si Ioseph vivebat inter mortales tempore baptismi Ioannis, verisimiliter credendum est ipsum fuisse baptizatum baptismo illius. Probatur. Tum quia multi boni nobiles iudaei propter devotionem eodem baptismo baptizati sunt. Ioseph vero fuit perfectissimus et devotissimus inter omnes nobiles iudaeos. Tum quia noverat certius sanctitudinem Ioannis: cuius etiam affinis erat. Tum ut Christum imitaretur, cuius actiones rationabile valde est Sanctum Ioseph observavisse, ac pro virili imitatum fuisse.

593. **Secunda conclusio.** Baptizante Christo si Ioseph vivebat, absolute tenendum est quod ipse Christi baptismo fuerit baptizatus. Probatur. Tum propter rationes antedictas. Tum quia Ioan. III Dominus dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Tum ut ceteris exemplum daret. Tum quia legalia quantum potuit observavit, ergo et evangelica: quia observandi utraque studium ab una radice provenit, quae charitas est.

595. Adhuc. Matthaei primo dixit Dominus: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam: glossa, id est perfectam humilitatem. Sed Ioseph fuit humillimus. Igitur suo tempore voluit baptizari baptismo filii sui putativi.

596. **Tertia conclusio.** Rationabiliter teneri potest Sanctum Ioseph fuisse baptizatum a Christo, suppositis quibusvis opinionibus de morte eiusdem divini Ioseph. Probatur. Nam rationabile est, ut inter longas collocutiones familiares, quae fuere inter Christum ac Ioseph, longa per annorum curricula, sermo nonnunquam inciderit de conversione gentium modoque divino eas abluendi ab originali: et per continens de baptismo. Divinus vero Ioseph praesentia omnia animadvertens, quae ad baptisma suscipiendum spectant, scilicet fidem suam, Christum unicum baptismi auctorem ac aquam: rationabile est quod baptismum ab eo humiliter ac confidenter petierit. Neque ulla occurrit ratio, vel rationis aliqua suspicio occurrere menti potest, propter quae Christus non baptizaverit Ioseph humillime petentem.

597. Secundo arguo, quaerens an apostoli fuerint baptizati. Si non: magna sequuntur inconvenientia, ceu exploratum illico redditur consideranti. Si sic: ubi auctoritas? quae nulla est: longa igitur familiaritas id arguet, longior vero fuit inter Christum et Ioseph. Amor quoque dulcior, qui a teneris initiatus unguiculis. Cupienti profecto hanc intelligere veritatem, necesse est, ad cor altum accedere, et vim familiaritatis infantilis, puerilis et maiorum aetatum divini suppositi in natura existentis humana, diligentius speculari. Quibus incognita mortalibus munera, Sanctum accepisse Ioseph, nequaquam ambiget.

598. Eadem nempe Christi virtus, contactus, verba coelestia, efficaciam, vim, dona, virtutes, solatia, merita omnium ecclesiae sacramentorum in divino produxere Ioseph. Quotidiana eucharistiae susceptio ac chrisma, tactus Christi illi fuit, sacerdotii caracteris vice; Christi patris nomen unctio extrema, sacrarum quoque Christi manuum contactus. Pro contritione ex conversatione Christi, recepit Ioseph innocentiae conversationem: pro confessione gratiarum actionem: pro satisfactione supererogationem. *Haec Isolanus.*

599. Cardinalis Herrera, Breviar. pro meditat, in fest. S. Ioseph, ait: « Cum Sacerdotes exerceamus erga Iesum, in SS.mo Sacramento et Sacrificio altaris, officia similia his, quae exercuit Sanctus Ioseph, debemus curare ut in nobis resplendeant iustitia, puritas, oratio, obedientia, pietas et reliquae virtutes, quas hodie in Sancto Ioseph gaudentes celebramus ».

600. **Monitum.** — Sanctissimum Sponsum B. M. V. toto cordis affectu post Iesum et Mariam principali amore diligamus, eiusque patrocinium imploremus, ut digne et sancte sacramenta tractemus, et Panem angelicum ad salutem sumamus, praesertim in mortis articulo. Dicamus ergo ex antiquo Breviario S. Donatiani:

O gloriose, Domini
Sponse Matris Altissimi,
Quem totus orbis non capit,
In tuis ulnis iacuit.

Digitized by Google

Quod Eva tristis abstulit,
Prole Maria reddidit,
Cuius pudoris custos es,
Testis, Christi nutritor es.
Tu regis Regem gloriae,
Eius putaris genitor,
Qui cum Patre et Flamine
Est coeli et terrae conditor.

Panis altor angelici,
Corde precamur supplici:
Tuo gustemus merito,
Cibum hunc in termino.
Gloria Tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

CAPUT XXXVII.

De mirabili puritate S. Ioseph.

ISOLANUS scribit: Ordinatus ad educationem et paternitatem Christi, habuit puritatem proximiorem post Beatam Virginem. Sed Beatus Ioseph fuit eiusce conditionis. Puritas ergo illius proximior fuit puritati Beatissimae Virginis. Prima evidens apparet: quia posita causa eiusdem rationis videtur idem effectus consequi, et effectus magis est talis, quanto causae proximior. Itaque Virgini si Beatissimae concessa est puritas in summo: quia immediatius ordinata ad Christi humanitatem: ergo cum Ioseph post Beatam Virginem fuerit immediatior ceteris, ordinatus ad Christum, puritas eius recto gradu sequi debet puritatem Beatae Virginis.

602. Confirmatur hic modus arguendi: quia similis invenitur modo arguendi beati Augustini in libro *de Natura et Gratia* dicentis: Scimus quod ei, scilicet Beatae Virgini, plus gratiae collatum fuerit ad peccatum ab omni parte vincendum, quae illum concipere et parere meruit quem nullum constat habuisse peccatum.

603. Adhuc. Idem convenit puritati Virginis ut impar omnino impari minime iungeretur.

604. Item. Ubi omnimoda causa conservandi et augendi puritatem, ibi puritas magis conveniens censenda est. Sed hoc fuit in Beato Ioseph, post Beatam Virginem, propter conversationem cum eadem et cohabitationem cum Christo. In Ioseph ergo ponenda est, puritas proximior puritati Beatae Virginis: quia possibilis, conveniens et rationabilis. Haec ratio vim habet, ab psalmo dicente: Cum viro innocente innocens eris...

605. Ad haec. Si carnem utriusque attendas, munda est: quia virginitate clarissima. Si mentem, sancta est: si mores, alterna charitate iuncti erant. Si vota et opera, paritatem habent: quia propter Christum et cum Christo. Si dignitatem, Virgo mater est Christi Dei. Ioseph pater: ergo Beata Virgo et Ioseph proximioris videntur fuisse puritatis.

606. Quisquis es, cui nova haec forte videntur, quiesce paulisper inter suborientium phantasmatum tumultus. Antiqua recolito quae ab evangelistis de Sancto scribuntur Ioseph et illa plena admirabilibus invenies sacramentis. Nempe cum Ioseph Christi Dei pater appellatur ab sacris litteris, nomen est solis typum gerens qui siderum abscondit lucem. Sunt profecto sancti sidera lucentia in perpetuas aeternitates, puro mentis splendore, qui omnes fuerunt facti servi Dei ac famuli. At Ioseph sol candidissima puritate nitens, Filii Dei pater vocatus et matris eius Virginis angelicae sponsus et coniux existens, ceterorum lumen sanctorum purissima mente contexit, dum suae coniugis intactae, lucem proxime attingit puritatis.

607. Eleva quoque mentis oculos, qui his studes, aures erige, sensum corrige, consuetudinem cogitandi remove, paternas traditiones altiori animo ac mente semper catholica transcende. Ne dubites, ne verearis dignitatem, sanctitudinem ac puritatem sanctissimi Ioseph, ampliorem spe reperturus. At ubi huiusce contemplationis montem conscenderis, nostra humilia esse conspicies. *Haec Isolanus.*

608. Recte igitur dixit Gersonius, serm. de Nat. B. V. consid. 3: « Unde sicut decuit Mariam ut summa puritate niteret, sic decuit ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua virgine virgo prius et posterius permaneret. Uterque regali progenie renitens et illustris. Uterque sanctificationem in utero recipiens: cum Maria plena

Digitized by Google

gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia... Vovit Maria virginitatem, vovit et ipse Ioseph, secundum doctores ». Et S. Bernardinus Senensis, serm. de S. Ioseph, a. 2. affirmat, SS. Patriarcham habuisse erga Christum « reverendissimam puritatem », et pie meditatur, « quanta reverentia, et quanta puritas mentis et carnis et affectus et sensus » fuerunt in S. Ioseph in conversatione cum Iesu et Maria.

609. Unde merito scripsit Barry, Alim. piet. erga S. Iosephum, c. 8. med. 2.: « Sanctitas eius... eximia fuit: I. Quod fieri Dei Matris Sponsus debuerit atque ideo ad Sponsae suae sanctitatem, quam potuit, proxime accedere; alioquin impar inter eos coniugium fuisset: « Si vis nubere, nube pari ». II. Quod, ut Gerson ait, fuerit in gratia confirmatus... nec dubitandum est, quin eorum immunitatum opera fuerit rara quadam sanctimonia praeditus. II. Quod concupiscentiae fomite careret, ut in Scholis nominatur; ut nihil in sensu aut desiderio obversari sibi pateretur, quod rationi conforme non esset: potuitne fieri, ut non maxime Sanctus evaderet, praesertim tanto gratiae affluxu a Deo cumulatus, quam liberalissime eius menti affundebat, ac S. Spiritu eiusque donis excellenti quadam ratione, non minus quam Apostoli, plenus! »

610. **Monitum.** Cum Breviario Carmelitarum anni 1495, laudemus purissimum Sponsum B. M. V. dicentes: « Magnificat Dominum Sancti Ioseph anima: qui salutem hominum cura fovit maxima; nam in ventre Matris iste Nazareus tibi Christe consecratur et notatur: quem nec Mater virginalis horreat nec Puer talis ».

CAPUT XXXVIII.

De septem Donis Spiritus Sancti in S. Ioseph.

PRAEMITTERE liceat quod Carthagena, lib. 9, hom. 7., subtiliter et pie scribit de Spiritus Sancto et S. Ioseph. Ait enim: Quemadmodum in homine cor est sedes amoris unientis amantem cum re amata, ita Spiritus Sanctus ex vi suae productionis est amor, et vinculum, et, ut ita loquar, nexus Patris, et Filii.

612. Cum ergo Spiritus Sanctus sit cor Dei, certe dum Ioseph dicitur esse vir iuxta cor divinum, « Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum »; perinde fuit, ac si diceretur, quaesivit virum conformem Spiritui Sancto, et si ita fas est loqui, quamdam quodammodo simpathiam cum illo habentem. Quod ne absque fundamento dicere videar, attendite primum, quod sicut Spiritus Sanctus in illa Trinitate coelesti tertia persona est secundum originem, ita in terrestri hac trinitate Iesu, Mariae, et Iosephi, ipse tertium sibi vindicat locum secundum ordinem dignitatis; et sicut Spiritus Sanctus instar cordis fons est, et scaturigo vitae, ac omnium vitalium spirituum, quibus corpus fovetur, et vivit, ita Ioseph nutriens et alens Puerum Iesum vitae eius *aliquo modo* principium se exhibuit, et omnium spirituum vitalium, qui per varias eius corporis arterias diffundebantur.

613. Item, si Spiritus Sanctus Sponsus fuit Virginis, eius virginitatem numquam laedens, Ioseph Sponsus eius fuit castissimus Mariam nunquam contingens.... Si Spiritus Sanctus Mariam obumbravit [Luc. 1.]: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi »; etiam Ioseph subventionis suae umbra illam mirifice protexit, et honoris pallio cooperuit. Deinde si illa noscuntur Spiritus Sancti munera, quae catholica canit Ecclesia:

> In labore requies,
> In aestu temperies,
> In fletu solatium,

etiam Ioseph infanti Iesu haec praestitit. Lacrymas effundebat infans,

> Vagit infans, inter arcta
> Conditus praesepia.

Ioseph lacrymas eius abstergebat: ecce Ioseph in fletu solatium. In medio laboriosi itineris in Aegyptum millies in sinu suo illum fovens, requiem ei dabat: ecce Ioseph in labore requies. Denique cum aestu ardenti, qualis valde vigebat in Aegypto, infans pre-

Digitized by Google

meretur, flabello ad calorem temperandum utens, dulcem ei praebebat auram: ecce Ioseph in aestu temperies.

614. Ad haec: sicut Spiritus Sanctus paedagogus fuit Christi, a quo ducebatur quocumque ibat; unde D. Matthaeus (cap. IV) ait: « Ductus est Iesus a Spiritu in desertum »; ita et Ioseph, quasi infantiae Christi educator, et paedagogus in quemcumque locum iturus erat, illum deferebat, atque ducebat. Detulit in Ægyptum, detulit in Iudaeam, duxit in templum, et reduxit in domum suam (Luc. II): « Et descendit cum illis ».

615. Scribit Isolanus, p. 3. c. 12: Excellentiam puritatis sequitur donorum Spiritus Sancti praestantia. Dona itaque Spiritus Sancti septiformia in Sancto fulsere Ioseph, similiora donis Beatissimae Virginis. Sunt autem ea, docente propheta, septem. Sapientia, intellectus, scientia, consilium, fortitudo, pietas et timor.

Donum sapientiae.

616. Sapientia opponitur stultitiae sive insipientiae, quae probatur fuisse in Ioseph simillima sapientiae Beatae Virginis. Proverbiorum enim XI. dicitur: Ubi humilitas, ibi sapientia; sed in Ioseph fuit humilitas conformis humilitati sponsae suae Reginae mundi: ergo et sapientia.

617. Adhuc. Sapientia dicitur quasi sapida scientia: unde est gustus spiritualis summae veritatis. In gustu vero tria reperiuntur, immediata coniunctio gustabilium cum sensu gustus, discretio gustabilium et delectatio continens. Sed haec omnia habuit Ioseph post Beatam Virginem respectu Christi. Immediatior enim humanitas Christi fuit Ioseph, quoad sensum et intellectum quam ceteris viris. Illuminatione quoque divina discrevit quid intelligendum, quid volendum, et quid agendum, angelorum itidem ac Beatae Virginis eruditione. At in superioribus satis superque dictum arbitror de delectatione Ioseph cum Christo infante, puero, adolescente et iuvene.

Donum intellectus.

618. Intellectus, ut ait Gregorius, est spiritus audita penetrans et reficiendo cor eius tenebras illustrans. Animadvertito alta mens Ioseph, quanto acumine mandata penetraverit angelica, corde assentiendo, seipsum dirigendo et opere exequendo. Quibus redditur exploratum, cor divini Ioseph refectum spe, illustratum intelligentia et humanis purgatum tenebris. Sequitur ergo excellentia intellectus, gradum puritatis: in Iosephque repertus est, post Beatam Virginem, praeclarissimus. Quaeso, cur non lucidissimum spiritu intellectum, habuit Ioseph, qui purus inter solem et lunam habitabat medius? Hinc illuminabatur, hinc purgabatur. An tenebras esse in loco pervio censendum est, quem assidue sol et luna suis percutiunt radii?

619. De Christo dictum est Esaiae XI: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus scientiae et intellectus. Igitur etiam super Ioseph requievit spiritus intellectus: quia super Beatam Virginem nullibi Iesus Deus aeternus bonam invenit requiem, nisi in brachiis, in pectore, in humeris, in domo, atque in lecto Ioseph. Hanc noli, o lector, argutiis foedare veritatem, dicens: Inefficax est continentia. Christus requievit corporaliter: ergo spiritualiter. Et si spiritualiter: ergo secundum talem gradum doni intellectus Admittenda profecto est, ubi mens fuerit disposita. quinimo ita valet et usque adeo in catholica philosophia necessitatem habet, quod etiamsi praesens non fuerit Christus corporaliter, requiescit tamen spiritualiter.

620. Neque enim negabis dispositionem in Ioseph fuisse, qui mentem semper gessit docibilem Dei. Adde praesentiam coniugis erudientem, ac Christum vivacissime confortantem. Credo equidem, nec vana fides: sicut contingit subiectum capax summae caliditatis inter medios ignes existens: cui ventus semper adest insufflans et accendens, non magnopere calescere: ita nequaquam possibile fuisse, mentem Ioseph habitantis cum igne Deo incarnato, insufflantem per dilectionem, eruditionem et orationem in intellectum Ioseph, quin magno doni intellectus gradu afficeretur ac post Beatam Virginem praeclarissimo..

Donum consilii.

621. Quoniam autem donum consilii praestantius fuerit in Ioseph post Beatam Virginem probatur. Primo ex parte subiecti scilicet Christi: cuius gratia tantis affecit muneribus, Deus, Ioseph. Nam sapientissimus rex maximis in rebus agendis, sapientissimos deligit consultores. Sed omnium supremum entium est Christus: utpote totius conditor universi, reparator et finis. Si ergo Deus ipse delegit Ioseph, ut Christum custodiret et conservaret: praesertim inter potentes, astutos, et crudeles, sana cogimur ratione, neque obnubilata fateri, illum quoque donasse praestantissimo munere doni consilii: et hoc post Beatam Virginem, quae immediatius ad Christum ordinata fuit.

622. Item primae Ioan. II. dicitur: Unctio docebit vos de omnibus. Sed Ioseph artificem huius unctionis habuit apud se, familiarem subiectum et filium: ergo habuit huius unctionis copiam maiorem ceteris post Beatam Virginem, cuius vere fuit filius. At

Digitized by Google

ab excellentia illius unctionis profluit consilii praestantia.

623. Adhuc: mysteria consiliorum, quanto altiora, tanto solent a sapientissimis regibus, maiori vigentibus consilio, revelari. Sed supremum omnium mysteriorum fuit incarnatio Filii Dei, quae post Beatam Virginum Reginam, profundius declarata fuit Ioseph per angelum. Pariter igitur post eam, dono consilii praestantissimo claruit Ioseph.

624. Secundo ad idem principaliter arguitur ex parte angelorum, sic: Illuminatio angelorum mentem purgat: conversatio eorumdem mirum in modum erudit: eruditio vero angelica omne humanum superat consilium, utpote a Deo descendens: ergo, clarus propter illuminationem angelicam, clarus quoque erit in dono consilii. Sed nullus clarior habetur in praefatis post Beatam Virginem, Ioseph; ceu sacra docent evangelia, dono igitur clariori consilio praecelluit Ioseph.

625. Tertio ad idem arguitur ex parte Beatae Virginis, sic: Caput mulieris est vir, ut ipsam suo gubernet consilio. Sed Ioseph datus fuit a Deo caput Beatissimae Virginis: ergo autem fuit illa sapientior, aut aeque, aut minus. Sed non primum nec secundum asseverandum est. Et hoc propter singularis huius matrimonii divinam gratiam: ergo saltem minus illa, et hoc immediate, ut sponsus convenientissime tantae iungeretur mulieri.

Donum fortitudinis.

626. Dono fortitudinis Ioseph mirum in modum claruisse probatur. Ipse nempe inermis tutatus est Regem ac Imperatorem mundi, contra reges potentissimos, superbos, ac nimium nimiumque crudeles. Ipsum eumdem Christum maximum, Ioseph fortis servavit incolumem contra diabolum: de quo Iob XLI. dicitur: Non est potestas super terram, quae ei comparari possit.

627. Praeterea. Quoquo genere victoriae claruit Ioseph dono fortitudinis propter Christum. Primo enim vicit seipsum angelicae revelationi consentiendo, Matthaei primo. Vicit carnem propriam, virginitatem integram custodiendo. Hieronymus: Maiora ceteris sunt praelia carnis. Vicit affectum mundi, patriam relinquendo. Non est laboribus territus, non itinerum periculis, non perditis exterarum gentium moribus, non paupertatis metu: sed fortissimus, magnanimus ac divini amoris flamma ardens et audens cuncta superavit, victorque apparuit coram Deo, angelis et hominibus.

628. An non putas Ioseph fortitudinem, ipsos quoque angelos quodammodo admirantes, dixisse? Ecce quanta animi virtute homo carpentarius servat illum, cuius nos adoramus maiestatem, fortitudinem contremiscimus: cuius inquam imperium permanet in saeculum. En qua mentis ingenuitate diabolum, qui secum tertiam traxit partem stellarum, deludit, irridet et superat. O quam admirabile est nomen huius viri: cui soli commissum est inter homines negotium, quod nos spiritus in excelsis innumeri digne perficere nequimus. Ministrat etenim solus Regi saeculorum ac Reginae mundi. Nos quoque ministri eorum, qui sumus millia millium et decies centena millia et amplius. Ecce quomodo Ioseph vir mortalis manducat cibos confidentiae, non timens, non desperans, non irascens..

629. Adde fortitudini Ioseph hoc demiratione dignum: quoniam Ioseph fortitudo labores et exilium martyribus ecclesiae, futura erant in exemplum.

Donum Scientiae.

630. Scire licet donum quoque scientiae in Ioseph claruisse excellentissime post Beatam Virginem. Ipse enim non solum fidem tutatus est: sed et ipsum auctorem fidei quem etiam enutrivit praeceptorem mundi. De illius sponsa cantat ecclesia: Cunctas hereses sola interemisti in universo mundo. Reginam vero eamdem ab innumeris protexit adversitatibus, roboravit et suis enutrivit laboribus. Ut etiam pietati eorumdem scilicet Christi et Reginae satisfaceret, in Ægypto natione olim perversa recte conversatus est. Erat proculdubio Ioseph, altae mentis elevatique ingenii, quamobrem divino clarescens lumine altius iudicabat de sensibilibus, de natura animae, de moribus, de angelis, quam theologi etiam sapientissimi aut philosophi aliquando iudicaverint.

631. Angelos sibi in somnis apparentes, nonnunquam vero sub forma sensibili, ut pie credimus, Christo ac Beatissimae Virgini deservientes, attendebat: quibus tanquam principiis ad naturam eorum dignoscendam animum excitabat: quae profundissime cognita, in Christo illico referebat. Hinc causam, hinc effectum se nosse dulcius gestiebat. In coelos oculos elevans, videbat solem et lunam ac siderum motus errantium: quorum magnitudinem, pulcritudinem ac virtutem demiratus ad Christum mente oculisque corporeis se convertens dicebat: Elevata est magnificentia tua super coelos.

632. Si quando pro mortalis hominis ingenio, dubitabat: aut altius minime intelligebat, scientissimum Christum sciscitabatur. Taceo quoties de divinarum litterarum altissimis sensibus, locutus est cum Beatissima Virgine, pia obiiciens disputatione. Singulis

Digitized by Google

sabbatis, ubi commode poterat, synagogae intererat, divina quam attentissime audiens dogmata: seniorum quoque interpretationes observans. Domum rediens, multa saepenumero Christo ac Beatae Virgini proposuit. Ipso elocutionis more Christi et Beatae Virginis ad divina cognoscenda, altissime elevabatur: magis magisque attendebat, Iesum esse quem Moyses et prophetae venturum praedixerant.

633. Compatiebatur Iudaeorum cecitati intra se dicens: Cur non, o Deus vere, isthac Iudaeorum seniores doces? Ostende eis faciem tuam. Appare coram Ephraim, Beniamin et Manasse. Forte talibus patris putativi votis, satisfacturus Iesus, duodenis in templo disputare voluit, conticens deinde usque ad praefinitum tempus a Patre. Neque ambigendum post publicam disputationem Christi cum doctoribus in templo, Ioseph de divinis Christum interrogavisse, magna quoque et inenarrabilia didicisse. Et mens eius contemplata est multa sapienter: deditque cor suum, ut sciret prudentiam. Irrigabatur vero mens illius fonte hortorum et puteo aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano Fiebat in eo fons aquae vivae, salientis in vitam aeternam.

634. Minus profecto perspicax esse videtur. qui dubitat Ioseph haud ignobilis fuisse ingenii virum, et cum sapientia ipsa multos per annos demoratum, praestantissimo scientiae dono, non claruisse? Qui praestant ingenio, qui prudentia vigent, qui mysteria rerum divinarum inter humana gesta, experientia teste didicerunt, fideli voce pronunciabunt, Ioseph scientissimo Dei munere praecelluisse. Neque ars fabrilis dono scientiae Spiritus Sancti adversatur: sed scientiae per doctores acquirendae, aut intentione, aut longo voluminum ordine legendo. At Ioseph, quod doctor non describatur in sacris litteris, non rabbi, non senior, non legisperitus, non ideo negandus est alto nituisse ingenio: quia quae stulta sunt mundi elegit Deus et sapientes huius saeculi stultos ostendit...

635. Crediderim ego ipse, neminem tempestate Ioseph, id est Christo nascente ac puero, sive inter Iudaeos sive inter philosophos, attentiori ingenio divina eo magis scrutatum fuisse, Christi assidua tractus elocutione Divaeque Matris coelesti sermone.

Donum pietatis.

636. Deinde considerandum est de dono pietatis... Pracepta vero Dei ac superiorum hortatus vehementer provocant ad pietatis opera. At cum divinus Ioseph sciret Deum verum pro nostra reparatione, humanam carnem indutum, calamitates vitae mortalis sustinere: tanto maiore pietatis affectu illum prosequi conabatur, quanto regis immortalis maiestas, regum dignitatem mortalium superat. Mortalium ceteri imagini Dei pietatem exhibent Ioseph eidem imagini Dei ac ipsi Deo opera libavit pietatis.

637. Si totius imperator orbis quispiam iustus ac timoratus, malignantium servorum coniuratione profugus ad nos veniret, de nobis confidens, nos amicos ac parentes vocitans: nonne dignum foret, ut totis cordis visceribus in illum pietatis opera expanderemus? Quid de Ioseph, recta ratione praevia, a nobis cogitandum erit? cum ad se Regem regum infantulum nudum omnique carentem suffragio, cum Virgine matre puella declinasse, oculo mentis certo certius intueretur, sensu experiretur, ac signis doceretur mirabilibus.

638. Excitabat Ioseph pietatis donum, magis magisque exardescebat, contemplatus charitatem sponsae Virginis erga se ac infantuli futura beneficia. Adde quod Virgo vera erat uxor, infans vero filius suus putabatur. Cogebant ad ea divinum mandatum, quod multipliciter sibi exploratum erat angelica exhortatio, prophetarumque et legis certa cognitio. Hinc ingens oriebatur veneratio erga Christum ac Beatam Virginem, eo quidem affectu quo neminem suae tempestatis divinas vel sanctas res, veneratum credimus.

639. Si rationis expers non sum, tanto pietatis affectu arbitror nunquam Abraham angelos excepisse hospitio, quanto Ioseph Christum ac Beatam Virginem. Cur patriarchas pietatis munere, claruisse praedicamus: nisi quia fide Deum coluerunt, alte cognoverunt, vixereque simpliciter. Maior profecto Ioseph fides patriarcharum fide, amplior Dei viventis cognitio, simpliciorque mos vivendi. Quare donum pietatis in Ioseph, post Beatam Virginem, excelluisse praestantius non ambigo.

Donum timoris.

640. Denique de dono agendum est timoris. Timor Ioseph, respectu culpae, erat initialis de quo dicitur Proverbiorum VIII: Timor Domini odit malum. Hic timor comparatus timori casto, imperfectus est, perfectior in dies effectus ipse idem, timor castus efficitur. Castum hunc timorem vocat apostolus Paulus filialem ad Rom. VIII scribens: Non enim inquit, accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis in amore, in quo clamamus: Abba, Pater. Divus ait Augustinus castum hunc timorem assimilari timori castissimae uxoris, quae cavet ab omni offensa in sponsum, verita solam dilectionis minorationem. Duo sunt huius timoris actus. Primus est, sepa-

Digitized by Google

rari a Deo. Secundus, Deum eumdem venerari vel revereri. Est autem reverentia mixta cum dilectione subiectio. Hic est timor, quo claruisse Ioseph excellentissime non ambigimus.

641. Hic nempe timor ab amore nascitur, quia illius radix est charitas. Propter amorem itaque ferventissimum, propter laborem frequentatissimum, et propter Dei cultum purissimum, quibus oppido Ioseph emicuit, in eo quoque timorem castum pari fuisse gradu colligimus.

642. Verum reverentiam Ioseph erga Christum scimus: ex iustitia eius a Spiritu Sancto in scripturis approbata: ex laborum frequentia, quam pro illo pertulit: ex templi frequentia qua consueverat Deum adorare: Ierosolymam enim ascendere, illi mos erat secundum consuetudinem diei festi. Fuit igitur Ioseph templum, lucernas Spiritus Sancti continens semper ardentes, septem excisis columnis sustentatum. Fuit, inquam, vir unus id est singularis, propter electionem, propter operationem et propter secutam glorificationem. *Haec Isolanus.*

643. **Monitum.** — Gratias agamus Spiritui Sancto, qui tot donis et gratiis opulentissime ditavit S. Ioseph. O Ioseph, vere opulentissimus es, quia Spiritus Sanctus opulentissimis donis et gratiis ditavit te. Memento igitur inopiae meae, et uberrimis protectionis tuae auxiliis adiuva me!

CAPUT XXXIX.

De septem Beatitudinibus in S. Ioseph.

ISOLANUS fuse, pie et erudite de septem Beatitudinibus, relate ad S. Ioseph, agit p. 3, c. 13-16, ubi scribit: Divus nempe Augustinus de sermone Domini in monte, singulas beatitudines singulis attribuit donis. Nam timoris dono, paupertatem ascribit spiritus, qua deiicitur superbia: dono pietatis mansuetudinem, ad quam movet pietas: dono scientiae, luctus; iuxta illud Ecclesiastici 1: Qui addit scientiam, addit et dolorem: dono fortitudinis, esuries et sitis iustitiae, ad quam praecipue movet fortitudo indefessis laboribus: dono consilii, misericordia: iuxta illud Danielis IV: Placeat tibi consilium meum. Peccata tua eleemosynis redime. Dono intellectus, munditia cordis, qua gula abiicitur, quae hebetat intellectum propter fumos aggenitos, ascendentesque. Dono sapientiae, pacificatio, qua occiditur luxuria. Quia gustata suavitate Spiritus Sancti, quod fit per sapientiam, desipit omnis caro. At octava beatitudo, qua dixit Salvator: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum, non est distincta a praemissis beatitudo: sed quaedam praecedentium confirmatio.

645. Septem igitur beatitudinum donis claruisse Ioseph, dum viveret apud mortales, communibus hisce rationibus comprobatur. Sicut se habet excellentia donorum Spiritus Sancti, ita et septem beatitudines. Sed donis Spiritus Sancti excelluit Ioseph, veluti capite superiore probavimus: ergo etiam septem beatitudinibus. Paritas ac similitudo manifestantur per ea quae superius immediate dicta fuere, divo videlicet Augustino, singulas beatitudines singulis donis Spiritus Sancti.

646. Adhuc sicut se habet fructus ad fructum: ita se habet arbor ad arborem. Sed Ioseph fructum suarum beatitudinum in hac vita excellentissime consecutus est a Deo. Nam Reginam beatitudinis desponsavit vero ac reali matrimonio. Rex vero eiusce felicitatis in patrem illum delegit. Ergo beatitudines in hac vita excellentissime pariter possedit.

647. Praeterea Cherubim in futura beatitudine de supremis existit ordinibus, supremoque gradu attingens beatitudinem. Sed Ioseph in hac vita gessit vicem cherubim, positi ad custodiam paradisi terrestris, Beatam Virginem significantis: positi quoque ad custodiendum lignum vitae, per quod Christus figuratur. In hac ergo vita debuit Ioseph excellere in beatitudinibus possibilibus.

648. Item charitas Ioseph fuit in hac vita secundum actus superiores et inferiores praestantissima: ergo etiam gradus beatitudinum

Digitized by Google

a charitate, tanquam a radice proveni entes, fuere praestantissimi.

649. Adhuc, Ioseph patriarcha his claruit beatitudinibus. Fuit enim in pueritia pauper spiritu, id est humilia de se sentiens, haberet licet praesaga futurae somnia dignitatis, mitis cum fratribus in adolescentia, in iuventute sapiens, quia loquebatur sapientiam inter principes, fortis in virilitate, iustitiam regni supreme amans, misericors in senectute, ac in omni aetate pudicus, pacificus, honestus. Sed hic fuit figura divini Ioseph. His igitur multo amplius censendus est claruisse.

650. Verum, quo isthaec puriori clarescant lumine, de singulis singillatim argumentemur beatitudinibus. Discutiamus hebetis rubiginem ingenii, et Iosephicae maiestatis splendore acutiores effecti, maiora audeamus. Si vivax minime animus extiterit, cauta sit ratio, discursus prudens, fides certior, spes sublimior: latet equidem dignitas Ioseph praeclara et incognitus thesaurus, coelesti vero titulo insignitus a me perquiritur. Titulus illius digito Dei scriptus, talis est: Hic est sponsus Reginae coelorum, ac pater Filii Dei putativus. Thesaurus sunt virtutes, dona, beatitudines.

Beatitudo paupertatis.

651. Probemus itaque Ioseph pauperiei spiritus beatitudine, decorum quam excellentissime apud Deum claruisse: idque credere multiplex suadeat ratio, quod temporum intercapedo rebus ipsis experiri prohibuit.

652. Prima quidem ratio sumitur a causa interiori et immediata paupertatis, quae est humilitas cordis. Nam Matthaei quinto, super illud: Beati pauperes spiritu, glossa inquit: Pauper spiritu est humilis corde. Sed Ioseph fuit humillimus. Quamobrem humillimae Virgini in sponsum a Deo datus. Praeclarissima igitur paupertatis spiritus beatitudine nituit.

653. Secunda ratio est sumpta a causa interiori sed remota, quae est fides et devotio. Ibidem namque glossa inquit: Non necessitas, sed fides et devotio paupertatis beatos facit, ut contemptis omnibus Deo vivat. Haec autem omnia fides scilicet devotio mundi contemptus Deo vivere in Ioseph excellenter fuerunt. Igitur et beatitudo paupertatis.

654. Tertia ratio sumitur ab effectu ipsius paupertatis spiritus, qui est rerum abdicatio: et haec fit duobus modis per rerum subiectionem vel per earumdem omnimodam abiectionem aut utroque modo: iuxta illud Apostoli: Nihil habentes et omnia possidentes. Et hic est perfectissimus pauper-

tatis modus. At divinus Ioseph nihil habuit in affectu, terrenas abiecit divitias in effectu, omnia in Christo possidens, omnium habens iura; quia verus coniux Reginae omnium.

655. Quarta ratio accipienda est ab enumeratione graduum paupertatis in abiectione rerum.

656. Primus est dare superflua naturae sed non personae...

657. Secundus gradus est dare superflua naturae et personae...

658. Tertius gradus est, dare non tamen superflua sed etiam necessaria...

659. Quartus gradus est, omnia superflua et necessaria simul dare: sed semetipsum retinere...

660. Quintus gradus est, omnia dare et semetipsum addere. Matthaei XIX. Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus, et habebis thesauros in coelo, et veni et sequere me.

661. Sextus gradus est, omnia dare et seipsum relinquere: et praeterea laborare manibus ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti, relevans eius miseriam corporalem, sicut dicebat Apostolus ad Ephe. IV. In quo gradu fuit beatus Paulus apostolus, ut habetur Actuum XX. In quo pariter gradu extitit Ioseph, sed tanto altiori quanto pro dignioribus caeteris laborabat Christo et Beatissima Virgine. Usque adeo laboravit Ioseph manibus suis, ut de suo lucro expensas fecerit summo Imperatori ac Reginae mundi. Tantas quoque acquisivit gazas, ut Rex et Creator omnium appetierit in suum adoptari filium, et Matrem suam eidem in coniugem tradere. Quod et factum est.

662. Septimus gradus est, omnia et seipsum dare, et spiritu et corpore laborare, ut pascat proximum pane spirituali. Et hic gradus maior est praedicto: quia, ut dicit Gregorius, maius est reficere animam semper victuram quam ventrem quemque moriturum. Et iste gradus fuit communis Beatae Virginis et Divi Ioseph, qui Christum panem vivum, omnibus educando, prepararunt.

663. Octavus gradus est, omnia et seipsum relinquere et de substantia sui corporis partem accipere, et ad refectionem animarum proximis dare: hoc gradu potita est Beatissima Virgo, quae de purissimis sanguinibus suis viaticum nobis confecit, panem vivum, qui de coelo descendit. Haec est mulier illa, de qua Matthaei XIII. et Lucae XIII: Mulier commiscuit sata tria, donec fermentatum est totum. Tria sata sunt, divinitas, corpus et anima. Fermentum, ut divus inquit Bernardus, est fides Virginis, quae Deum humanae iunxit naturae, et homini refectionem confecit.

664. Nonus gradus est, omnia proximo

Digitized by Google

dare, et corpus et animam propriam et divinitatem unitam in cibum animae, sub specie tamen aliena: et hoc fuit opus misericordiae, et summum paupertatis donum Domini nostri Iesu Christi in via.

665. Decimus gradus est. dare seipsum totum corpus et animam et divinitatem sub specie propria, in cibum corporis et animae simul et semper in aeterna beatitudine: de quo Lucae XIV: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

666. His patet gradum beatitudinis paupertatis Ioseph fuisse proximum paupertati Virginis Beatissimae.

Beatitudo mansuetudinis.

667. Probatur multipliciter dono beatitudinis mansuetudinis, claruisse Ioseph quam excellentissime. Primo quidem per remotionem contrariarum qualitatum in subiecto. Quanto enim ab aliquo magis removetur culpa: tanto magis Deus eidem mansuetudinem infundit. Sed Ioseph fuit remotissimus a culpa actuali. Beatitudine ergo mansuetudinis quam clarissimus extitit.

668. Secundo, ab effectu. Est autem triplex effectus mansuetudinis. Unus respectu habentis: de quo ait glossa, Matthaei quinto: Beati mites. Mites, inquit, sunt qui malis moribus dominantur. Secundus est respectu proximi: de quo glossa ibidem: Mansuetus non irritat, nec irritatur, nec nocet, nec nocere cogitat. Tertius est respectu Dei a quo flagella sustinet immissa laboresque divinae satisfacturus voluntati. Inde glossa ibidem ait: Mitis est, quem non rancor vel ira afficit: sed omnia aequanimiter sustinet. Primum declarat effectum sanctitudo Ioseph. Secundum, mora eiusdem inter Ægyptios, per septem annorum circula. Tertium, longa eius duraque itinera, passionumve tolerantia pro Christo. Fuit igitur mitissimus.

669. Tertio. Idem luce clarius redditur ab officio. Electus etenim fuit a Deo, ut esset vir Virginis mansuetissimae: de qua in hymno concinit Ecclesia: Virgo singularis inter omnes mitis. Igitur et ipse mansuetissimus extitit. Probatur consequentia: quia paritas morum de ratione est matrimonii habentis omnes perfectiones, quale fuit matrimonium Ioseph et Beatae Virginis.

670. Denique Moyses, Ioseph et David fuere mansuetissimi. De Moyse enim legitur Numeri XXI: Erat autem Moyses mansuetissimus super omnes qui morabantur in terra. Sed Ioseph fuit terminus patrum veteris testamenti: ergo et ipse mitissimus.

Beatitudo luctus.

671. Beatitudinis luctus praestantiam in Ioseph fuisse duo arguunt. Primum est gaudium, quo in Christi praesentia laetabatur, super omnia mundi gaudia. Timens igitur amissionem summe desiderati, summe lugebat et tristatus est. Sicut enim se habet intentio gaudii ad positionem causae eiusdem: ita se habere debet rationabiliter intentio luctus, ad remotionem causae gaudii: praesertim quando illud gaudium est forma et consummatio reliquarum iucunditatum.

672. Secundum est, perfectio Ioseph, perfectio vero magis ac magis cogit hominem exclamare: Heu mei! quia incolatus meus prolongatus est. Paulus apostolus, perfectionis gradu altiori, imo pectore trahens suspiria, dicebat: Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?

Beatitudo esuriei et sitis iustitiae.

673. De esurie et siti iustitiae Ioseph, sic argumentamur. Esuries et sitis intenduntur propter praesentiam ciborum et potus concupitorum, et propter longa ieiunia, et propter vivacitatem naturae: et ubi haec tria simul, summa esuries summaque sitis arguitur. Sed iustitia vera Christus est: de quo psalmus canit: Iustus es, Domine, verus potus. Idem ipse fuit Christus, qui praesens fuit Ioseph, longa vero per tempora mundus ieiune esurierat. Et mens Sancti Ioseph erat optime disposita. Ipse igitur inter patres omnes veteris instrumenti, summopere esuriit et sitivit iustitiam.

Beatitudo misericordiae.

674. At beatitudinem misericordiae in Ioseph excelluisse suadet primo triplicis proportionis vel comparationis consideratio. Prima est, ad Christum, cui comparatus fuit Divus Ioseph: sicut filius ad patrem. Secunda est ad Beatam Virginem, ad quam comparatus est: sicut vir ad uxorem. Tertia est proportio ad synagogam et ad ecclesiam, inter quas stetit Ioseph, sicut finis synagogae et principium ecclesiae. Talis igitur censenda est, rationabiliter excellentia beatitudinis misericordiae, qualis fuit proportio eiusdem ad auctorem, reginam, ac statum misericordiae. Sed eius proportio fuit eminentissima: ergo in beatitudine misericordiae, eumdem percelluisse Ioseph, ambigendum minime est.

675. Itidem ab effectu, ad idem arguitur. Ambrosius ait: Misericordia est, nullum relinquere in miseria et nullum miserum facere. Adhuc Bernardus: Misericordia non solum in eleemosynis consistit: sed in omni peccato corrigendo. Intellige vero in se primum, et in proximo secundum conditionem status proprii. Quae peregregie fecit Ioseph innumeris laboribus, nutriendo Filium Dei, qui omnium esset miserias purgaturus, vitia correcturus, ac mundum innovaturus.

Digitized by Google

Beatitudo munditiae cordis.

676. Verum beatitudinem munditiae cordis in Ioseph claruisse quatuor persuadent. Primum est effectus negativus. Secundum effectus positivus. Tertium est radix prima. Quartum est causa immediata eiusdem munditiae cordis. De effectu negativo, qui est negatio remorsus conscientiae, glossa Mathaei quinto ait: Mundo corde sunt, quos conscientia non arguit peccatorum. Effectus positivi sunt purgare, illuminare et perficere. Nan beatus Dionysius quinto capite coelestis Hierarchiae ista ascribit angelis purissimis. Prima radix est fides, iuxta illud: fide purificans corda. Causa vero immediata munditiae cordis est charitas. Primae ad Tim. primo: Charitas est de corde puro et conscientia bona.

677. Sed haec quatuor excelluisse in Ioseph nullus ambigit catholicus: quoniam tanto perfectius in eo isthaec fuisse confitetur, quanto acutiori fide ingenioque elevatiori viget. Catholicos enim nullos Ioseph latet dignitas: nisi aut sacrarum fuerint ignari litterarum: aut hebetis ingenii et parum perspicaces: aut de huiuscemodi quadam ignavia non ratiocinantes: quemadmodum sacrae theologiae doctori cuipiam accidit, me praesente. Disputans nempe forte fortuna de Sancti Ioseph sanctitudine, indigna nimis suo praeferebat statui. Et cum excitaretur a me ad considerandas sancti evangelii propositiones de Sancti Ioseph altitudine, ut adolescens inexcogitata meditans, demirabatur...

Beatitudo pacis.

678. Beatitudinis pacis gloriam in Ioseph, tria concludunt. Sunt autem ea, praemium: ratio sive forma: et effectus. Praemium pacis est filiatio Dei. Matthaei quinto: Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur. Sed Ioseph, non solum gratia et adoptione filius fuit Dei: sed id habuit quod nemini alteri donatum est. Nam patris Dei nomine, consecratus fuit. Igitur praestantissime in eo fuit inventa beatitudo pacis.

679. Ratio pacis est illa quam glossa ponit super illud Matthaei quinto: Beati pacifici, sic dicens: Pacifici sunt, qui omnes motus animi rationi subiiciunt: quia his nihil repugnat, quia similes patri suo sunt, qui est summa quies. Haec autem Ioseph, qui fidei fundamenta rationi iungere satagunt.

680. Effectus est duplex in se et in nobis. Ait enim glossa ibidem: Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici. At Ioseph tanta gestiebat carnis quiete, ut odore virginitatis coelesti tractus virginitatem observaret; magisque in ea oblectaretur quam in carnis deliciis. Quamobrem alter secutus est effectus. Nam Salvatorem nobis enutrivit, qui carnis pace Ioseph oblectatus in eius brachiis quiescere voluit.

Beatitudo patientiae in persecutionibus.

681. Quas tandem fuerit perpessus persecutiones, sancto docente evangelio, cognovimus. *Haec Isolanus.*

682. **Monitum.** — Dona beatitudinum, quibus Deus uberrime ditavit SS. Sponsum B. V. Mariae, et fidelitatem illius sanctissimi **Iusti** in negotiatione talentorum, saepe pieque ad mentem revoca, et dicito: O Ioseph, inter omnes beatos, post Immaculatam Sponsam tuam, beatissime, ora pro me, ut ad tui imitationem pauper spiritu sim et evangelicae paupertatis amator, mitis et humilis corde, lugens pro Iesu et propter Iesum, veram esuriens et sitiens iustitiam, corde, verbo et opere misericors, mundus corde, vera sanctaque pace pacificus, patientiae et abnegationis cultor assiduus. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XL.

De dono plenitudinis gratiae S. Ioseph concessae.

MAGNUS Doctor Iosephinus S. Bernardinis Senensis, in princ. serm. de S. Ioseph, scripsit: *Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*, Matth. XXV. Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum, generalis regula est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae, et eius officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Patet autem hoc in patribus veteris Testamenti, scilicet, in Moyse, Iosue, Abraham, Isaac, Iacob, David, Salomone, et sic de aliis Prophetis. Patet etiam hoc in novo Testamento in Virgine benedicta, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, et in Religionum Institutoribus, et sic in toto decursu veteris et novi Testamenti reperietur.

684. Quod maxime verificatum est in Sancto Ioseph putativo Patre Domini nostri Iesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi, et Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis nutritius, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet, Filii eius, et sponsae suae, quod officium fidelissime prosecutus est... Triplex enim gratia a Deo ipsi collata est. Prima conversationis virginalis: secunda conversationis divinalis: tertia conversationis specialis.

685. *Prima gratia ipsi divinitus data est conversationis virginalis.* Porro per respectum ad Sanctam Virginem necesse est hunc virum fuisse admirandae gratiae et virtutis, et maxime quoad tria, videlicet, primo quantum ad matrimonialem unionem: secundo quoad continuam cohabitationem; tertio quoad sedulam administrationem; quum super omnem puram creaturam ipse habuerit respectu eius unitatem, familiaritatem, et obsequiositatem...

686. *Secunda gratia ipsi coelitus data, fuit conversationis divinalis.* Et quantum ad hanc admiranda debuerunt esse huius sancti viri duo, quae in praecedenti cap. dicta sunt, scilicet, cohabitatio, et administratio in omnibus necessitatibus. Non solum referri debent ad Virginem; verum etiam ad Iesum, cum quo cohabitando, et ei administrando in omnibus necessitatibus suis admirandas gratias, et virtutes hic Sanctus adeptus est.

687. *Tertia gratia isti sancto seni divinitus data fuit conversationis specialis.* Nam si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam huic debet gratiam, et reverentiam singularem.

688. Ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit.

689. Sublimi hac S. Bernardini doctrina tanquam fundamento posita, facilius videbitur rationabilitas sequentis piae considerationis Isolani, p. 3. c. 17: Sacra referunt eulogia, ait Isolanus, nonnullos, divino munere, plenos gratia fuisse. Christus nempe plenus gratiae et veritatis, legitur. Diva Mater, gratia plena ab angelo fertur. Stephanus plenus gratia et fortitudine, in Actibus apostolorum laudatur. Tabitha itidem plena operibus bonis et eleemosynis, capite nono eiusce voluminis asseritur. Apostolos vero Spiritu Sancto repletos scimus. Qua de re nunc quaeritur: An haec gratiae plenitudo, Sancto Ioseph convenire queat: ita ut de illo dicere possimus, quod in Esther libri capite quinto decimo legitur: Vidi te, Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum prae timore gloriae tuae. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.

690. Dicitur itaque plenitudo gratiae supereffluentis doni eius, abundantia quae duplex existit. Prima non recipit et effluit: et haec est solius Dei. Secunda recipit et effluit, et haec hominibus quoque competit, licet diffomiter. Alia enim fuit plenitudo gratiae Christi: alia divinae Matris eius: alia reliquorum. Substantialiter quidem plenitudo Christi est veritatis et divinitatis, dicente Apostolo: In illo habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Beatae plenitudo Virginis

Digitized by Google

fuit mentis et ventris, reliquorum vero mentis tantum. Origine pariter differunt hae plenitudines. Prima enim est fontis. Secunda fluminis a fonte. Tertia rivuli ab utroque.

691. Verum plenitudo gratiae, quae communis sanctis existit, duplex invenitur. Quidam etenim sancti effluunt de interiori perfectione ad exteriorem perfectionem, ad suam salvationem et aliorum per bona exempla aedificationem. Et haec plenitudo sufficientiae dicitur, ad quam omnes potentes operari tenentur. Alii effluunt per bonam operationem, et doctrinam salutarem, et in ecclesiae totius aedificationem. De prima dicitur Actuum nono: Tabitha plena bonis operibus. De secunda ibidem secundo: Apostoli repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Et haec ultima est duplex. Quidam enim effluunt bonam operationem et instructionem. Quidam autem et super haec, animam ponunt pro Christo. Prima communis est doctoribus omnibus, secunda martyribus: de qua dicitur Stephanus plenus gratia et Spiritu Sancto.

692. Ad quaestionem itaque respondetur: Plenitudinem Christi habuisse participative Ioseph excellenter, plenitudinem Beatae Virginis singulariter, apostolorum virtualiter, reliquorum formaliter, sed cum excellentia et perfectione.

693. Plenitudine autem Christi participavit excellenter Sanctus Ioseph, propter prioritatem. Prior enim inter viros ea gavisus est, illum excipiens gremio mentis et corporis. Propter dignitatem. Meruit enim dici pater Christi. Propter charitatem. Etenim operibus, votis, exilio, se cuncta acturum pro dulcedine Dei ostendit: cuius divinitatis plenitudinem in Christo participabat, amando, vivendo, audiendo, tangendo. In fonte Christi supereffluenti bibebat ad satietatem: et fiebat in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

694. Verum plenitudinem Beatae Virginis participavit Ioseph singulariter, propter unionem, psopter subiectionem et propter revelationem. Unio fuit amoris coniugalis, subiectio fuit alternae operationis, revelatio internae consolationis. Neque enim ambigendum est Beatissimam Virginem, passam fuisse Ioseph expertem suae perfectionis, iucunditatis ac consolationis. Erat profecto pientissima, inexcogitata mortalibus experiens gaudia, propter praesentiam Christi et angelorum, quae viro suo sibi dilectissimo aperire satagebat, cum omni humilitate, ut in suis laboribus solatium haberet divinum. Sic itaque mater viro intacta implebat Domini praeceptum communione spiritualis gaudii: Et erunt duo in carne una Volebat namque carnem Ioseph, iisdem affici gaudiis quibus ipsa gestiebat, ut esset adiutor similis eius.

695. Apostolicam quoque plenitudinem virtualiter habuit Ioseph mente et corpore. Mente quidem propter abundantiam gratiae gratum facientis: corpore, propter mirabiles splendores, quos in Christo animadvertisse Ioseph, rationabile est.

696. At reliquorum plenitudo sanctorum, undique fulget in Ioseph superius dicta, inferiusque explicanda legentibus. *Haec Isolanus.*

697. **Monitum.** — Curemus in nobis et in nostris « laudis aliquid vel honoris instituere pro virginali Sponso Mariae Ioseph, cuius honor redundat in Ipsam et in Eum qui de ea natus est Iesus Christus » (sunt verba Gersonii, serm. de Nat. B. V. consid. 4), dicamusque cum eodem Gersonio, ibidem :

O nimium dilecte Deo, cui sponsa frequenter
Blanda Iesum gremio posuit, fidenter adimus
Hunc thronum, residet ubi gratia salvificans nos
Mira Ioseph iusti virtus, laus mira, Mariam
Cui Deus uxorem sociat, mirare sacratum
Foecundum prolis cum virginalis honore
Coniugium, faber o mirus cui subditur ultro
Auroram et solem qui fabricat, huncque benigno
Nominat ore patrem, tal quoque gaudet alumno.
Regia stirps, et sacra Ioseph te reddit ab ortu
Claris insignem titulis, te laeta decenter
Pauperies, manuumque labor nutrivit, obinde
Strenuus et liber, ac psalmo teste, beatus.
Hinc uxor tua tecum sicut vitis abundans
Te Dominum, Sponsumque vocat, nos redde beatos.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

De eximia sanctitate S. Ioseph super alios sanctos generatim, post B. V. Mariam, non exclusis Baptista et Apostolis.

CARTHAGENA, lib. 4. hom. 7. ait: In Ecclesia catholica plerique sanctorum eo speciali nomine colii, et honorari merentur, quod se peculiari ratione Sanctissimae Deiparae Mariae devoverunt, ut Sanctus Lucas, qui religionis, ac pietatis zelo ductus, varias imagines depinxit adamussim illam referentes; pariterque Mariana arcana copiosius, quam reliqui evangelistae descripsit; Sanctus Dionysius qui ab Athenis, ut coelestem eius vultum intueretur, multo labore longissimum iter confecit; Sanctus Cyrillus, qui contra impios haereticos in Matris Dei nomen debacchantes, honorificentissimam hanc Dei Genitricis nomenclaturam in concilio Ephesino acerrime defendit; Sanctus Ioannes Damascenus, qui pro singulari amore, quo Virginem prosequebatur, varia, eaque egregia eius praeconia nobis scripta reliquit; in quorum Beata Virgo praemium abscissam inique manum benevole ei restituit; Sanctus Ildephonsus, qui ab helvidianae haeresis Marianam virginitatem abnegantis impudentissimis calumniis sapientissime vindicavit; Sanctus Anselmus, et D. Bernardus, qui in eius laudibus decantandis assidui praecones fuerunt; ac tandem Sanctus Ioannes Evangelista prius omnibus illis divino Christi oraculo adoptivus Virginis Filius institutus, qui eo id attestante, « accedit eam in sua ».

699. Si, inquam, hi omnes Sancti, eo quod speciali ratione se. suasque lucubrationes Virgini consecrarunt, digni sunt, ut speciali etiam cultu fideles eos venerentur; quantus quaeso honor Beatissimo Iosepho deferri debet, qui matrimonii pariter, et amoris vinculo Virgini coniunctissimus fuit?

700. Sane quaecumque excogitavero encomia, minora erunt, quam Deiparae Sponsi celsissima dignitas meretur; adnitar tamen, Deo auspice, ex hac tanta dignitate, velut ex principio, excellentiam sanctitatis Divi Iosephi super reliquos Sanctos, tamquam piam, ac valde probabilem conclusionem deducere, imitans in hoc D. Paulum, qui, sicut ex dignitate, et nomine Filii Dei, excellentiam eius super omnes Angelos intulit: « Tanto, inquit Hebr. 1), melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit ». Ad eumdem modum licebit mihi philosophari, tanto Iosephum aliis sanctiorem, quanto differentius prae aliis nomen, ac honorificentissimum « Sponsi Dei Genitricis, et Patris Christi » titulum obtinuit.

701. Divina namque providentia non consuevit inanes titulos, et rebus vacua nomina donare, sed quibus insignes titulos confert, insignem etiam idoneitatem impertitur. Unde, si imperator Valentinianus (lib. 2, c. de Crimine sacril.) dixit, « disputare de principali iudice non oportet »: sacrilegii enim instar est dubitare, an iis dignus sit, quem elegerit imperator; quanto magis execrandum sacrilegium esset suspicari, Deum optimum Maximum, qui Sponsi Genitricis suae dignitatem Iosepho donavit, idoneitatem ad eamdem non contulisse?

702. Hinc doctor Thomas (3 par., qu. 27. art. 4) inquit: « Quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei »...

703. Cum ergo Beatus Ioseph electus fuerit a Deo ad insignem illam Sponsi Dei Genitricis, et Christi Patris dignitatem; nemo sanae mentis inficiabitur, omnem sufficientiam, et idoneitatem ad illa munia exercenda necessariam divinitus ei fuisse collatam; unde, sicut Deus optimam omnium feminarum elegit in Matrem, ita optimum omnium virorum decebat eligere in eius Sponsum... Si enim quando arca Dei missa fuit in possessionem Aminadab (ut habetur I Reg. VII, Eleazarum filium eius sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini, vei ut Hebraei legunt, praeparaverunt, seu disposuerunt; consequens est, Deum maiorem curam adhibuisse in sanctificando, praeparando, ac disponendo Iosepho, cui decreverat Marianam arcam, in qua Filius Dei claudendus erat, ut loquitur Ecclesia « ventris sub arca clausus est », custodiendam tradere.

704. Et quidem, si, ut sacra Geneseos narrat historia (Gen. v), ad terreni paradisi custodiam praefecit Deus Cherubim; rationi consonum erat, ut ad custodiendum coeleste Mariae paradisum, sic enim illam vocat

Digitized by Google

Sponsus: « Emissiones tuae, sicut paradisus », praeficeret non Cherubim, sed ardentissimum Seraphinum, Iosephum scilicet seraphici amoris flammis exustum ..

705. Cum B. Ioseph electus fuerit in consortem, et Sponsum Deiparae Mariae ad paternum munus obeundum erga Christi Domini personam, sud humana carne latentem, par erat rationi, ut, sicut cum B. Virgine in hoc paterno munere et officio communicabat, ita et de spiritu, et gratia, ac singulari illius sanctimonia prae omnibus sanctis participaret...

706. Si enim Deipara Maria tanta praecelluit sanctitate, ut Beatus Petr. Damian. (Serm. de Assumpt.) dixerit: « Maria singulorum, et omnium titulos antecedit. Attende Seraphim, et videbis, quidquid maius est, minus Virgine est ». Et Andreas Cretensis (Serm. de dorm. Virg.): « Excepto Deo, es omnibus altior, o sancta, et sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure ». Doctor Hieronymus (Ser. de Assumpt. Virg.): « Hortum deliciarum, in quo consita sunt omnia florum genera, et odoramenta virtutum ». Ac tandem D. Anselmus: « Decuit, ut ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi »; non potuit D. Ioseph, qui per suae uxoris sanctitatem, tamquam per normam, per triginta annos, quibus in consortio eius vixit, vitam suam accuratissime regulavit, prout Sponsum Dei Genitricis decebat, non, inquam, potuit prae omnibus Sanctis coelestibus charismatibus multisque virtutum meritis cumulatissimus non esse...

707. Cum enim ipsa probe agnosceret coniugis strictam obligationem, ut virum suum diligat, certissimum est, illam perfectissime implevisse, atque adeo omnes feminas, quae in amore suorum virorum exarserunt, ac stupenda suae dilectionis argumenta exhibuerunt, longo intervallo superasse. Amavit igitur B. Virgo... B. Iosephum plusquam Patriarchas, et Prophetas, Martyres, et Apostolos, ac universos Angelos...

708. Deipara Virgo adeo unum cum viro suo Ioseph se esse putabat, ut quamvis perfectissima esset, imperfectam quodammodo se existimaret, si dimidia eius pars, nempe Ioseph eius coniux, imperfectus esset. Unde non dubitaverim, Deiparam Mariam excellentissimam perfectionem super omnes Sanctos illi impetrasse: non enim amor illius erga virum suum sterilis fuit, sed foecundissimus...

709. Addo coniecturam, unde excellentiam sanctitatis D. Iosephi arguere possimus, amicitiam scilicet, et familiaritatem quam habuit cum Deipara Maria legitima Sponsa sua...

710. D. Chrysostomus (hom. 9): « Nihil potentius muliere bona ad instruendum, et informandum virum quodcumque voluerit ». Si ergo tanta esse noscitur uxoris efficacitas, et energia, ad viri sui mores verbo, et exemplo componendos, evidens est, maximam omnium habuisse B. Virginis familiaritatem ad recte informandum virum suum, non quidem infidelem, ut illi, sed sanctum iam, et iustum, ut Evangelista testatur...

711. Quod si B. Virgo tam erat potens opere, et sermone, ut eius salutationis vox exultare, ac tripudiare fecerit in gaudio Ioannem Baptistam maternis visceribus clausum, adeo ut infantis anima prae amoris ardore liquefacta fuerit, ut Maria locuta est; quantum quaeso putamus spiritualis gaudii, et virtutis incrementum ex conversatione Virginis suscepisse Iosephum, qui et Deiparae Mariae vocem audire, et faciem videre, exemplo accendi, ac beata illius non solum praesentia, sed etiam coniugali familiaritate, et amicitia frui meruit?...

712. Quod attinet ad vitam activam, ille, Christum infantem ita protexit, et enutrivit, ut quod de Deo dicitur iustum protegente (Psal. xc), « Scapulis suis obumbravit tibi, et sub pennis eius sperabis », merito de Iosepho dici possit respectu Dei, quem ipse scapulis suis infantem obumbravit, et sub pennis suae protectionis benevole suscepit.

713. Deinde, cum omnes Iosephus externas operationes, ac labores fabrilis artis ad Christi Domini infantiam, pueritiam et iuventutem per triginta annos nutriendam, ac sustentandam dirigeret, non potuit vita eius activa, excepta Virgine, non omnium fuisse perfectissima; unde si Iob dicebat (c. xxxi): « Si comedi buccellam, et non comedit ex ea pauper »: melius sane Ioseph dicere potuisset: si comedi buccellam, et Iesus non comedit ex ea: quare nemini, excepta Deipara, tam proprie, quam Iosepho, potuit Christus dicere (Matth. xxv): « Esurivi, et dedisti mihi manducare: sitivi, et dedisti mihi bibere ».

714. Quod si potum aquae frigidae pauperi porrigere, opus adeo ille sibi pergratum fatetur, ut in eius praemium vitam aeternam polliceatur (Matth. x): « Qui dederit calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam »; non potuerunt non gratissima esse Christo Domino opera vitae activae, quae immediate circa eius humanitatem noster Ioseph exercuit...

715. Ex his externis operibus facile erit gradum facere ad interna vitae contemplativae opera, ad quorum exercitationem nemo profecto inter mortales, Beata Virgine excepta, opportuniorem occasionem nactus umquam fuit: nam si Salomon ait (Proverb. vi): « Numquid potest homo abscondere ignem

Digitized by Google

sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? », certe cum Ioseph ignem, idest, Christum, « Deus enim ignis consumens est » (Hebr. XII), sinu suo portaverit, immo millies contrectaverit, expoliarit, vestiverit, amplexatus, et exosculatus fuerit, consequens erat, flammis amoris illius vehementissime ardescere...

716. Plerosque sacra eloquia commemorant, qui contemplativae vitae non segnes cultores fuerunt... Hos omnes Sanctus Ioseph tanto contemplativae vitae praestantia antecelluit, quanto prae his ad eius exercitia ex visibili Christi, et Mariae exemplo, et continua triginta annorum praesentia ardentius accendebatur, ed ad ferventissimos amoris actus eliciendos, potentique eorumdem auxilio frequentius iuvabatur; maxime quod, ut refert D. Petrus Chrysologus (serm. 15), Ioseph pariter cum Maria nocturno tempore, quasi monasticam vitam agerent, consurgere consueverunt ad preces Christo Domino effundendas, quem medium inter se sacri illi coniuges constituebant.

717. Sicut enim nos orantes, imaginem Christi nobis adhibemus; ita illi ipsum Christum Dominum, qui figura erat substantiae Patris, et imago bonitatis illius, adorandum sibi proponebant, et tamquam in radiantem solem iustitiae semper aspiciebant: quod si sol, tametsi distans sit a terra, aurum in visceribus illius, et margaritas in conchiliis virtute radiorum suorum procreat: quanto putamus in Mariam, et Iosephum adeo proximum iustitiae solem liberaliorem extitisse? Crediderim sane coelestium charismatum margaritas, ac divini amoris aurum superabundantius. quam omnibus illis magnificentissime donasse.

718. Certe, si D. Athanasius, id referente Gratiano (lib. 3, cap. 4), contemplabatur porticum bethlehemiticum, velut sacerrimum templum, ubi praesepe erat altare; infans Deus humana carne indutus, Sanctissimum Sacramentum; sacerdos Ioseph; cantores angeli; aeternus Pater episcopus; Maria thronus, ac sedes episcopalis; licebit mihi simili modo contemplari domicilium illud, in quo Iesus, Maria et Ioseph habitabant, non solum velut domum orationis, sed ut coelestem aulam. Nam, si coelum a celando dicitur, quia coelestes opes celat: merito domuncula illa coelum meretur appellari, quae summum Incarnationis mysterium tegebat, et utriusque coniugis virginitatem celabat.

719. Quod si in coelo Beatissima habitat Trinitas, adest et in hac coelesti domuncula sacrosancta illa trinitas, Iesus, Maria, et Ioseph; sic enim loquitur magnus ille Cancellarius parisiensis (Serm. de Nat. Virg.): « Cuperem, ut mihi verba suppeterent ad explicandum tantum mysterium, tam admirandam, venerandamque trinitatem, Iesus, Maria et Ioseph ». Maria quidem refert Patrem, cum integra manens, eundem in tempore conceperit, ac peperit, quem ille ab aeterno genuit; Iesus ipsamet Verbi divini persona est; Ioseph autem Spiritus Sancti personam repraesentat, quia sicut ille amor est Patris, et Filii, Sponsum animarum, ac Paracletus, et consolator; ita Beatus Ioseph Matrem, et Prolem ardentissime amabat, Deiparae Virginis Sponsus, ac totius illius Sacrae Familiae solatium, et gaudium erat: ac tandem si in coelesti illa beatorum aula cuncti illius coelicolae clara Dei visione fruuntur; non secus Maria, et Ioseph clara humanitatis Christi intuitione continuo laetabantur. Cum ergo Beatus Ioseph in consortio Virginis vitae activae, et contemplativae perfectissimum gradum attigerit, nemo mihi audaciae adscribat, si perfectissimum omnium Sanctorum, una B. Virgine excepta, illum praedicem.

720. Ex his omnibus aliam efficacem rationem elicio huic argumento valde consentaneam, quia ministerium Iosephi, tam in ratione sponsi, quam adoptivi patris Christi fuit summe coniunctum cum ipsamet Christi persona, adeo quidem, ut proximius, quam omnis alia dignitas ad Dei Matris sublimissimam dignitatem accessisse videatur. Licet enim ministerium apostolatus in ordine gratiae gratum facientis, ut theologorum more loquar, supremum in Ecclesia dignitatis fastigium attingat, D. Paulo dicente (1. Cor. XII): « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primumApostolos»; in ordine tamen gratiae unionis hypostaticae, qui ex suo genere perfectior est illo, et in quo primum locum obtinet humanitas Christi, quae immediate unita esse noscitur personae Verbi; secundum Beata Virgo quae carne Verbum indutum genuit, et perperit; tertium locum tenuit Beatissimus Ioseph, cui de alendo, nutrieudo, educando et protegendo Deum hominem specialis cura, nemini umquam data, divinitus fuit commissa, et forte hoc D. Matthaeus Evangelista (c. 1) significare voluit in eo ordine, quem servavit, quando post Iesum, et Mariam, tertio loco Iosephum nominavit, indicans in hoc, quod sicut in hac nominatione tertium locum obtinet Ioseph, eumdem etiam in gratia, et sanctitate teneat.

721. Cum ergo Sanctus Ioseph in hoc excellentissimo unionis hypostaticae ordine infimum gradum teneat. et infimum supremi excedat supremum infimi, ut infimus Seraphinorum excedit supremum Cherubinorum; consequens est, ut non solum ministerium Iosephi apostolorum ministerium, sed et gratia tanto muneri debita illorum

Digitized by Google

gratiam longe superet: et merito quidem, quia illorum munus, seu ministerium ordinabatur ad corpus mysticum Ecclesiae tuendum; ministerium autem Ioseph immediate versabatur circa corpus naturale Christi nutriendum, fovendum, et protegendum..

722. D. Chrysostomus, qui (homil. 27, oper. imperf.) praeposuit Apostolis Ioannem Baptistam, ipse (in homil. 4) sic per Matthaeum testatur, Iosephum non esse inferiorem Ioanne Baptista; sic enim ait: « sicut Christus existens in utero, Ioannem per matrem sanctificavit; ita profecto eandem summam quandam gratiam Iosepho donavit, qui illius difficillimi negotii pondus, tam forti, ac prudenti animo sustineret: ac propterea tantam ostendit mentis philosophiam ».

723. Tandem nobis adversari putant verba Christi Domini dicentis (Matth. 1): « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista ». Sed neque locus hic quidquam obest: nam illa glossa praetermissa, quae illud explicat, quod nullus fuit maior austeritate ab infantia sua; omissa etiam aliorum expositione qui dicunt, sensum verborum illorum esse, ut nullus Ioanne Baptista fuerit maior in opinione hominum, cum Messias fuerit reputatus; his, inquam, interpretationibus explosis, D. Hilarius (can. 11),et D. Augustinus (l. quaest. vet. ac novi test. quaest. n. 26), interpretantur illa de maioritate, et excellentia in dono prophetiae Verba Hilarii sunt haec: « Ex natis mulierum nullus maior Propheta surrexit ». His similia sunt alia D. Augustini dicentis: « Nullus Propheta, Dominus ait, maior Ioanne surrexit inter natos mulierum ». Praefatumque sensum germanum esse, constat aperte ex Lucae (c. VII), ubi Christus dixit: « Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est ».

724. Ex his omnibus infero, magis vere, ut opinor, quam audacter, excepta B. Virgine, D. Iosephum, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita et gloria in triumphanti omnes Sanctos praecellere: sicut enim sacri hi coniuges dignitate et paterno munere erga Christum in mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dum vitam mortalem agerent, ita ad aeternam felicitatem translati, beatitudine, et gloria propinquissimos esse decebat...

725. Equidem cum Christus Dominus dixerit (Matth. x): « Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet »; certe Ioseph, qui Christum Dominum supremum omnium Prophetarum millies in domum suam suscepit, non potuit non eius praemium omnium Sanctorum esse supremum.

726. Verum, ut rem hanc pro modulo nostro nonnihil elucidemus, placet D. Bernardum (sup. missus est) imitari: nam sicut ille contemplatur divinas personas de humani generis salute sollicitas, de Incarnationis remedio exequendo inter se sermonem iniisse; ita et ego appropinquante tempore, quo Sancti Iosephi merita remuneranda erant, contemplor Patrem, et Filium, iustar Tobiae iunioris, et senioris, de praemio illi conferendo inter sese collocutos fuisse. Sacra refert historia, patrem Tobiae, post reditum filii, illum ad se accersisse, ut de mercede Angelo Raphaeli danda, quem hominem esse putabant, pro labore itineris, quod cum ipso filio confecerat, inter se confabularentur: « Quid, inquit senior Tobia, possumus dare viro isti, qui venit tecum? » respondit filius: « Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus: quid illi haec poterimus dignum dare?

727. Non dissimiliter, aeternum Patrem Christo Domino dixisse contemplor: Quid retribuemus, Fili, iusto huic viro Iosepho, cui ego te, tanquam patri, in terris tradidi? Filius respondit: Quam mercedem, Pater, dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ab eo per triginta annorum curriculum in me collatis? Ipse, antequam nascerer, me comitatus est; deinde iam natum me duxit, et reduxit Nazareth, in Bethlehem, inde in Ierusalem, a Ierusalem in Galilaeam; postea ab angelo admonitus, ut a devoratione immanissimi illius piscis (Herodem crudelem intelligo) me eriperet, in Ægypti longinquam regionem duxit, ubi labore artis fabrilis, et sudore vultus sui, et matrem, et prolem alebat; Deinde ex Ægypto in Nazareth me reduxit; ipse peregrinationis meae fidelissimus extitit comes; ipse mihi esurienti cibum, sitienti potum porrigebat; ipse, cum hospes essem, me suscipiebat, cum nudus, me induebat; ac tandem, quamdiu vixit, officio, et amore semper amantissimus mihi pater extitit.

728. His tantis obsequiis a Filio enarratis id putaverim respondisse Patrem: In coelesti hac nostra curia duo honoratiora sunt loca, unus dexterae tuae, alter sinistrae: tu nosti bene, naturali tuae Matri, ac legali tuo Patri ab aeterno illa fuisse praeparata; dexteram Mater, sinistram Pater accipiat.

729. Hinc, inter alias rationes, ob quas Christus Dominus matri filiorum Zebedaei ab eo postulanti, ut sederent filii eius, unus

Digitized by Google

ad dexteram, et alter ad sinistram in regno suo, respondit (Matth. xx): « Nescitis, quid petatis, etc. sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo »; eam nostro argumento valde consentaneam, minimeque contemnendam putaverim, quod iam ab aeterno loca illa dexterae, et sinistrae, immutabili Dei decreto, Mariae et Iosepho a Deo Patre destinata erunt, qui cum Filio et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. *Haec Carthagena.*

730. Bernardinus de Busto multa de hac re scripsit, et, Mariale, p. 4. c. 12, ait: « Ex quibus patet, quod nullus Sanctus in coelis est maior Sancto Ioseph post Virginem Benedictam. Nec huic obstat dictum Salvatoris, (Matth. 11) dicentis: « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista »; quia respondetur, quod non dixit: non surrexit aequalis. Non minorem igitur gloriam habet Sanctus Ioseph Ioanne Baptista; qui saltem est ei aequalis. Si autem tenere velimus, quod ipse Ioseph sit maior in gloria coelesti Ioanne Baptista... possumus respondere ad obiectionem quae fieri posset, de praedicta sententia Salvatoris: « Inter natos mulierum » etc., dicendo quod ibi Salvator non dixit, non surrexit maior in regno coelorum; sed solum « non surrexit maior » scilicet in hoc mundo, quoad hominum venerationem, nam ab omnibus credebatur sanctus. Et posito quod Salvator dixisset: Non surrexit maior in regno coelorum, dicere possumus, quod per regnum coelorum non intelligit de coelesti patria, nam quando praedicta verba dixit Dominus de Ioanne, adhuc non erat mortuus Ioannes Baptista; et consequenter non erat Beatus in regno coelorum, nec consecutus fuerat aeternam felicitatem, quae per regnum coelorum proprie sumptum intelligitur. Sed pro regno coelorum hic intellexit Ecclesiam militantem, quae saepe in Sacro Evangelio appellatur regnum coelorum ».

731. Audiendus est etiam Seldmayr, Scolast. Mar. p. 2. q. 1. a. 16, dicens: Observo, sanctitatem et dignitatem Sancti Ioannis esse magnam in gradu eminenti, constare ex Evangelio, vi cuius de fide est, « inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista » (Matth. xi, 11); non tamen est de fide, quod Sanctus Ioannes omni modo sit maior, quia Christus ipsemet statim addit loc. cit., quod tamen iste sit maior illo qui minor est in regno coelorum.

732. Dico: Sanctus Ioseph est dignitate et sanctitate maior Sancto Ioanne Baptista et apostolis: ita Chartagena... Cornelius a Lapide... Suarez... Paulus Barry... cum Gersone, Bernardino de Bustis, et aliis...

733. Probatur primo, argumento Sancti Pauli ad Hebr. 1. ubi ex dignitate nominis excellentiam Iesu Christi super omnes angelos concludit, dicens: « Tanto maior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hareditavit ». Ipse enim Filius dicitur; angeli servi Dei appellantur. Sanctus Ioseph igitur pater dicitur Iesu Christi, neque solum putatitio nomine ab illis, qui existimabant esse patrem naturalem... sed, ut optime Sanctus Augustinus, lib. 11 De consensu Evangel. cap. 1. advertit, etiam ab illis qui sciebant ipsum non esse patrem naturalem, uti Beata Virgo dixit Luc. n. 48: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te »; et evangelista ibidem dicebat: « Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ». (ibid. 27). Et iterum: « Erant pater et mater eius mirantes super his quae dicebantur ». (ibid. 33). Quibus verbis utique vera locuti sunt ex instinctu, et ordinatione Dei, adeoque Sanctus Ioseph in aliquo sensu vero est pater Iesu Christi, iure nempe matrimonii, et sic longe praestantius nomen, quod in omni veritate ei convenit, participat, quam Sanctus Ioannes et apostoli, quia hi tantum servi et amici dicuntur...

734. Probatur secundo: Sanctus Ioseph aliquo modo fuit caput et superior Beatae Virginis et Christi, ut hominis; nam I Cor. xi, 3, dicitur: « Caput mulieris vir »...

735. Unde Sancti Iosephi superioritas se etiam extendit ad Christum ut hominem tanquam filium Virginis, quia Institut. De rerum divisione, § Cum in solo, dicitur: « Quod in alieno solo nascitur, vel in eo aedificatur sub illius dominium cadit, cuius est solum » Et si in alicuius horto fons etiam miraculose oriretur, illius esset fons, cuius est hortus, adeoque Sanctus Ioseph etiam fructum virgineum sibi appropriat, et quandam superioritatem in illum participat expressam verbis Luc. 11, 51: « Erat subditus illis »: et licet Christus hoc non habeat ex debito. cum ex dignitate suae personae nemini sit subiectus, voluit tamen libere usum subiectionis sibi applicare, et Iosepho tanquam patri obedientiam et honorem deferre. Inde instauratur argumentum: Sanctus Ioannes Baptista et apostoli habent quidem ministeria et officia excelsa, sed tamen sub Christo; e contra potestas et ministerium Iosephi etiam *aliquo modo* super Christum; cuiusmodi erat nominis impositio etc...

736. Probatur tertio, specialiter de sanctitate, quia dignitas Sancti Iosephi requirebat sanctitatem proportionatam; hoc ipso enim quod fuerit pater Christi, debebat etiam moraliter talis esse pater, seu tam sanctus, qualem et quam sanctum talis requirebat filius, et talis filii gubernatio: item, quia

Digitized by Google

erat maritus talis et tam sanctae coniugis, debebat habere prorsus eminentem sanctitatem, ut congrue tam sanctae coniugi, quae sine omni prorsus peccato semper fuit, posset praeesse...

737. Praeterea S. Ioseph habuit longe plura media consequendae sanctitatis, quam S. Ioannes Baptista et apostoli, quia per triginta annos usus est praesentia, sapientia, amore, exemplis Iesu et Mariae, in quibus nulla fuit labes, e contra omnes thesauri divinae sapientiae, et sanctissima exempla : ergo, quia nemo sana ratione dicere poterit quod, Sanctus Ioseph his mediis ad sanctitatem non fuerit usus, dicendus est omnium sanctissimum post Iesum et Mariam.

738. Christus Dominus illo loco *Non surrexit maior*) statim addit limitationem dicens: « Qui minor est in regno coelorum, illo maior est », adeoque ex testimonio Christi aliquis potest esse et est maior Ioanne Baptista, nempe qui humilitate illum antecedit, qualis potest esse Sanctus Ioseph, qui humilitatem opificio suo fabrili, et constanti exemplo Christi semper coluit... « Non surrexit maior propheta », quia iam in utero Matris propheta fuit, et Christi praesentiam saltu suo ostendit; deinde Glossa ordinaria addit, non surrexisse maiorem austeritate vitae, quam ab infantia coluit, non tamen dignitate officii, et sanctitate ex gratia sanctificante, et amicitia divina orta, et certe haec maior est in humanitate Christi et Beata Virgine, et sic probabilius etiam in Sancto Iosepho....

739. Obiicies... Sanctus Anselmus in cap. III Matth. ait: « Maius ministerium non fuit, quam apostolorum »... Respondeo, haec omnia esse intelligenda respectu Ecclesiae, seu omnium fidelium, quia in communitate fidelium revera supremus gradus est apostolicus, et sic inter fideles communiter acceptos non est maior dignitas, quam apostolorum; sed Sanctus Ioseph dignitatem suam habet ex respectu ad Christum, cuius est pater, et respectu ad Matrem eius, cuius est Sponsus; sicut ergo Christus et Mater eius sunt in maiori dignitate quam omnes fideles simul sumpti, ideo dignitas Sancti Iosephi maior omnino reputanda est, quam est, dignitas apostolorum. *Haec Seldmayr.*

740. **Monitum.** — Voluntas Dei est, ut perfecti simus, sancti simus. Oremus sanctissimum et perfectissimum Sponsum B. M. V. ut voluntatem Dei fideliter et libenter faciamus. O Ioseph Sanctissime, ora pro me, ut imitator virtutum tuarum et assiduus servus tuus efficiar, et B. M. V. filius amantissimus.

CAPUT XLII.

De eximia sanctitate S. Ioseph super omnes sanctos in specie, post B. M. V.

ELIAS a S. Theresia, Legatio Eccl. triumph ad milit. dedic. tom. I, ait: Quid ergo? Coelestis ille Iacob atque aeternus Pater, D. Iosepho, Sponso Mariae, ac Salvatoris Nutritio, partem unam dedit extra fratres suos, eam nimirum quam de manu Amorrhaei, id est, diaboli in gladio et arcu potentiae ac clementiae suae tulit; quando illum non singulorum tantummodo sanctorum Ordinum excellens membrum effecit, sed et supra hos ipsos velut omnium antesignanum elevavit. Res ex partium enumeratione patebit.

Patriarchae et S. Ioseph.

742. A Patriarchis incipiamus: inter hos omnium Testamenti prioris novissimus, adeoque supremus; posterioris vero primus, atque idcirco reliquorum maximus, D. Ioseph inventus est: fuit enim illius familiae pater, cui nulla umquam in terris, non dico aequalis extitit, sed neque ullatenus comparari potuit... Quis hoc ergo Patriarcha gloriosior, quis excelsior, quis perfectior? ad cuius scilicet sanctitatem veteris ac novi Testamenti iura concurrunt; in quo, cum privilegiis

Digitized by Google

Evangelicis, antiquorum Patrum praerogativae combinatae reperiuntur? Lapis siquidem est angularis, ut Paulus Ephes. II, ait: « Qui facit utraque unum »... Quamobrem, sicut Doctor Angelicus (I, p., q. 25, art. 6, ad 4): Deo, ait, impossibile esse perfectiorem Matrem creare, quam fuerit Maria, utpote cuius Filio perfectior esse non possit: ita ipsi dicimus Iosepho Patriarcha aut Patrefamilias nullum existere sublimiorem posse, eo quod eius alumno ac legali, civili et spirituali filio maior, dignior, sanctior ac divinior inveniri vel dari nequiverit.

Prophetae et S. Ioseph.

743. Inter Prophetas vero illud rursum privilegium D. Ioseph obtinuit, quod plusquam Propheta merito dictus sit. Hoc facilius ut intelligas, consideranda sunt verba Christi apud D. Lucam, cap. x: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt »... Sed quid inde Ioanni, quod non praedicere solum Christum, sed et praesentem eum annuntiare illi datum sit? Ex praecedentibus Salvatoris nostri verbis, quibus iam dicta subtexuit, multa hanc in rem peropportuna colliguntur. Primum, Ioannem inde factum plusquam Prophetam: secundum, eum Angelum fuisse, qui ante faciem Filii Dei viam praepararet: tertium, illo inter natos mulierum non surrexisse maiorem... Causa enim cur Ioannes plusquam Propheta fuerit, cur Angelus Filio Dei viam praeparans appellatus sit, ac maior inter natos mulierum censeatur illa fuit, quod Christum praesentem ostendere ac proximum ei ministerium exhibere dignus fuerit... Atqui certum est, multo proximiorem familiaremque Iosephum Salvatori, quam Ioannem extitisse: sequi ergo inde videtur, illum utique dignitate praestantiorem iudicandum esse.

744. At vero si D. Ioannes Sanctorum omnium supremus censeri debeat, quia Christum baptizavit; certe ob maiora quae erga Salvatorem exercuit officia S Ioseph, illo maior ac sanctior dici poterit. Visne et alia Iosephi, quoad Christi corporis ministeria, in quibus neque Ioannem, neque alium quempiam Sanctorum sibi parem habuit? Christo D. Ioseph non semel vitam servavit, eumque e periculis mortis eripuit. Labore suo ac sudore victum illi et amictum, omniaque vitae necessaria est lucratus. Ipsum Dei Filium *quasi* docere meruit, ac eumdem velut discipulum *quasi* instruendum a Patre coelesti accepit. Denique illi Christus humiliter obedivit, neque aliter ac patri filius, subiectus esse dignatus est. In quibus non solum Prophetis ac Ioanne Baptista maiorem, et plusquam Prophetam S. Ioseph extitisse deprehenditur, sed inter universos etiam ordinum omnium Sanctos (ut videre ex praedictis licuit) aequalem non habuisse...

Apostoli et S. Ioseph.

745. Ad Apostolicam dignitatem, quod facit, licet quidem ea tanta sit, ut nulla cum Apostolis reliquorum Sanctorum institui posse comparatio videatur; ab hac tamen regula uti Christi praecursor, ita et illius nutritius ac paterfamilias recte excipietur...

746. D. Thomas vero, 3 p., q. 27, art. 5, in corp.: « Quanto, inquit, aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Cum igitur D. Ioseph Christo vicinissimus ac plene intimus fuerit, non annis solum tribus, ut Apostoli, sed, ut probabilior habet opinio, fere decies tribus; certo colligitur, multo abundantius ac perfectius de illius eum virtutibus ac coelestibus charismatibus participasse. Adde, quod Apostoli nonnisi in nuntios evangelicos, ac velut famulos honorarios a Christo adoptati sint, ab eoque, cum rudes atque ignorantes essent, in via veritatis, ac modo conversationis instructi; at Salvator ipse a Iosepho in Filium ac subditum adoptari... concupivit...

Martyres et S. Ioseph.

747. Ad Martyres iam transitum faciamus. Quorum ut aliquam cum Sancto nostro comparationem instituamus, audiamus quid iterum dicat Isidorus Isolanus, et eum vere Martyrem fuisse declaret. « Ioseph, inquit, excellens victoria fuit tyrannorum *etc.*... S. Petrus Chrysologus, quam vel sola in Ægyptum fuga dura esse debuerit, sequentibus verbis (homil. 151), patefacit: « Sic res, inquit, urget Christum infantem? sic? non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, et quod his durius, Iudaeos peregrinaturos in Gentibus, quibus nec est ipsa communio, imo est profundum legis transgressione naufragium. O quam dura est peregrinatio, etiam inter cives fratresque! Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam ». At parum est, Iosephum Martyrem fuisse; parum, eum continuum subiisse martyrium, etiam plusquam Martyr fuit...

748. Quemadmodum igitur Deipara Virgo propterea plusquam Martyr fuit, quia non corpus eius (ut aliorum Martyrum) sed animam doloris Christi gladius pertransivit; pari modo, cum post B. Virginem, Iosephi in Christum amor fuerit ardentissimus, non potuerunt eadem Simeonis verba illius prae-

Digitized by Google

cordia non acerrimo dôlore afficere. *Haec Elias a S. Theresia.*

749. De hac re haec habet Carthagena, l. 18. hom. magna et ultima: Quibus omnibus addo quod sicut D. Hieronymus (serm. de Assumpt. Deipar.) dixit: « Beata Dei Genitrix, et martyr et virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit »: cuius non aliam rationem reddit, nisi quia Simeon prophetice ad eam dixit: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius »; ita similiter cum post Beatam Virginem fuerit amor Iosephi erga Christum ardentissimus, non potuerunt illa verba non acerrime transverberare cor D. Iosephi.

750. Unde quod de antiquiori Iosepho patriarcha, regius Vates cecinit (Psal. CIV): « Ferrum pertransivit animam eius »: ubi Glossa Interlinearis et Lyranus id explicantes, aiunt: « Ferrum, id est, tribulatio durae necessitatis, animam eius pertransiit, ut de Maria dicitur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius »: praestantius id in nostrum Iosephum convenit, cuius penetralia cordis, Simeonis audito vaticinio, doloris anceps gladius confodit. Sicut ergo ob illam rationem Beata Virgo martyr vocitatur, propter eamdem, certe proportionaliter, Sanctissimus Ioseph Christi martyr merito censeri debet: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen. *Haec Carthagena.*

Confessores et S. Ioseph.

751. Sequitur Elias a S. Theresia, ibidem: Neque solum vere dixerim, « Ecce plusquam Martyr hic »; verum etiam, idque longe potiori iure, « Ecce plusquam Confessor hic ». Confessores enim sic dicti sunt, quod. licet eis martyrii palma non concederetur, fidem tamen Christi generose confiterentur.

752. Ex quo colligere est, plusquam Confessorem Deiparae Sponsum habendum. Cui quid potius, quam haec D. Chrysostomi in Matthaeum verba adiunxeris: « Vidisti Iosephi obedientiam? vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino virilem et nulla prorsus corruptione violatam? »...

753. Ideo, *addo*, plusquam Confessorem esse Iosephum, quod occasio fuerit, ut fideles Confessores ac Christum confitentes esse possent: illum namque servavit, illum educavit, illum informavit, qui fidei principia mundo proposuit, de quo potissimi fidei christianae sunt articuli, in quem omnes credere, quemque confiteri, ut veri fideles ac confessores existant, tenentur. An non proinde merito de illo dixeris, quod de S. Ioanne Baptista ait D. Evangelista Ioannes cap. 1.: « Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum? »

Virgines et S. Ioseph.

754. Sed an et inter virgines D. Iosephum numerare, ac super eos illum collocare fas erit? Erit profecto... Ut igitur mirum fuit. Eliam virginem ante Christi adventum extitisse, ideoque tantis merito praerogativis donatum esse; ita mirabilius multo in Iosepho fuit, et maioribus haud dubie privilegiis comulandum, quod ille et in matrimonii statu virginitatem, antequam Salvator advenisset, servaverit... Ex quo quid aliud sequitur, quam plusquam virginem Iosephum fuisse? qui non coelebs solum, sed in matrimonio etiam constitutus servavit castitatem.

755. Scio et alios sanctos hoc postmodum esse imitatos; at dux et antesignanus tam rarae castimoniae extitit Ioseph: de quo proinde dici possit, quod de Sanctissima illius Sponsa in haec verba ait Ecclesia: « Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo ».

756. Denique ne quid deesset in quo non maior ceteris virginibus D. Ioseph existeret, huic concessum, ut quem illi sequerentur, iste praeiret, ac sequentem se haberet... Iosephum vero ac Mariam, utpote virginibus sublimiores, Agnus ipse sequebatur, et eis humiliter obsequebatur, iuxta illa D. Lucae verba: « Descendit cum eis et venit Nazareth, et erat subditus illis ». Quod rursum D. Bernardus hom. super Missus est, in haec verba explicavit: « In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae praeit? »

757. Tandem restat ut cum Angelis D. Iosephum conferamus; [de qua re in cap. seq.] quibus non similem tantum, sed etiam superiorem fuisse, multis possemus ostendere. E quibus multa colligi possunt, quae D. Iosephum Angelis et similem et superiorem fuisse ostendat. Affirmat in primis, *Isolanus* eum ad angelicam maiestatem evectum esse. Affirmat, in Verbum divinum, velut actum iurisdictionis, per nominis impositionem exercuisse. Affirmat, illum secreta divina revelasse. Affirmat, Patris aeterni gessisse personam, Spiritus Sancti officium subiisse, Reginae mundi collegam ac comparem effectum esse. Quibus omnibus munia Angeli vel propria, vel superiora, designata sunt. *Haec Elias a S. Theresia.*

Item Apostoli et S. Ioseph.

758. Isolanus eamdem rem pulcherrima exponit, p. 3. c. 18, dicens autem quatuor

Digitized by Google

proprietates apostolicae dignitatis. *Annuncia-tio*, Matthaei ultimo: Euntes praedicate evangelium omni creaturae. *Illuminatio*, Matthaei quinto: Vos estis lux mundi. *Reconciliatio:* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Marci ultimo. Et *per Spiritum Sanctum locutio*, Ioan. xv: Non vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis. Hae proprietates dignissimae sunt: quia sunt immediatae a, et sub, et propter Christum.

759. Proprietates vero Sancti Ioseph fuere, desponsatio Reginae coelorum: nominatio patris regis angelorum: defensio Messiae promissi in lege Iudaeorum: educatio Salvatoris omnium. Et hae proprietates sunt immediate super, ad, et propter Christum. Quisquis ergo ingenio pollens, rerum divinarum praemissa veritate, discurre, argue, conclude ab apostolicae comparatione maiestatis ad coelestem Ioseph dignitatem, quanta sit illius praestantia, dignitas, sanctitudo, ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum et non deprimetur, aut humilior erit apud te maiestas apostolici culminis: sed exaltabitur Deus in latentibus donis patris sui putativi Ioseph.

Item Prophetae et S. Ioseph.

760. Enimvero prophetarum tres sunt proprietates: Superior *illuminatio*, secundae Petri primo: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *Scripturarum interpretatio*, Glossa, ubi supra: Alios prophetas scripturae explanatores. *Occultorum propalatio*, unde et prophetae dicuntur, quasi a sensibus occulta loquentes. Et haec tria evenere prophetis in lumine adumbrato, in figuris et aenigmatibus.

761. Ioseph vero, lumine angelico illustrante, clarius supremum cognovit mysterium Filii Dei, quod omnium pariter est prophetarum finis. Quo cognito, sacrarum litterarum sensus abditissimos intellexit quam profundissime: sategitque, ut ipsum mysterium, opportuno tempore, toti manifestaretur orbi, eumdem Filium Dei educando. Quamobrem evangelistis scribendi materiam disposuit, eis quoque subiectum fuit. Inde comparatur Ioseph ad evangelistas, sicut subiectum scientiae ad ipsam scientiam.

Pastores et S. Ioseph.

762. Pastorum officium est, animam suam pro ovibus ponere, nedum substantiam; lupum venientem, non modo non fugere, sed pellere, populorum verbo et exemplo pascere, et ad vitam aeternam capessendam semper invitare. At Ioseph pro rege coeli animam ponens et substantiam, non lupos, sed tyrannos saevissimos ab eo fugavit, caeteris exempla praestans, ut in cultu Christi maximi se exercerent, quo filii Dei in aeternum fieri mereantur.

763. Quapropter attendenda est divinarum virtutum beatissimi Ioseph altitudo, qua praecipuis viris primisque dignitatibus comparari promeretur. Hinc omnium caput evangelistarum Matthaeus, in ipso sui evangelii exordio, nobilitatem carnis Ioseph, prius exorsus est; deinde mentis, ut gemino itinere nos deduceret ad Christum cognoscendum, venerandum et colendum.

764. Possem ego ipse hoc loco prophetarum, apostolorum, evangelistarum et pastorum, singulas in medium afferre virtutes et lucem luci distinctius opponere: sed vereor, ne tantae scrutator maiestatis opprimar a gloria. Quamobrem contemplationi mentis elevatissimae eadem relinquamus. Ingrediatur itaque locum mens, quem calamus refugit. Intelligat animus, quod verba exprimere declinant. Admiretur ingenium, quod scripta non attingunt. Veneretur denique totus homo, quod coelesti tectum gloria latet. *Haec Isolanus.*

765. **Monitum.** — Gaudeamus in Iesu et Maria, eximia sanctitatis dona S. Ioseph collata frequenti meditatione celebrantes. O Ioseph, inter sanctos post B. M. V. sanctissime, ora pro me, ut servus fidelis, pius, sanctus effici merear; fac me eximiae sanctitatis tuae imitatorem et assiduum laudatorem.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

De angelis in genere et S. Ioseph.

Pie subtiliterque de comparatione Angelorum cum S. Ioseph scribit Isolanus, p. 3, c. 19, ubi ait: B. Dionysius undecimo capite coelestis Hierarchiae ait: Dividuntur supermundana ratione omnes divini intellectus in essentiam virtutem et operationem...

767. Argumentemur autem ex his, sic fidei devotione altius elevati. Essentia, virtus et operatio Ioseph fuerunt immediatius vicinae Deo, ordine, electione ac potestate. Nam esse Christi Dei celebratur et genealogizatur sub esse Ioseph, ad quem Christus idem Ioseph, omnem intellectum, omnem voluntatem, et omnem operationem, immediate ordinavit, summo ardore, clara intelligentia, et simplici puritate.

768. Haec igitur proprietas convenit Ioseph. Admiranda isthaec minime reor: quoniam sicut gratia elevat naturam ad esse supernaturale: ita paternitas putativa, ac maternitas vera erga Christum differenter licet elevaverint essentiam, virtutem et operationem Ioseph, ad similitudinem naturae angelorum beatorum, salva humanae naturae conditione. De Beata Virgine nunc tacendum est: quoniam illa elevatio altior est, intensior et undique perfectior. Differunt enim, sicut differt respectus paternitatis Ioseph erga Christum: differt a respectu maternitatis Reginae mundi erga eumdem...

769. Loquitur deinde visione et administratione Angelorum, et ait: De visione dicitur Matthaei XVIII: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est. De secunda habetur Daniel. VII: Millia millium ministrabant ei; et decies centena millia assistebant ei. De clara visione non relinquitur ambigendi locus catholico: quoniam fit alta, excellens et supremorum iuxta qualitatem ordinum. Administratio quoque in Ioseph ita familiaris inventa est, ut omnes angeli simul, non tam familiariter Deo ministraverunt, sicut Ioseph solus. Ipse enim Deum Dei Filium, hospitem excepit; nudum pannis operuit; esurientem pavit, infirmum per infantiam et iacentem visitavit, nedum balneis fovit, sive per se. sive matri suffragia praestans.

770. Hinc Ioseph extremo in iudicio audentius Deo dicere poterit: Ego, o Deus immortalis, non minimum solum tuum esurientem pavi: sed teipsum sitientem potavi, nudum cooperui, infirmum visitavi. Quicquid itidem humanitatis exhibere convenit mortali homini ego tibi homini facto exhibui. Quocirca mortalium inter patronos apud Deum, arbitror Divum Ioseph esse efficaciorem, ac post Beatam Virginum Reginam praestantiorem, divinitatis salvo iudiciorum abysso. His exploratum redditur Ioseph ministrandi et assistendi, angelicas habuisse proprietates.

771. Hoc loco libeat pauxillum contemplari clarissimam Ioseph de Deo notitiam: cum illum carne tectum apud se habuit: non autem excellentiorem eam cognitionem dixerim angelorum qua beantur notitia: sed prae ceteris mortalibus viris, altissime Deum Ioseph tunc cognovisse. Duplex est notitia Dei apud nos. Prima quidem per *ablationem* orta fertur: veluti qui statuam fabricant auferentes, quae circum apposita impediunt, perspicuum formae latentis intuitum, solaque ablatione, pulchritudinem ipsam in se pandentes occultam...

772. Alia notitia ab eodem vocatur positio, qua a primis inchoamus, ac per media ad ultima descendimus. Hanc missam facientes, immoremur circa oblationem cogitantes, quo mentis affectu, quanta dulcedine, qua intellectus elevatione animadverteret Ioseph amabilis Christum dilectissimum, Deum carne circumdatum. Pedes quidem contingens, flamescenti dicebat susurro: Terra scabellum pedum tuorum. Manus videns mente, revolvebat Davidicum illud: Manus tuae, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me. In faciem sereno haud imparem coelo versus cogitabat: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt et erunt felices. Haec mortalia, subinferebat, membra quidem sunt, finita, humana. Quaenam, quaeso, divini vultus hic latentis, pulchritudo, iucunditas, gloria? Quanta potestas brachii omnipotentis, his obclusi? Ineffabilis quidem est maiestas, quam mihi occulit terrena huius corporis substantia... Angelicis

Digitized by Google

ergo proprietatibus refulsit Ioseph, cui assimilata Dei Patris non defuit maiestas... *Haec Isolanus.*

773. **Monitum.** — Plusquam angelicum habeamus, praedicemus et veneremur S. Ioseph, eique dicamus: O super omnes angelicos spiritus angelice S. Ioseph, ora pro me Dominum Angelorum Christum Iesum, Angelorumque Reginam B. V. Mariam, ut vita et moribus totus angelicus effici merear.

CAPUT XLIV.

De singulis choris angelorum et S. Ioseph.

ISOLANUS, p. 3, c. 20-21, de singulis angelorum choris seu ordinibus, comparative ad S. Ioseph agens, scribit: Cum autem novem sint ordines angelorum, infimae hierarchiae triplex reperitur ordo, ab infimis ad supereminentissimum Deum ascendendo. Primus est Angelorum. Secundus, Archangelorum. Tertius Principatuum.

Angeli et S. Ioseph.

775. Ordinis Angelorum tres traduntur proprietates: scilicet eorum ad homines immediata ordinatio, ab hominibus illorum praeclarior cognitio, ab eis singularium hominum gubernatio. Prima harum convenit excellentissime Sancto Ioseph, propter immediatam praesidentiam, super primo homine Christo, humanae reipublicae unico rege. Secunda quoque convenit eidem: quoniam per notitiam Ioseph, nobis innotescit Salvatoris genealogia. Tertia pariter eidem attribuenda est, propter custodiam Christi maximi ac Beatissimae Virginis.

776. Nec leviuscule ac volanti mentis acie, paucula haec animadvertenda sunt: quoniam plurima continent. Ut solem conspiciamus tenebras egredientes paulatim visum exercemus. Ut divina haec intueamur, segnities, legendi quoque velocitas, declinanda omnino est. Excitandus fidei habitus, ardor charitatis incendendus, et perspicacis ingenii gladius exercendus. Inexplicabilis est Angelorum maiestas quoniam minor eorum, maior est supremo apud mortales

777. Cum vero cogeris ratione Angelorum proprietates Ioseph attribuere, quanto in illo est altitudinis virtutum, dignosces. Posthaec assume pennas ut aquilae, et qui te elevatum altius arbitraris, vix primum gradum immensae altitudinis attingere te conspicies.

Archangeli et S. Ioseph.

778. Secundus namque ordo, est Archangelorum: cuius, secundum divi sententiam Dionysii, tres sunt proprietates. Prima est a superioribus communicare. Secunda, super inferiores esse. Tertia, ad superiora inferiores reducere. Primam harum necesse est Ioseph ascribere, qui ad superioribus notitiam Filii Dei spiritibus accepit, ab eodem experientiam; ab uxore sua, supernam scientiam. Secundam habuit praestantissime: quia ipse praefuit Regi omnium et Reginae mundi. Tertia non caruit, quemadmodum latius explanatum est. Ecce in Ioseph, coelestia Archangelorum indumenta, quae tibi vilescent (ut mortalium more loquar) altius quum conscenderis.

Principatus et S. Ioseph.

779. Tertius nempe ordo est Principatuum, qui tribus vigent proprietatibus. Prima, est primi principii imitatio. Secunda, pricipalium ornatus virtutum. Tertia, inferiorum ad ipsum principium reductio. Imitatus est autem Ioseph principium: quia eidem primo praefuit principio. Ipse enim Deus Ioseph patrem vocavit, cui subditus fuit et obediens. Ornatum virtutum eius unico verbo expressit evangelista dicens: Ioseph autem vir eius cum esset iustus. Advertito quoniam prima iustitiae sedes in novo testamento attribuitur Ioseph, ut prioris virtutum ordinis eminentem sacrae litterae indicarent ornatum. Enimvero, ceteros in Deum homines reducere, quomodo Ioseph sategerit, opere Filium Dei nutriendo; verbo eiusdem virtutem quando debuit annunciando; exemplo sancte vivendo: sat superque in superioribus diximus...

Digitized by Google

Potestates et S. Ioseph.

780. Secundae hierarchiae primus ordo est Potestatum; cuius pariter tres assignantur proprietates. Prima est propriae dignitatis observatio. Secunda aliorum ordinatio. Tertia utilis reductio. Ioseph profecto propriam semper studuit servare dignitatem iustitiae: cuius custodiendae gratia voluit occulte suam dimittere coniugem: nolens eam traducere. Custodivit intactae lilia virginitatis, totis animi viribus, Dei paternitatis maiestatem humilitate, altis cogitationibus, frequentibus supernarum mentium illuminationibus assentiendo, laboribus quoque ac variis itinerum eventibus observare. Quam pulchra Divi Ioseph potestas: cuius altitudinem servans immaculatam, mediis Hierusalem deliciis coronatus exultavit. Ordinem praeterea alium instituit, quo se Abraham, Iacob, Ioseph, Moyse, Davide, Samuele, ac patribus omnibus puriorem gestasse carnem, praestantioremve possedisse animum, innuit. Is est ordo virginum ac continentium, quem Deus immortalis Ioseph operatore, virorum genus edocuit. Virgo coniux, feminarum immortale decus, feminae lex continentiae fuit coelestis. Ioseph virgo, eiusce puritatis dogmata, viris attulit, Dei unigenito approbante. Qua ex re, mortale hominum genus Ioseph ad coelestes evocans epulas, carnis spreta immunditia, universalis titulo reductionis non caruit.

Virtutes et S. Ioseph.

781. Iamque supernae medium urbis ingrediendum est, quod Virtutum possidet ordo. Huius itidem tres asseruntur proprietates, ad mortalium similitudinem. Prima est praestans virilitas. Secunda nulla tarditas. Tertia erga inferiores largitas. Virilitas quidem in tribus consistit: in aggressione ardui: in resistentia contrarii: in tolerantia mali. Quae omnia in Ioseph fuerunt quam efficassime.

782. Ipsa namque tantae stratagemata difficultatis aggressus est, ut in altissima rerum paupertate, regem saeculorum multos per annos, suo excepit hospitio. Tyrannicae restitit saevitiae, innumeros toleratus labores. Quid de velocitate illius loquar? Exultavit ut gigas ad currendam viam sine carnis onere, et viam quam angeli sine carne currunt, ipse cum carnis sarcina antecurrens, maius apprehendit bravium. Quocirca, summa usus largitate, Dei Filium, cum inexhausto virtutum omnium thesauro, mundo enurivit. Cuius munificentia mortales, regni immortalis munere, sunt donati...

Dominationes et S. Ioseph.

783. Addit Isolanus, quod S. Dionysius, septem proprietates sanctarum edocet Dominationum. Prima est a servitute libertas. Secunda, ab hostibus nulla unquam habita victoria. Tertia, liberalis severitas. Quarta, nulla servorum egestas. Quinta, dominandi inordinata voluntas. Sexta, ad Deum pariformitas. Septima, divinae dominationis participata maiestas. His terrenarum dominationum nullis subiici defectibus, beatas illas Dominationes, divinus praeceptor edocet. Nullius etenim superiorum servitute opprimuntur sanctissimae Dominationes, nullos hostium impetus perhorrescunt, nullis vitiorum franguntur anfractibus, nullius honoris pulsat ambitio, qui Dei optimi voluntario principatu subiecti, sacras dominandi leges exercent...

784. O Dominationes beatissimae, quas Deum adorare, quotidie canit Ecclesia, mentibus mortalium numinis vestri dona quaepiam ab alto dimittite, quibus vel micas cadentes de mensa vestra humiles catelli edere queant. Si vestro nunc consortio frui non datur, beneficio, obsecramus, ne privemur. Vos cum inter creaturarum summa montium habitetis, quomodo donorum vestrorum inexplicabilem lucem alteri comparabimus? Numinibus itaque vestris ascribendum erit, si digna vestrae naturae vestraeque gloriae haud indignis Divi Ioseph muneribus comparavero.

785. Prima quidem Dominationum proprietas est, omnimodae a servitute libertatis praestantia. Hac claruisse Ioseph, arguunt nobilia eiusce stemmata et longi sanguinis recensita series, persuadet charitatis ac virtutum omnium celsitudo quae liberum constituunt hominem, ac solius ingenuitatis alumnum. Adde regis omnium parentem, Ioseph vocitatum: quo nomine, nemini unquam servivisse illum, fateare.

786. Hinc tyrannos devitans superavit ac diabolici nunquam principatui passus est se addici. Qua de re secunda illi convenit Dominationum proprietas, quam diximus esse ab hostibus, nulla aliquando habita trophaea.

787. Sed de liberali Ioseph severitate loquamur. Humilis ac placidus Ioseph erat, ante Deum, coram Dei Filio eiusque Matre sua sponsa: at cuncta pro rationis actitabat imperio. Habitans in medio pravae nationis: nil relinquebat, quod ad sancte vivendum conduceret, quod iustitiae officeret, satis cunctis facere peroptans. Haec ingenua est severitas illas, qua florent viri sancti, quave nec hominum gratiam spernunt nec aucupantur...

788. Hinc oritur summa potestatis iucun-

Digitized by Google

ditas, qua servis haud egeant, qui talis habenas principatus moderentur Christi Dei exemplo, qui de regno huius mundi loquitur dicens: Regnum meum non est de hoc mundo. Si enim de hoc mundo esset, ministri utique mei decertarent, ut non traderer iudaeis. Qui enim pro christiani legibus imperii dominantur, servos habent tanquam non habentes. Et sic in inferioribus principantur quasi comitibus regni: divina ardoris charitate coelestis, ad haec cogente.

789. Hinc denique tres Dominationum proprietates ortae sunt in Ioseph, mente ordinata videlicet dominandi voluntas, divina pariformitas, atque illius principatus participata maiestas.

790. Haec veneramur silentio, legentibus materiam contemplationis propinantes. Neque enim Ioseph angelica munera, exili satis sermone prosequi fas est: quae unicae veritatis dulcedini coniunguntur. Veritas autem solius intellectus est obiectum, quam divinum circumambit lumen, dicente propheta: Et veritas tua in circuitu tuo.

Throni et S. Ioseph.

791. Totius universi iam culmen attingentes explanemus supremae proprietates hierarchiae Ioseph non defuisse. Primus illius ordo Thronorum est, cui inter reliqua tria ascribuntur, praesertim a beatissimo Dionysio: per quem orthodoxa fides, plurima intellexit, de coelestium dignitate spirituum. Primum est, regis circuitio. Secundum, regis susceptio. Tertium, regis delatio.

792. Quamquam Reginae coelorum Virgini et Matri, primam proprietatem sacra attribuant eloquia, in cuius viscera se clausit Deus factus homo quocirca illa creditur femina quam Hieremias capite XXXI, vaticinando praedicavit, dicens: Fecit Dominus in terra novum: quia femina circumdedit virum), Ioseph tamen convenire etiam aptissime potest. Ipse nempe Christum Deum venientem in hunc mundum, sua domo, suis paniculis, suo sinu circumdedit. Suscepit illum de via venientem, detulit in Aegyptum, tyrannum declinantem. Retulit Nazareth scriptum per prophetam adimplentem. Quibus aptissime constat Thronorum tres proprietates in Ioseph fuisse inventas..,

793. O Ioseph divine, quum Deum factum hominem circuisti, tuo suscepisti hospitio, tuo detulisti sinu: claro quod egeris lumine videmus, intelligimus, aptissime cognoscimus. Veneror ego ipse Thronorum maiestatem, eorumdem divini gradus muneris altissimos: sed eos attingere, nisi caeco lumine, nequeo. At Ioseph homo fuit, mortalibus cognita cum Deo operans, quae eloquia primum resonant nostra.

Cherubim et S. Ioseph.

794. Sequitur ordo Cherubim: cui tria praecipue ascribit Dionysius. Sunt etenim huius spiritus ordinis quique peculiari quodam dono, cuncta in auctorem Deum reducentes, ad divinae honorem maiestatis semper operantes. Quarum exempla actionum, suapte natura, exempla existunt: veluti in seipsis intuentes, quae illos actitare decet. Hinc ordo iste in Deum reductivus, activus et exemplativus esse describitur. Plenissime ista Ioseph possedit, qui mortales quantum anniti potuit in Deum reduxit assiduis virtutum operibus. Quarum parites est coeleste exemplar his qui illius supremos non aspernantur honores.

795. Dormi pauxillum hic, o anima, et corde vigila, meditando Ioseph gesta ac veritate cogente, Cherubim illum fuisse, dum spiritus hos regeret artus clamabis. Memento sacrae seriem geneseos asserentem Deum posuisse Cherubim, qui paradisi terrestris custos foret atque servator. Reminiscere quoque Virginem Matrem paradisi typo signatam: et Christum lignum esse vitae, quod plantatum est secus decursus aquarum.

Seraphim et S. Ioseph.

796. Porro si isthaec exploratae creduntur veritates, cur non Ioseph Cherubim asseverandus est, qui et Virginis Sanctissimae et Christi custos a Deo immortali positus fuit? Cetera tu recolito, ut altissimas Seraphim sedes, vivacissima fide pertingere valeas, et in Ioseph Beatissimi virtutum ampliori admiratione consurgere.

797. Seraphim quamvis plura possideant munera: et nil in inferioribus comperiatur, quod non praestantius in illis effulgeat: tria tunc prosequi nunc tamen libeat, ut rivos claudere iam possimus: quoniam sat prata biberunt. Primum est ferventissimae dilectionis ardor superfervidus, qui secundo incessabilis est et tertio inflexibilis. Ardet Seraphim Deo semper, neque ardere non potest, ideoque incessabilis amor ille praedicatur: cum extra ipsum nunquam divertat Deum, inflexibilis vocitatur. Omnis igitur Seraphim maiestas, quaeque virtutes, singula dona, ardentissimi flamma amoris, mortalibus innotescunt.

798. Amor hic divinus, Seraphim instar, tametsi in Ioseph latere videatur, lumine tamen suo praeditur et seipsum nobis manifestissime obiicit. Ille enim ipsa eadem ardenti flamma et tyrannos sustulit, et mille nocendi artes superavit. De amore Ioseph erga Deum, lingua sileat, illius vero mores ac vita requirantur.

799. Fuit igitur divinus Ioseph Angelus

Digitized by Google

vita, Archangelus officio, Princeps regum victoria, Potestas supernaturalium operatione, Virtus deiformi perfectione, Dominatio creaturae suppositione, Thronus corporea Dei receptione, Cherubim secretorum cognitione, ac Seraphim suprema conditoris dilectione. *Haec Isolanus.*

800. **Monitum.** – Gaudeamus cum gloriosis angelorum choris, Deo et SS. Matri Dei gratias agentes, pro universis donis et beneficiis plusquam angelico, plusquam cherubico, plusquam seraphico, Beatissimoque Ioseph concessis. O S. Ioseph, ora pro me, ut angelice vivam, semper Deo intentus ardentissimoque amore Deo coniunctus.

CAPUT XLV.

De pretiosissima morte S. Ioseph.

SANCTUS Bernardinus Senensis Serm. de S. Ioseph, a. 2, affirmat S. Ioseph mortuum fuisse ante passionem Christi, dicens: Licet autem quo tempore mortuus fuerit non legatur in sacro textu, tamen probabiliter creditur, quod defunctus est ante Dominicam passionem. Non enim absens fuisset a Dominica cruce, si extitisset vivus: et ipso vivente non oportuisset Sacram Virginem alteri recommendari per Christum, dum moreretur in cruce: forte etiam mortuus fuit ante Christi baptismum, quia ex tunc nulla de eo in Evangelio mentio facta est nisi quod Christo improperabant fuisse filium fabri, quum Matth. XIII. dicebant: « Nonne hic est filius fabri? ».

802. Pie igitur credendum est, quod in obitu suo praesens fuerit pius Iesus Christus, et Sacratissima Virgo sponsa sua. Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, et aeternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo a sanctissima sponsa sua, et a dulcissimo Filio Dei Iesu, relinquo devotae menti contemplandum, vel considerandum.

803. Voluit enim Deus ipsum mori ante Dominicam passionem maxime propter duo. Primo, ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur. Secundo ut privilegium fidei solum in tempore passionis in Virgine remaneret. *Haec S. Bernardinus.*

804. Gersonius, serm. de Nat. B. V. consid. 3, addit: Legimus praeterea puerum Iesum dum duodecim annorum factus esset, subditum fuisse Ioseph et Mariae; quae subiectio sicut inaestimabilem notat humilitatem in Iesu, ita dignitatem incomparabilem signat in Ioseph et Maria. Porro legimus in transitu Mariae ipsum adstitisse. Hoc enim Hieronymus argumentatur. Sic et in obitu felici Ioseph recte credendum est Mariam sponsam et filium Iesum corporaliter adfuisse. Ante enim Christi passionem defunctus est: alioquin enim custodia Matris alteri commissa non fuisset. Hinc metricus quidam:

Venerat illa dies qua vitam morte pararet
Perpetuam tibi iuste Ioseph, David inclyta proles,
Christus adest cum matre pia, quibus officiose
Servieras, vultu placido solantur euntem.
Ora licet lacrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor, etenim sic credere fas est,
Quod patrem Iesus et sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, fidei custodis amator
Procumbit lecto, complexans membra, pudicis
Oscula dat labiis, mi vir, conclamat, obisne?
Deseris et viduam passuram dira relinquis?
Velle tamen fiat Domini, dilecte volo mi,
Ecce Iesus tuus in placida te sede locabit:
Protinus ipse Ioseph pretiosa morte quievit.

805. S. Augustinus serm. 81, ait, Iosephum Christum adorasse in sua resurrectione: « Sol, et luna, et undecim stellae Christum adoraverunt, quando post resurrectionem Sancta Maria quasi luna, et Beatus Ioseph velut sol cum undecim stellis, idest, beatis Apostolis, prostrati sunt ante eum ».

806. S. Epiphanius, qui post duodecimum Christi annum e vita illum discessisse opinatur; sic enim ait: « Post reditum ab Ægypto, Ioseph non multis annis vixit, permansit octo annis superstes, et in duodecimo anno, ascendentibus illis Hierosolymam, quaesitus est Dominus, quando non reperiebatur in itinere; post hos annos moritur Ioseph: ubi non amplius dicit Evangelista, quod venit pater ipsius, et fratres, sed ecce Mater tua, et fratres tui foris stant; et quando in cruce pendebat, si fuisset

Digitized by Google

Mariae vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni? ». Casalius lib. de arbore vitae, censet, non post multos dies, post inventionem Iesus in templo cum Doctoribus disputantis, vita functum fuisse Iosephum ».

807. Rem fusius tractat Carthagena, lib. 18, hom. magna et ultima, ubi diversos doctorum sententias adducit, et ait: Quamdiu B. Ioseph apud nos vixerit, et quo tempore e vita discesserit, neque ex Evangelio, aut Concilio, neque ex Ecclesiae decreto, aut ex eiusdem traditione, neque ex sanctorum Patrum unanimi consensu quidquam nobis constet, diversas, in quas Doctores abierunt, sententias referemus, et quam Evangelio, rationi, et prudenti coniecturae conformiorem censuerimus, eligemus.

808. Primo ergo D. Epiphanius putat B. Iosephum paulo post duodecimum aetatis Christi annum e vita migrasse... cui sententiae adhaerere videtur Baronius ..

809. Alii secundo asserunt, B. Iosephum obiisse tempore praedicationis Salvatoris, Christumque Dominum cum discipulorum turba adfuisse, cum D. Ioseph ultimum,

810. Alii tertio opinantur, B. Iosephum tempore passionis Christi superstitem fuisse, aequanimiterque passum fuisse Ioannem sibi proponi, quando illi Christus in cruce Virginem commendavit, ita docuit Sanctus Cyprianus [vel quisquis fuerit auctor], serm. de pass. Domin., in his verbis: « Habebat Ioseph in hac Christi dispositione mirabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum, sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph aequanimiter sibi eum in hoc servitio praeponi, quem digniorem se iudicabat: et ideo maxime, quia Magistri electio sic negotium ordinabat ». Idem tenet D. Chrysost. (homil. 5, sup. c. 1 Matth.' dum ait: « Si enim cognovisset eam, et loco habuisset uxoris, quomodo illam Dominus, quasi absque solatio, et nihil penitus habentem discipulo commendasset, iubens illi, ut illam acciperet in suam? »

811. Et Divus Ambrosius in tract. de institut. Virginis sup. cap. 23. Lucae) affirmat, fuisse etiam Resurrectionis tempore inter vivos Iosephum, Christumque adorasse, solem, et lunam, et undecim stellas, quando post Resurrectionem Sancta Maria quasi luna, et B. Ioseph quasi sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis prostrati sunt ante eum...

812. Alii gravissimi Doctores, quorum sententiae subscribo, e contra docent B. Iosephum ante passionem Dominicam paulo ante, vel post baptismum et ante nuptias Canae Galileae feliciter in Domino obdormisse: ita tradunt Divus Hieronymus... D. Bern. Senen... S. Bonaventura... S. Vincentius... Gregorius Cedrenus... Petrus Nannius... S. Ambrosius, et Gerson... Ubertinus... Petrus Comestor... Isolanus... Paludanus... Viguerius... Canisius... Salmeron... Card. Toletus... Franciscus Suarez .. Barradius... Castro, etc.

813. Probarique potest optimis coniecturis. Prima, quia cum ex una parte matrimonium inter Virginem, et Iosephum fuerit a Deo principaliter ordinatum propter Christum Dominum, tum ut legitimus putaretur, tum etiam ut erga illum se exhiberet tutorem, nutritium et adiutorem fidelissimum. Ex alia autem parte Christus Dominus trigesimum ingrediens annum a baptismi, et praedicationis tempore, aliam vitae rationem institueret, publice inter peccatores degens, et ex eleemosynis piorum victum quotidianum acciperet, seque ipsum manifestans non esse filium Iosephi, sed Mariae tantum, Spiritu Sancto cum ea cooperante; prudenter satis colligimus, in re dubia, cessante fine ministeriorum Iosephi, et contracti matrimonii, ante nuptias Canae Galileae hac vita functum fuisse.

814. Secunda coniectura, quia in nuptiis Canae Galileae Mater Iesu, et similiter Iesus, et discipuli eius vocati sunt, nulla Iosephi facta mentione; quod sane factum non fuisset, nisi iam ipse e vita discessisset, quando etiam Christo praedicanti nunciatum fuit (Matth. XII : « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te ». Certe cum nulla etiam tunc Iosephi facta fuerit mentio nullam aliam eius rationem credideriem, nisi quia iam obierat, et Virgo in custodiam Filii transierat.

815. Atque ex his plane efficitur, quod cum Christus Dominus usque ad tempus praedicationis eguisset ministerio, et labore Iosephi, ut ei vitae necessaria suppeditaret, falsam esse eorum opinionem, qui anno aetatis Christi 12 putarunt illum obiisse. Efficitur etiam, nullam praeseferre veritatem aliorum sententiam opinantium illum mortuum fuisse tempore predicationis Christi, et Apostolos eius interfuisse morti: hoc enim, licet possibile fuerit, nulla tamen apparenti congruentia probant, id ita contigisse; ac tandem quae alii proferunt, opinantes, Iosephum vixisse tempore mortis Christi, mihi plane videntur a ratione aliena...

816. Et quidem si B. Ioseph tempore Dominicae passionis adhuc viveret, nec esset absens a Dominica cruce, neque oportuisset Sacram Virginem commendari alieno custodi, praetermisso legitimo marito, neque erat cur eo honore, ac dignitate tam acceptus Deo patriarcha privaretur, et in alium transferretur, nisi gratis fingamus illum senicu-

Digitized by Google

lum, ac decrepitum nullique ministerio, atque custodiae amplius aptum, sed potius ipsum ulterius custodia, opeque indigere: quod nulla apparenti ratione unquam probare poterunt.

817. Et lib. 4. hom, 3, addit: « Sanctus autem Bernardinus, serm. de S. Ioseph; probabiliter credit, illum mortuum fuisse ante Christi baptismum, Cedrinus egregius historiographus in compend. hist. tradit, Iosephum usque ad Christi baptismum vitam produxisse; D. autem Bonaventura (de vita Christi c. 17) usque ad finitum eius ieiunium illam protendit: Isidorus (lib. 4 de S. Ioseph) refert quorumdam opinionem existimantium, Iosephum post vocationem Apostolorum obiisse.

818. Ac tandem nobilis auctor, Comestor (c. 38), quamvis sub dubio relinquat, an superstes esset Ioseph tempore nuptiarum in Cana Galilaeae, expresse tamen ait, certum esse, quod in passione Domini mortuus erat. Id, quod apud me certissime persuadet praeiacta ratio a D. Epiphanio, quam etiam acceptant praecitati Doctores: nam si Sponsus Virginis superstes fuisset tempore mortis Christi, minime alteri, quam illi a Filio commendaretur. Fuit autem commendata Ioanni, ut in sua illam acciperet, prout ipse testatur; quis enim dicat, decuisse Matrem Domini alieno custodi magis, quam legitimo marito suo curandam deputari?

819. Accedit, quod mihi omnino incredibile sit, quod si Ioseph tempore mortis Christi viveret, cruci non adfuisset in consortio Virginis, et Ioannis: ardentissimus enim amor, quo Christum Dominum prosequebatur, minime ferret, tempore passionis illum derelinquere: nec potest sane dici adfuisse, cum eius non fiat mentio ab Evangelistis: nam certe, qui aliorum inferioris notae meminerunt, nominatim eos referentes adstitisse, minime silentio praeteriissent Sponsum Virginis, putativum Christi patrem...

820. Sed liceat mihi, antequam ulterius progrediar, verba illa, quibus verosimile est in ultima illa hora Christum, et Iosephum dulcissime inter se colloquutos fuisse, contemplari: si enim David (Psal. XXII) dicebat: « Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es », putaverim certe, Sanctissimum Iosephum iamiam moribundum Christo Domino dixisse: Mortem non timebo, quoniam tu mecum es, praesentia divinitatis sub tegumento carnis humanae: si enim Simeoni te semel in templo vidisse, et in ulnis suis accepisse, satis fuit, ut laetus diceret, in illa verba erumpens (Luc. I): « Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum ». Mihi non sufficiet, non dicam semel, non dicam centies, non millies, sed quasi sexcenties te aspexisse, in ulnas meas accepisse, in sinu meo fovisse, brachiis meis constrinxisse, dulcia oscula exhibuisse, et usque ad hanc ultimam horam individuum comitem mecum colloquentem, et conversantem semper habuisse; merito sane id mihi sufficiet, ut libens, et alacer moriar.

821. Sed dic mihi, Sanctissime Ioseph, si alii mori volunt, ut cum Deo vivant, quomodo tu cum Deo vivens mori cupis? Paulus quidem emori desideravit, ut Christi praesentia frueretur, cum dixit (Philipp. I.): « Cupio dissolvi, et esse cum Christo »: et tu cum Christo habitans, dissolvi cupis, Christi societatem amissurus? Crediderim sane in te duplicem voluntatem inter se duello conflixisse mirando: voluntas quidem non discedendi a Christo, et voluntas divinae voluntati obtemperandi; at cum divina revelatione agnosceres praefixam a Deo tuae vitae periodum iamiam proximam esse, divino te conformans beneplacito voluntas illa prima cessit secundae; et ideo cupiebas ardentius quam Paulus anathema fieri a Christo, ut divinae voluntati perfectissime obsecundares, dicens (Luc. XXII): « Non mea, sed tua fiat voluntas ».

822. Existimaverim etiam, Iosephum tamquam vere humilem Christo dixisse verba illa Davidis (Psal XVIII): « Delicta quis intelligit, propterea Domine, ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo ». Ne differas quaeso veniam, sed « remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam »: praesta mihi Nate Dei, ut « in pace in idipsum dormiam, et requiescam ». His, quid putas quaeso, Christum Dominum dilectissimi sui legalis patris verbis respondisse? Absque patre in hoc mundo natus sum, sed tu paterno affectu, et sollicita clientela, plusquam pater, mihi fuisti: tu Genitricis meae solatium, tu infantilis corporis mei nutritius, tu mihi in terris magni consilii adiutor fidelissimus adfuisti, tu laboriosam in Ægyptum profectionem, et inter idololatras inhabitationem, ac in Nazarethum regressum ardentissimo amore, et vigilantissima cura suscepit. Cum ergo tot, ac tam innumera obsequia mihi exhibueris, laetus discede, quia ab omni prorsus etiam levissimi peccati macula alienus es, angelicis manibus in sinu Abrahae certo deferendus, ac postea me ab inferis resurgente mecum gloriosus resurrecturus, ut in aeternum feliciter mecum conregnes.

823. Quod si sacra Scriptura ait (Apoc. XIV): « Beati mortui, qui in Domino moriuntur »; non potest non beatissimus extitisse Iose-

Digitized by Google

phus, qui non solum in Domino Iesu, ad caput lecti illum consolante, ac in manus eius animam exhalans, dulcissime, ac felicissime obiit.

824 His addo id, quod ex sacra Scriptura colligo: nam sicut constat ex vidua illa Evangelii, quae filium vita functum ex civitate Naim in sepulchrum sequebatur, mos erat apud Hebraeos, parentes filios mortuos usque ad sepulchrum comitandi; verosimilius est, hoc genus obsequii, uxorem, et filios erga parentes exhibuisse: Christum ergo, et Deiparam Mariam Iosephi feretrum comitatos fuisse crediderim, prout prudenter adnotavit Baradius, eaque, quae noster Bernardinus de Busto.

825. O terque, quaterque felix Iosephus, qui certus ac persuasus erat, fore ut brevi ex illo obscuro educeretur carcere, et assumptus in coelum, ibi sempiterno aevo cum beatis omnibus immortali gloria perfrueretur. Etenim spem hanc firmam, et constantem conceperat de dulci alumno suo, quem amantissime nutrierat, et quibuscumque rebus poterat, illi praesto fuerat. *Haec Carthagena.*

826. Seldmayr, Schol. Mariana, p. 2. q. 1. a. 13, scribit: Observo hoc esse certum ex Luc. II, quod Sanctus Ioseph vixerit usque ad duodecimum annum Christi Domini, quia ibi dicitur eum amisisse, et post triduum invenisse sedentem in medio doctorum in templo, post quod tempus nempe duodecimum Christi annum. divus Epiphanius, haeres. 78, existimat eum e vivis excessisse, sed eius ratio non probat, quod tunc sit mortuus, sed tantum hoc, quod fuerit mortuus ante Christum praedicantem, sic enim ait: « Post hos annos moritur Ioseph, ubi non amplius dicit evangelista, quod venit pater ipsius, et fratres, sed, « Ecce Mater tua, et fratres tui foris stant » (Luc. VIII, 20), et quando in cruce pendebat, si convixisset Mariae, qua ratione tradisset Ioanni? ».

827. In transitu autem eius dixit ei Iesu: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miseriarum valle, et porta hoc bonum novum Sanctis Patribus, quod infra parvum tempus veniam ad vos et ad coelestia regna perducam. Praecepit autem Angelis ipse Dominus dicens. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius. Ad ipsum vero Ioseph de hac vita migrantem, ait: Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem. Anima igitur ipsius cum magno honore in sinu Abrahae ab Angelis delata est.

828. Dico, videri certum, quod Sanctus Ioseph non fuerit amplius in vivis Christo moriente, vivisse tamen probabiliter usque ad Christi baptismum... Videtur etiam certum quod si Sanctus Iosephus fuisset in vivis Christo vitam publicam agente, fuisset etiam invitatus ad nuptias Cananaeas, ad quas Christus et Maria cum discipulis sunt vocati (Ioan. II, 1 seqq.); et ipse Iosephus Christi amantissimus certe cum aliis adfuisset Passioni, et cruci Christi, et evangelistae, qui aliorum inferioris notae meminerunt, non praeteriissent silentio sponsum Virginis et Patrem nutritium Christi: ergo certum videtur, quod Sanctus Iosephus non amplius fuerit in vivis Christo moriente... Persuadet etiam ratio, quia cum Iesus voluerit esse subditus Iosepho tanquam patri pro tempore vitae solitariae, toto hoc tempore Iosephus fuit superstes, et pro tunc mortuus, quando vita Christi pubblica incoepit, in qua subiectus erat Patri coelesti. *Haec Seldmayr.*

829. Bernardinus de Busto, Mariale p. 4, serm. 12, ait: Pro notitia autem maiori transitus B. Ioseph, et glorificationis eius, est sciendum, quod inquit praedictus Doctor *Gersonius*, ubi supra: « Legimus in transitu Mariae ipsum Iesum astitisse: hoc enim Hieronymus argumentatur. Sed et in obitu felici Ioseph recte credendum est Mariam Sponsam, et Filium Iesum corporaliter affuisse. Ante enim Christi passionem defunctus est. Alioquin enim custodia Matris alteri commissa non fuisset ». Haec ille. Pie igitur credo quod dulcis Iesus, et piissima Virgo infirmo Ioseph, sollicite serviebant, et ei fercula propinabant; atque propris manibus quando opus erat eum portabant et circa lectum stantes ipsum confortabant. Dicebatque Ioseph Domino Iesu, nunc laetus morior, sperans quod cito venies liberare nos.

830. Denique, Barry, Alim. piet. c. 8. med. 8, ait: Finge, te S. Iosephum morientem Nazarethi in lecto videre, adstante Iesu et Maria. Potuitne hac morte quidquam esse felicius?...

831. Gratiam a Deo postula, ex obitu S. Iosephi felicissimo proficiendi, atque alte in animum felicitatem iustorum morientium demittendi...

832. S. Iosephus paulo ante Iesu Christi Baptismum mortuus est, septuaginta circiter annorum: quem Angelus de hora obitus admonuit, cumque viribus deficeret, Iesus ei adstans animos illi addidit, ac consolatus est; ut et B. Virgo, quae ex hac vita emigranti adfuit: quod utique tam placide tranquilleque factum est, ut eius vitam decebat. Post eius discessum Iesus confestim os ac oculos illi clausit, suis manibus eius vultum ad decentem speciem componens. Considera I. Gaudium S. Patriarchae, cum

Digitized by Google

vidit, se curriculi sui metam attigisse, postquam multum pro sua salute desudavit, Iesumque et Mariam sancto omnibus obsequiis demeruit. II. Officia et sedulam utriusque operam, quam ei tempore morbi, ac postea in procuranda sepultura praestiterunt, quae fuit in valle Iosaphat inter montes Sion et olivarum, eodem loco, quo post aliquot annos B. Virgo Sponsa illius tumulata fuit. III. Animae illius ad limbum descensum; ubi commorantes felici certoque nuntio de adventu Messiae, et proxima generis humani redemptione recreavit, singula, quae sciebat, in eam rem commemorans. *Haec Barry.*

833. **Monitum.** — Frequentissime auxilium S. Ioseph pro sancta vita et felici morte obtinenda imploremus. Laetemur cum S. Ioseph, dicentes cum Barry, ibidem: « O S. Ioseph! a Iesu et Maria dilecte! dignus quidem eras, qui nunquam morti succumberes; sed quoniam *unum* illud *necessarium* etiam te manebat, poterasne nobiliori morte quam inter Iesu brachia, et in conspectu Reginae Angelorum, defungi? Prae hac felicitate ac munere nollem tota aeternitate in terris vivere, mallemque quotidie centies ac millies mori ».

CAPUT XLVI.

De Sancto Ioseph ad SS. Patres in Limbo descendente.

BERNARDINUS de Busto, Mariale, p. 4. serm. 12, ait: « In transitu autem eius dixit ei Iesus: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miseriarum valle, et porta hoc bonum novum Sanctis Patribus, quod infra parvum tempus veniam ad vos et ad coelestia regna perducam. Praecepit autem Angelis ipse Dominus dicens: Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius. Ad ipsum vero Ioseph de hac vita migrantem, ait: Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem. Anima igitur ipsius cum magno honore in sinu Abrahae ab Angelis delata est »

835. Isolanus, p. 4, c. 2, ait: Cum rationabiliter credamus Ioseph mortem obiisse ante Christi passionem: considerandum est de privilegiis quibus decoratus fuit apud patres in Limbo existentes.

836. Primum autem privilegium dicitur legatio certissima. Fuit enim institutus legatus ad nunciandam incarnationem Filii Dei, cuius ipse indubitatus erat testis. Multi equidem reges et prophetae voluerunt videre quae vidit Ioseph et non viderunt: et propterea morientes a longe nunciabant. At Ioseph moriens, visa et audita patribus significavit. Hanc dignitatem Salvator nomine beatitudinis circumscribit dicens: Beati oculi qui vident quae vos videtis.

837. Et forte propter hoc Ioanni interroganti: Tu qui es, an alium expectamus? noluit explicite respondere Salvator sic; vel non; quasi innuens se alium misisse, qui tantae certitudinis erat circa incarnationem Filii Dei, ac maioris quam ipse. Haec legatio praefigurata fuit Gen. XXXIX et XL in Ioseph existente in carcere, et consolante carceri addictos. Item in Tobia pergente per omnes captivos, et dante monita salutis.

838. Secundum privilegium fuit narratio affluentissima. Ad plenum nempe credendum est, Ioseph indicasse patribus modum incarnationis Filii Dei, ortum ac vitae progressum eiusdem. Quod itidem privilegium in praefatis figuris aperte continetur.

839. Tertium privilegium fuit liberatio citissima. Neque enim multos per annos obclusa stetit anima Ioseph in Limbo: sed velut alter Ioseph gemina donatus stola, scilicet beatitudine animae et corporis, primus post Christum regem regum sedis Ioseph, ad coelosque ascendentem associavit. Noli, quaeso, de his dubitare, o fidelis anima: sed sapientiam ac bonitatem Dei per creaturas effusam animadverte...

840. Considerato dignum veneratione parentem, quantis honoribus ac beneficiis inclytus filius et non degener, prosequatur: cogente natura, suadente ratione, ac moribus praedicantibus. Quid de Christo Deo vero, ex quo omnis bonitas in coelo et in terra nominatur, qui solem suum oriri facit

Digitized by Google

super bonos et malos, dicendum erit? Scio et certe scio fidem isthaec palato degustantem sano laudaturum; et his quas scripsimus laudibus, maiora Ioseph merita idem ipse fatebitur. *Haec Isolanus.*

841. **Monitum.** — Oremus S. Ioseph, ut sanctam vitam, bonam mortem, liberationem a purgatorio et beatitudinem aeternam impetret nobis; eiusque felicissimum transitum celebremus, cum Anno sacro poëtico dicentes:

Inter amplexus Pueri, amplexusque Parentis
Extremum claudis Sponse Parensque diem,
Deserere Hos moeres moriens, gaudesque vicissim,
Et Matre et Puero te prope stante mori.
Ergo tua moribunde Senex, nec amarior esse
Nec mors esse tua dulcior ulla potest.

CAPUT XLVII.

De resurrectione et assumptione S. Ioseph.

SANCTUS Bernardinus Senensis, serm. de S. Ioseph, a. 3. pie credendam censet quamvis non absolute probatam resurrectionem S. Ioseph. Ait enim: Pie quidem credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus Filius Dei Iesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem sicut suam Sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore. et anima gloriosam: sic etiam in die Resurrectionis suae Sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum: ut sicut illa sancta Familia, scilicet, Christus, Virgo et Ioseph in laboriosa vita, et amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc, et corpore, et anima regnat in coelis.

843. Iuxta regulam Apostol. II. Cor. I. « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis »; scriptum est enim Matt. XXVII: « Multa corpora Sanctorum surrexerunt qui dormierant », idest obierant, secundum enim Ier. hoc factum fuit Domino resurgente, quia Dominus fuit primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae, ut dicitur Apoc. I. Hic nihilominus enarratur per anticipationem, ut ostendatur quod virtute et merito passionis eius hoc extitit factum.

844. Surrexerunt, inquam, cum Christo tanquam testes resurrectionis eius. Et hoc Matth. aperte subdit quum XXVII cap. ait: « Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis ». Inter quos suscitatos pie credendum est quod fuerit sanctissimus iste Vir.

845. Quaerit Remigius quod factum est de his qui surrexerunt cum Christo. Et respondet quod omnino credendum est, quod postea non abierunt, scilicet. cum Christo ad coelum ascendente pariter ascenderunt, et hoc rectae consonat rationi.

846. Primo, respectu Christi: secundo respectu sancti. Primo, inquam, respectu Christi, quia consonat Christi potentiae, et gloriae ac testificationi resurrectionis, tam suae iam factae, quam nostrae futurae, scilicet, ne possit credi, quod solus ipse tamquam Deus resurgat, et non sui electi. Nam teste Apostol. I. Cor. XV.: « Omnes quidem resurgemus.

847. Secundo respectu sancti, quia quantum ex parte cuiuslibet animae beatae respectu sui corporis resurrectio non defertur, sed solum ut opus tam solemne fiat cum quadam maiori solemnitate, et unitate, et quasi nobiliori ordine temporis, et aliarum circumstantiarum Proinde Apostolus II. ad Heb. de Sanctis inquit: Hi non acceperunt repromissionem. scilicet, gloriae sempiternae. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur, scilicet, in gloria cum corporibus suis.

848. Si igitur ex causa rationabili, et ex privilegio singulari accelerata sit in isto sancto, et in quibusdam aliis resurrectio in corpore, et in anima iam completa, nulla ordinis perturbatio est, immo potius consonum rationi. Decet enim communia sic in suo ordine conservari quod nihilominus privilegia magni regis habeant locum. *Haec S. Bernardinus.*

849. Gersonius, serm. de Nativ. B. V. consid. 3 addit: « Legimus Christo moriente multa corpora sanctorum surrexisse et venisse « in sanctam civitatem Hierusalem et apparuisse multis ». (Matth. XXVII, 53). Hinc

Digitized by Google

forte dicit Apostolus: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos » (Hebr. 1, 35). Recogitet oro pius animus, si iustus Ioseph unus ex illis putandus est fuisse, qui Mariae apparuerit carissimae Sponsae, qui eam consolatus sit, qui tandem Christo in coelum ascendente simul et ascendit glorificatus; non dubium in anima, sed an et in corpore nescio, Deus scit: et collocatus est a dextris ipsius Iesu, hoc est in potioribus bonis suis ».

850. Carthagena, l. 18. hom. magna et ultima, scribit: « Inter hos igitur qui cum Christo Domino resurrexerunt ad immortalem vitam, arbitramur cum gravissimis doctoribus fuisse Sanctissimum Iosephum. Hi sunt Viguerius Granatensis... Fonseca... Suarez... Bernardinus Bustensis... Gratianus... Andreas de Soto... ubi refert id praedicasse Paduae S. Bernardinum, atque id eo praedicante, super illum apparuisse fulgentissimam auream crucem. Equidem quod id praedicaverit, minime ambigo, cum ipse (tom. 3, de S. Ios., art. 3, c. 2) haec verba habeat: Pie quidem credendum est » etc. ut supra, n. 842.

851. Et l. 4, hom. 3, idem affirmans, ait: « Ut tradunt D. Bernardinus (in serm. de S. Ios. tom. 3) et Gerson (in sua Iosephina), Sanctus Ioseph resurrexit gloriosus ad vitam immortalem inter eos, qui cum Christo resurrexerunt. Potuisset Christus Dominus, sicut olim Lazarum, multo ante ad vitam illum revocasse; sed consulto opinor, Iosephi resurrectionem usque ad propriam suam distulisse, ut, qui pariter mortales vixerant, pariter gloriosi et immortales resurgerent.

852. Et clarius adhuc Sanctus noster Bernardinus, (id referente illo alio Bernardino), concionem habens Paduae, affirmans, clamabat ad populum: « In anima et corpore Sanctus Ioseph in coelis gloriosus est ». In cuius veritatis testimonium, ut idem auctor scribit, continuo visa fuit crux quasi aurea super caput eius. Et quidem, cum Salomon dixerit (Prov. ult.): « Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus »; merito putaverim, cum Maria solum et Ioseph fuerint domestici Christi, dum vitam mortalem agebant, duplicibus eos fuisse vestitos, veste scilicet gloriosa animae, altera splendida corporis. *Haec Carthagena.*

853. Bernardinus de Busto, Mariale, sermo 12, haec habet: « In resurrectione autem Christi, in qua multi resurrexerunt ex Sanctis Patribus, (ut habetur Matth. XXVII), pie creditur quod etiam Sanctus Ioseph gloriosus resurrexit et simul cum Christo visitavit Benedictam Virginem Sponsam suam. Et hoc Sanctus Bernardinus, praedicans Paduae, affirmans clamabat: In anima et corpore est Sanctus Ioseph in coelis gloriosus; et visa est crux quasi aurea super caput eius; et sic ego credo quod sit in vita aeterna in anima et corpore cum maxima et indicibili gloria, habens clarissimam aureolam virginitatis et doctrinae, quia praedicavit pastoribus, et Magis. Item puto quod sit apud pedes Beatissimae Virginis, honoratus ab Angelis et Sanctis omnibus, et habens magnam iurisdictionem apud Dominum Iesum et Sponsam suam ad impetrandam gratiam suis devotis. Et ideo, o devoti Christiani, habete hunc Sanctum in devotione, quia in multum sumus obligati. Qui igitur vult aliquid a Deo obtinere accipiat Beatum Ioseph pro advocato suo ante Virginem Benedictam Sponsam eius, et Beatissimam Virginem apud Filium suum et Dominum Iesum, ante Patrem Coelestem et omnia impetrabit ».

854. Seldmayr, Scholast. Mariana, p. 2. q. 1. a. 13, ita resurrectionem S. Ioseph probat: « Dico primo: Sanctus Ioseph fuit a Christo ad vitam revocatus... Probatur imprimis ex facto, quod Bernardinus de Bustis, in IV p. serm. 12, refert dicens quod eo tempore, quo Sanctus Bernardinus Senensis Paduae pro concione ad populum exclamabat: « Cum anima, et corpore Sanctus Ioseph est gloriosus in coelis », continuo super caput eius crux aurea visa fuerit, et inde testimonium duxerit de veritate facti. Convincit etiam ratio, quia certum est aliquos resurrexisse, et resurrectionem hanc singula rem esse gratiam pro resurgentibus: ergo haec praeprimis Sancto Iosepho contigit, cum huic Christus tanquam patri in multis voluerit esse obstrictus.

855. Probatur secundo, ex illo ad Hebr. XI, 35: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos », quae verba Gerson, serm. De Nativ. B. Virg. et Salianus ad annum mundi 4065, exponunt praecipue de Beata Virgine, quod inter omnes mulieres eminens de Resurrectione acceperit praeter Christum Filium suum etiam Sanctum Iosephum sponsum suum... Ergo si Sanctus Ioseph Sponsae suae Mariae resurgens apparuit, vere resurrexit.

856. Dico secundo: Sanctus Ioseph resurrexit ad vitam immortalem, et ascendit gloriosus cum Christo in coelum. Ita Suarez... et ceteri auctores citati pro resurrectione Sancti Iosephi. Idem docent alii universim de redivivis sanctis cum resurgente Salvatore. Probatur etiam ratione: quia iusti, qui in monumento non ante Christum surrexerint, et sic tamen Christo honor relinquatur, quod sit primus resurgentium ad vitam immortalem; alteram eorum, qui sentiunt sicut Sanctus Augustinus sentire videtur, quod re-

Digitized by Google

surrexerint iterum morituri; adeoque Sanctus Thomas hic non ex propria sententia negat resurrectionem esse factam ad immortalem vitam, sed tantum ex sententia aliquorum, cum quibus sentire videtur Sanctus Augustinus, non tamen eum certo cum illis sentire dicit, et locis superius adductis, ubi ex propria sententia loquitur, pro resurrectione ad vitam immortalem concludit.

857. Obiicies.... Sancta Birgitta, lib. VI Revel. cap. 94, affirmat, Matrem Dei sibi revelasse, quod sancti, qui cum Christo resurrexerunt, animas quidem cum eodem in coelos transmiserint, corpora vero terrae relinquerint, ut exspectent supremum iudicii diem; et lib. VII, cap. 26, Beata Virgo ad ipsam dicit: « Scias quod nullum corpus humanum in coelo sit, nisi corpus gloriosum Filii mei, et corpus meum: ergo Sanctus Ioseph non resurrexit ad vitam immortalem ».

858. Respondeo, Cornelium a Lapide, in cap. XVII Matth. citare hanc revelationem Sanctae Birgittae, et hac non obstante asseverare, quod Sancti illi resurrexerint ad vitam immortalem, quia nempe licet Revelationes istae sint approbatae, non tamen quoad singulas sententias sunt certae; potuerunt enim non rite esse impressae, vel etiam ipsa Sancta Birgitta subinde putare se ex Spiritu Dei loqui, et tamen locuta est ex spiritu privato, quia etiam alia continent Revelationes Sanctae Birgittae, quae tamen non sunt adeo recepta, uti primo, quod Maria Virgo quindecim dies in sepulcro iacuerit, lib. VII, cap. 26; secundo, quod non sit praevisa ab aeterno sedere super omnes creaturas, lib. VII, cap. 25; tertio, quod Maria Virgo magnitudine doloris ex Passione Christi concepti fuerit a sensibus abducta, lib. IV. cap. 70: quarto, quod Sanctus Ioseph fuerit senex Christo nascente, lib. VII, cap. 21, et alia, ut adeo nihil praeiudicetur ipsi etiam Sanctae Birgittae, si in una, et altera sententia quis ipsi refragetur, sicut idem dici solet de aliis Revelationibus, utpote quae de fide catholica non sunt, nisi ab Ecclesia sint expresse et distinctim definitae, et ad credendum divina fide propositae. *Haec Seldmayr.*

859. Fuse de hac re agit Ioannes a Iesu Maria, conc. 14, dicens: Secundus triumphus S. Iosephi consistit in eo, quod invictam hactenus indomitamque mortem, quantum ad eius effectus, perfecte vicerit, domueritque. Efferus iste, et inexorabilis tyrannus continua de nobis erigit trophaea, devictaque corpora in cinerem, et pulverem convertit. Elusit itaque eius truculentam ferociam noster Sanctus, quod non incorrupta solum anima, sed etiam incorrupto corpore victor aetherea conscenderit subsellia. Privilegium sane rarum, quod sine controversia non conceditur alicui sancto, cuiuscumque ille demum meriti fuerit. Quae tam certa veritas est, ut ingenti ostento coelesti a Deo comprobata fuerit. Accidit enim, ut in hac eadem festivitate, quam hodie celebramus, S. Bernardinus Senensis ad frequentissimam concionem verba faceret, qui cum publice protestatus fuisset Sanctum Iosephum cum corpore, et anima immortali gloria potiri, protinus, o insigne prodigium! crux aurea, splendidaque de coelo descendit, cunctisque spectantibus eius vertici insedit, ut tam mirifico portento apertum fieret, quam exacte veritati concinat, quod apostolicus ille praedicator de S. Iosepho dixerat.

860. Atque haec quidem gloria nostro Sancto debebatur duabus ex causis. Quarum prima est, quod virginalem integritatem suam nulla umquam pudoris corruptione vel levissime violaverit. Altera est quod tamquam singulare virtutum prodigium in mundo conversatus fuerit. Incipiamus ad hoc ultimo. Apocalypticae illae mulieri datae sunt duae alae aquilinae, quibus adiuta desertum coeli involaret: « Alae duae ». Et quaenam fuerunt illae alae? Multi multa de istis commentati sunt. Glossa tamen interlinearis ait, eas esse duas vitas: « Duae alae sunt duae vitae ». Quarum una est vita animae, secunda autem est vita corporis. Quid itaque? Ergone illa mulier duplicem in coelis vitam, spiritualem scilicet, et corporalem sortita est? Omnino sed non immerito. Cum enim insignis illa femina esset magnum quoddam coeli prodigium: « Signum magnum », conveniebat sane, ut duplici corporis et animae gloria in coelo perfrueretur. Nam qui in hoc mundo existit virtutum prodigium, merito in aeternitate cum corpore, et anima glorificatur. Ast quod maius virtutis prodigium, excogitari posset S. Iosepho? Certe, vidimus, ingens fuit charitatis miraculum neque inferius prodigium, in quantum angelus custos Iesu, et Mariae. Iudicate iam, Auditores mei, quaenam sit eius in gloria conditio! Illic sane triumphat cum corpore et anima, quo duabus alis corporis et animae tamquam coelestis aquila pervolavit: ibidemque fruitur duplici vita animae nimirum, quam cum omnibus aliis sanctis communem habet, et corporis, quae ei in divina ac inseparabili societate Iesu et Mariae est peculiaris.

861. Credimus, sancto docente evangelio, post passionem Salvatoris multa sanctorum corpora surrexisse: ut dicitur Matthaei XXVII: inter quae corpus Ioseph fuisse, sequentibus persuademur rationibus.

Digitized by Google

862. Nam privilegium illud datum fuit sanctis illis propter sanctitatis excellentiam. Nullis vero inferiorem fuisse Ioseph sanctitudine credimus. Hoc igitur privilegio donatus est.

863. Amplius. Filii est honorare parentem ac curam gerere corporis deficientis patris: ergo Christus filius Ioseph putatus, magis vero eum diligens quam si fuisset eius naturalis filius, multa sanctorum corpora suscitans de pulvere, corpusculum patris sui putativi non est passus remanere in pulvere. Favet huic rationi argumentum divi Bernardi, quo arguit, dicens: Non decuit, ut carnem Matris suae sine honore in terra relinqueret ei, qui honorem parentum sub praecepti districtione posuit.

864. Item. Qui in vita mortali prae ceteris honoravit Ioseph, nomine prosequens patris, pium est credere eum in morte prae ceteris honoravisse.

865. Amplius, filius resurgens omni affecit solatio Matrem quae ei compassa fuerat: ergo etiam patrem qui illum educaverat. Et forte Ioseph fuit unus de illis qui apparuerunt multis, ac singulariter Beatissimae Virgini. Sed noluit Spiritus Sanctus eadem scribere Evangelistas: ea ratione, qua nec Matrem suae resurrectionis fore testem. Tenendum igitur est id quod consentit veritati, fiatque, ut ait beatus Augustinus, ipsa veritas, auctoritas: sine qua, nec est, nec valet ipsa auctoritas. Haec neque doctrina nova est, quam ante nos scripsit ac praedicavit divus Bernardinus ordinis minorum. *Haec Isolanus.*

866. Denique rem confirmans Barry, Alim. piet. erga S. Ioseph, c. 8, med, 8, ait: « S. Iosephus cum anima et corpore in coelo est. Ut enim Gerson ait, quandoquidem multi cum Servatore nostro sunt a mortuis resuscitati, credibile est, S. Iosephum ex illis fuisse. Hoc cum S. Bernardinus Senensis die quadam pro concione diceret, supra caput eius crux auro mire effulgens, ceu coeli eius orationem ad populum approbantis signum, visa est ».

867. Alter titulus, propter quem decebat, ut S. Iosephus anticipato hac gratia afficeretur, erat coelestis eius puritas. Disquirit S. Thomas, utrum conveniens fuerit Christum a mortuis suscitatum cum corpore, et anima coelos conscendere. Et non sine magno acumine, ut in omnibus assolet, affirmative respondet, cuius assertionis hanc admirabilem affert rationem: « Quia locus debet esse proportionatus locato ». Itaque cum Christus post gloriosam suam anastasim ageret in mundo vitam omnis corruptionis expertem, apprime decebat, ut cum corpore, et anima in empyrea subvolaret regna, tamquam ad locum sublimiorem, et ab omni corruptione remotum. Iam paene proposueram hic ab applicatione supersedere, eam tamen pro mea consolatione, et pro devotione in nostrum Sanctum penitus intermittere nequeo. Quae puritas potest esse tam nitida, ut cum puritate S. Iosephi comparari valeat? Respondeat pro me piissimus Isidorus Isolanus: « Amplius dixeram ». Plus, ait, dicam, quam hactenus dixi, ast quid dices, pater sanctissime? « Iosephi virginitatem fuisse nobiliorem, gloriosiorem, ac mirabiliorem, quam fuerit angelorum virginitas ». Quibus verbis maius nihil dici, cogitarive potest. Quod si itaque incorruptioni, et puritati locus suus incorruptus debetur in coelo, quid non debebitur huic viro, qui virginea puritate, et incorruptionis praerogativa angelicam etiam dignitatem transgressus est?

868. Videtis itaque, quod D. Iosepho ex iustitia [si ita loqui liceat] debeatur palma triumphi, quem a devicta morte, tamquam genuino fonte humanae corruptionis retulit. Palmas hodierna die in manibus portabant Hebraei: « Acceperunt ramos palmarum » quas manibus Domini inserere gestiebant. Nam sicut ingredientis pedibus suas substernebant vestes, ita victricibus manibus certatim palmas ingerebant. Sed cur sanctissimas illas manus talibus volunt insignire trophaeis? Quia venerabantur Christum tamquam mortis triumphatorem, respondet prudentissime Euthymius. « Eum tamquam mortis victorem venerantes ». Sciebant siquidem cuius potentia essent manus illae, quae paulo ante de mortis faucibus Lazarum eripuerant, atque a putore funebri, et tabe vermium liberaverant. Tales autem manus, quae mortem, eiusque effectum superant, ex iustitia gloriosam palmam merentur. Relinquo applicationem huius conceptus, cum haec aliunde sit quasi ad manum pro nostro iusto Iosepho: « Cum esset iustus ». *Haec Ioan. a Iesu Maria.*

869. **Monitum.** — Eximiam puritatem et sanctitatem Beatissimi Sponsi B. M. V. imitari non pigeat nos clientes suos, qui tantum eius triumphum celebramus. O S. Ioseph, ora pro me, ut ante obitum mortuus, post obitum vivus effici merear. Fac ut mihi vivere Christus sit, et mori lucrum.

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

De dono triplicis aureolae, Martyrii, Virginitatis et Doctoratus in S. Ioseph.

IAM supra aliqua dicta sunt de martyrio S. Ioseph in anima; hic tamen liceat nonnulla ad rem producere. Iamar, Theol. S. Iosephi, c. 3. a. 4, ait: Inter alia quidem multa quibus Beatissima Virgo ac dilectissimus eius Sponsus Ioseph persimiles fuere, illud valde singulare reperitur, quod uterque, proportione servata, maximos dolores passus sit, non alio carnifice illos excruciante quam ipso Christo Domino:.. Quod ad Sanctum Iosephum spectat, ingentes labores, aerumnae et tribulationes quibus per totum vitae terrestris curriculum, a tempore desponsationis oppressus est, tales fuere ut non immerito tota eius vita prolongatum martyrium etiam censeri debeat.

871. Et addit: Certum est cor eius gravissimo doloris vulnere fuisse exulceratum, cum Sponsae tumentem uterum et indubitata conceptus indicia cerneret, praesens vero et latens in Virgine mysterium ignoraret... Dein, cum ex regia stirpe esset, pauper, ac humili fabri officio usus sit, in Bethlehemum profectus, infantem Iesum intuitus lacrymantem et prae nimio frigore algentem, vili praesepio cubantem, ac aeris inclementiae ob incommoditatem loci expositum, certe indicibili dolore fuit confectus. An non etiam varias ille curas et aerumnas ingentes exantlavit, cum tanta rei familiaris angustia premeretur, ut neque Mariae puerperae, neque Christo infantulo, ea quae vellet ac convenire putaret ulla ex parte posset subministrare? *Haec Iamar.*

872. Unde merito scripsit Isolanus, p. 4. c. 4: Apud superos vero plurimi donantur palma martyrii, quorum vitam gladius non abstulit persecutoris: veluti de sanctis Ioanne evangelista legitur ac Martino. Minime ritus hic primae Ecclesiae caret Sancti Spiritus mysterio, providentiaque. De palma itaque martyrii, si loquamur secundum consuetudinem militantis Ecclesiae, haud Ioseph est censendus vel praedicandus martyr. Si vero de merito apud superos, procul dubio martyrii corona donatum fuisse non ambigimus, probamusque.

873. Primo quidem ex ratione aureolae. Est autem aureola gaudium quoddam de operibus a se factis, quae habent rationem victoriae excellentis. Unde patet quod differt ab aurea, quae est gaudium de Deo et debetur victoriae communi. Et sicut illa in anima est principaliter, ita et haec: sed per redundantiam in corpore erit quaedam decentia et pulchritudo singularis repraesentativa aureolae, praedicatori... virginibus... martyribus.

874. Hac hypothesi rationis aureolae facta, videamus quæ excellens fuerit victoria in Ioseph. Prima quidem fuit sui ipsius, qui exilium et innumeros sustulit labores; ut Filium Dei servaret ab atra nece tyranni. Secunda fuit diaboli. Sed hae victoriae communiter omnibus supponuntur aureolis: utpote sine quibus nulla est aureola. Tertia fuit victoria tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere. Qua victoria expresse liquet pro Deo voluntariam mortem non expavisse. Propterea palmam martyrii, benemeritus dici potest.

875. Adhuc, dationi animae actu convenit palma martyrii. Sed Ioseph actu offerens, eam dedit pro Deo, quamquam non potuerit tyrannus eam eripere. Ioseph igitur palma martyrii benemeritus...

876. Verum de aureola virginitatis Ioseph, catholici doctores minime nunc haesitant, tum quia virginem, mente, corpore, voto, et statu, mortuum Ioseph credunt; tum quia primus secutus est virginum reginam. Tum quia sponsus et sponsa, communibus ornatibus circumdari consueverunt.

877. At de aureola praedicatorum sic argumentamur. Plus est Christum praedicare facto quam verbo. Sed Ioseph Christum factis summopere praedicavit, quibus quidem occasionem universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum Deum verum hominem factum.

878. Itidem veri praedicatores desursum illuminantur, suo tempore loquuntur, et ad Deum verum cognoscendum quosque convertere conantur. Sed Ioseph ab Angelis fuit illuminatus; cum quibus conversabatur, suo tempore de Deo est locutus. Verba

Digitized by Google

nempe praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere satagentis. Subsistamus hic parumper, et Ioseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur. An non credimus Ioseph innumeris vicibus fuisse exhortatum, eos cum quibus conversabatur Ægyptios, ut Deum verum colerent? Si quando contigerit eos audire, Messiam promissum in lege Iudaeorum advenisse, ut crederent persuasisse? Aiebat vero: Deus erit verus et verus homo, et ipse renovaturus est mundum. Vestra destruet idola, innovabit sacrificia, renovabit leges, mores, vitam, regna et imperium. Hac tempestate, qui sanctae legis profundiora vero intellectu dignoscunt, Messiae asseverant tempora adesse. Quod profecto apud me dubium non est. Vos hortor, o fratres Ægyptii, laetemini, quia vos redimet a potestate tenebrarum. Vos equidem ex hominibus illi credentes eritis similes Angelis, imo homines in se credentes Messias, tamdem donabit aeterno regno coelorum.

879. Verum cum in Nazareth Galilaeae habitaret civis et cognitus, ampliora quotidie praedicabat. O quoties benevolos et vere amicos hortabatur, ut quam attentissime faciem, verba, mores Iesu filii sui animadverterent. Arbitrabatur enim quod caro illa divinitatis odorem, ceteris emitteret, sicut sibi. Persuadeo domum mihi ipsi sicut præsentia corporis Christi in ecclesia ac sacramentorum virtute plurimi salvi fiunt, sic et in Nazareth civitate, illis temporibus multi sint ad Deum conversi conversatione Christi, Beatissimae Virginis moribus, meritis quoque ac verbis Ioseph. *Haec Isolanus.*

880. **Monitum.** — Dicamus ergo cum Barry, Alim. piet. erga S. Ioseph, c. 8, med. 8: « O S. Ioseph! Princeps in domo Dei! dubium mihi non est, quin Iesus et Maria omne genus honoris in coelo tibi exhibeant; neque quidquam est, quod te ab illorum consortio ac tertio post illos gradu avellat; omnes enim laureolas et serta honoris excellenti quadam ratione possides: Virgo tota vita fuisti: Doctorem saepe egisti, eo munere interim, cum versareris in Ægypto, praecipue defunctus: Martyr eras, ad servandam Filii Dei vitam, cui tot insidiae struebantur, millies mori paratus. Et si omnes hi tituli a te abessent, certe Pater Servatoris et Mariae Sponsus es: quod satis est, ad sedem omnibus ceteris altiorem pro meritorum tuorum magnitudine constituendam ».

CAPUT XLIX.

De donis fructuum in S. Ioseph.

Sanctissimus Ioseph, in terris nunquam stolam gratiae sanctificantis amisit, dicente cum aliis multis Gersonio: « Cum Maria gratia plena mansit Ioseph, repletus gratia peccatum mortale quodlibet superante »; et de quo constat, teste eodem Gersonio: « In hoc iusto et aeque casto viro peccati originalis fomitem, vel extinctum, vel depressum fuisse »; et teste Iamar: « Admittendum est fomitem in eo exstinctum aut ligatum fuisse, non solum per habitus et virtutes, sed et per divinam gratiam excitantem, praevenientem et illum adiuvantem ». Unde merito dicendum est, S. Ioseph dona fructuum uberrime in coelesti gloria obtinuisse.

882. De qua re ita scribit Isolanus, p. 4. c. 5: Est autem fructus, prout ab aurea et aureola distinguitur, praemium quod specialiter debetur homini: ex hoc quod ex semine verbi Dei in spiritualitatem consurgit, excolendo carnem suam. Unde aurea gaudium est de Deo, aureola de triumpho: fructus vero est gaudium et delectatio de spirituali exercitio; quia delectatio spiritualis debetur specialiter illi qui abdicavit a se carnalem affectum...

883. Fructus debentur et exhibentur virtuti continentiae vel castitatis. Scito enim secundum doctores, quod sicut aureola non debetur cuilibet victoriae, sed excellenti et in materia praestanti, sic et fructus suo modo. Quia enim importat delectationem debitam spernenti delectationem: ideo debetur illi virtuti, non quae spernit minores delectationes, sed quae spernit maiores scilicet venereas, ut est continentia.

884. Triplex fructus a Salvatore docetur;

Digitized by Google

trigesimus, sexagesimus, et centesimus: cuius ratio est: cum enim fructus debeatur continentiae, secundum diversos modos continendi sunt diversi fructus...

885. Dividit deinde continentiam in necessariam ad salutem, quae etiam *coniugatos* circa illicita respicit; in perfectiorem ad tempus, ut *viduarum*; in perfectissimam seu simpliciter et universaliter, ut virginum, et addit: Continenti itaque continentia, ad necessitatem salutis debetur fructus trigesimus. Continenti vero continentia abundanti secundum tempus determinatum, sicut est continentia vidualis quae abstinet a secundis nuptiis, debetur fructus sexagesimus. Continenti autem simpliciter et universaliter, quod est perfectionis virginalis, debetur fructus centesimus.

886. Et sicut ad aureolam non sufficit votum seu propositum sine effectu: sic nec ad fructum. Unde si quis incontinens poeniteat in morte, cum proposito continendi; auream quidem habet sed non fructum. Qui vero corruptus de peccato poenitens, vixit sanus cum proposito continendi nisi matrimonialiter, fructum habet trigesimum: sed si cum proposito continendi simpliciter, habet fructum sexagesimum. Nam fructum centesimum habere nequit, sicut nec aureolam, ex quò corde et corpore semel corruptus est.

887. Enimvero quod ad Ioseph spectat, probatur donis fructuum quam magnificentissime illum clarere apud superos. Tum quia primum et ultimum simul habuit. Virgo nempe perpetuus et coniux fuit. Tum quia fructum trigesimum perfecte habuit. In trigesimo enim fructu, qui debetur coniugatis per denarium gloriae aeternae perfectio signatur: per ternarium tria bona coniugii, fides, proles, et sacramentum; per quae coniugati tendunt ad vitam aeternam. Illa vero tria habuit excellentissime Ioseph: ergo etiam fructum trigesimum.

888. Centesimus fructus qui consistit ex denario in se ducto, vitam in terris angelicam signat, per quam tenditur, ad societatem Angelorum in coelis. Vitam profecto angelicam Ioseph duxit in terris, cum Rege et Regina angelorum: Regis pater vocatus, Reginae maritus: angelis quoque familiaris: quorum illuminatione, admonitione et apparitione, dirigebatur ad ministerium peragendum, ad quod electus fuerat a Deo.

889. Ausim ego disputare, neminem inter mortales viros fructus centesimi arborem possedisse foecundiorem quam Ioseph. *Haec Isolanus*

890. **Monitum.** — Exultantes in Domino, qui tantis donis et gratiis ditavit SS. Sponsum B. V. Mariae, devoto corde et ore clamemus cum eodem Isolano, ibidem: O Deus immortalis, cui similem faciam Ioseph patrem tuum: nisi Tibi ac tuae Genitrici... O divini Ioseph terram foecundissimam, quae suapte natura, petrae sterilitatem nescivit, spinarum punctiones ignoravit, et impia volucrum coeli rostra non persensit. O Ioseph vere beatum virum, quem singulari fructuum dono apud coelicolas donatum, certo certius novimus fide, ratione ac interiori spiritu quam efficacissime docentibus.

CAPUT L.

De potentissimo patrocinio S. Ioseph super omnes Sanctos, post B. M. V.

ECHIUS, homil. 2, de S. Ioseph, scribit: « Usque adeo mutua illa Iosephi cum Domino Iesu, et Virgine Maria conversatio, immensam eius arguit sanctimoniam, et dignitatem. Unde sperare liqueat, quod quidquid Eilium suum Christum rogaverit Ioseph, vel etiam coniugem dilectissimam Mariam, eius rei repulsam passurus sit nunquam. Vos itaque carissimi, nolite tam sancti viri oblivisci, quin eum sedulo invocate pio affectu, neque ille in necessitate vos deseret ».

892. Seldmayr, Schol. Mariana, p. 2, q. 1, a. 17, ait: Observo, patrocinium Sancti Iosephi potentissimum esse, colligendum esse ex hucusque dictis, quia cum omnes sanctos, excepta Deipara, excedat dignitate et gratia, consequitur necessario quod etiam praevaleat potentia et patrocinio, cum hoc gradum

Digitized by Google

suum habeat a sanctitate, et gratia, et huic correspondente gloria; quaeritur autem hic, utrum Sanctus Ioseph habeat patrocinium particulare hoc sensu, quod in certis tantum necessitatibus, uti regulariter alii sancti, possit opem ferre, vel utrum sit patronus universalis, ut in omnibus necessitatibus valeat succurrere. Ad quod

893. Sanctus Ioseph est patronus universalis pro omnibus necessitatibus. Ita Carthagena... allegans pro se testes omni exceptione maiores, nimirum Thomam... Bernardinum Senensem... et Echium... Ipsa etiam Sancta Theresia universale patrocinium Sancti Iosephi frequenter fuit experta, ut refertur in libro vitae eius. Probatur etiam primo ex Sacra Scriptura, in qua expresse dicitur: « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio ». (Ioan. XIV, 13). Item: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis » (Ioan. XVI, 23), quae quidem verba primario in sensu proprio et litterali intelligenda sunt de Patre aeterno, vere tamen etiam intelligi possunt *aliquo sensu* de Sancto Iosepho...

894. Gen. cap. XLI, v. 55: dicitur universaliter: « Ite ad Ioseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite ». Unde etiam salvator mundi dictus est, a quo omnes adiuvantur. Sicut autem hoc de Iosepho Ægypti prorege dictum est, ita etiam intelligendum est de Sancto Iosepho Mariae Sponso, et Christi nutritio, tum quod ille huius sit figura, figuratum autem semper praevaleat figurae, tum quod sub hoc dicto: « Ite ad Ioseph », uterque Ioseph litteraliter intelligi possit, cum Christus Dominus, si velit nos converti ad unum ex Sanctis pro nostra necessitate, tunc certe nos mittit ad Ioseph: « Ite ad Ioseph »...

895. Reliqui sancti, inter quos etiam angelos et seraphinos reputo, postulant a Christo Domino deprecatorie tamquam servi, Ioseph autem auctoritate quodammodo tamquam pater illius: sicut enim Christus adhuc in terris degens ipsi ad nutum obedivit, ita in coelis acceptae ab eo beneficentiae minime immemor ad nutum eidem tanquam patri filiali affectu obsecundabit, cum hunc affectum, quem ab infantia concepit, nunquam deposuerit: ergo Christus Dominus nihil recusabit, quodcumque petierit, et sic merito nuncupandus est patronus et intercessor universalis in omnibus necessitatibus, in quibus ad ipsum recurremus... *Haec Seldmayr.*

896. Miechoviensis, Lit. Laur. disc. 120, ait: Sunt, qui ob excellentissimum munus patris Christi, et Sponsi Mariae Virginis B. Ioseph supra omnes apostolos, et angelorum choros constituunt, ut videre licet eo ordine quo a D. Matth. cap. 1 nominantur: « Iesus, Maria, Ioseph », eodem in coelesti gloria sedeant, et perfectione beatitudinis fruantur. Accedit, quod magnitudo praemii coelestis ex magnitudine gratiae et charitatis, ac multitudine meritorum in hac vita pensatur... At de magnitudine gratiae S. Ioseph divinitus collatae quis ambigat? Considerate quanta Mardochaeus apud Esther gratia et auctoritate valebat, quod eius tutor et nutritius olim extitisset, Esther cap. II, 20; atque inde colligitur quantam S. Ioseph apud dilectissimam suam consortem, et sanctae huius Matris carissimum Filium, et suum alumnum gratiam habuerit...

897. Hinc infertur preces Iosephi pro nobis apud Deum efficacissimas esse. Reliqui enim sancti Christum Dominum orant pro nobis deprecatorie, tanquam servi; Ioseph autem auctoritative quodammodo tanquam illius pater, cui Christus sicut in terris ad nutum obedivit, ita nunc in coelis ad nutum obedit; non enim affectum illum filialem, quem in pueritia erga Ioseph habuit, amisit, sed eum perpetuo conservavit. Quare S. Theresia virgo Deo devota, carmelitarum reformatrix praeclarissima, testata est, numquam se a Deo aliquid per merita S. Ioseph postulasse, quod pro voto non impetrarit. Ita habet eius vita. De intercessionis S. Ioseph apud Christum et Deiparam efficacia pulchre Gerson in sua Iosephina hos versus cecinit:

Quanta, o fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum pater orat
Uxorem et natum, velut imperium reputatur.

898. Et disc. 121, addit: Sanctos colimus uti patronos, et intercessores nostros apud Deum. At cuius patrocinium secundum Christum, et gloriosissimam Virginem efficacius esse poterit, quam Sanctissimi Ioseph? Alii sancti, ut etiam in discursu immediate praecedenti diximus, orant pro nobis Deum deprecatorie ut amici, S. Ioseph auctoritative ut pater. Si autem Deus voluntatem timentium se facit, ut Psalmista ait Psalm. CXLIV, 19. quanto magis Iosephi voluntati annuet, quem uti patrem suum observat?

899. Filii regum multa pro suis nutritiis, et nutricibus faciunt, et liberaliter concedunt quidquid illi ab eis petierint. Rex Pharao Iosephum patriarcham patrem suum, hoc est consiliarium intimum adeo observabat, ut quidquid ille postulasset, libentissime ei concederet; hinc illimitatam pro suis fratribus locupletandis ei facultatem dedit. « Terra, inquit, Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare », Genes. XLVII, 6. Si Pharao Iosepho illi tam gratum, tam benevolum se praestitit, quid Christus Rex

Digitized by Google

regum Sanctissimo Iosepho patri suo nutritio non faciet?

900. Non video convenientiorem ad impetrandam divinam gratiam modum, quam gradatim procedere a Iosepho ad Mariam, a Maria ad Christum, a Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri latus et vulnera, Maria ostendit Filio pectus et ubera, Ioseph utrique ostendit callos in manibus natos ex fabrili arte, aliisque laboribus eorum causa susceptis. Hic nulla repulsa esse potest, ubi occurrunt tot charitatis insignia.

901. Isidorus Isolanus Mediolanensis id confirmat ex historia quadam orientali, in libro quem scripsit de donis S. Iosephi, 3 parte, capit. 9, ubi Christum Dominum ad Iosephum loquentem introducit hoc modo: « Ero auxiliator omni homini in Ecclesia iustorum, qui in memoriam tuam, o Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, et qui meditabitur in vita tua, et in laboribus tuis ».

902. Eos sanctos praecipua veneratione colimus, quorum patrocinia in nostris necessitatibus saepius experimur. Reliqui sancti certis quibusdam et particularibus necessitatibus subveniunt; hinc pro diversitate illarum diversi ad diversos sanctos confugiunt. Nautae supplicant S. Nicolao, milites S. Georgio, Mauritio, Venceslao; peste infecti S. Rocho, vel S. Sebastiano; studiosi S. Hieronymo, vel S. Catharinae, vel S. Thomae Aquinati; laborantes ex gutture S. Blasio, laborantes ex dentibus S. Apolloniae, laborantes ex oculis S. Ottoliae, damnum aliquod in rebus patientes S. Antonio. At S. Iosepho in omni necessitate et negotio concessum est opitulari, et omnes ad se pie confugentes defendere, fovere, et paterno affectu prosequi.

903. Unde seraphica virgo S. Theresia saepius iam memorata, universale patrocinium S. Iosephi frequenter experta, filias suas hortabatur, ut quamvis plurimos alios sanctos patronos haberent, peculiari tamen devotione Sanctissimo Ioseph se commendarent: omnia enim divina charismata, quae habebat, B. V. Deiparae ac S. Ioseph. precibus se obtinuisse gloriabatur.

904. Eadem sancta virgo cum aliis sanctimonialibus sui Ordinis patrocinio S. Ioseph in forma viri grandaevi sibi apparentis, et exclamantis: « Sistite. ne progrediamini, alioquin peribitis precipites », a maximo praecipitio, et praesenti mortis periculo liberata est. Didacus de Iepes, lib. 2. vitae eius.

905. Ad extremum. Ad cultum, et venerationem S. Ioseph nos monet, et pene cogit exemplum Christi, et Sanctissimae Matris eius, qui Iosephum singulari observantia, et honore coluerunt. Christus uti patrem putativum, Mater vero eius Maria uti Sponsum sibi carissimum. *Haec Miechoviensis.*

906. Carthagena, lib. 18, hom. 13 scribit: Sane omnes isti (*Sancti*) servi Christi sunt, at ad neminem nisi ad Ioseph pertinent verba illa Virginis, (Lucae II): « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Si autem Deus voluntatem servorum timentium se facit, ut cecinit David, quanto magis Iosephi voluntati annuet, quem in Sponsum suae Matris, et in patrem suum legalem, et nutritium elegit, et sub cuius tutela, et hospitio permultos annos infantiae, et pueritiae suae vitam transegit?... Nihil arbitror potentius ad divina charismata a Deo impetranda, quam scalam hanc ascendere, a Iosepho ad Virginem, a Virgine ad Christum, a Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri plagas, et vulnera, Mater Filio pectus et ubera, Ioseph utrique callos, et dura, quae pro eorum subveniendis necessitatibus, fabrili arte laborando, pertulerat; nec enim ipse superne in eos dominabatur, sed pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

907. Pius IX, per decretum S. R. C. diei 8 Dec. 1870, S. Ioseph Catholicae Ecclesiae Patronum declaravit: « Verum, cum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique insectata adeo gravioribus opprimatur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tandem praevalere autumarent, ideo venerabiles universi Orbis catholici sacrorum Antistites suas ac christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pontifici porrexerunt, quibus petebant, ut Sanctum Ioseph catholicae Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde, cum in sacra oecumenica synodo vaticana easdem postulationes et vota enixius renovassent, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo Sancti Patriarchae Ioseph patrocinio se ac fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit eumque catholicae Ecclesiae patronum solemniter declaravit ».

908. Idem Pius IX, in Breve *Inclytum Patriarcham*, 7 Iulii 1871, dixit: « Quamobrem Romani Pontifices Praedecessores nostri, ut augerent in dies ac ardentius excitarent in christifidelium cordibus devotionem et reverentiam erga sanctum patriarcham eosque cohortarentur ad Illius apud Deum intercessionem summa cum fiducia implorandam, haud omiserunt quoties opportuna esset occasio, novas semper ac maiores publici cultus significationes eidem decernere ».

909. Et addidit: « Verum postremis hisce temporibus in quibus immane ac teterrimum bellum contra Christi Ecclesiam fuit indictum

Digitized by Google

fidelium devotio erga S. Ioseph adeo increvit et progressa est, ut omni ex parte ad Nos innumerae ac fervidissimae pervenerint postulationes, quae nuper dum sacrum oecumenicum concilium vaticanum haberetur, ab omni fidelium coetu, et quod maxime interest, a plurimis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et Episcopis renovatae fuere, quibus flagitabant, ut luctuosis hisce temporibus ad mala omnia propulsanda, quae nos undique conturbant, efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem S. Ioseph exoraremus, ut illum catholicae Ecclesiae patronum declaremus. Nos itaque hisce postulationibus moti, divino lumine invocato, tot ac tam piis votis annuendum censuimus ac peculiari decreto nostrae Sacrorum Rituum Congregationis, quod inter missarum solemnia in nostris patriarchalibus basilicis Lateranensi, Vaticana ac Liberiana die 8 Decembris elapsi anni 1870 Immaculatae Conceptioni ipsius Sponsae sacro publicari iussimus, eumdem Beatum patriarcham Ioseph Ecclesiae catholicae patronum solemniter declaravimus ».

910. Tandem Leo XIII, Enc. *Quanquam pluries*, 15 Aug. 1889, declarat: « Cur B. Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, caussae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae ».

911. **Monitum.** — Dicamus cum eodem Leone XIII, ibidem: « Per eam, quaesumus, quae te cum Immaculata Virgine Dei Genitrice, coniunxit, charitatem, perque paternum, quo Puerum Iesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras ».

CAPUT LI.

De festis in honorem S. Ioseph.

Hoc in loco sufficiunt quae scripsit Isolanus, p. 4, c. 68, ubi ait: Pluribus coacti rationibus debent fideles celebrare annua festa, ob honorem Beatissimi Ioseph. Quarum prima sumitur ab exemplo Christi Dei... Deus itaque homo factus, cum fuerit in terris veneratus, charitate interiori illum vere amando, humilitate exteriori ei se subiiciendo, ac pro naturae debilioris aegritudine, beneficia ab eo accipiendo, cogimur pariter nos, ingrati ne forte servi et nequam, inveniamur, Ioseph venerari, diem illius festum celebrando quotannis.

913. Secunda ratio sumitur ex considereratione Beatissimae Virginis Mariae, quam qui non amant et colunt, similes sunt bestiis insipientibus. At Virgo Sanctissima Ioseph dilexit, illumque prae ceteris veneratus est: quoniam vera eius coniux extitit, quam etiam direxit et gubernavit... Beatissimae profecto Virginis verus nunquam poteris esse cultor: nisi illius voluntatem ac mores sategeris imitari. Ipsa vero dum inter mortales vitam degeret, honori studuit Ioseph sponsi sui....

914. Tertia ratio sumitur ab excellentia sanctitudinis Divi Ioseph...

915. In numero confessorum est locandum nomen eius... Confessores dicuntur, qui nomen Salvatoris observatione divinorum praeceptorum mortalibus patefecerunt. Quorum alii divino cultui studuere, alii praedicationibus, lectionibus, nonnulli scribendis voluminibus, quidam operibus intendentes misericordiae, exempla recte vivendi nobis reliquerunt.

916. Horum merito in ecclesia ascribi debet Ioseph, nedum in eorum corona praeclarissimus effulget: prae ceteris enim suum dilexit auctorem, Salvatoris studuit pietati, operibus misericordiae non homines prosequens, sed Deum ipsum verum humana circumdatum carne, illiusque Matrem Beatissimam. Hic primum iusti nomen obtinens, sancto teste evangelio, tanto mentis ardore infantem Christum creditur coluisse, quantum humana nequit explicare mortalitas.

917. Qua de re, quando nemini cedit confessorum in meritis, solemne illius officium celebrandum erit. Porro si apostolos, evan-

Digitized by Google

gelistas, si quatuor ecclesiae doctores, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum et Gregorium venerari singulariter mandat sancta mater ecclesia, de re. et vene. san. in sexto. quia doctrinam Christi praedicantes mundi lumina extitere: cur non eadem solemnitate venerandus est Ioseph, qui Verbum ipsum Dei, toti mundo enutrivit?

918. Amicos Christus vocavit apostolos, Ioseph patrem ipse Deus et homo nominabat. Honoramus patronos urbium sub festo solemni: cur non patronum Reginae nostrae Mariae Virginis, eodem venerabimur honore? Supremae itaque solemnitatis officio, Ioseph Beatum prosequamur: quem in terris prae ceteris hominibus, Christus ac Beata Virgo venerati sunt. Adde quos vales solemniis Ioseph honores: quoniam eiusdem merita, nondum nobis ad plenum dignota existunt. Quantis plausibus, quae laetitia, quibus honoribus ac praeconiis, personare coelestem credimus Ierusalem, cum Ioseph nominatur: quem parentem, Deus ipse vocare dignatus est; quem Regina angelorum, sponsum amantissimum adhuc clamitat.

919. His itidem rationibus nullo modo conticendum in litaniis est nomen eius. Sed Ioseph in sanctorum ordine confessorum, primus nominandus est. Non enim fas esse videtur, ut inferiorem obtineat locum cui Salvator supra se locum concessit. Neque subiici debet nomen illius alteri, cui Christus ipse se subiecit. Etenim propter Christum ac Beatissimam Virginem Matrem, omnis honor Ioseph exhibitur, praeclarissimus atque dignissimus esse debet.

920 Dubitari merito solet a plerisque, cur ab antiquis minime celebrata fuerit solemnitas Divi Ioseph. Quibus respondetur, patres nostrae sanctae matris Ecclesiae fundatores, totis animi votis sategisse, quo divini Domini Iesu naturam populis praedicarent allidentes ad petram fidei innumeras haereses, contra eamdem divinitatem passim insurgentes...

921. Arbitrabantur necnon festa natalia Salvatoris, circumcisionis, adorationis a Magis, praesentationis Christi in templo, ac relationis pueri Iesu ex Ægypto, Christo Deo, Beatae ac Ioseph fere esse communia. Quamobrem non alia festivitate contenti, venerabantur Sanctum Domini Ioseph. Appropinquante autem mundi termino et iam credere volentibus, satis superque manifestata Salvatoris divinitate, declaratis quoque divinarum litterarum obscurioribus locis... rationabiliter credendum est Deum immortalem velle, in fine temporum Ioseph in Ecclesiae militantis imperio, peculiaribus honoribus venerari. Decet profecto, ut quem Christus veluti patrem veneratus est, sanctam quoque matrem Ecclesiam, aliquando singulari reverentia prosequi. Et cum initia nascentis ecclesiae ac media tempora persecutionibus tyrannorum ac haeresum incendiis acta id prohibuerint: consequens est, ut haec in fine temporum peragantur. Quare gratissimum Deo esse non veremur, si quispiam votis Sanctum imploraverit Ioseph.

922. Cum itaque ad Sanctum Ioseph accedimus, eius imploraturi suffragia, ne, quaeso, titubemus, ne formidemus: sed constanti teneamus fide, talia Deo immortali vota, fore gratissima, necnon et Reginae angelorum. Mandavit Deus ipse Dei Filius, grande hoc praeceptum observari, sub comminatione maledictionum temporalis et aeternae: Honora patrem tuum. Suadet hoc idem ratio, cogit natura: cur ergo dubitandum erit, rem acceptissimam, nos facere Dei Filio, quando patrem eius Ioseph (sic enim eum vocant evangelia) talibus veneramur obsequiis.

923. Qui honorat patrem, honorat filium. Qui sponsum diligit, et sponsam: qui munera sponso donat, sponsam pariter gaudiis afficit. Apud coeli cives, non minuitur charitas, mutua dilectio, affectus, vota non perduntur: sed ad perfectum usque ascendunt. Nam qui secundum Deum hic mutuo se dilexerunt, quum fuerint coelestem ingressi patriam, ampliori se dilectione prosequentur. Nulla illic erit invidentia: communis laetitia, communiaque cetera. Quoniam sic haec in sanctis inveniuntur, quid erit in Sancto sanctorum Deo vero?

924. Itaque cum Dei Filius intuetur in lumine suae gloriae, quempiam Sancto affici Ioseph, illius studere honori, eius implorare suffragia, gaudet profecto; ut filius suum nutritorem honoret, annuit votis, exaudit clementius: et pro paterna gloria, abundantius munera invocantibus effundit coelestia. An forte Reginam mundi totis non optare animi votis, gloriam sui verissimi sponsi et honorem dubitamus? Quisquis in sanctis refrigescere charitatem insipiens opinari potest, talia superis non esse gratissima dicat.

925. Igitur, o fidelis ac devote Beatae Virginis, quando illius persolves rosarium, non pigeat te in fine, quaepiam ob honorem sponsi sui Divi Ioseph, peragere. Talibus etenim tua Deo gratiora reddentur, quibus pariter coelum laetificabis et terram. Coelum, inquam, quia tota applaudit curia coelestis, quando Salvatoris nutritor honoratur. Et terra, quia homo de terra ortus, atque ipsa sancta mater Ecclesia, quae terra est viventium vita gratiae, munera suscipiunt coelestia, meritis ac precibus Sanctissimi Ioseph. *Haec Isolanus.*

926. **Monitum.** — Gaudeamus in Domino

Digitized by Google

semper, virtutes, merita, patrocinium, festa SS. Patriarchae celebrantes; cui frequenter dicamus: O Ioseph Sanctissime et dulcissime, fac me clientem et filiolum tuum amantissimum: doce me virtutum tuarum imitationem: et ora pro me, ut servus ac socius perpetuus Iesu, Mariae, Ioseph effici merear, tuique honoris et cultus zelator ardentissimus.

CAPUT LII.

Summula Iosephina prima, ex legenda Orientalium.

ISOLANUS, p. 4, c. 9, sequentem legendam orientalem tradit: Consueverunt Orientis catholici, festa Sancti Ioseph celebrare vigesima Iulii, ingenti veneratione. Magnis etenim honoribus Sanctum prosequuntur Ioseph, laetanturque apprime in eius festivitate. Horum in ecclesiis solet vita quaepiam Sancti Ioseph legi. Haec de hebraeo in latinum deducta eloquium, a viro catholico et Romanam Ecclesiam debita veneratione prosequente, ad manus meas devenit. Is inter Sarracenos constituto sibi propter merita Sancti Ioseph, bonum fuisse confitetur. Transtulit vero praefatam historiam, anno dominicae incarnationis millesimo trecentesimo quadragesimo die XVI Ianuarii. Illius vero historiae sequentia, epitoma sunt.

928. Una dierum Salvator Noster Dominus Iesus Christus, sedens cum discipulis suis in monti Oliveti de Sancto Ioseph patre suo putativo, talia dixit: Ioseph faber fuit oriundus de Bethlehem de domo David: didicit a iuventute scientiam et sapientiam. Sciebat autem artem carpentariam. Erat quoque Ioseph iustus valde, et in omnibus suis dabat gloriam Deo, Maria autem mater mea adimplebat in aetate duodecim annos. Fuit enim per parentes suos oblata in templo, puella trium annorum et mansit in templo novem annis.

929. Tunc sacerdotes considerantes istam Virginem Sanctam et timentem Deum, dixerunt ad invicem: Ista puella crevit. Quaeramus unum hominem timentem Deum, cui commendemus eam, et maneat apud illum usque ad tempus nuptiarum, ne forte eveniat sibi in templo quod evenire feminis consuevit, et imputetur nobis ad peccatum et incurramus iram Dei. Tunc vocaverunt duodecim seniores de tribu Iuda et scripserunt omnes cognationes tribus et cecidit sors super Ioseph virum iustum et sanctum.

930. Tunc dixerunt sacerdotes Virgini Mariae matri meae: Vade cum Ioseph sponso tuo et mane apud eum usque ad tempus nuptiarum. Et sic de mandato sacerdotum accepit eam Ioseph Virginem commendatam et desponsatam, et duxit eam in domum suam. Cumque Maria mansisset in domo Ioseph, ivit ad locum distantem, vocatus ut operaretur de arte sua. Tunc ego cum voluntate Patris mei et cum consilio Spiritus Sancti, descendi in Virginem et carnem assumpsi. Quod sacramentum excedit omnem scientiam et cognitionem omnis creaturae.

931. Post tres menses rediit Ioseph benedictus completo opere ad quod iverat, et invenit Mariam Virginem habentem in utero, et timuit, et expavit, et cogitavit occulte dimittere eam. Et prae angustia cordis et sollicitudine et timore non comedit nec bibit die illo. Et media nocte apparuit ei angelus Gabriel in somnis, de mandato Dei patris mei, et dixit ei: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam sponsam tuam. Nam impleta est Spiritu Sancto et pariet filium, et vocabis nomen eius Iesum, et ipse est ille qui reget omnes gentes in virga ferrea. Et discessit angelus ab eo. Et surgens a somno Ioseph fecit sicut praeceperat ei angelus, et mansit apud eum Maria mater mea.

932. Post haec exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis, et unusquisque in civitate sua. Tunc Ioseph assumpsit Mariam Virginem sponsam suam praegnantem, et venit in Bethlehem civitatem suam: et scriptus est in registro communi sic: Ioseph de progenie David et Maria uxor eius, ambo de tribu Iuda. Cum autem essent ibi appropinquavit tempus pariendi Mariae Virginis matris meae: et peperit me in spelunca, quae est prope sepulchrum Rachel, quae fuit uxor patriarchae Iacob, et mater Ioseph et Beniamin.

Digitized by Google

933. Diabolus autem posuit in corde Herodis regis ut quaereret me ad perdendum. Timuit enim quod regnum meum esset de hoc mundo. Non fuit autem ille Herodes iste, qui interfecit Ioannem Baptistam cognatum meum et charissimum meum: sed fuit pater Archelai. Apparuit autem Angelus Domini in somnis Ioseph dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Ægyptum: et esto ibi usquedum dicam tibi. Futurum est enim; ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.

934. Surrexit autem Ioseph et accepit me et Mariam Matrem meam nocte et venimus in Ægyptum: et mansimus ibi usque ad obitum Herodis, qui mortuus est corrupto corpore toto, morte pessima, propter sanguinem quem effudit puerorum qui peccatum non fecerunt. Mortuo autem isto nequam, venimus et habitavimus in civitate Galilaeae quae dicitur Nazareth, ubi Ioseph benedictus operabatur de arte et vivebat de opere manuum suarum. Qui non comedit unquam panem alicuius gratis, et vivebat perfectus secundum legem Moysis.

935. Et post haec senuit Ioseph et processit in diebus suis: non tamen debilitatum fuit in viribus corpus eius: nec obfuscatus est visus oculorum eius: nec computruit dens aliquis oris eius: nec decrepuit in aliquo mens eius. Sed erat in tanta aetate completus in omnibus viribus suis et fortis in omnibus membris suis, sicut in iuventute sua.

936. Et ego conversatus sum cum eo in omnibus, sicut si essem filius eius. Et eram per omnia sicut ipse, excepto peccato. Et vocabam Ioseph patrem, et ipse vocabat me filium suum. Et ego obediebam Matri meae et Ioseph in omnibus: nec unquam transgressus fui verbum eorum: sed eram subditus illis sicut filii parentibus. Et diligebam Ioseph valde, sicut pupillam oculi mei.

937. Appropinquaverunt autem dies Ioseph ut moreretur: et apparuit ei angelus Domini, et dixit ei quod deberet cito transire de hoc saeculo et apponi ad patres suos. Qui timuit, et surgens ivit in Ierusalem, et intravit in templum et oravit longius Deum quod ei propitius esset in hora mortis suae. Et ut mitteret sanctum Archangelum Michaelem, qui eum defenderet ab inimicis suis. Et oravit etiam quod angelus bonus qui fuerat ei ad custodiam deputatus ex utero matris suae appareret ei cum laeta facie et grato aspectu, et associaret benigne animam eius, et non permitteret spiritus terribiles et adversos appropinquare ei.

938. Et postquam oravit rediit in Nazareth, et intravit in domum suam, et infirmatus cecidit in lectulum suum, et aggravata fuit valde eius infirmitas. Et appropinquante hora mortis coepit Ioseph turbari. Tunc ego intravi ad eum et dixi ei: Salve, pater mi Ioseph, quid est quod sic turbaris homo benedictus et sanctus?

939. Qui cum audivisset vocem meam, respondit: O fili mi dilecte, mi Iesu, multoties salveris. O fili mi, dolores et timor mortis circumdederunt me: sed quamcito audivi vocem tuam, anima mea consolata est me. Nam tu es, Iesu, Salvator et liberator animae meae. Tu es cortina, quae tegis peccata mea: nomen tuum in ore meo dulcissimum est. Iesu, tu es virtus oculorum meorum. Tu es auris, quae audis universa, audi me servum tuum hodie, supplico quod respicias et recipias lacrymas quas effundo in cospectu tuo. Nam credo te verum Deum et Dominum: sicut angelus dixit mihi pluries. Et non imputes mihi ad peccatum quod cogitavi dimittere sanctam et puram Virginem Matrem tuam, quando vidi ipsam primo praegnantem. Nescius enim quid facerem, angelus Domini docuit me sacramentum tuum mirabile, et direxit me, et mandavit mihi, quod imponerem tibi nomen Iesu; et dixit mihi, quod tu es ille qui salvabis populum a peccatis eorum. Et tu, Domine Deus meus, ne irascaris mihi propter horam illam. Ego enim credo te verum Deum et verum Filium Dei. Et cum haec dixisset, praevaluit infirmitas, et non potuit amplius loqui.

940. Tunc ego sedi ad caput Ioseph, et Mater mea sedit ad pedes eius. Convertit ergo senex faciem suam ad me, et suspiriis magnis suspirabat ad me. Et ego inclinavi me, et tetigi pedes eius et tractavi, et tenui manum eius inter manus meas longa hora. Et ipse Ioseph faciebat signa sicut melius poterat quod non dimitterem eum, et habebat fixos oculos in me: et venerunt Michael et Gabriel ad patrem meum Ioseph. Et sic patienter et laetanter expiravit.

941. Ego autem manu mea clausi oculos et genas eius, et composui vultum eius. Et tota civitas audiens mortem Ioseph, convenit: et familiares amici eius laverunt corpus Ioseph, et unxerunt illud unguentis optimis. Ego autem interim rogavi Patrem meum: et completa oratione venit multitudo angelorum: et praecepi duobus de illis ut vestirent corpus Ioseph. Et ipsi angeli induerunt in stola candida corpus senis benedicti Ioseph. Et ego benedixi corpori eius ne putresceret.

942. Et dixi etiam: Ego benedicam et ero auxiliator omni homini in ecclesia iustorum, qui in die memoriae tuae, o Ioseph, Deo sacrificium obtulerit. Et qui meditabitur in vita tua et in laboribus tuis et in transitu tuo de hoc mundo; quando exierit anima sua de corpore suo, ego delebo peccata

Digitized by Google

eius de libro, ut non puniantur in die iudicii. Et pestilentia non intrabit, et mors subitanea non veniet in domum, ubi fuerit memoria tua.

943. Et portaverunt corpus Ioseph maiores natu ad sepulchrum. Et ego recordatus fui dierum, quibus portavit me in Aegyptum, et suorum multiplicium laborum quos pertulit mecum, et flevi inclinatus super corpus eius. Et posuerunt corpus Ioseph patris mei in sepulchro iuxta corpus patris sui Iacob. Mortuus est autem die vigesimo Iulii.

944. Haec sunt quae ab orientalibus accepta breviuscule recensui. Multa vero omisi, quae ab sanctae Romanae ecclesiae cultoribus, cuius deficere nequit veritas, Christo conservante, minime reciperentur, ut arbitror. *Haec Isolanus.*

945. **Monitum.** — Quoniam nulla lingua enarrare sufficit magnalia SS. Patriarchae, assiduis saltem meditationibus, precibus, humilibusque obsequiis Eum prosequamur, dicamusque: O Sponsa Sanctissima Sanctissimi Ioseph, ora pro me, illumina me, inflamma cor meum ardentissimo illo charitatis igne quo S. Ioseph diligis diligesque in aeternum; fac me verum filiolum Iesu, Mariae, Ioseph.

CAPUT LIII.

Summula Iosephina secunda, ex consideratione utriusque Ioseph, seu figurae et figurati.

Pius IX, in decreto S. R. C. diei 8 Dec. 1870 ait: « Quemadmodum Deus Ioseph illum a Iacob Patriarcha progenitum praepositum constituerat universae terrae Ægypti, ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine adventante, cum Filium suum unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Ioseph cuius ille primus typum gesserat quemque fecit dominum et principem domus ac possessionis suae principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit ».

947. S. Bernardinus, serm. de S. Ioseph, a. 3. addit: « Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Ioseph, qui populis frumenta servavit, Genes. XLI. Sed et hic illum praecellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitae; sed omnibus electis panem de coelo, qui coelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit ».

948. Carthagena, lib. 18, hom. magna et ultima, scribit: « Ioseph filius Iacob, de quo in Genesis capitibus multis diversa referuntur, in fide, quam domino suo servavit, non ausus impudice tangere dominam suam, et castitate consequenter, et mysteriorum revelatione, procurationis commissione, cibi conservatione et terrae praelatione istius Ioseph typum gessit ».

949. Idem Carthagena, lib. 4, hom. 2. fuse de utroque Ioseph agens, affirmat antiquum Ioseph filium Iacob, *Beatissimi nostri Iosephi Virginis Sponsi typum gessisse, unanimis est Patrum sententia*, et ait: Et quidem si a nomine exordiamur, eodem uterque gaudet, quod « augmentum », seu « incrementum » significat, ut multi volunt; ad quod videtur allusisse Iacob, cum filio suo Iosepho dixit (Gen. XLIX): « Filius accrescens »: quod in nostrum Iosephum satis convenire noscitur .. etiam quia, sicut antiquus ille patriarcha sic appellatus fuit, quia ad illud honoris augmentum perventurus erat, ut totius Ægypti prorex, et secundus a rege futurus esset; sic noster Ioseph ad tanti honoris culmen ascendit, ut et Christi pater nominaretur, et Dei Genitricis verus maritus esset, quod non solum imperialem, sed, et apostolicam dignitatem longe antecellere arbitror, ut suo loco demonstravi.

950. Sed nec silentio praeteribo, quod « Ioseph » hebraice, si credimus illius idiomatis peritis, « pulchram arborem » significat, quod et Iosepho mirifice congruit, cum sub protectionis eius umbraculo melius, ac securius, quam animantia sub Danielis arboris umbra, Iesus et Maria acquieverint, et a rapacibus herodiani accipitris unguibus sua protectione ipse eos liberaverit.

951. Alii tamen ex hebraeo contendunt significare « filium fructiferum », vel « crescentem iuxta fontem », vel « iuxta oculum »:

Digitized by Google

unde Pagninus vertit, ut « Ioseph » idem sit, quod « ramus fructificans iuxta fontem », vel « iuxta oculum »; quod et nostro Iosepho recte consentit; nam infans ille, quem ipse amplexabatur, eius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, ac permulta virtutum opera exercebat, omnium bonorum fons erat uberrimus. Bene ergo iuxta fontem crevisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum; iuxta oculos enim Christi versabatur, quem ipse, ut pupillam oculorum suorum diligebat.

952. Quod si ad morum probitatem antiqui illius Iosephi mentis aciem convertas, miram quandam sympathiam, et armoniam inter illum, et nostrum Ioseph reperies; ut enim dixit D. Bernardus: « Memento magni illius quondam patriarchae venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum. sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, et gratiam ». Ille quidem et sanctitatem, et castitatem suam mirifice ostentavit, cum dominae suae blanditiis provocatus non solum non consensit, sed ut casum penitus praecaveret, pallium in manus illius relinquens, effugit. Sed, si hoc tibi magnum castimoniae, et sanctitatis argumentum videtur, ecce maius praestitit noster Ioseph: nam ille compescuit se, ne accederet ad uxorem alienam, hic vero, ne propriam agnosceret, se cohibuit; ille quidem castus fuit, at noster Ioseph quam castus, quia virgo? ille castitate praestitit, hic virginitate praefulsit...

953. Sed iam ad desponsationem Iosephi, statum eius indicantem, in qua persimilis fuit antiquo illi patriarchae, pergamus. Vincentius (in suo spec. hist.) refert, Aseneth filiam magni sacerdotis Heliopoli pulcherrimam suae aetatis feminam, et castitatis amantissimam dixisse, neminem, nisi alicui deorum illam in uxorem fore dandam; unde in arce fortissima se conclusit, ubi cum aliis virginibus vitam honeste degebat. Accidit autem, ut Iosepho prorege Ægypti iam creato, illac eunte, Aseneth ex fenestra quadam arcis illum prospiciens, eius modestissimae, ac pudicissimae pulchritudinis amore capta, in sponsum illum acceperit. Ad eundem modum B. Virgo omnium feminarum pulcherrima, quae nonnisi Deum immortalem in sponsum habere proposuerat, et ideo ob virginitatis amorem in templo cum aliis virginibus conclusa, vitam traducebat, ex divino instinctu Iosephi modestia, ac virginali pudore allecta, illum in Sponsum suum libenter accepit.

954. Sicut enim antiquus ille patriarcha Ioseph pulcher adeo erat, ut sacra Genesis (XXXIX, 40) dicat: « Erat Ioseph pulchra facie, et decorus aspectu »: unde, ut refert Nicolaus de Lyra (sup. c. XLIX Gen.), quoties feminae nobiles Iosephum praeterire per medias vias audiebant, confestim ad pulchritudinem eius per cancellos, et fenestras intuendam properabant: quod non parum ex eo confirmari autumo, quod Iacob cum Iosephum ad ei impertiendam ultimam benedictionem accersivit, postquam dixerat: « Ioseph decorus aspectu », continuo subiunxit: « filiae discurrerunt super murum »; vel, ut alii vertunt, teste Lyrano, « filiae discurrerunt propter aspectum »; non secus noster Ioseph tanta pulchritudine effulsit, ut Christo Domino, qui speciosus erat prae filiis hominum, vultu similem fuisse, praeter Gersonem (in sua Iosephina), historia orientalis tradat, ut refert Gratianus (lib. 2, c. 4, in vita S. Ioseph), adducens verba Christi in revelatione quadam dicentis: « Ego eram similis Ioseph in omnibus ».

955 Unde crediderim Christum Dominum non solum putatum esse filium Ioseph, ut tradunt evangelistae, quia Maria Mater eius nupta erat Iosepho, sed et quia vultu ei persimilis erat; sic enim magis virgineus partus celabatur diabolo, dum similitudo vultus inter Iesum, et Ioseph ansam ei praebebat ad iudicandum, illum filium eius esse.

956. Deinde quemadmodum, ut sacer textus (Genes. c. XXXVII) ait, Ioseph prae cunctis fratribus a patre suo Iacob dilectum fuisse: « Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos »; sic et Iosephum arbitror, plus a Deo dilectum fuisse, quam reliquos omnes... Sicut enim Iacob in signum ardentioris amoris erga Ioseph fecit ei tunicam polymitam; sic Deus nostro Iosepho polymitam tunicam aptavit, hoc est, spiritualem vestem talarem a capite usque ad talos omnium virtutum coloribus decoratam; ibi charitas ceteris ardentior, ibi pudicitia rara, ibi tolerantia invincibilis, ibi modestia omnibus grata, ibi comitas omnium animos concilians.

957. Unde sicut olim, cum summus sacerdos in sancta sanctorum introire debebat, et arcam illam testamenti concomitari, iussione divina praecipiebatur, ut pretiosam vestem indueret, in qua orbis, et eius perfectiones descriptae apparebant; sic sane, quia Ioseph non semel in anno, ut summus sacerdos, ingressurus erat ad Sancta Sanctorum, hoc est, ad Christum Dominum, quem frequentissime, cum infans erat, manibus contrectabat; et quia pariter concomitari debebat mysticam illam arcam, Beatam scilicet Virginem, ideo oportebat, ut ad haec tam excelsa munera obeunda polymitam vestem omnium virtutum varietate ornatam indueret.

958. Quod si rex Pharao honoris gratia induit antiquum illum patriarcham Iosephum

Digitized by Google

veste byssina, et candida, qua per publicas vias incedebat (Gen. XLI): « Vestivitque eum stola byssina », castitatem eius significans, quae tanto in eo praecelluit, quanto ab hera sua importunius sollicitatus, et instantius ad libidinem stimulatus fuit... Ad eumdem modum Deus candidam, ac byssinam castitatis vestem Iosephum nostrum induit, cum multis tamen pressuris coniunctam.

959. Haec autem non solum veteris illius Iosephi castitatem, sed et angelicam longo intervallo excessit puritatem; Ioseph enim ille antiquus tandem filios ex matrimonio procreavit, at noster Ioseph castius vixit nuptus, quam ante nuptias, nec filiorum generationi ullo tempore vacavit.

960. Sicut etiam in signum amoris, et benevolentiae rex Pharao antiquo illi patriarchae Iosepho torquem auream ex collo eius appendit; alia sane multo pretiosiori collum nostri Iosephi Christus Dominus cinxit, dum infans, brachiis suis collum eius circumdans, ab eo, tamquam pretiosissimus agnus Dei, pendebat, sed et alia etiam torque, ac inaestimabili catena ex variis virtutibus contexta animum eius exornavit.

961. Temperantia in nostro Iosepho splenduit; sed et prudentia non defuit in servando Christo Domino, « qui frumentum erat electorum », et futurus panis ad cibandam Ecclesiam; immo, quasi audierit illud Christi Domini (Matth. XV): « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus », agnoscens famem venturam, panem hunc coelestem, panem, inquam, filiorum, ab illius rabidissimi canis voracissimis faucibus diligentissime custodivit. Fortitudine etiam claruit, siquidem Herodem regem, infantem Iesum occidere tentantem, vicit, et praedam quasi e manibus eius eripuit. Iustitiam tandem in eo profundas radices fecisse satis testatur evangelica historia, dum ait (Matth. I): « Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam traducere ». Ex his ergo variis virtutibus, charitatis auro velut ornamento micantibus, torques nostri Iosephi texebatur.

962. Commemorat deinde sacer textus de antiquo illo patriarcha Ioseph, portasse frequenter virgam, de qua D. Paulus (Hebr. XI) loquens de Iacob dixit: « Adoravit fastigium virgae eius »; quem locum explicat ille alius Isaiae (c. XI): « Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet »; ecce virgam, Mariam Virginem; ecce florem ex virga pullulantem, Christum Dominum; Ioseph ergo noster secum ferebat et virgam, et florem Dei Matrem, dum Filium cum Matre in Ægyptum ducebat, et in domum reducebat.

963. Ad haec, si Iosepho illi datus fuit annulus a rege, in quo regia eius imago erat sculpta; alium similiter pretiosiorem annulum, et pulchriori imagine insculptum Iosepho nostro contulit Deus, Christum scilicet Dominum per annuli symbolum egregie significatum; nam sicut extrema circuli in annulo coniunguntnr in una eademque gemma, in qua miro artificio regium sigillum adest; sic in Christo duae illae naturae, humana et divina copulatae fuerunt in una eademque pretiosa petra, Paulo dicente (I Cor. X): « Petra autem erat Christus »... hunc ergo annulum posuit Deus in manu Ioseph, ut illum custodiret, et signaculo eius, quas vellet litteras, obsignaret; in quo mira effulget Iosephi auctoritas, et potentia.

964. Ad haec, quemadmodum Iacob adeo liberalis extitit erga filium suum Ioseph, ut ei diceret (Genes. XLVIII): « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo »: cuius quidem meminit D. Ioannes (c. IV) cum dixit: « Iuxta praedium, quod dedit Iacob filio suo »; addens: « Erat autem ibi fons »: supra cuius lapidem requievit lassus Iesus: « Sedebat sic supra fontem »; non secus Deus Optimus Maximus nostrum Iosephum prae ceteris adeo locupletavit, ut sacrum illud praedium B. Virginis, terram sanctam, et immaculatam, quam in gladio, et arcu crucis a peccati, et corruptionis legibus, mortis auctore valde recalcitrante, et reluctante, immunem servaverat, liberaliter donavit, purumque fontem eidem contulit, fontem, inquam, illum signatum, in quo non solum sedit, sed et requievit; immo, et ex eo fluxit, ac per nativitatem emanavit ad nostram omnium sitim extinguendam, ut ipse testatus est, cum dicebat (Ioan. XXVII): « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ».

965. Quod si antiquus ille patriarcha fratribus suis his verbis somnium aliud retulit: « Vidi per somnium, quasi solem, lunam, et stellas duodecim adorare me »; id sane praenotabat, futurum esse aliquando. ut pater, mater, et fratres eius ditioni eius subiicerentur, ut reipsa postea contigit, cum in proregem totius Ægypti a Pharaone creatus fuit. Id quam apte Iosepho conveniat, nemo est qui non videat: nam in primis sol iustitiae Christus, ut S. Lucas testatur (c. II), « subditus erat illis »; unde cum Christo Domino, tamquam Filio Dei naturali, cuncta obediant;... non parum excellentiam Iosephi commendat, quod sol ipse iustitiae, cui omnia obediunt, ipsi obedientiam praestiterit; sed et luna etiam, B. scilicet Virgo, quam pulchram ut lunam appellarunt angeli, eidem promptissime obtemperabat...

966. Si enim ille antiquus Ioseph invenit gratiam coram Pharaone Æegypti rege, hic invenit eam coram Christo, coeli, et terrae

Digitized by Google

potentissimo imperatore: et si gratia, quam ille sibi conciliavit, eo pervenit, ut Pharaone iubente alta praeconis voce per publicas civitatis vias « pater » legalis « Pharaonis », et universae patriae acclamaretur, ut tradit D. Hieron. (super cap. XLI. Genes.), et favent verba ipsius Iosephi dicentis: « Deus fecit me, quasi patrem Pharaonis »; sane gratia, quam invenit Ioseph coram Christo Domino, eo accessit, ut non voce unius praeconis, velut ille, sed tot, quot sunt in Ecclesia divini Verbi praeconum publicis acclamationibus, ac singulari Ecclesiae catholicae iubilo, « Pater Christi » frequenter vocitetur, iuxta verba Beatae Virginis hoc honorifico nomine illum compellantis (Luc. II): « Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te ».

967. Et si de antiquo illo Iosepho addit sacer textus, quod ministrabat regi, et creditam sibi domum gubernabat; nemo sanae mentis ambigere potest, Iosephum regi Christo in infantia, pueritia, iuventute millies ei ministrasse, ac de propria substantia, et sudore vultus sui illum nutrisse, et aluisse, sacramque illam familiam non ex aliis, quam ex Iesu, et Maria compactam, summa prudentia gubernasse.

968. Ac tandem, si patriarcha ille Ioseph ob fraternam persecutionem in Ægyptum exulavit, etiam noster Ioseph ob herodianam in Christum persecutionem compulsus fuit in Ægyptum exul abire: et sicut ille arcana non pauca sibi, et aliis profutura in somniis agnovit, unde fratres dicebant (Gen. XXXVII): « Ecce somniator venit »; ita et noster Ioseph divinitus illustratus perplura arcana angelico ministerio in somnis sibi reserata accepit, evangelio dicente, non semel ei apparuisse angelum Domini in somnis, ut mysterium incarnationis, integritatem Mariani thalami, ac profectionem Christi in Ægyptum, et reditum in Iudaeam aperiret. *Haec Carthagena.*

969. Multa alia de hac re dixerunt et Patres et Doctores, sed brevitatis causa, haec tantum summariae prae oculis pii lectoris ponenda duxi.

970. **Monitum.** — Magnalia SS. Patriarchae Maximique Patriarcharum merita laeti recolamus, eique dicamus: O Patriarcha Sanctissime, ora pro me, ut virtutes tuas in antiquo Ioseph figuratas saepe recogitem, et assidue ad praxim deducam.

CAPUT LIV.

Summula Iosephina tertia, ex consideratione S. Ioseph et Lilii.

BARRY, Alim. pietatis erga S. Ioseph, cap. I, pulcherrime de S. Ioseph ex consideratione tanti Patriarchae et Lilii, scripsit. Ait enim: Ut aeternum seu pictorem seu sculptorem illum Deus et melior fama fortunet, quicumque primus S. Iosephi digitis lilium inseruit! Floribus enim vis quaedam amabilis et nescio quae illecebra subest, ut honoris, et boni ominis plena illorum nomina, menses, et aspectus habeantur. Florentia, quae est Hetruriae metropolis, gloriatur, se a copia florum, qui in Elysiis illorum viretis rident, nomen traxisse. Insula Rhodus, a rosis illic passim nascentibus nomen sortita, ideo sibi applaudit, velut ipsa quoque instar vernae rosae gratiosa promicaret. Nemo ignorat Susan regiam Assueri Regis civitatem universis se urbibus toto Orbe visendis antetulisse, quod nomenclaturam suam a Lilio derivaret, a quo prae ceteris venustior meruit liliorum Civitas vocari.

972. Omnes, etiam S. Scripturae interpretes observant, oppidum Nazareth Florentis nomine gaudere, quod domicilium Iesu, Mariae vero et Iosephi natale solum fuisset: qui flores in Ecclesiae viridario sunt omnium omnino pulcherrimi. Ad haec omni aevo nomina occursus, intuitusque florum in felicis augurii partem sumpta sunt. Olim Romanis adversus hostes praelium inituris, clemens ventus in Romani militis clypeos et galeas magnam vim liliorum, rosarum, violarum, narcissorum, iridum aliorumque florum ex adsito prato efflavit: unde nihil dubitarunt, quin hoc victoriae praesagium, et initium felicitatis esset. Quo tempore ad Echinades

Digitized by Google

insulas fuit cum Turcarum classe Christianis copiis confligendum, in foro Veneto rosae aeque recentes ac vividae, etsi tunc October esset, vendebantur, atque si Maius aut Aprilis fuisset: atque inde non dubia victoriae adversus Turcas obtinendae argumenta capiebantur.

973. Ergone tanto in pretio ac oblectatione flores habentur? ergone tantopere horum aspectus et singulares dotes observantur? Et ego igitur idipsum agam; proinde etiamnum repeto: aeternum Deus et fama illi faveat, quisquis S. Iosephi manibus primo lilium attribuit! Hoc est sane, nihil dicendo, nihil non dicere, et praeclara incomparabilis Divi merita penicillo nobis eloqui. Si pretium praestantiamque lilii fueris assecutus, eminentes etiam admirandasque S. Iosephi perfectiones, et imprimis summum ac incredibilem Dei in eumdem amorem intelliges.

974. Lilium itaque decus areolarum et hortorum voluptas est: haec aliqua venustatis portio est, quae intuentium oculos et amores rapit. Sunt itaque Ecclesiae militanti lilia sua, ut et triumphanti: « Floribus coeli neque rosae, neque lilia desunt »; sed S. Iosephus unum ex his est longe pulcherrimum, e meliori area delectuque liliorum; quando Sponsa non alio accumbere loco quam inter lilia cupit; quae prima merentur post Sponsum vocari: « Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia ». **Iesus, Maria, Ioseph,** sunt illa praeclara lilia, quae huic liliorum convivio intersunt, tria coeli ac terrae decora, et Orbis universi amores.

975. Lilium flos est inter omnes flores odoriferos caule situque maxime erecto ac sublimi, quorum alia ad tres cubitos exsurgunt. Cuperem equidem experiri, si S. Iosephus una manu Iesum, altera Mariam sustineret, num quisquam esset futurus, qui auderet alteri supremum locum quam ipsi deferre. Excellentia, sanctitas, et coelestia dona non aliter in domo Dei conferuntur, quam dignitatis ac ministeriis quod quisque obit, habita ratione: quem ordinem dignitatis in Deo Homine Iesu, in Matre Dei Hominis Maria, et S. Iosepho huius Nutritio, alterius Sponso inchoatum videmus. Quaeso te, quem alium voluisses illi praeponere? Audi S. Thomam illud virtutis ac sapientiae miraculum: et tum sententiam feres, S. Iosephum inter coelestia lilia supremum et post Iesum et Mariam sanctissimum esse: « Eo fuit excellentior, quo ad altiorem ordinem pertinuit ».

976. Lilium flos est amoris, amoris fundo, hoc est, cordi innixus; quandoquidem eius radix et bulbus cordis figuram tenet. Hoc ipsum plane S. Iosepho congruit, qui post Iesum et Mariam omnium amantissimus et amabilissimus habetur, cuius omnes eximiae dotes ac excellentiae sunt e corde Numinis enatae, qui eumdem voluit inter praecipuos aulae suae magnates numerare. Haec obiter attigisse modo sufficiat: non ita multo post alia se mihi occasio offeret, qua utar ad amorem, unde tot sui amandi illecebras atque causas habuit, pluribus explicandum.

977. Porro in praesens omnium rationum loco dicamus, praeclare factum esse, quod nobis collocato intra manus eius lilio repraesentetur; et S. Iosephum eo habitu excellentium meritorum, quibus praeditus est, nobis indicium facere. Illud tamen addamus, neque has cogitationes sufficere: hoc enim lilium animos nostros ad maxima divini amoris in hunc Divum miracula erigere, ac docere nos debet, istud lilium in amoris negotio prodigiosum esse: cum lilium sit flos amoris; ac totidem sint miracula divinique amoris rariora prodigia suis locis insinuata, quot foliis lilium discriminatur.

978. Margarita Regina Navarrae pro symbolo lilium coronatum sibi adscivit, unde binae gemmae pretiosissimae cum hoc lemmate pendebant: « Mirandum naturae opus ». Bona illius venia hoc ei emblema subducam Sancto Iosepho affigendum: ipse praestans hoc lilium est, miraculum non naturae sed gratiae: « Mirandum gratiae opus ». Ex quo suo modo quondam gemmae rarissimae Iesus et Maria pendebant, e quibus alterius nutritius, huius vero maritus fuit: qui profecto dici potest coronam promeruisse: quando inter omnia Ecclesiae militantis et triumphantis areae innata lilia in Dei amore primas tulit.

979. Nemo tam temerarius est, qui hanc ei coronam, hunc divini amoris triumphum audeat post Filium et Matrem Sponsam eius infringere: cum publice constet, quantum in sancti amoris triumpho ius ac locum teneat. An non eius gratia dictum est, quod Vates Regius Psal. XLIV his vocibus inscripserit: « Triumphus pro liliis », aut ut alia versio habet, « Triumphus per lilia? » quandoquidem epigraphe illa reliquis duobus liliis Iesu et Mariae tribuitur, in quorum comitatu semper Iosephus est, aliunde miraculis illustre lilium. Mihi dubium non est, quin triumphus ille ad ipsum quoque pertineat, et amor ille, quo Deus illum affecit, ceteros omnes Divos triumphet, quos universos amoris divini in se favoribus, privilegiis et monumentis longe antecedit. Neque difficile mihi ac operosum erit, dubitanti hac in re fidem adstruere: neque aliud agam quam ut hoc lilium depromam, ac eius folia, hoc est, miros Dei S. Iosephum amantis fructus et miracula explicem.

980. **Lilium ergo sex omnino in folia se**

Digitized by Google

aperit: et quoniam S. Iosephus admirandum hoc lilium est et peculiaribus Dei beneficiis in se derivatis omnes Sanctos antecedit; hunc numerum tenebo, ad cuius mensuram totidem in illo singularia dona, nulli alteri concessa, reperio. Atque illa tanto studiosius evolvo, quod totidem sint admirandi amoris documenta, quibus Deus illum post Iesum et Mariam exornavit. Ceterum dum hunc divinarum immunitatum, rarique muneris senarium expono, nemo a me alium apparatum dicendi exspectet, quam simplici oratione unum me alteri subiuncturum: res enim ex se rarae suo pretio sunt satis illustres, neque verborum alteriusve splendoris ambitum illas mutuari necesse est. Nulla bene a natura instructa species fuco utitur: neque adamantes colore tingimus: et theca gemmaria cimmeliis plena splendorem secum in sinu circumfert, quae ut niteat, aperiri tantum non laudari debet: haec omnia nitorem, elegantiam, fulgorem suum domi habent. Ita et haec ornamenta, quae tractabo, et folia stupendi lilii, eorum exemplo sibi sufficiunt.

981. **Primum folium.** — Primum igitur folium inspiciamus. Quis unquam dici de filio audiit, quod suum ipse sibi patrem elegerit? nemo utique, di ces: atqui hoc ipsum S. Iosepho evenit. Ut filius parentem suum seligat, dicatque, hunc patrem volo, non alium, res est summae admirationis; neque a conditi orbis incunabulis quidquam huic simile fuit auditum: percurre omnes Regnorum historias et Orbis universi Annales, nihil par huic prodigio reperies, quod vel paululum accedat. Ubi enim eramus futuri, si haec optio potuisset in usu esse? deformes, imperfectos, naevo quocumque laborantes nemo omnium acceptasset: neque quisquam alium sibi esse patrem voluisset, quam cuius genus nobile, opes magnae fuissent, quam sapientem et omnibus numeris absolutum; ut, si quis tali ratione patris conditionem adiisset, iure tunc potuisset inter bonos haberi.

982. Ad Filium Dei nos vertamus, qui iure divinitatis suae, quae ipsius ortum tota aeternitate antecessit, facultatem et otium habuit, de patre sibi prospiciendi, postquam certum illi ac decretum fuit, inter homines eum secernere. Credibile prorsus est, eum inter omnes mortales omnium perfectissimum, sanctissimum et integerrimum, ac talem selegisse, in quem recte posset tam excellens dignitas conferri. Terrae aliquis vermiculus, mei similis, splendore generis et cultu insignem exoptasset, si occasio ei se obtulisset: at Dei Filius, qui aequus rerum aestimator est, et iusta illarum pretia mentiumque arcana penetrat, qui probe intellexit, quid in Iosepho haberet, num alium habere, quam illum ipsum patrem voluit? hoc sane fuisset aliquantum etiam infra nos sapere. Sed hunc admisit, hunc voluit, hunc omnibus aliis antetulit: quo testatum fecit, eum se prae ceteris omnibus amare; quando illum eousque dilexit, ut patris sui partes et munus illi committeret.

983. **Secundum folium.** - Gradum faciamus; alia se nobis miracula offerunt. Vidisti patrem a filio electum, nunc tu mihi hominem videsis, qui Deum filium suum appellat, et, quod sequitur, eiusdem pater est. Prodigium inauditum! quis unquam somniasset, homini tantum animi futurum, ut Filio Dei dicere auderet: tu es filius meus? et quisquam ad dignitatem illam perveniret, ut parentis cognatione ad Verbum carne vestitum referretur, genere necessitudinis illi non absimili, quae inter Patrem aeternum et Verbum increatum intercedit, adeo ut Deo Patri supplex dicere possit: Deus, qui Pater Iesu es, mecum parentis iura divide: tu patris honorem in coelis serva, ego patris appellationem in terris tuebor? In hac tanti prodigii consideratione meipsum non capio, neque satis admirari altissimum S. Iosephi fastigium possum, si ut Iesu Christi patrem considero.

984. Fuit omnino Iesus filius eius, non equidem naturae beneficio sed legis gratia, quae ius in Iesum illi eo etiam nomine indulsit, quod in castissimo Virginis Matris utero esset Iesus efformatus: ex illa enim carne natus est, quae ad ipsum spectabat, quaeque matrimonii iure in illius potestate erat. Hoc diserte Lex asserit: « Quod in alieno solo nascitur, vel aedificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum ». Et haec una causa sufficeret, cur vere patris nomen mereretur: quamobrem ipsa Dei Mater et Sponsa eius, cuius causa potissimum tunc agebatur, hoc ei nomen tribuit: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te », tunc scilicet, cum triduo amissum Filium in templo repererunt.

985. At non ea tantum ratione Iesu Pater Iosephus fuit, quod nomen et eam cognationem, de qua dixi, esset adeptus; sed et ideo, quia revera nihil illi deerat, quod Patris conditionem decebat: habuit enim illius curam, summum in eum amorem, apud eundem patris auctoritatem, ut S. Ioannes Damascenus ait, et quidquid patri, extra veram filii procreationem, potest convenire. Deus Pater videlicet suas ei vices et amorem reliquit, ut in terris hoc Iesu esset, quod ipse Verbo aeterno in coelis est: ita Rupertus Abbas loquitur: « Paternum Deus Pater viro Mariae pro Filio infudit amorem ».

986. Atque ita S. Iosephus particeps omnium illarum dignitatum fuit quae obtingere cuiquam possint. Quod si Deus destinasset ad su-

Digitized by Google

premum sui amoris fastigium hominem evehere, eumque quam posset maximis honoribus afficere, quid facere maius queat, quam Filii sui patrem constituere? Tacebo porro, et verbum de hoc argumento non addam, nisi hoc unum, nihil tam rarum et insolitum esse, quam a Patre, qui sit homo nostri similis, Deum Filium appellari, neque tantum appellari, sed re ipsa quadam ratione talem esse.

987. **Tertium folium.** — Tertium prodigium est, hominem Dei Matris Sponsum dici. Si miracula omnia dignitatum paucis complecti volumus, quibus Dei Mater fuit honestata, verbo dicimus: « De qua natus est Iesus »; paucis verbis omnia dicturi. Similiter asserere, hominem ea felicitate donatum, ut potuerit Dei Matris maritus esse, est, rem omnium maxime admirationem dignam affirmasse, cui par superaddi non possit: « Dicis illum virum Mariae; hoc est prorsus ineffabile, et nihil praeterea dici potest », ait S. Ioannes Damascenus: et ob id maxime, quod Deus illis donis eum ornarit, quae tam excellentem eius conditionem decebant, dignas talique Sponsae congruas ipsi dotes conferendo.

988. Cum enim Maria Sponsa illius gratiae magnitudine homines et Angelos ultra omnem modum antecederet; an non aequum erat, ut Ioseph Sponsus eius proxime illi succederet, neve de Sponsa servis, seu homines illi seu Angeli essent, eum gratiae, virtutum, sanctitatis, ac denique quovis bonorum genere atque praestantia ullus superaret: quando ipse Sponsus, Dominus, et caput Sponsae fuit, ac proinde omnium honorum, favorum ac dignitatum consortis communione gavisus est; ut si Princeps illa fuit, etiam ipse Princeps esset: si haec suprema Domina fuit, supremus ipse Dominus esset: si haec fuit Regina, hic Rex esset?

989. Deum bonum! quis unquam in animum induxisset, dum Mariam ut Matrem Dei veneramur, inveniri rationem posse, qua Sponsus ei adiungeretur? In quem cadere tanta felicitas ac sors tam beata potuisset, quam in eum, quem Deus prae ceteris mortalibus universis arctissimo amore complectebatur? Felix es, Iosephe, ac centies milliesque felix! quod pro Sponsa Dei Matrem nactus, quod Dei summum in te amorem post Iesum et Mariam sis consecutus.

990. **Quartum folium.** — Patrem simul et Virginem esse aliud miraculum est S. Iosephi eximiis felicitatibus adnumerandum, illorum munerum pars aliqua, quae nulli alteri fuere concessa. Coniuges virginitate illustres sat multi sunt; sed Pater Virgo praeter S. Iosephum Matris Virginis Sponsum nemo est. Inter feminas Maria sola Virgo simul et mater est; inter vivos itidem solus Iosephus Virginis decus cum Patris gloria tuetur. Haec praerogativa duobus divini amoris ocellis Mariae et Iosepho servabatur. Solemne videlicet est Deo, illic sua beneficia collocare, ubi ipsius amor divertit.

991. **Quintum folium.** — Rem creatam sui Conditoris curam habere, quinto miraculo accenseamus, quod est uni Iosepho peculiare, qui paterfamilias, nutritius, tutor et gubernator Dei Hominis fuit. Quem sensum putamus Angelorum fuisse, quando eum, qui est in coelo et sinu Patris aeterni, in sinu et brachiis Iosephi viderunt; eum, qui gubernat omnia regi ab homine; qui res omnes a se creatas alit ac procurat ab illarum una nutriri, et ab incola Nazarethano in tutelam suscipi?

992. An non verbis illis admiratione plenis illum compellassent, quibus in eundem fere sensum olim S. Methodius Dei Matrem fuit allocutus? « O nutritie cuncta nutrientis! Ave Ioseph! cuius Deus factus est indigus; euge! qui debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: omnis enim creatura Deo debet; ille autem tibi debitor est ». Ita, inquam, Angeli dixissent. Aut numquid exclamassent, hunc omni exceptione maiorem Iosephum, quem Deus omnibus bonis cumulavit, cui se tantopere submisit, illi esse unice charum, esse hominem Deo maxime gratiosum; utpote cuius curae ac fidei Iesum Filium suum, hoc est, amorum suorum supremam illecebram commiserit.

993. **Sextum folium.** — Restat sextum miraculum ultimumque caput, quod celebrem ante alios charumque imprimis illi S. Iosephum reddit, qui nihil amat nisi amore dignum. Quando itaque in creata Triade, post increatam prorsus augusta et adoranda, ipse quoque Personam agit; admirabili necessitudine ineffabilem divinamque Trinitatem contigit. Aiunt lilium idcirco Augustissimae Trinitatis symbolum esse, quod in illo candidi coloris flore tria parva sceptra ex auro promineant, pari omnino odoris ac pulchritudinis gratia, ac omnia e floris medio enata: neque contingere lilio maior honor potuit, quam cum mysteriorum nostrorum omnium augustissimo conferri.

994. Eadem honoris summi maximaeque perfectionis accessio in S. Iosepho fit, ceu admirandi decoris ac praestantiae lilio, quod cum tribus hisce divinis Personis Patre, Filio, et Spiritu Sancto possit in comparationem venire, ut in Angelis posset invidia suboriri, nisi omni reverentia, qua possunt, ea fastigia venerarentur, ad quae Deus res a se creatas attollit. Pater aeternus Increati Verbi Pater est; S. Iosephus Verbi carnem induti: Filius generis humani

Digitized by Google

Servator est; S. Iosephus etsi Redemptor non sit, eius tamen redemptionis adiutor fuit; quandoquidem suas ipse curas, suum laborem ac sudorem ad vitam amantissimi Servatoris sustentandam contulit: Spiritus Sanctus Mariae Dei Matris Sponsus est, idem honor ad S. Iosephum pertinet. Et quid magis possent SS. Angeli Iosepho invidere? sed hac ambitione illi minime laborant; neque pro illis triplex hoc sceptrum enatum est: norunt ipsi, hoc munus Dei ocello ac inter coelestis aulae Proceres supremo Principi deberi.

995. Post haec miracula ita exposita foliaque lilii admirandi explicata nihil videtur aliud addendum, quam laudes, quibus eos mactemus, qui S. Iosephi manus lilio illustrarunt: illis omnes cogitationes debeo, quas ad meritorum eius maximam commendationem explicui. Hoc unum ad absolvendam illorum ideam addi optassem, ut S. Iosephum totum liliis obtegerent, non alio cultu, quam veste polymita his floribus respersa visendum.

996. Olim ut pictor quidam Floram, quae florum Dea fuit habita, eo quo decet ornatu ac omnigena venustate praeditam penicillo efformaret, credidit, non posse illam a se cultiorem prodire, quam si vestem illi omnino e floribus contextam affingeret: quin carnis etiam colores eodem textu induxit; frontem enim rosis mixtim rubicantibus distinxit; genas purpureis infecit; mento vultuique reliquo candidi coloris rosas attribuit; narium sedem lilii nondum plane aperti calyx occupabat; labra summa rosa extulit carnis colorem imitata; oculi e violis Martiis constabant, tulipae foliis inter se commissis; supercilia et palpebrae Apiaria candidissimi coloris erant vestitae; tota denique cyclas aureae mali foliis fuit elaborata, mille exquisitis floribus ad Phrygiae artis imitationem intertextis.

997. Vide nunc, quo cultu S. Iosephum comi ac repraesentari decuerit: scilicet integendus vestiendusque meris floribus erat, sed liliis duntaxat, et omni quidem colorum praestantissimorum varietate discretis: quorum alia sunt nivei coloris, veluti e tersi serici moschum redolentis materia candidi operis constarent; alia e flavo in auri tincturam degenerant, diceres te tintinnabula ex auro fabrefacta intueri, alia ex rubro candicant, ut crederes pyxidulam esse rubro serico vestitam; sunt alia viridi etiam colore visenda, vasculis e smaragdo similia.

998. Porro etsi tum corporis ipsius nativus color, tum floridum vestimenti textum fuerit ex eiusmodi liliis maximo numero ac omnium colorum mixtura conflatum; nondum tamen ad vivum S. hunc Patriarcham repraesentabit, S. Bernardi verbis depictum: « Quot virtutes, tot lilia ». Atque hoc esset vivis eum coloribus exprimere: eius enim virginei pudoris candor in candido lilio appareret, ingens eius fiducia et spes in viridi, amor maximus in rubro albicante, perfectio summa in aureo, ac omnes ceterae virtutes, quibus ex omni parte resplendet, aliis atque aliis floribus simul et coloribus agnoscerentur, ut essent « tot virtutes, quot lilia ». Hic demum aspectus adiutus illa cognitione, qua prius omnes eius praerogativas inspeximus, omnium maxime nobis persuaderet, neque in coelis, nec in terra sanctiorem ullum Deoque clariorem, post Iesum et Mariam, S. Iosepho esse.

999. **Monitum**. — SS. Patriarchae vitam et merita recolentes, laetanter dicamus: Ave Ioseph Lilium purissimum, candidissimum, speciosissimum; ave Sponse Sanctissime Illius coelestis Reginae, quae merito dicta est a S. Bernardo: Lilium praecipuum, Mater summi Lilii boni Iesu; ora pro me, ut mitis sim, purus et castus, corde et corpore mundus.

Digitized by Google

CAPUT LV.

Summula Iosephina quarta, de omnimoda amabilitate SS. Sponsi B. M. V.

ARIAS Montanus, rarum ac pretiosum antiquitatis monumentum, in suo conclavi habuit, ab iis, qui illud inspexere, permagni aestimatum. Numisma fuit, quod Hebraei siclum appellant, in cuius facie una vas erat expressum illi simile, quo sacrum unguentum olim in templo asservabatur, cum hac epigraphe: «Ad Genealogiam»: in aversa parte torques visebatur e margaritis per denarios duplici serie distinctis composita, quarum numerus quadraginta quinque efficiebat: in medio vero monili hae duae voces legebantur: « Tempus unctionis ».

1001. Imprimis vero in hac torque memorabilis margaritarum numerus fuit: illis enim progenitores Dei Matris ac Iesu Filii eius notabantur: qua vero commodiori ratione intelligi docerique series atque successio tam illustrium maiorum, quam pretiosa illa margaritarum catena posset? Cur autem omnino quadraginta quinque fuere? quia videlicet in Christi Servatoris nostri genealogia progenitores praecipui quatuor supra quadraginta fuerunt, ex quibus pretiosum istud monile contextum est; ipse vero Servator quadragesimus quintus fuit, qui ceu postrema gemma seriem absolvit.

1002. Quo in curioso commento id maxime ad usum meum depromo, quod, si maiores Christi omnes praestantissimae temporum suorum margaritae fuerunt, S. Iosephus eidem numero accensus, post Mariam inter omnes facile princeps fuerit: fuit enim S. Iosephus margarita, et excellenti merito hanc nomenclaturam ante quosvis alios comparavit; quod esset universis amore dignis longe amabilior. Atque ut unio ob suam pulchritudinem, praestantiam, splendorem ac naturae gratiae lenocinium omnium sibi amores conciliat; ita S. Iosephus prorsus unionis ingenium imitatur; neque video, quid uspiam possit amari, si Divus iste penitus amabilis, aliis cunctis amabilior, et omnium amorum gemma nostros amores sibi non vendicet.

1003. Haec eo fidentius dico, quod ea universa possideat, quae rem creatam reddere amabilem queant: omnia enim S. amoris irritamenta, quae in se provocare animos possunt, tam liberaliter in eum sunt collata, ut iuxta cuiusdam amatoris sui sententiam, quadam antonomasia, Pater amabilis, dici promereatur; quemadmodum SS. eius Sponsa in litaniis eiusdem encomiá continentibus, Mater amabilis appellatur: ut non modo et haec, et ille Pater ac Mater dicantur esse Filii amabilis, hoc est Iesu unice diligendi, sed uterque omni ex parte amabilis praedicetur.

1004. Et quantum quidem ad hunc Patrem amabilem attinet, quoniam de illo solo hic loci mihi sermo est, statuique huc afferre, cur tantopere sit amabilis, hoc unum dicam, eum fuisse omnibus ornamentis summe instructum, quibus quaepiam res creata potest aliorum amores promereri.

1005. Tria sunt, quae possunt hominem amabilem et gratiosum reddere, corporis venustas, morum et agendi gratia et vitae sanctitas: quae omnia in S. Ioseph prae quovis alio eximia fuere.

1006. Initium a pulchritudine corporis ducamus. Illa proxime ad Mariae Sponsae suae elegantiam accedebat; atque ut illa forma exterioris praestantia omnes gratias superavit, ita S. Iosephus ei suppar cunctis dotibus pollebat, quae conferre oris gratiam ac dignitatem queunt. Qua in re multis doctissimorum hominum adstipulor; qui plane sunt persuasi, eum aeque corporis venusti omnia decora fuisse complexum, atque fuit animi dotibus insignis. Quid enim? an Deus est credendus Matrem suam, formae miraculum, alteri, quam praestanti corpore despondisse?

1007. Quis enim parentum, cui fas est e pluribus filiae maritum deligere, non lectissimum secernit? Et quis neget illum fuisse formosum, quando lineas in vultu habuit Iesu, «Specioso forma prae filiis hominum», persimiles? « Facies Iesu erat similis faciei Ioseph», ait Ioannis Gerson. Sanctae insuper Virginis raram venustatem eius species aemulabatur. id afferente S. Bernardino: «Erat Ioseph factus ad similitudinem Virginis Sponsae suae». Ita quidem, ut hae tres gratiae essent, neque ulla par illis pulchritudo posset in ceteris formis aestimari.

1008. Fuit itaque S. Iosephus mire formosus; cuius facies amoenitate ac lepore nitebat, extremaque specie visendus corporis ha-

Digitized by Google

ditu intuentium in se oculos ac animos convertebat: quo tam illecebroso intuitu quem ad sui amorem non invitaret? quem ut deperires, satis erat, semel oculo delibasse. O ut vel semel S. Iosephum Mariae pulcherrimae Sponsum pulcherrimum liceat cuipiam contemplari; nae ille tota aeternitate amandi ac exquisitis eum calentibusque votis colendi causam haberet!

1009. Ceterum eius vultum tibi verbis explicare, aut dictare pulchritudinem non possum. Ioanna ab Angelis Lauduni Ursulinarum Antistita, postquam S. Iosephum suum in desperato morbo sospitatorem praesentem vidit, rogata deinde a pictoribus, quibus coloribus effigiem eius possent apte exprimere, omnia vultus, frontis, narium, menti, barbae, capillorum, aliarumque partium lineamenta descripsit; quibus explicatis adiunxit, quantacumque illum arte gratiaque depingerent, nunquam illos oris decus assecuturos. quod ipsa in S. Iosepho vidisset.

1010. Illis vero denuo quaerentibus, num hac illave specie a se expressum esset approbatura, utcumque, respondit, eum formosum exhibere contenditis, certi este, mihi longe pulchriorem fuisse visum, quam eum possitis in tela formare. Idem tibi occinam, si me urgeas iubeasque S. Iosephi pulchritudinem explicare, formaeque illius maiestatem describere. An non omnia dixi, quando eius venustatem Iesu, et Mariae prius aequiparavi? sine sic quidem acquiesces; dicam, quod pictoribus illis fuit responsum: finge, pinge quidquid pulchri ac venusti potes; erit tamen omni penicillo ac imagine pulchrior.

1011. Ut vero aliqua ex parte tuam sitim restinguam, scias velim, cum Antistitae illi Parisiis, ubi degebat, S. Iosephi imago ab excellenti illo sculptore Gregorio Hureto sculpta exhiberetur, quia prodigiosa eius curatio fuit repraesentata, illam affirmasse, ei vultui multum veri oris, et aliquid etiam maiestatis illius inesse, quam illa in S. Iosephi facie, cum ei allato morbi remedio spectandum se praeberet, conspicata fuisset...

1012. Nunc de illius in familiari congressu moribus agamus, quibus non minus quam forma fuit illustris; omnes enim blandae consuetudinis numeros explevit, cum praestanti animo esset praeditus, unde in communi vita agendi dexteritatem sumebat: quippe cum tractandum illi cum Dei ac Virginis Filio, cum Angelorum Regina esset, si minus ea fuisset gratia instructus, nimis aperte fuisset inhumanitatis notatus: quin agere ac loqui cum Angelis necesse habuit, ut sacrae paginae nos docent. Aequum igitur omnino fuit, eum placido ingenio pollere, cui mira in animo hilaritas accedebat, semper in eius vultum redundans.

1013. Adeo praeterea Dei beneficiis, quibus fuit ad eam conditionem sublatus, recreabatur, ut ex alacritate illa singularis gratia omnes eius, quascumque suscepisset, actiones condiret. Et quidem cum secum emolumenta reputaret quibus ut Mariae Sponsus cumulabatur, non potuit non laetissimis cogitationibus abundare, quae sui vestigium foris eius vultui imprimerent. Nihilominus nunquam ob illam felicitatem adeo se laetitiae permisit, ut modestiae in ipso locus non esset, quae tertia familiaritatis acceptae pars est.

1014. Certe in quotidiano uso in festivius ingenium incidere, cuius indoles blanda, cuius animus ac vultus serenus, cuius modestia virginea coelesti quadam suavitate aspersa, res est tam grata humanitate plena, ut nec Angeli nec Deus ipse talem consuetudinem dedignentur: et haec ipsa fuit S. Iosepho familiaris; qui adeo in amoribus fuit, ut de ipso idem dici possit, quod de altero Iosepho memoratur, Solem videlicet, Lunam ac Stellas, adeo illius aspectu raptas, ut adorandum eum sibi putarint: ita et Iesus, Maria, et cognati, qui astrorum vicem tenebant, adeo eius congressu, et suavissimo alloquio capiebantur, ut eum facile pro maximis inter mortales deliciis haberent

1015. Sed num virtutes praeteribimus, qui omnem dotibus illis splendorem contulere, quae amabilem Iosephum reddiderunt? Quidquid aliunde dixeris aut inquisieris, nihil est virtute amabilius; quae se possidentibus incredibilem apud omnes amorem quadam vi evincit. Hoc etiam artificio S. Iosephus in amorem se omnium insinuavit: quidquid enim est virtutis expers, est cassa nuce vilius. At hic Divus omnia complexus, eousque virtutum cunctarum perfectionem est consecutus, ut omnino nulla illi deesset; cum in eo charitas, patientia, mansuetudo, humilitas, pietas, obedientia aliaque decora eminerent, quae Patrem Iesu et Sponsum Mariae decerent.

1016. Ac etsi ex se has omnes virtutes non attulisset; cum tamen inter eos fuit versatus, in eorum oculis ac eadem domo reliquum vitae exegit; fieri non potuit quin ad hoc geminum exemplar se conformaret, ac illo virtutum universarum thesauro ditesceret; neque enim deterioris conditionis fuit, quam soleant ii esse, qui myropolae officinam ingressi non solum ex odorum illic redolentium fragrantia voluptatem percipiunt, verum etiam eodem ipsi odore afflantur, ac secum suaveolentiam afferunt. Pari ratione in omnem partem ipse amabilis

Digitized by Google

evasit: et quemadmodum prae cunctis aliis ei rationes suppetebant, coelestes illas opes nanciscendi; ita ceteros quoque omnes amandi causis antecedebat.

1017. Sunt utique plura illicia, quibus amorem promeretur...; postquam ergo illum agnoscimus amore dignum; superest, ut ametur, nosque ad debitum illi amorem ac pietatem accendamus: quod si pro meritorum eius magnitudine praestare nequimus, pro animi certe nostri viribus annitamur, ut, quando post Iesum et Mariam Iosepho est nemo amabilior, nemo magis ametur, nisi par illud, qui primos flores et fructus omnium amorum primo loco debemus... *Haec Barry.*

1018. **Monitum et conclusio.** – Teste Miechoviensi, disc. 120: « Erant antea viri gravissimi et Iosepho usque ad stuporem devoti, in quibus doctissimus Gerson, religiosissimus Trithemius Abbas, piissimus Iacobus de Valentia, eruditissimus Ioannes Eckius, sapientissimus Isidorus de Isolanis, et ante hos doctrina et sanctitate celebris Bernardinus Senensis, palmam tenent, qui conciones, tractatus, opuscula, prosas, hymnos in laudem S. Ioseph ediderunt. Sed Spiritus S. subsequentibus temporibus adhuc magis corda fidelium ad devotionem erga S. Ioseph movebit ». Oremus igitur, ut etiam nos usque ad stuporem devotos S. Ioseph faciat dulcissimus Iesus, auspice B. M. V. Immaculata. O Iesu, ut sim servus tuus, servitutem appeto SS. Matris tuae; O Maria, ut sim servus tuus et Filii tui, servitutem appeto amabilissimi, dulcissimi, purissimi, Sanctissimi Ioseph. O Iesu, Maria, Ioseph, diligam vos in aeternum!

FINIS

LAUS IESU MARIAE IOSEPH.

Digitized by Google

INDEX

		Pag.
Caput	I. — De praedestinatione S. Ioseph	I
"	II. — De nomine S. Ioseph	II
"	III. — De patria S. Ioseph	V
"	IV. — De genealogia S. Ioseph	VIII
"	V. — De nobilitate S. Ioseph	X
"	VI. — De parentibus S. Ioseph	XIII
"	VII. — De S. Ioseph sanctificatione in utero	XIV
"	VIII. — De pulchritudine S. Ioseph	XVII
"	IX. — De virginitate S. Ioseph	XIX
"	X. — De arte fabrili S. Ioseph	XXII
"	XI. — De virtutibus conversationis Sancti Ioseph	XXIV
"	XII. — De modestia S. Ioseph in cultu vestium	XXVIII
"	XIII. — De coniugio Sancti Ioseph et Beatissimae semper Virginis Mariae.	XXIX
"	XIV. — De aetate Sancti Ioseph tempore desponsationis B. Virginis Mariae.	XXXII
"	XV. — De admirabilibus virtutibus S. Ioseph propter coniugium B. Virginis.	XXXIV
"	XVI. — De praestantissima Iustitia S. Ioseph	XXXV
"	XVII. — An S. Ioseph Visitationi B. Virginis et Elisabeth interfuit	XXXVIII
"	XVIII. — De dubio et haesitatione S. Ioseph	XL
"	XIX. — De prima apparitione angelica Sancto Ioseph haesitanti facta.	XLIII
"	XX. — De privilegio amoris quo Ioseph dilectus fuit a Beata Virgine supra ceteros mortales	XLV
"	XXI. — S. Ioseph post B. M. V. primus adorator et minister Christi nati.	XLVIII
"	XXII. — De impositione Sanctissimi Nominis Iesu	L
"	XXIII. — De multiplici Apparitione angelica facta S. Ioseph	LI
"	XXIV. — De inexplicabili iucunditate qua fruitus est Ioseph propter cohabitationem Christi ac Beatae Virginis	LIII
"	XXV. — De pari laude B. M. V. et S. Ioseph in inventione pueri Iesu in templo.	LVI
"	XXVI. — De praecipuo Amore S. Ioseph erga Christum	LVIII
"	XXVII. — De Benedictionibus in universali ac diei Sabbati S. Ioseph concessis.	LX
"	XXVIII. — De Patriarchis in genere, et de SS. Ioachim et Anna, relate ad S. Ioseph	LXI
"	XXIX. — De Benedictionibus primi parentis S. Ioseph concessis	LXIII
"	XXX. — De benedictione Noe S. Ioseph concessa	LXIV
"	XXXI. — De benedictione Iacob S. Ioseph concessa	LXV
"	XXXII. — De benedictionibus singulorum filiorum Iacob S. Ioseph concessis.	LXVII
"	XXXIII. — De benedictionibus Balaam S. Ioseph concessis.	LXX
"	XXXIV. — De benedictionibus a Moyse datis populo Israeli observanti praecepta Domini S. Ioseph concessis.	LXXIII
"	XXXV. — De Benedictionibus datis a Moyse filiis Israel S. Ioseph concessis.	LXXIV
"	XXXVI. — De donis Sacramentorum Ecclesiae; an aliquo modo et qualiter conveniant S. Ioseph	LXXVII
"	XXXVII. — De mirabili puritate S. Ioseph	LXXVIII

Digitized by Google

		Pag.
Caput XXXVIII.	— De septem Donis Spiritus Sancti in S. Ioseph	LXXIX
" XXXIX.	— De septem Beatitudinibus in S. Ioseph	LXXXIII
" XL.	— De dono plenitudinis gratiae S. Ioseph concessae	LXXXVII
" XLI.	— De eximia sanctitate S. Ioseph super alios sanctos generatim, post B. V. Mariam, non exclusis Baptista et Apostolis	LXXXIX
" XLII.	— De eximia sanct. S. Ioseph super omnes sanctos in specie, post B. M. V.	XCIV
" XLIII.	— De angelis in genere et S. Ioseph	XCVIII
" XLIV.	— De singulis choris angelorum et S. Ioseph	XCIX
" XLV.	— De pretiosissima morte S. Ioseph	CII
" XLVI.	— De Sancto Ioseph ad SS. Patres in Limho descendente . . .	CVI
" XLVII.	— De resurrectione et assumptione S. Ioseph	CVII
" XLVIII.	— De dono triplicis aureolae, Martyrii, Virginitatis et Doctoratus in S. Ioseph	CXI
" XLIX.	— De donis fructuum in S. Ioseph	CXII
" L.	— De potentissimo patrocinio S. Ioseph super omnes Sanctos, post B. M. V.	CXIII
" LI.	— De festis in honorem S. Ioseph	CXVI
" LII.	— Summula Iosephina prima, ex legenda Orientalium	CXVIII
" LIII.	— Summula Iosephina secunda, ex consideratione utriusque Ioseph, seu figurae et figurati	CXX
" LIV.	— Summula Iosephina tertia, ex consideratione S. Ioseph et Lilii .	CXXIII
LV.	— Summula Iosephina quarta, de omnimoda amabilitate SS. Sponsi B. M. V.	CXXVIII

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

A

Abel, 265.
Abraham, 444.
Adam, 233-354. 472-481.
Ægyptus, 43.
Ætas S. Ioseph sponsi, 237-254.
Amabilitas, 181-204. 1000-1017.
Amor B. V. erga S. I., 341-362.
Amor S. I. erga Christum, 440-451.
Angeli, 766-772.
Angelorum apparitiones, 330-339, 384-398.
Angelorum chori. 774-779.
Apostoli 745-746, 758-759.
Arca foederis. 219.
Arcangeli, 778.
Aser, 517-518, 587-591.
Assumptio S. I., 842-868.

B

Beatitudines, 644-681.
Benedictiones S. I. concessae, 453-459.
Adam, 472-481.
Balaam, 523-548.
filiorum Iacob, 501-521.
Iacob, 491-499.
Moysis, 550-556, 558-591.
Noe, 483-489.
Beniamin, 520-521, 571.
Bethlehem, 942.

C

Castitas, 16.
Centurio, 324.
Cherubim, 794-795.
Cohabitatio cum Christo, 399-420.
Confessores 915-919, 751-753.
Coniugium cum B. V., 212-235, 256-260, 355, 929-930.
Consilium, 621-625.
Continentia, 883-886.
Conversatio, 181-204, 1012.
Custos paradisi, 267, 704.

D

Dan, 510-511, 577-581.
David, 75.
Doctoratus, 877-879.
Dominationes 783-790.
Dona Spiritus S., 611-642.
Dubium S. I., 307-328.

E

Emmaus, 402.

F

Fabrilis ars, 156-179.
Familiaritas cum Christo, 199-200.
Festa in honorem S. I., 912-926.
Figurae, 946-969.
Fortitudo, 626-629.
Fuga in Ægyptum 933.

G

Gad, 512-513. 576.
Galilaea, 38-39.
Genealogia, 50-61.
Gratia, 881, 683-696.

H

Herodis consilium, 386.
Hebraei in Ægypto, 43.

I

Iacob, 42, 491-499.
Ieremias, 92, 100.
Intellectus, 618-620.
Inventio Iesu, 422-438.
Ioannes Baptista, 92, 101, 320, 711.
Ioseph filius Iacob, 16, 182, 519, 572-575, 899, 946-949, 952-958, 1014.
Ioseph ab Arimathea, 28.
Iris post diluvium, 487.

Digitized by Google

Issachar, 507-509.
Iuda, 502-504. 563-567.
Iustitia, 262-289, 673.

L

Legenda de S. I., 928-943.
Levi, 568-570.
Lilium, 971-998.
Limbus, 834-840.
Luctus. 671-672.

M

Mansuetudo, 667-670.
Mardochaeus, 896.
Martyres, 747-750.
Martyrium, 870-875.
Minister Christi nati, 364-374.
Misericordia, 674-675.
Modestia, 206-210.
Moyses, 320.
Mores, 193.
Mors S. I., 801-832, 937-942.
Munditia cordis, 676-677.

N

Nativitas Christi, 364-374.
Nazareth, 34-37, 45-48.
Nephtalim. 514-516, 582-586.
Nobilitas S. I., 63-81.
Noe, 183; 483-489.
Nomen Iesu, 376-382.
Nomen S. Ioseph, 9-29, 59, 61, 950-951.

O

Origo S. Ioseph, 66, 81.
Oza, 320.

P

Parentes B. Virginis, 467.
Parentes S. Ioseph, 83-89.
Partus B. V., 368.
Pastores, 762-764.
Patientia, 681.
Patriarchae, 461-470, 742.
Patrocinium, 891-911.
Patronus Ecclesiae, 907-910.
Paupertas, 651-666.
Pax 678-680.
Petrus apostolus, 324.
Pietas, 636-639.
Praedestinatio S. I., 1-7.
Principatus, 780.
Prophetae, 743-744, 760-761.
Pulchritudo, 113-130, 1006-1011.
Purificatio, 384.
Puritas, 601-609.

R

Raphael, 726.
Rebecca, 351.
Resurrectio S. I., 842-868.

S

Sacramenta, 593-599.
Sanctificatio in utero, 91-111.
Sanctitas, 698-739, 741-764.
Sapientia, 616-617.
Scientia, 630-635.
Senectus S. I., 935.
Seraphim, 796-799.

T

Throni, 791-793.
Timor, 640-642.
Tobia, 726.
Transmigratio Hebraeorum, 43.
Trinitas, 450.
Triplex aureola, 870-879.

V

Vestium modestia, 206-210.
Virgines, 754-757.
Virginitas, 876.
Virtutes, 781-782.
Visitatio S. Elisabeth, 291-305.
Votum virginitatis, 147.

Z

Zabulon, 505-506.
Zacharias, 332.

Digitized by Google

SUMMA IOSEPHINA

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER I.

I. — Sermo S. Bernardini Senensis

DE GRATIIS MINISTERIO S. IOSEPH NECESSARIIS, ET DE EIUS NOBILITATE SECUNDUM CARNEM (1).

Sermo de S. Ioseph Sponso B. Virginis, art. 1.

SERVE *bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum, generalis regula est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimen statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae, et eius officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Patet autem hoc in patribus veteris Testamenti, scilicet, in Moyse, Iosue, Abraham, Isaac, Iacob, David, Salomone, et sic de aliis Prophetis. Patet etiam hoc in novo Testamento in Virgine benedicta, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, et in Religionum Institutoribus, et sic in toto decursu veteris et novi Testamenti reperietur.

2. Quod maxime verificatum est in Sancto Ioseph putativo Patre Domini nostri Iesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi, et

(1) De hac re haec habet Isolanus, Summa de Donis S. Ioseph, p. I, cap. 6: Nobilitatis donum duplex invenitur. Alia enim est carnis nobilitas: alia mentis sive animi. Est autem carnis nobilitas, origo naturalis a parentibus divitiis vel regiminis potentia decoratis. Licet vero humanus animus non sit ex traduce, caro tamen est ex traduce. Nobiliori quoque materiae, nobiliorem formam Deus et natura immittunt. In filiis itaque similitudinem complexionis et conformitatem morum et imitationem operationis a parentibus causari, nemo sapientum ambigit, nisi forte libertas arbitrii, vel consuetudo, aut alia causa extrinseca, ad contrarium inclinet. Nobilitas vero animi est sola virtus. Dicunt namque sapientes, illum esse tantum nobilem quem sua virtus nobilitat. Inde Satiriographus poëta cecinit: " Nobilitas est sola virtus, non acta parentum „. Utraque nobilitate claruit Ioseph. Nam primo ex patriarchali stirpe descendit Abrahae ditissimi, ac suorum descendentium. Rationabile est autem tot fuisse fere generationes, ab quibus descendit Ioseph ab Abraham, quot etiam fuerunt Beatae Virginis, quae quadraginta et una generatione ab eodem descendit Abraham. Familia Ioseph fuit domus David, ut habetur, Lucae II: Verum Ioseph, de domo David et ab eo distant vigesima octava generatione, humilis et faber ferrarius electus fuit a Deo in sponsum Beatae Virginis et patrem putativum Salvatoris, propter exaltandam humilitatem. Nam regio ac patriarchali iuncta semini, humilitas enarratur, cum Ioseph humilis exprimitur de domo fuisse David. Item propter honorandam paupertatem. Possunt enim ignari hinc intelligere paupertatem nobilitati non repugnare: imo mirabilior demonstratur esse ipsa paupertas, cum nobilius exemplum paupertatis et humilitatis, in Ioseph Sanctissimo ostenditur.

Demum propter declarandam illius dignitatem generis, evangelizatur enim David humilitas: cum Ioseph filius David, humilis asseritur. Dicitur enim Ioseph de domo David, non tantum propter generis successionem, sed etiam principalius propter virtutum imitationem: et tales proprie dicuntur esse de una domo. Iuxta illud: " Qui habitare facit unanimes in domo „. Ex convictu enim formantur mores... Liquet igitur ex praedictis, utraque Ioseph nobilitate claruisse. Ex quibus itidem explorata redditur sanctitas ipsius David et mores praestantissimi. Non eam habuit, tanquam in familia sua munus novitium, sed ipsam possedit Ioseph veluti a-

Digitized by Google

Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis nutritius, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet, filii eius, et sponsae suae, quod officium fidelissime prosecutus est: cui propterea Dominus ait verbum propositum: Serve bone, etc. In quibus sacratis verbis de isto sanctissimo viro describitur triplex status. Primus est naturae, ibi: Serve bone. Secundus gratiae, ibi: et fidelis. Tertius gloriae, ibi: intra in gaudium Domini tui. In primo exprimitur nobilitas generationis: in secundo gratiositas conversationis: in tertio sublimitas glorificationis.

3. Primo enim describitur huius sanctissimi viri status naturae, in quo exprimitur nobilitas generationis; ait enim Dominus: Serve bone, scilicet, in natura nobili, tibi a me collata. Fuit enim de stirpe Patriarchali, Regali, atque Ducali progenitus, secundum rectam lineam naturalis nobilitatis. Ad huius intelligentiam, trium personarum naturalem dignitatem, sive nobilitatem consideremus. Primam sponsae: secundam sponsi: tertiam Christi.

4. *Primo, inquam, consideremus nobilitatem sponsae, id est, Virginis beatae.* Fuit enim beata Virgo nobilior creatura omnibus creaturis, quae in humana natura fuerint, aut possint, aut potuerint generari. Nam Matthaeus I. cap. ponens tres quaterdenas generationes ab Abraham usque ad Christum inclusive, describit eam fuisse natam de quatuordecim Patriarchis, de quatuordecim Regibus, et de quatuordecim Ducibus, secundum quod quidam periti numerant, et distinguunt praedictum Matthaei textum. Lucas quoque describens in tertio capite nobilitatem eius, exordiens ab Adam et Eva, demum usque ad Christum Deum genealogiam suam protraxit.

5. Patet etiam, quod Dominus Iesus Christus, qui sine matre fuit in coelis, et absque Patre in terris, totam a Virgine humanitatem recepit, atque dignitatem, quae ad humanitatem sequuntur, scilicet, cognationis, ut diceretur filius David, et consanguinitatis, ut diceretur fratres habere de nobili parentela, totum hoc a Beata Matre suscepit. Quod etiam ultimus Dux, ultimus Rex, et ultimus Patriarcha totius populi Israel, non aliunde habuit, quam a Virgine Beata, ut ex hoc manifeste clarescat, quod omnis nobi corporalis concessa humano generi in Ad a Domino principaliter data est, ut multas generationes descenderet in Virgi Beatam, et per Virginem Matrem term retur in Christum Dei Filium benedict

6. *Secundo consideremus nobilitatem sp id est, Sancti Ioseph.* Fuit enim progenitu stirpe Patriarchali, Regali, atque Ducali cundum lineam rectam, sicut praedictum nam Matthaeus I. cap. lineam rectam omn praedictorum patrum deduxit ab Abral usque ad Virginis sponsum: ex quo p quod dignitas Patriarchalis, Regalis, a Ducalis in isto fuit terminata.

7. Si autem quaeratur, quare Matth ponit genealogiam Ioseph, et non Ma cum genealogia Ioseph nihil facere vide ad genealogiam Christi, nisi forte ali modo per accidens? Ad hoc dicendum, q potuit hoc facere propter tria Primo pro consuetudinem: secundo propter cogn nem: tertio propter unionem.

8. Primo propter consuetudinem, id es sequeretur Hebraeorum morem, atque S pturarum sanctarum, quae nullius gene giam per foeminas, aut matres comput sed per viros aut patres: tamen haec r non sufficit sine sequenti.

9. Secundo propter cognationem. N Beata Virgo atque Ioseph erant de ea tribu et cognatione: quod quidem triplic probari potest. Primo, quod tam Ioseph q Christus ab Angelo, Matth. 2. et ab Apos atque Evangelistis in plerisque locis a runtur fuisse de stirpe David. Secundo, q secundum legem mulieres, et praecipue i quae erant haeredes, sicut Virgo fuisse tur, nubere non debebant nisi hominibus s tribus, et etiam suae familiae, et cognati in gradu licito magis propinquo, ut p Num. 36. de filiabus Salphat. Proinde q Ioseph iustus esset, ut testatur Matth 2. cap, si non fuisset suae tribus, nullo m duxisset eam. Tertio quia simul censer et describuntur in Bethlehem, Luc. 2, v de una stirpe naturaliter generati. Haec cundum Hieronymum, Matth. 2, et Nicol Lyra.

10. Tertio autem ponit genealogiam seph, et non Mariae, propter unionem.

---

progenitoribus acceptam. Virtutes quoque partim sunt a natura, Iob xxxi: " Ab infantia crevit mecum miseratio et ab utero egressa est mecum „; et partim consuetudine, Psal.: " Cum sancto, sanctus eris „. Quamobrem excellit Ioseph sanctitas, propter castam generationem: iuxta illud: " Pulchra est casta generatio, cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quia apud Deum nota est et apud homines „. Psal.: " Generatio rectorum benedicetur „. Ex-

cellit secundo sanctitas Ioseph, gemmis und circumdata radiantibus. Retro nempe radiat clarissima nobilitate: ante profundissima hu tate: supra praestantissima dignitate: infra ab dissima peccatorum immunitate: intus virtu magnificentissima puritate: a dextris erga D ardentissima charitate: sinistris in proximum fabili pietate.

Digitized by Google

est, ad commendandum Sacramentum coniugii Virginis et Ioseph, sub quo natus est Christus, scilicet, quod tantae fuerit unitatis, ut merito propter ipsum Ioseph dictus fuerit et quodammodo vere fuit Pater Iesu Christi. Et haec est ratio Augustini, libro secundo de consensu Evangeliorum, et libro de nupt. et concup. capite quarto, ubi etiam dicit, quod omne bonum nuptiarum impletum est in illis parentibus Christi, scilicet, fides, proles, et sacramentum. Fides, quia nullum adulterium. Proles autem fuit Dominus Iesus Christus. Sacramentum, quia nullum divortium factum fuit in eis.

11. *Tertio consideremus nobilitatem Christi.* Fuit enim, sicut ex praecedentibus patet, Patriarcha, Rex, et Dux ex utroque parente: quia tantum suscepit a Matre, quantum alii a patre et matre, quia tulit tantum de substantia Matris. Proinde Rom. I. Apostolus ait: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem ». Luc. quoque 3. capite describens Christi nobilitatem, et exordiens ab Adam et Eva, ultimo usque ad Christum Deum genealogiam suam protraxit. Hanc progeniem Genes. 49, praenunciavit Patriarcha Iacob, quum ait: « Adorabunt te filii patris tui ». Adoratio quippe divinati debetur. Et ibidem sequitur: « Non auferetur sceptrum de Iuda », etc Ex supradictis patet, quod per praedictos Evangelistas describitur nobilitas Virginis, et Ioseph, ut Christi nobilitas exprimatur. Fuit ergo Ioseph tantae nobilitatis, ut quodammodo, si liceat dici, dederit temporalem nobilitatem Deo in Domino Iesu Christo.

12. **Hymnus I.**

Pia ad Ioseph invocandum adhortatio.

QUICUMQUE sanus vivere,
Cursumque vitae claudere
In fine laetus expetit,
Opem Iosephi postulet.
Hic Sponsus almae Virginis,
Paterque Iesu creditus,
Iustus, fidelis, integer,
Quod poscit, orans impetrat.
Quicumque, etc.
Foeno iacentem Parvulum
Adorat, et post exulem
Solatur; inde perditum
Quaerit dolens, et invenit.
Quicumque, etc.
Mundi supremus Artifex
Eius labore pascitur;
Summi Parentis Filius
Obedit illi subditus.
Quicumque, etc.
Adesse morti proximus
Cum matre Iesum conspicit:
Et inter ipsos iubilans
Dulci sopore solvitur.
Quicumque, etc.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Quicumque, etc.

Antiph. Ecce fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Ora pro nobis, Beate Ioseph.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. — Deus qui ineffabili providentia Beatum Ioseph Sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc. (1).

13. **Memento.**— Quicumque pauper est, accipiat consolationem; Ioseph et Maria Mater Domini non habebant servulum, non ancillam; de Galilaea, de Nazareth soli veniunt; non habebant iumentum (proprium). Ipsi sunt domini et famuli. Rem novam! Ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur civitatem. Paupertas enim timida inter divites non audebat accedere (*S. Chrysost.*).

II. — Sermo S. Bernardini Senensis

DE TRIPLICI GRATIA CONSERVATIONIS VIRGINITATIS, CONVERSATIONIS DIVINALIS ET CONVERSATIONIS SPECIALIS, S. IOSEPH COLLATA.

Sermo de S. Ioseph Sponso B. M. Virginis, art. 2.

SECUNDO *describitur huius sancti viri Ioseph status gratiae, in quo exprimitur gratiositas conversationis.* Subdit enim Dominus: « et fidelis »: scilicet, in gratia a me tibi collata. Triplex enim gratia a Deo ipsi collata est. Prima conversationis virginalis: secunda conversationis divinalis: tertia conversationis specialis.

15. *Prima gratia ipsi divinitus data est conversationis virginalis.* Porro per respectum ad sanctam Virginem necesse est hunc virum fuisse admirandae gratiae et virtutis, et maxime quoad tria, videlicet, primo quantum ad matrimonialem unionem: secundo quoad continuam cohabitationem; tertio quoad sedulam administrationem; quum super omnem puram creaturam ipse habuerit respectu eius unitatem, familiaritatem, et obsequiositatem.

16. *Primo enim habuit unitatem quantum ad matrimonialem unionem.* Quum enim inter illos fuerit verissimum matrimonium per divinam inspirationem contractum, et in matrimonio fiat unio animorum, intantum quod una dicuntur persona, sponsus et sponsa, ut dici possit unitas, quasi summa: iuxta illud Genes. 2. « Erunt duo in carne una ». Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione uniret menti tantae

---

(1) Recitantibus hoc responsorium, excerptum ex Breviario sec. usum gallicanum, cum *antiph., vers.* et *oremus,* Pius VII concessit indulg. unius anni (Cfr. *Raccolta).*

Digitized by Google

Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo istum virum Sanctum Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in Dei amore, et charitate, altissimum in contemplatione, sollicitissimum illius Virginis Sponsae suae.

17. Et quia noverat Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, et sciebat istum sibi a Spiritu Sancto datum in sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem, et ad participandum secum in charitatis amore et obsequiosa sollicitudine divinissimam prolem Dei; ideo credo, quod totius cordis affectu hunc Sanctum Ioseph sincerissime diligebat.

18. Propterea quum Beatissima Virgo tot et tanta impetret peccatoribus sceleratis hostibus filii sui, quanta putas impetraverit charismata huic tam amoroso et sollicitissimo, et filiali nutritio, et sponso sui pudoris, atque castissimi amoris; amplius, quum omnia quae sunt uxoris, sint viri; credo quod Beatistima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhiberet.

19. Sed quaeri potest, quod quum Beata Virgo iam desponsata esset Ioseph, et iam esset in domo eius, secundum Chrysost. quare non accesserit ad cognoscendum eam? Ad quod dicendum, secundum Nicol. de Lyra, quod modus erat iustorum per carnalem copulam non perficere matrimonium nisi prius per aliquod tempus vacarent orationi, et devotioni, ut divinam misericordiam impetrarent. Ut patet Tobiae 6. Et tunc creditur ei revelatum fuisse Virginis propositum de virginitate servanda; licet enim cogeretur ad matrimonium contrahendum, secundum illius temporis modum, sicut in primo art. cap. I. patet; tamen in desiderio et proposito virginitatem habebat, votum nihilominus non expresserat.

20. Contraxit igitur matrimonium committens se dispositioni divinae; et tunc creditur, quod Ioseph ex revelatione divina cognoverit Virginis propositum sanctum, et quod tunc ex communi consensu voverit sanctam virginitatem. Praeterea creditur, quod Ioseph usque tunc perseveraverit in sancta virginitate. Cuius ratio est, quia quum Christus in passione sua nulli nisi Virgini servandam tradiderit Matrem suam, non est credibile, quod ante conceptum, dum adhuc iuvencula erat, custodienda alicui nisi Virgini traderetur.

21. Proinde Hieronym. contra Evodium dicit, ipsum Ioseph virginem extitisse: ut per Mariam ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Et subdit etiam rationem, dicens: Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: relinquitur eum virginem cum Maria mansisse: qui pater Domini meruit appellari. Et iterum Chrysostomus super Matth. in Homil. 5. ait: Quod enim ita amicus virtutis, et extra passionem erat, ut neque suspicione cogente voluit punire Virginem, qualiter utique propter voluptatem transgressus esset legem qui etiam supra legem philosophatus est. Etenim dimittere, et occulte dimittere supra legem philosophantis erat.

22. *Secundo vero habuit familiaritatem quantum ad continuam cohabitationem.* Ad cuius intelligentiam advertendum est, quod iam emisso praedicto voto, accessit ad Virginem Angelus Gabriel, ignorante Ioseph, atque de Spiritu sancto gravida facta est, ut dicitur Luc. I. Et statim cum ipso Ioseph abiit in montana, id ést, in Ierusalem, ut visitaret Elisabeth cognatam suam, et ut ei praegnanti serviret. Magis autem, ut Praecursor filii sui in praesentia santificaretur, et manibus eius palparetur, lavaretur, atque eius necessitatibus subveniretur. Post tres menses Praecursore iam nato redit Maria ad domum suam. Intumescente interim Virginis utero miratur Ioseph, vehementemque suspicionem incurrit.

23. Sed quaeritur, an Ioseph crediderit Virginem de adulterio gravidam. Ad quod dicendum, quod circa hoc tres sententiae Sanctorum et aliorum Doctorum, quasi contrariae reperiuntur. Chrysostomus et August. volunt, quod crediderit hoc, et ad hoc sunt tripliciter moti. Primo ex ratione naturali. Nam secundum naturae cursum necessario habuit hoc Ioseph credere. Secundo ex verbo Matth. I. qui ait: « Quum esset desponsata » etc. usque « et nollet eam traducere », id est, propalare, quod enim manifestatur, de tenebris ad lucem traducitur, secundum Cath. Sequitur: « Voluit occulte dimittere eam ». Constat autem quod si credebat eam divinitus concepisse, non esset utique iustus eam sine sui obsequio, et solatio relinquendo. Tertio ex verbo Angeli, Matth. ubi supra, qui ait: « Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini ei in somnis apparuit dicens: Ioseph fili David », etc. Nam hoc non diceret si Ioseph prius hoc credens ex hac eadem causa eam dimittere vellet.

24. Secundi vero, ut Origenes et alii quidam volunt quod crediderit eam concepisse de Spiritu sancto, et quod ex multa reverentia illam fugere volebat, sicut et Petrus, quando Luc. 5. Domino ait: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ». Et Centurio, quando Matth. 8. inquit: « Domine, non sum dignus », etc. Et hi siquidem moti sunt ex evidentia manifestissima maximae sanctitatis et honestatis ipsius Virginis, et ex multa so-

Digitized by Google

brietate et rectitudine iudicii ipsius Ioseph. Nam, et nos videndo aliquem Sanctum, utpote Paulum, vel Franciscum aliquid agere vel dicere, quod secundum communem cursum indecens sit; non statim contra eum sententiam fulminamus, quin potius talem iudicium irreverens et temerarium aestimamus. Sed constat quod Beata Virgo transcendebat omnes alios Sanctos, et tanta sanctitas non poterat Ioseph latere.

25. Amplius, si ex circumstantia gravidationis pro altera parte arguere poterat, ita poterat pro ista ex omnibus aliis insimul congregatis. Constat enim, quod in ea nullum aliud signum sinistrae opinionis poterat dari, quin potius omnia alia signa omnino in contrarium erant. Nam numquam visa est vana, aut dissoluta et vaga, seu inaniter laeta; sed totis viribus omnium virorum consortium, et colloquium, et aspectum, et omnem curam carnalem corporis sui fugiebat. Eratque sibi austera: et in Deum, et Dei laudes et obsecrationes ferventissima, assidua facie, stabili, matura atque serena, in omni verbo verissima et divinissima, et in omni actu sobria et religiosissima atque piissima.

26. Tertii vero dicunt, quod vir iste utraque parte concussus, et pro utraque parte allegans, neutri parti simpliciter adhaerebat, sed stabat mente attonitus et suspensus. Nam ex una parte erat fortissimum argumentum naturae, quamvis illud non esset sibi notum nisi in sola exteriori tumefactione uteri, aut aliorum consimilium signorum. Ex altera parte pugnabant omnia, quae ab initio de Virginis sanctitate viderat et audiverat, et quae per specialem experientiam acceperat et gustaverat, sicut utique sancti gustant et odorant sanctam vitam Sanctorum, cum quibus convivunt. Et, ut isti dicunt, haec erat ei summa ratio, quare nolebat eam traducere seu manifestare. Ex stupore ergo utriusque partis simul sumptae, volebat occulte dimittere eam, tamquam rem sibi ignotam et suum iudicium transcendentem; quum protinus expeditioris consilii sit explicari, quam dubiis implicari.

27. Licet infallibiliter nesciam quid horum fuerit verum, adhaereo tamen magis sententiae tertiae. Si vero de primis duabus oporteret alteram eligere, plus assentirem primae propter verba Matth. et August. quibus secunda opinio non plene satisfacit.

28. Sed quaeritur, quare Ioseph permissus est incidere in hoc dubium; revelatio enim sibi facta postmodum, ante poterat sibi fieri, sicut et Virgini antequam conciperet, facta fuit. Ad hoc triplex ratio reddi potest. Prima propter maiorem certitudinem; secunda propter maiorem confirmationem; tertia propter maiorem exercitationem.

29. Prima propter maiorem certitudinem, scilicet, tanti operis, quando etenim audimus quod vir Mariae sic discretus, sapiens atque iustus omnia haec diligenter consideravit, et vidit; et secundum quod rationalis ratio dictat, sic dubitavit, et tamen postmodum ita firmiter credidit, quod et ipsam in coniugem tenuit, et Christum ut Filium; plus movemur ad fidem, quam si diceretur, quod ab initio simpliciter hoc suscepit, iuxta sententiam Gregor. qui ait, quod minus Maria mihi praestitit, quae cito credidit, quam Thomas qui diu dubitavit.

30. Secunda propter maiorem confirmationem; prout enim in nobis ipsis plenius experimur, dubitationum fortium praecedentes motus fortius nos acuunt ad veritatis inquisitionem, et quando postmodum per manifestationem et illuminationem veritatis fortius et sensibilius expelluntur, tanto perspicaciores et firmiores in ipsa veritate efficimur; et quanto plus in nostra tentatione nostras indigentias et molestias et divinae gratiae necessitatem probamus; tanto in nobis humiliores, et Deo et beneficiis eius gratiosiores sumus, et contra tentationes consimiles cautiores et ad custodiam gratiarum nobis impensarum affectuosiores et diligentiores existimus: et in hoc ipso discimus compati et mederi his, qui dubitant et vacillant.

31. Tertia propter maiorem exercitationem: hoc est, ad observandum, et ostendendum simul ordinem gratiae et providentiae Dei; licet enim Deus primo in nobis initiet sua dona, non tamen ea perficit et conservat, nisi prius laboribus et tentationibus fatigemur, et per tentationum triumphos gratias consummatas promereamur. Constat enim, quod ipsi Ioseph gratia summa erat effici Virginis sponsus, et quodammodo Christi pater ac semper familiarissime cum eis stare. Proinde post inchoationem huius doni debuit per tentationem exercitari, atque probari, et approbari.

32. Hinc etiam quaeri potest, quare Maria non revelavit divinum secretum ipsi Ioseph? Ad quod dicendum, quod talia non sunt revelanda, nisi quantum se extendit voluntas Dei; proinde Beata Virgo illud tacuit, firmiter tenens, quod sicut illud secretum fuerat revelatum beatae Elisabeth, Luc. I., sic revelaretur aliis tempore competenti, secundum beneplacitum voluntatis Dei.

33. Quaeritur etiam, quare Ioseph haec non quaesivit ab ea? Dicendum, quod pro nihilo postulasset; quia ipsi Mariae pro se dicenti minime crederetur. Et iterum divina dispensatione hoc factum est, ut per Angelicam revelationem ipse Ioseph sic certificaretur, quod de cetero nullo modo dubitare posset. Postquam igitur ab Angelo certifica-

Digitized by Google

tus est, quod conceperat de Spiritu Sancto, humiliori ac reverentiori modo conversabatur cum sponsa sua; unde maior perfectio generabatur in eo. Et si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus; quantum aestimandum est, hunc cum sacra Virgine profecisse; dixerat enim Propheta Psal. 17. « Cum sancto sanctus eris », etc.

34. *Tertio habuit obsequiositatem quantum ad sedulam administrationem*, ex qua magna perfectio a Ioseph acquisita est. Et si Beata Virgo unum « Ave Maria » remuneratione vacuum non remittit; quanta cordiali gratitudine respondebat illi, quem cernebat sic sollicite, sic obsequiose ac fideliter laborare pro nutriendo ipsam, et dilectum Filium suum. Maxime quoque ponderabat beata Virgo, quod Sanctus iste pro conservanda vita Iesu, se tot periculis exponebat, dum, scilicet, ipsum duceret, et reduceret de Ægypto in Ierusalem ad solemnitates legis, et dum fuit cum eo in aliis variis locis, qui explicari non possent.

35. Unde omnibus compensatis, quae devota, atque discreta mens circa Ioseph, et Virginem benedictam potest rationabiliter contemplari, dicere non auderem, quod Beata Virgo non dilexerit Ioseph quantum omnem aliam creaturam, vel supra, post benedictum fructum ventris sui Iesum; loquor tamen de sociali amore; nam de charitate illos plus dilexit, qui apud Deum meliores sunt.

36. *Secunda gratia ipsi coelitus data, fuit conversationis divinalis.* Et quantum ad hanc admiranda debuerunt esse huius sancti viri duo, quae in praecedenti cap. dicta sunt, scilicet, cohabitatio, et administratio in omnibus necessitatibus. Non solum referri debent ad Virginem; verum etiam ad Iesum, cum quo cohabitando, et ei administrando in omnibus necessitatibus suis admirandas gratias, et virtutes hic Sanctus adeptus est.

37. Quantam perfectionem addere debuit ei haec tertia, scilicet, conversatio divinalis. quum benedictus Iesus se haberet ad eum in exterioribus signis reverenter et obedienter, sicut ad patrem suum, et ipse non solum publice reputatus est, et vocatus pater eius, sed etiam tenere oportet, quod sanctus vir publice habebat se ad eum verbo, actu et gestu, atque cura et imperio, sicut verus pater ad filium suum, et similiter Christus ad eum. Alios aperte innotuisset vicinis et mundo, quod non erat filius eius. In cuius testimonium Luc. 2. dicitur: « Et erat subditus illis », scilicet, matri, et putativo patri.

38. In tribus maxime studuit, scilicet, diligenter habere Ioseph in conversatione cum Christo Iesu, ex quibus magnam perfectionem adeptus est. Nam habuit erga eum, primo reverendissimam puritatem: secundo radiosissimam fidelitatem: tertio ardentissimam charitatem, id est, apposuit omnes vires animae suae. In primo memoriam, in secundo intelligentiam, in tertio fervidam voluntatem.

39. Primo habuit erga eum reverendissimam puritatem. Cogita quanta reverentia, et quanta puritas mentis, et carnis, et affectus, et sensus, erat semper necessaria ipsi Ioseph in assiduo atque immediatissimo, et secretissimo convictu, colloquio, et a spiritu Iesu vigilantis, dormientis, comedentis prope ipsum, et Matre in eodem parvo tuguriolo, sive cella, aut in eadem via simul itinerantis, et peregrinantis cum illo.

40. Considera etiam diligenter, quod in omnibus infantilibus necessitatibus, et aliis nostrae infirmitatis signis, quae videbat, in bono Iesu, contemplabatur atque gustabat altitudinem divinae immensitatis ad talia pro amore nostro, pro nobis informandis, inflammandis, atque humiliandis multipliciter inclinatam.

41. Quantum putas in his delinitam [purificatam] animam sancti senis, haec intuendo oculis carneis, quando et saxea corda nostra ita meditando videntur deficere prae suavitate dulcoris, et amoris, atque summae dignationis Dei: dulcius enim menti devotae sapit, quod altissimus Deus inclinari ad parvulitatem nostram voluit, et in praesepio reclinari ad nostram infirmitatem revelandam, et sanctis oculis suis deflere nostram calamitatem, quam quod miracula potentiae voluit facere mortuos suscitando, vel etiam quod voluerit naturam producere Angelorum, suam infirmitatem manifestando. Utrumque tamen aequali bonitate perfecit, sed magis sapiunt nobis suae viscera charitatis.

42. Secundo habuit erga Iesum radiosissimam fidelitatem. Considera, quanta relucentia, atque luminosa fide satagebat ad semper digne tractanda, et contuenda infantilia membra Christi et omnes eius necessitates, et nuditates, et tandem, quum fuit adultus, omnia eius opera, actus, nutus, et verba. Stupebat siquidem ruminando corde, et oculis intuendo, quod Filius Dei se fecerat filium suum, et elegerat eum ad illum nutriendum, baiulandum, regendum, et conservandum in necessitatibus vitae suae mortalis.

43. Tertio habuit erga Christum ardentissimam charitatem. Quis deneget, obsecro, quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam pater, et balbutienti, aut confabulanti cum ipso ut pater, Christus, sive infans, seu adultus, non ingereret, et imprimeret ineffabiles sensus, atque iucunditates de semetipso, et hoc cooperante exterius gratia Christi cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu. O quanta dulcia oscula ab ipso re-

Digitized by Google

cepit, o quanta dulcedine audiebat balbutientem parvulum, se patrem vocare, et quanta suavitate sentiebat se dulciter amplexari.

44. Considera etiam cum quanta compassione in itineribus, quae fecerunt, parvulum Iesum ex labore lassatum, quum grandiusculus esset in suo gremio requiescere faciebat; quia omni amore transformativo ferebatur in eum, ut in dulcissimum filium, sibi in coniuge sua Virgine per Spiritum sanctum datum.

45. Ideo prudentissima Mater sua, quae experta fuerat eius affectum, ad filium suum Iesum dilecto filio in templo reinvento ait: Luc. 2. « Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Ad huius verbi intellectum notandum est, quod duo saporum genera continet in se Christus.

46. Primus est dulcoris, secundus est doloris. Primus est dulcoris, et hunc per experientiam sensisse ostendit Beata Virgo, quum ait: « Fili, quid fecisti nobis sic? » Nusquam profecto legitur in scriptura, Virginem vocasse Iesum filium, nisi in hoc loco. Filius enim a φίλος quod est amor, denominatur. In ore siquidem matris gustum praetendit cordialissimi dulcoris, et maxime quando est talis, qualis est filiatio Dei Profecto dulcius amoris verbum proferre non potuit, quam hoc, quum ait: « Fili ». Et admiranter subdit: « quid fecisti nobis sic? ».

47. Secundus est sapor doloris, seu amaritudinis summae, quem explicat pia mater, quum subdit: « Ecce Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Et quia sanctissimus Ioseph horum duorum gustuum mirabiliter particeps fuit, ideo beata Virgo vocat eum singulariter patrem Christi. Ubi notanter advertendum, quod hic solum legitur Virginem Ioseph appellasse patrem Iesu; quia sensus doloris, quem habuit de Iesu perdito, verum in eo monstravit patris affectum. Si enim secundum humanas leges divinitus approbatas potest extraneus aliquem adoptare in filium, multo magis Dei Filius datus ipsi Ioseph in sua sanctissima sponsa sub virginalis matrimonii admirabili Sacramento debet eius filius appellari, et etiam credi, quod in eo fuerit gustus paternalis amoris, atque doloris respectu dilecti Iesu.

48. Considera igitur, quod si nos per evidentiam experimur, quod vix potest quis saltem longo tempore fuisse socius magnorum Sanctorum, utpote sancti Pauli, vel Francisci, quin ab ipsis, et cum ipsis miras illuminationes, et inflammationes, atque consolationes Dei receperit; quanto magis credendum est, quod sanctissimus iste vir in tanto tempore, quanto fuit cum Christo, et matre eius? et hoc sicut Pater, atque nutritius Christi, et sicut legitimus Virginis sponsus, et pro eis, et cum eis labores, atque peregrinationes die noctuque sustinens, miras illuminationes, et consolationes ex istis adeptus est.

49. *Tertia gratia isti sancto seni divinitus data fuit conversationis specialis.* Nam si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam huic debet gratiam, et reverentiam singularem.

50 Ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Ioseph, qui populis frumenta servavit, Genes. 41. Sed et hic illum praecellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitae; sed omnibus electis panem de coelo, qui coelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

51. Licet autem quo tempore mortuus fuerit non legatur in sacro textu, tamen probabiliter creditur, quod defunctus est ante Dominicam passionem. Non enim absens fuisset a Dominica cruce, si extitisset vivus: et ipso vivente non oportuisset sacram Virginem alteri recommendari per Christum, dum moreretur in cruce: forte etiam mortuus fuit ante Christi baptismum, quia ex tunc nulla de eo in Evangelio mentio facta est nisi quod Christo improperabant fuisse filium fabri, quum Matth. 13. dicebant: « Nonne hic est filius fabri ».

52. Pie igitur credendum est, quod in obitu suo praesens fuerit pius Iesus Christus, et sacratissima Virgo sponsa sua. Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, et aeternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo a sanctissima sponsa sua, et a dulcissimo Filio Dei Iesu, relinquo devotae menti contemplandum, vel considerandum.

53. Voluit enim Deus ipsum mori ante Dominicam passionem maxime propter duo. Primo, ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur. Secundo ut privilegium fidei solum in tempore passionis in Virgine remaneret.

54. Denique licet tantae fuerit dignitatis, et gloriae iste sanctus, quod aeternus Pater eius primatus similitudinem sibi liberalissime super incarnatum Filium condonaverit; tamen sancta Ecclesia non multum solemnitatem eius ordinavit. Primo quia ad limbum descendit, et ad vetus pertinet Testamentum. Secundo propter vitandum scandalum

Digitized by Google

haereticorum, unde nec nominat eum Patrem nisi cum determinatione, scilicet, putativum.

55. **Hymnus II.**

Ioseph gratiam impetrat, in agone protegit.

DEI qui gratiam impotes,
Coelestium dona expetunt:
Iosephi nomen invocent,
Opemque poscant supplices.
2. Ioseph vocato nomine
Deus adest petentibus,
Auget piis iustitiam,
Culpamque delet impiis.
3. Ioseph piis quaerentibus
Dantur beata munera,
Datur palma victoriae
Agonis in certamine.
4. Amplexus inter Virginis
Castaeque Prolis, placido
Vitam sopore deserens,
Morientium fit regula.
5. Illo nihil potentius,
Cuius parentem nutibus
Et subditum imperiis
Deum viderunt aethera.
6. Illo nihil perfectius,
Qui Sponsus Almae Virginis
Electus est, Altissimi
Custos, parensque creditus.
7. O ter beata et amplius,
Honor sit tibi Trinitas,
Pater Verbumque et Spiritus,
Sancto Ioseph nomini. Amen.

(Ex Brev. sec. usum gallicanum).

56. **Memento.** — Beatissimo ac purissimo Virginis Sponso, quem Christus uti patrem habere non est dedignatus, cultum exhibeat clerus noster ac populus universus sincerum, devotum, fiduciae plenum (Conc. Prov. Neogranat., an. 1868).

III. — Sermo S. Bernardini Senensis

DE PRAEMIO GLORIAE QUOD S. IOSEPH IN ANIMA ET CORPORE ADEPTUS EST.

Sermo de S. Ioseph Sponso B. Virginis, art. 3.

TERTIO *in verbo praeallegato describitur huius viri status gloriae.* In quo exprimitur sublimitas glorificationis, quum in fine concludit: « Intra in gaudium Domini tui ». Profecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam ipsi exhibuit dum ageret in humanis tanquam filius patri suo, in coelis utique non negavit, quin potius complevit et consummavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinfertur: « Intra in gaudium Domini tui ».

58. Unde licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: « Intra in gaudium ». Ut mystice innuatur quod gaudium illud non solum in eo est intra, sed undique illum circumdans et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens.

59. Pie quidem credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus filius Dei Iesus pari privilegio decoravit suum putativum Patrem sicut suam sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore, et anima gloriosam: sic etiam in die Resurrectionis suae sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum: ut sicut illa sancta Familia, scilicet, Christus, Virgo et Ioseph in laboriosa vita, et amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc, et corpore, et anima regnat in coelis.

60. Iuxta regulam Apostol. 2. Cor. I. « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis »; scriptum est enim Matth. 27: « Multa corpora Sanctorum surrexerunt qui dormierant », idest obierant, secundum enim Ier. hoc factum fuit Domino resurgente, quia Dominus fuit primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae, ut dicitur Apoc. I. Hic nihilominus enarratur per anticipationem, ut ostendatur quod virtute et merito passionis eius hoc extitit factum.

61. Surrexerunt, inquam, cum Christo tanquam testes resurrectionis eius. Et hoc Matth. aperte subdit quum 27 cap. ait: « Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis ». Inter quos suscitatos pie credendum est quod fuerit sanctissimus iste Vir.

62. Quaerit Remigius quod factum est de his qui surrexerunt cum Christo. Et respondet quod omnino credendum est, quod postea non abierunt, scilicet, cum Christo ad coelum ascendente pariter ascenderunt, et hoc rectae consonat rationi.

63. Primo, respectu Christi: secundo respectu sancti. Primo, inquam, respectu Christi, quia consonat Christi potentiae, et gloriae ac testificationi resurrectionis, tam suae iam factae, quam nostrae futurae, scilicet, ne possit credi, quod solus ipse tamquam Deus resurgat, et non sui electi. Nam teste Apostol. I. Cor. 15.: « Omnes quidem resurgemus ».

64. Secundo respectu sancti, quia quantum ex parte cuiuslibet animae beatae respectu sui corporis resurrectio non defertur, sed solum ut opus tam solemne fiat cum quadam maiori solemnitate, et unitate, et quasi nobiliori ordine temporis, et aliarum circumstantiarum. Proinde Apostolus 11. ad Heb. de Sanctis inquit: « Hi non acceperunt repromissionem, scilicet, gloriae sempiternae, Deo

Digitized by Google

pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur, scilicet, in gloria cum corporibus suis.

65. Si igitur ex causa rationabili, et ex privilegio singulari accelerata sit in isto sancto, et in quibusdam aliis resurrectio in corpore, et in anima iam completa, nulla ordinis perturbatio est, immo potius consonum rationi. Decet enim communia sic in suo ordine conservari quod nihilominus privilegia magni regis habeant locum.

66. Memento igitur nostri, Beate Ioseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed et Beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est eius, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

67. **Hymnus III.**

Ad Iosephi patrocinium adprecatio.

MAGNE Joseph, fili David,
Custos date Virgini,
Quem et Virgo nuncupavit
Patrem Christi Domini.
Qui fidelis servus Dei
Datus es familiae,
Precor velis, curam mei
Tanquam pater gerere.

2. Cum ferentem castam Matrem
Conspexisses uterum,
Et nescires tamen patrem,
Cor gerebas anxium;
Sed de coelo mox instructus,
Posuisti dubium.
Fac, ut omnis meus luctus
Transeat in gaudium.

3. Dum in Bethlem profecturus
Pergeres cum Virgine,
Deus nobis par futurus,
Natus est in tempore,
Quem in foeno collocatum,
Coluisti gnaviter;
Nunc in coelo elevatum
Ora pro me iugiter.

4. Vim Herodis evasisti
Monitus ab Angelo,
In Ægyptum cum duxisti
Virginem cum parvulo.
Per moerorem, quem tulisti
Isto in exilio:
Cum gravabor hora tristi,
Mihi sis auxilio.

5. Ex Ægypto cum defessus
Galilaeam peteres:
Es in Nazareth digressus,
Ut securus degeres.
In florentis hortum mentis
Amas Iesum ducere:
Da, florescat et mitescat
Hortus meae animae.

6. Quam dolebas, cum quaerebas
Duodennem Iesulum,
Sed inventus et retentus
Auxit ille gaudium.
Iesum, lumen oculorum
Fac me nunquam perdere,
Semper puritate morum
Menti adsit integrae.

7. Inter Iesu et Mariae
Manus integerrimas,
Spiritum emittis pie
Hinc ad sedes superas.
Eia Iesu et Mariae
Te coniunge tertium,
Quando me suprema die
Mors citabit anxium.

8. Cliens tibi dedicatus
Solvit hoc officium:
Eius votis tu vocatus
Redde beneficium:
Ut post huius vitae metam,
Tuo patrocinio,
Tecum vivam vitam laetam
Coeli in palatio. Amen.

(Ex anno sacro poetico, Petri Saurel S. I. Coloniae 1741)

68. **Memento.** — Christus enim Iosephum vocabat patrem, non tantum quia vulgus putabat eum esse patrem Christi, sed etiam quia vere erat pater Christi hoc sensu, quod Christus ei in matrimonio cum eius Matre Deipara existenti legitime, licet per miraculum, divino quodammodo natus, et a Deo donatus esset Filius. Sic ergo Christus vere erat filius Ioseph, et Ioseph vere erat pater Christi. Sicut enim fructus in agro meo nati, etiamsi a me non sint seminati, mei tamen sunt: sic et Christus Iosepho in coniuge sua legitime natus eius est filius, estque quasi fructus agri, id est, coniugis suae, uti dicam: Lucae, c. II, v. 48 (Alapide, in Isaiam, c. VIII).

Digitized by Google

IOANNIS GERSONII

DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS

IOSEPHINA

CARMINE HEROICO DECANTATA (1).

69. **Titulus brevis continens XII libros iuxta XII materias principales.**

CLARE Ioseph, Iosephina tuo pro nomine carmen
Narrat, ut is Memphim, septem illic conficis annos,
Nazareth inde redis operans, ubi Virginis olim
Conceptum noras, et ea cum Virgine nubis,
Itque redit nupta, te per montana volente,
Das latriam infanti nato, nomen Jesus addis,
Suscipis hinc reges, puerum post sedulus offers,
Invenis hinc templo, tandem moriens requiescis.

Prooemium.

70. **Poëticae inspirationis atque poëmatis ratio.**

FONTEM sueverunt veteres celebrare poëtae
Sacratum Musis Parnasi monte subortum
Quem pes fodit equi; sed habet sapientia montem
Nostra alium, fontem et musas, quibus altera vox est:
Fons vitae, verbum Domini sublimibus exit
A coelis iugi, puro, salubrique meatu.
Cristallo similis manans a sede superni
Montibus aeternis, musas nec curat agrestes
Quae mortale sonant, quae noxia carmina texunt,
Quae solas vanis demulcent corporis aures.
Nec dant arentem sedare sitim, sed adurunt
Potandum assidue mellitis corda venenis.
Fons noster nitidus, sapidisque salutifer undis,
Quem superirradiat, ubi sol divinus apertis
Omnia, crede, notis mundi speculi vice monstrat.
Pura tamen lux haec hebetans diverberat omnem
Visum mortalem, veluti sol materialis
Lucidior tuitus obscurat nycticoracis.
Multa videre tamen fidei, mediante berillo,
Cõncessum nobis in aenigmate voceque certa.
Mira loquar, facies speculanti quatuor offert
Fons hic ut specula quaedam, sic Ezechielis
Visio dat vultus animalibus esse quaternos.
Quatuor ancillis facies sapientia donat.
Sensus bis binos verbo nam monstrat in uno.
Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia,
Hae penetrant aures mentis dulcore latenti
Tetralogo simul ac uno sermone loquentes.
Principio fons hic perfudit mysticus Adam:
Post terris legitur fluviis fluxisse quaternis,
Irrigat et totum rivis felicibus orbem
Te torrente replet foecundius, o studiorum
Mater Parisius, paris expers, maior Athenis,
Maior et Ægypto prior est tua philosophia
Pura, nec errorum coeno permixta nocenti,
Sola cares monstris, nec habes portenta deorum.
Quidam theosophus ista nutritus in urbe,
Gratia cui nomen, cognomen et advena fecit,
Hunc iuxta fontem viridante in cespite ripae
Fructifero vitae sub ligno membra locavit
More suo, lenire viae fastidia quaerens,
Oreque cordis aquas fontis gustare beati
Dulce refrigerium contra tentaminis aestum.
Esse peregrinus signis erat agnitus aptis,
Cassidulum dextro fartum dependet ab armo
Ad latus oppositum, celsum caput orbicularis
Pileus obnubit soles quo pellat et imbres.
A vultu infestos baculusque teres regit artus,
Ferrea cui cuspis, munitur sura coturno.
Scutum laeva gerit, sapphyro, coelove sereno
Concolor, hic auro septem radiare planetas
Inspiceres, medio cor pennatum velut ignis
Emicat, et rutilo *Thau* sibi signat in auro.
Ægide theosophus hac hostica tela retundit.
Nec caret angelico duce, sed caro visibus obstat,
Sedulus hunc catulus, ut Tobiam comitatur.
Vidi equidem synodum Constantia dum generalem
Colligit Ecclesiae fieret sibi pastor ut unus.
Vesper erat, gelidas protendens longius umbras;
Advena labenti iucundo murmure rivo,
Lumina dum figit meditans, de fonte canora
Visa loqui sibi vox propriis accommoda votis.
Vita peregrinis quae te premit exul in oris,
Vult libertatem patriae te quaerere coelis,
Hoc Moyses, hoc ipse Levi, dum nomina Gerson
Dant primogenitis signant multis aliorum.
Niteris exemplis, sed quod Deus accola terras
Venit in has fieri, nihil hoc hortamine maius
Terrigenam petere quod te coelestia cogat.
Ergo fides cum corde pio vult carmine dici,
Quomodo terrenae voluit regionis ad ima
Deflecti, claudique Deus sub ventre Mariae.
Quem natum Ioseph in Memphim gestare peregre

(1) Quum plures post Gersonii tempora, de Sancto Iosepho scriptores exstiterint, qui de Gersoniano carmine quaedam delibarunt, operae pretium esse duximus heic integrum edere poëma, cui lector in perlegendo volumine, quum opus fuerit, facile recurret.

Digitized by Google

Iussus, ubi septem fugitivos conficit annos.
Inde relatus fit (mirum o) sibi subditus ultro,
Donec cum senio mors exoptata recepit.
Theosophus gaudet, dum vox symphonica talis
Insonat aure sua, tollit suetudo timorem.
Quamvis miranda vox est phronesi, quia tetras
Est ancillarum, datur et sua cuique loquela,
Qua dinoscatur, velut in fidibus cytharoedi
Organicis sive modulis seu carminis odis,
Commodat ipse pias dictis solertior aures
Sensibus ac imis, res est non parva, reponit,
Quatenus aut reseret audita sodalibus ore,
Inserat aut chartis, supplex prius inchoat orans:
Alme Ioseph Patriarcha sacer, pro cuius honore
Nostra canit phronesia, tu Virgo, tu Iesus olim,
Vos tres una domus angustis incola terris,
Quos immensa locant modo coelica regna felices,
Nostraque sit facite pietas accepta camenae
Ancillans fidei, nulli praeiudica vero,
Multa probabiliter suadens, temeraria nusquam.
Apta peregrinum cor sursum attollere coelis.
Hactenus haec subeat primum narratio: fugit
Cur Ioseph a patria, sponsa comitante Iesuque,
Exemplum primis magis id se sensibus offert.

Distinctio Prima.

71. Ioseph in somnis Angelus apparet — Virgini iussa aperit — fugam parat.

Membra Ioseph somno recreans defessa labore,
Corde vigil iussa quae nunciat Angelus, audit
Tristia, surge Ioseph fili David, accipe matrem
Cum puero, fuge neu tardes, Ægyptia rura
Festinus pete, nam puerum trux quaeret Herodes
Perdere. Proh pietas, laxat tremefactus et horrens
Mox gravidos artus; humili stratu exilit, atque
Virgineum sponsae thalamum moestissimus intrat.
Forte Maria Jesum, quem cunis somnus habebat,
Tunc vigili blande cura devota fovebat.
Ut vidit sponsum, cui non mos nocte venire
Instantis praesaga mali, conclamitat, o vir,
En quid id est, quid habes, quae fert te sors, rogo, pande.
Eheu surge, cito puerum rape, quaeritur infans
Perdi, crede mihi, per reges dirus Herodes
Se dolet illusum; propera, modo nuncius alto
Demissus coelo iussit, nec fingo repente
Sic fieri. Tibi tunc animi quid Virgo fuisse
Crediderim, nova tunc iuvenisque puerpera pauper,
Simplex, sueta domi, regionum nescia, tales
Te te dum voces urgent; sed fisa Deo mox
Complosis manibus lachrymisque per ora volutis
Tristis, utrumque genu ante ipsa incunabula nati
Flectens te sternis, stupido fixoque parumper
Haeres intuitu, quem contemplata benigne
Plurima corde gemis, tandem prorumpis amaro
Suspirans animo. Quid amor meus, o tener infans
Ac uteri dilecte mei, quid tu, quid agemus?
Iste tuus custos, et ego qua parte feremus?
Qua te patebit iter, ubi sunt Gabriel tua dudum
Nuncia dicta mihi, Dominus sedem David illi
Crede, dabit. Jacob ipse domo regnabit in aevum?
En it in exilium. Flendi carissima non est
Hora modo, vir protulit anxius, effugiendum,
Parendumque Dei iussis, reducem (bene spera)
Promisit puerum et faciet, quia dux, via, vita est.
Excitus his infans, oculisque serenus apertis,
Iucundo visus risu cognoscere matrem.
Tunc animum strinxit tenerae pietatis imago
Virgineum, gladius pertransiit intima cordis.
Mox ruit in faciem pueri: suavissime fili,
Acrius exclamat singultans mater, abire
Ac migrare statim, notos patriamque laresque
Linquere cogimur, arrides, non nostra voluntas,
Sed Domini fiat. Coniux dilecta, Joseph vir
Grandaevus replicat, lacta cunisque resolve
Infantem, pannis involvens, noster asellus
A me sternetur gerulus puerique tuique.
Paret Mater, nec mora, nocte fugam capiunt clam,
Ostiolis post se clausis, nullasque salutes,
Nulla vale tota vicinia cara recepit.

72. In Ægyptum fugam cum Deo Puero et Matre arripit. — Virgo Deum invocat patriamque salutat.

Mirandum maius inter spectacula quale
Conspicies, anima, casus nunquid fuit alter
Asperior, summaque magis pietate stupendus.
Ergo compatere saltem pro cuius amore
Omne fit hoc, Deus est fugitivus et advena pro te,
Virgo tenella, Joseph gravis aevo, vixque bimestris
Infans, ignota peragrant ac dura viarum.
Sat procul exierant a Nazareth haud sine multo
Continuoque metu, neu quis sentiret euntes,
Sine pedum strepitu, seu flentis ad ubera matris
Vagitu pueri, vel ab occursu vigilantum,
Aut asini ruditu, latratuve canino.
Vertice monticuli faciem conversa retorsit
Virgo suam, simul ipse Ioseph devotus, uterque
Substitit inde, domum, villam, templumque salutant.
Nuncia iam solis rutilans aurora decorum
Spirabat lumen; Virgo, doctissima legis
Humano partim studio, partimque superno
Largius afflatu dedit has (fas credere) voces:
Magnifico te, summe parens, spes una salutis
Certa meae, mihi magna potens, agnosco dedisti.
Grata fatebor enim, memori iugique repostum
Corde gerens, ancilla humilis parebo iubenti,
Per medium quamvis umbrae mortis sit eundum,
Nulla timebo mala, quoniam mecum Deus es tu.
Tuque, puer divine Iesu, quem sanctus obumbrans
Spiritus ex me formavit, te Sara, virumque,
Te Jacob atque Ioseph, Iudith, Hester, teque Susannam
Salvavit Dominus et Hebraeos per mare duxit,
Per deserta trahens, coeli quibus esca parata.
Non attrita fuit vestis, quid! quod Danielem,
Et David eripuit rugientis ab ore leonis,
Quid! quod per corvos fugientem pavit Heliam,
Dux Raphael Tobiae, dux Michael Synagogae.
Quid moror exemplis Gabriel mihi dux, Deus illa,
Quae voluit fecit, omnis sibi possibilis res.
Nullus livor ei, sapiens tamen omnia summus
Disponit numero, mensura, pondere; non vult
Tentari, proprios sed agi motus rationis
Quos valet ut desunt praesto sibi ferre iuvamen.
Hinc hominem fugimus subito cui tollere vitam
Omnipotens poteras, vis pauper et advena fiat
Filius iste tuus mundo qui regnat olympo.
Fratribus ut similis solvet moresque reformet,
Vis scutum cordis nobis praebere laborem,
Vis fieri memores aliam nos quaerere vitam,
Esse peregrinos, debereque tristia laetis
Semper misceri, lachrymarum valle maligna.
Dux igitur rectorque, comes, protector et altor
Esto peregrinis nobis altissime regum,
Cui rex mortalis obsistere, cui nequit obex
Ullus velle tuo statui; promissio nostris
Dicta olim patribus Abraham cum semine fiat.
Dulce vale, natale solum, valeant et amici.

Digitized by Google

Tuque Hierosolymis in Sion vertice templum.
Dixerat; hinc alacres animo Ioseph, atque Maria
Contorquent gressus et semita cepta tenetur.
Nazareth in villa multum iam plebe subortum
Murmur erat fugisse Ioseph, fugisse Mariam
Cum puero, grandis cognatos cura fatigat
Quaerere quo pergunt, quales petiere latebras,
Scita fugae causa tandem compescuit omnes.

73. Itinere fatigati in villa se recipiunt — de fiducia in Deum meditatio.

Vespere defessos ambos, asinum quoque lassum
Sera domi locat, in qua diverticula villae
Commodiora Ioseph reputavit, protinus ulnis
Excepit puerum propriis, terraeque reclinat.
Ipse sinu matris ereptus vagit, et inde
Vir dat opem dominae satagens descendat asello
Collapsu facili. hospes dat stabulum paleasque,
Augent ligna focum, gremio mox virgo receptum
Fasciolis evolvens infantem igne, manuque
Blanda contrectans refovet. Quis, et o speciosum
Forma prae natis hominum pulcherrime, quis te
Virgineosque tuos artus, faciemque decoram
Cui sacros oculis deitas afflabat honores,
Cernere tradiderit: da lac, da balnea Virgo,
Perfice caetera vir, ita fit; post ambo legumen
Appositum sumunt frugaliter, hymnus ab ore
Grato post resonat, sursum frons, corda levantur,
Secretum surgens hinc Virgo cubile recepit.
Se super ostiolo clauso silet et vacat orans,
Donec dormiat is cuius semper vigilat cor,
Quem prius ipse Ioseph blandum complexus adorat,
Datque vale matri, servatur ei locus alter;
Sedulus intrat ibi, primum orans deinde, quievit.
O quid ais nimias quaerens ambitio pompas,
Splendida quotidie tibimet convivia magnas,
Instructasque domos, turbam multam famulantum
Te pudeat, te poeniteat, dum talia cernis.
Parva, crede, domo minor est dolor, anxietasque,
Sed nocitura placent, placet insanusque tumultus.
Hactenus una vice decursa dies manifestat
Quid valeat pius in reliquis animus meditari,
Oro praevideat discrimina plura viarum.
Plures hospitibus fraudes, risusque malorum
Solerter mentis oculus, quo progrediendo
Plus ignota subit, plus horrida saevaque tellus.
O quotiens latro, quotiens sitis, algor et ardor,
Atque fames potuit inopes vexare viantes!
Amborum sed mens virtutis in arce locata,
Despiciens ima, fugiens ad foederis arcam
Veram, non typicam, te semper, Christe, petebat
Confugium, ut Moyses, et libertatis asilum.
Adde quod omnis eos acies comitata tegebat,
Terribilis virtutum donorumque beata
Certa fides, spes firma, Dei dilectio prudens,
Sobria iustitia pollens, super omnia fortis.
Quid! quod divinae legis tu virgo canoros
Dulcisona poteras hymnos cum voce referre
In non parva viae solamina cantica Syon;
Nam simul his typice poteratis vocibus uti.
Esto peregrinis nobis cantabilis alma.
Lex Domini relevet quae taedia dura viarum,
Nam tristes citius abeunt per inania curae,
Carmina dum divinus amor modulatur amoena.
Ergo coeligena miseris mens advena terris,
Sis psaltes, facito, sis odis debita divis,
Non ita te totam terrarum carcere tetro,
Sed coelo poteris positam reputare sereno,
Corde pio, sapiens tua devotus meditetur
Virgo Maria, viro data verba, recepta vicissim
Partem aliquam sancti nostras referatis ad aures,
Blanditias iunge pueri, formosus, et ipse
Iucundus solo aspectu triste omne fugabat.
Addideris quam multa Iesu solamina praebet
Tota creatura, quasi praememorata beati,
Primaevique status hominis dum cuncta fuere
Sub pedibus subiecta suis, volucresque, feraeque.
Imperio quamvis non saepius utitur isto.
Utitur ipse tamen, nam quadraginta diebus,
Noctibus et totidem legitur mansisse ferarum
Deserto, socius esse cuiuslibet expers;
Bestia nulla ferox nocuit sibi, tutus abunde
Iustitiae dono primaevae: sic fidei dat
Plurima virtutum doctus miracula Paulus.
Maiori suus est microcosmus finis in orbe,
Dum mutatur homo, mundus varietur oportet
Pro meritis variis iustorum sive malorum.
Neque Creatori famulantur cuncta creata,
Quando malis poenas vult reddere, praemia iustis.
Ergo certa fides et spes, oratio iugis,
Gratia quid divina potest, tu mente capesce,
Nam bonus et sapiens factus dominaberis astris.

74. Ioseph per noctem visa tribulationis imago, eique Virgo Providentiae pandit leges.

Quid! quod et ipse Deus dat si tentatio surgit
Proventum, Ioseph hoc sub imagine scisse putetur,
Noctibus est vultu sibi visa virago minaci,
Spinosum exagitans manibus de more flagellum,
Verberibus saevis semper torquere parata,
Ex re nomen habet tribulatio, serva tremendi
Iudicis, haec hominum custos, dux atque probatrix,
Poenarum multa dextris et multa sinistris
Turba comes, nemo transcurrere nomina posset.
Contremit ipse Ioseph, sed mens interrita quaerit:
Dic, precor unde venis, quo tendis, ubive moraris?
Tres, inquit, tecum comites habitare memento,
Prima fides, alia spes, tertia gratia, quae te
Triplici de dubio quod quaeris certificabunt.
Visio disparet ad seque redit Ioseph, inde
Lux oritur, surgunt, incedunt limite coepto
Virgo Ioseph que simul, Ioseph omnia visa recenset.
Virgo Deum laudans, oculosque ad sidera tollens.
Sis benedictus, ait, tentatio cui famulatur,
A te namque venit quasi summi nuncia regis,
Ad te deducit, testis spes, gratia porro
Electas inter docet hanc habitare viantes
Suscipienda piis animis, tentatio namque
Est hominis vita, Iob iudice, militat ipsi,
Cedit et in varios fructus, et fine coronat
Ultima poenarum, nam mors fera terribilisque
Corporeos solvit nexus, et vincula carnis,
Spiritus ut liber petat alta palatia coeli.
Omne procul murmur pellant patientia fortis
Certa fides, et spes, et veri zelus amoris.
Quid fortuna vaga, quid inexorabile fatum
Ponitur, omnia sunt a libertate supremi
Deducta arbitrii sapienter et ordine recto.
Nec sua libertas perit hinc, nec nostra voluntas,
Causarum quia sunt numero vel in ordine iunctae.
Sed quia saepe latent causae, fortuna vocatur
Terris omnipotens, et quod dominatur in omnes
Omnia miramur, strepitum trepidamus ad omnem,
At qui supremam Domini cognoverit artem,
Omnipotens immensa quod est, nec scibilis ulli,
Nil admiratur effectus dum videt imos,
Ni miretur eam res tam producere viles,
Philosophis et Theologis diversa notatur,

Digitized by Google

Et quasi conversa ratio, nam philosophia
Scandit ab effectu satagens cognoscere causam,
Flectitur a summo, sed theologia deorsum
Occurrit, sub ea nil mirum nilque timendum.
Vera refers Domina, vir ait, sed credita paucis
Scis solet adversus Dominum consurgere clamor.
Quod labor est iustis, et iniqui pace quiescunt.
Hoc fit, care Ioseph, quoniam praesentia solum
More vident pecudum, quae sunt coelestia nolunt
Cernere per fidei lumen, sperare futura.
Adiice quod solitis naturae legibus haerent,
Dicunt quod proprios cursus non deserit unquam.
Gratia quae praesit naturae, quod dominatrix
Sit, dux et rectrix eius, non mente capescunt.
Sensibus utuntur solis, cum spiritualis
Regio nobilior sit corpore moderatrix.
Continet infusa virtutum haec regio dona,
Gratia quae format, quae dirigit, aptat et ornat,
Dat motus agere quae sunt miracula nobis,
Naturaeque vices variat, sic gratia dudum
Nonne maris rubri velut utre coercuit undas?
Manna pluit patribus, perversos terra dehiscens
Absorbet, proprias vires suspendit et ignis,
Omnia quis numeret? naturae est gratia victrix
Ut citharae nervi plectro moderante sonori,
Plusve minus tensi varias dant, cernimus, odas,
Utitur haud aliter hoc toto gratia mundo,
Carmina dans rebus concentu harmonica miro
Finis habet summus unum, solidumque tenorem
Postulat ut finis moderari cetera debent,
Cum sit in humanis coelestis gratia finis.
Multiplici medio petit illum gratia ductrix.
Confiteor tentare Deum vult gratia numquam,
Quod tentata nequit natura, hoc gratia supplet.
Spemque tibi de te dum desperaveris affert,
Matris more suos erudit provida caros,
Verbera multiplicat patrati criminis ultrix.
Iustitiae decus, ut peccati turpe reformet,
Aut ut praeservet, auget quandoque flagella,
Saeva ne fit pietas? quae curans parcere perdit,
Exercet iustos tentatio pro meritorum
Maiori cumulo et ne gloria vexet inanis.
Hic Ioseph: o Domina, quaero, tentatio si sit
Utilis ut loqueris, quo pacto tot pereuntes
Cernimus assidue per eam, primosne parentes
Perdidit et tantis subiecit cladibus orbem?
Quomodo talia mens permisit provida Summi?
Sed satis hucusque dictum, declivis olympo
Vespera compellit recipi mox hospitio nos.
Plurima sunt super his aliis repetenda diebus
Doctus sermo viae relevat fallitque laborem.
Omnia collustrans proprios revolutus in orbes,
Sol revehit, repetitque dies, quibus alma Maria
Cum Ioseph eloquitur nostrae secreta Minervae.
Quae Sion templo didicit quasi Palladis arce,
Prodiit unde nova toti lex posteritati
Cordibus inscripta, tabulis non sculpta petrinis,
Quam docet explanans sacrae schola Theologiae,
Quae licet immensum sit divulgata per orbem,
Urbe tamen nostra cumulo maiore resedit.
Quam repetas, lector, quia vult angustia metri
Tantorum arctari doctrinas mysteriorum,
Qualia Virgo virum potuit docuisse viando.

Distinctio secunda.

75. Ioseph et Virgo Ægyptum paventes auxilio se committunt superno.

Post iter emensum duri multique laboris
De procul inspicitur quaesiti terra Canopi.
Hinc horror subitus amborum corda pavorque
Concutit, ipsa licet mens inconcussa resistat.
Vir prior alloquitur sponsam: cognosco decora
Quod sis, o Domina; gens ista libidine fervens,
Foedis urgetur stimulis, si sciverit uxor
Quod mea sis, mihi quid nisi mors o Virgo paratur,
Atque pudicitiae tibi discrimen? Pharaonis
Ducet ad aspectum mox te manus improba servi,
Sors indigna nimis, nos o tibi quid faciemus,
Blande puer, fugimus ne te unum perdat Herodes.
Deserimus dulcesque lares carosque propinquos,
Ecce quod irruimus in tanta pericula soli,
Ignoti atque inopes, linguae ignari, Deus alme,
Nobis quid facere voluisti? quaeso Maria,
Filia dic mea sis, hoc aetas credere verum
Suadebit; reliquum auxilio committo superno.
Iure quidem, dilecte Ioseph, nobis ita semper
Sperandum, sicca lachrymas, trepidus pavor absit.
Virgo refert, nonne memori nos mente tenemus
Aetatis priscae miracula, qualiter Abraham.
Qualiter et Saram Dominus salvavit et auxit,
Est opportuno protector tempore summus.

76. Familiae sanctae Memphitum occursus.

Omni corruerant Ægypto vana deorum
Nuper portenta, venturum sic Isaias
Praedixit, signum quoque virginis hoc pariturae
Carmina Memphitum servabant abdita vatum.
Tale fuit templi pacis tibi, Roma, ruina
Prodigium, aeterna firmum quod sede putabas.
Emotis igitur simulachris hinc Pharao rex,
Hinc in se Memphis, fas credere, tota movetur,
Plurimus hinc aditu explorator quilibet adstat,
Invigilans gentemque locumque requirere solers,
Dum penetrare suos aliquis vult advena fines,
Scire volens, ubi nam virgo peperisse refertur.
Eminus inspiciunt ambos te, Virgo, virumque
Cum puero, properant occurrere, protinus alter
Cernit in alterutrum, fit sermo mutuus, ipsis
Nutu correptis divino: o quam speciosa,
Quam spectabilis haec et quam formosa puella
Divini vultus, quam vir comitatur honestus!
Pone metum, Domina, dixit cui copia fandi
Prima fuit, faciem regis visura beatam
Te reputa, tantum dic qua regione venistis,
O bone vir, coniux ne tua haec, vel filia, fare?
Quis pater infantis, qui formosissimus alto
Sanguine se natum, vultus splendore fatetur.
Pauca Ioseph grataque refert doctissimus heros:
Vobis Memphitici nullas impendere dignas
Sufficimus grates, quorum dignatio tantum,
Pandit in occursu primo solamen opemque.
Israel a terra, nos sors infesta coegit.
Has oras petere infelix quam cernitis huius,
Infantis mater mihi filia sola relicta est,
Namque pater pueri residet regione remota.

77. Comiter in urbem excipiuntur. — Ioseph regem alloquitur.

Fama loquax aulam regis cito garrula totam
Ægypti implevit, celebri venisse puellam

Digitized by Google

Urbe Hierosolyma, cuius decor atque venustas
Tanta erat, ut nil supra, coetus clamitat omnis.
Ergo statim veniat, veniat, videatur, adoret
Regem, sitque suis uxoribus annumerata.
Urbis in ingressu certatim cura videndi
Conglomerat populos, variant hi verba vicissim,
Hi nutus, ad regem alii comitantur euntes
Coram quo positi, tu Virgo, Iosephque, puerque
Poplitibus flexis solitos defertis honores.
Sit licet idolatra, sit flagitiosus, in ipso
Solus adoratur Deus, a quo cuncta potestas.
At rex contemplatus eos, interprete lingua,
Multa petit, causasque viae, sortem, genus, ortum,
Si quae praeterea virgo peperisset Hebraea?
Virgo silet demisso oculo, verbum capit heros
Grandaevus, sanctusque movet sua spiritus ora:
Rex in sempiternum vive, salus tibi, qui nos
Afflictos, inopes oculo spectare benigno
Dignaris, tua sit qui condidit omnia merces.
Est nobis, o rex, tellus Galilaea, propago
Fertilis et dives, fuit in qua nobile regnum,
Reges insignes, sed nil mortalibus usquam
Tutum vel stabile est, alienigeno dominatu
Nunc premitur; dicunt tamen his oracula vatum
Regem venturum priscorum ex sanguine regum,
Quorum praecipui David et Salomon numerantur,
Quos genuere patres Abraham, Isaacque, Iacobque,
Haec cui praedives olim fuit hospita terra.
Ad sortem, sed rex venio, quae compulit istam,
Et me cum puero fugitare ferocis Herodis
Imperium, qui cuncta timens desaevit in omnes,
Et modo dum regnet confundit fasque nefasque.
Huius obinde pater infantis cedere iussit,
Hanc miseram, me dans comitem; parere molestum:
Sed quid non pietas valet extorquere paterna?
Aufugimus noctu per tot discrimina rerum,
Tot varios casus, Deus huc nos appulit. O rex
Ergo tuum per sceptrum et maiestatis asilum,
Regia per si iam clementia cepit egenos
Atque peregrinos miti tractare favore,
Rex fer opem profugis, petit hanc infantulus iste
Cum gemitu, petit hanc nova nupta puerpera pauper.
Nulli nos erimus oneri, panem neque gratis,
Sed partum propriis manibus quaesisse voluntas.
Tam nitide lachrymas percussa mente dederunt.
Rex iubet, extemplo detur domus et locus aptus.
Nil durum fiat, vis nulla, iniuria nulla.
Porro memor repetit, partus si virginis ullus
In Iuda fuerit? ita verbum temperat heros,
Ut neque scire neget, neque se cognosse revelet.
Nuper ait varius super hoc rumor fuit ortus
Urbe Hierosolyma, scribarum turba sacrorum
Causa fuit, relegens vatum responsa suorum,
Tempus eis dubium, sed praestolatio certa.
Offert sceptrum rex tangendum, munera donat,
Imperat ut surgant, deducanturque domum: mox
Aulica tota cohors resonat, plaudit, benedicit,
Implet iussa libens, regem collaudat ovanter
Cum fremitu vario. Ioseph admiratur ab isto
Facundus, laudat alter speciem mulieris,
Alter compatitur puero blando atque decoro.
O Pater omnipotens, quis non speraverit in te?
In cuius sunt corda manu regumque hominumque.
Quo vis inflectens ea, rex en lubricus, asper,
Plebs incomposita, fugitivos suscipiunt, et
Aspiciunt gratis animis, tractantque pudice,
Hospitium praebent, quo tu te Virgo receptas
Cum sponso et puero, pro servo cedit asellus,
Ligna, cibum, mensam vir praeparat; at pia Mater
Infantem lactat, evolvens balneat, inde
Cunis aptatus dormit, quas tempus in istud
Dant laudes pensa, quotiens o corda levarunt
Cum manibus Domino post tanta pericula tuti.
O quotiens vertunt ad templum Sion ocellos,
Sic Salomon docet, hoc Daniel Babilone peregit.
Quisquis es ad cives patriae caelestis anhelans.
Sic age, sic retinens meditare quod advena tu sis;
Exemplum tibi sint Christus, Ioseph atque Maria,
Fortibus omne solum patria est, vos vivite fortes.

78. Ioseph et Virgo labore vivunt manuum — Iesus parentibus arridet, puerilia prosequens.

Postea lux oritur, surgit Ioseph officiosus
Mox intrat venale forum, sibi comparat apta
Instrumenta quibus uti consueverat, artis
Namque fabrilis erat in ligno; femina fortis
Quaesivit lanam et linum. Vicinia tradit
Ut paret, inque filos subtiles protrahi, inde
Textrino mandet operi doctissimus artis
Virgineus digitus, domus otia nulla recepit,
Tranquillus pascit labor ipsos, liber, honestus
Qui benedici vult, qui manducare laborat.
Omne cor inficiunt, occidunt otia pigrum.
Creverat ipse Iesus, binos evaserat annos,
Mater ei tunicam polimitam neverat, et iam
Stare licet tremulo poterat pede, verbaque grato
Nondum perfecta balbutit lingua susurro.
Suavior hinc multo blanditur utrique parenti,
Arridet. ruit in ulnas, gremioque locatur,
Brachiola attollens vult nectere colla parentum,
Amplexu tenero, vult oscula figere casta,
Inserit atque manum manu tibi, Virgo Iosephque,
Perque domum sequitur hunc et te dispare passu,
Quaeque videt mirans sciscitatur ut omnia noscat,
Forte interturbat vestrum quandoque laborem,
Pensa, colum, calathos, serras, parvasque secures
Contrectans ultrove petens sese baiulari.
Dixerit hoc aliquis totum puerile relatu
Nullo, sed risu dignum: puerile fatemur.
Sed puerile Dei, sed stultum, et debile maius,
Fortius et sapientius isto est, credite, mundo.
Nil duro corde peius, nil tetrius, at quid
Maiori pietate facit, mollescere corda,
Quam dum certa fides cernit puerescere summum
Propter nos homines miseros nostramque salutem?
Vult similis fieri nobis, vult sit puero par,
Scandere qui satagit coeli fastigia parvus.
Innocuus, purus, humilis, super omnia simplex.
Infantes quasi nunc geniti lac poscite, nempe
Lactescit vobis virtus, sapientia, vita.

79. Dei Pueri lusus — scientia eius humana — Virginis cum ipso colloquium de hominis elevatione et lapsu.

Iam puer ipse Iesus numerosis integra format
Verba sonis, iam cum paribus colludere gestit;
Cum pueris puer it, similis similes sibi quaerit.
Inter ludendum puer unus corde maligno
Improperat tibi forte, Iesu, miser advena quod sis
Ignotus, patriamque patrem qui dicere nescis,
Dat palmam tibi, das maxillam percutienti.
Flens redis ad matrem, gremio te blanda receptans,
Cur ploras? quid habes interrogat, oscula iungit,
Exsiccat lachrymas: animus si, mater, amarus
Sit mihi, quid mirum, proprium quid nescio patrem.
Nec patriam, si vera mihi nunc improperantur.
Ergo Ioseph ne pater mihi? nonne haec patria nobis?
Mater ad haec stetit immoto vultu sine voce,

Digitized by Google

Secretum cordis intrans, multumque diuque
Secum confert, si vel quid respondeat ipsi,
Qui nihil ignorat, cum sit verbum caro factum,
Cunctantem puer amplius ad responsa perurget
Non quod nescius est, verum experientia certos
Ferre modos poterat, humano more sciendi,
Sic didicit poenas, opprobria, vulnera mortem,
Plurima sic vult affatu cognoscere matris.
Ergo rogat totus matris suspensus ab ore.
Os reserat tandem suspirans talia fatur:
Heu mihi, care puer, sentis iam probra, dolores,
Poenas immeritus: deplorans hoc Hieremias,
Et probis, inquit, *saturabitur;* heu mihi, fili,
Crimina iam nostra defers nostrosque reatus!
Suave fuit pomum vetitum quale Eva momordit,
Sed tibi qui non peccasti nimium fit acerbum,
Cara luis proles quod commisere parentes,
Et quia vis, fili, prima sub origine rerum
Altius exorsa repetam, quae mente reponas.
Principio coelum, terras Deus ipse creavit,
Spiritus Angelicus nullo cum corpore mersus
Protinus implevit coelum, post quinque diebus
Corpora distinxit ornavitque omnia librans
Pondere, mensura, numero, digitis quasi ternis,
Namque potentia mensuram, sapientia rebus
Dat numerum, bonitas cunctis sua pondere reddit.
Sic species, modus, ordo, Dei vestigia signant.
Hunc ex quo, per quem sunt, in quo cuncta creata,
Hinc mirum molitur opus, deliberat ambas
Nectere naturas, fit homo Deitatis imago
Pulchra, minor mundus naturae nullius expers,
Mens regit organicum corpus ratione capaci,
Quae contempletur vultu caelestia recto,
Libertate potens, aeternae sortis orizon,
Iustitia pollens, quae spirituale quiete
Regnum hominis poterat servare sub ordine pulchro.
Callidus invidit serpens, a daemone cuius
Lingua movebatur, fili, daemon fuit olim
Angelus omnino pulcher, qui scandere montem
Dum vult, assimilans Alto se mente superba
Corruit, hinc sibi fit mens conturbata furore,
Livore ac odio vult extolli *super omne*
Quod Deus est ac *dicitur*, hinc mors venit in orbem,
Primum peccarunt, hoc decipiente, parentes.
Vult homini vitam quam perdidit ipse patere
Omnes membra mali sua sunt, omnes et iniqui,
Per quos insequitur iustos, conturbat et angit,
Te petit ex cunctis, o quot pueros per Herodem,
Iam dedit innocuos ferro gladioque necandos,
Quot tibi praeparat insidias, tentamina, fraudes!
Retur enim timidus, nec fallitur affore tempus,
Quo generi humano pandetur porta salutis,
Captivis miseris speciosa redemptio fiet.
Heu pretium tua mors erit, o sacratissime fili.
Horrisonum ad mortis nomen concussa dolore
Virgo flet atque gemit, rupit plangore querelam.
Porro tuum mox, alme Iesu, cor pulsat acerbus
Hic matris dolor et dirae praevisio mortis,
Mens immota manet, lachrymae volvuntur amarae.
Qualiter hoc fieri valeat, conquirere dignum
Spiritus et ratio sunt, si distinxeris apte
Sensus, et infanti, deitas simul, ergo voluntas
In Christo quadruplex fuit, in diversa moveri,
Non adversa solens, nam spiritus et Deus unum
Semper idemque volunt; animae vero inferior pars
Et sensus subsunt passivae conditioni,
Mortalis nostrae sortis miserae, inde sumuntur
Naturae in proprios motus se ferre licenter,
Hinc sperat, metuit, gaudet, dolet iste beatus
Infans, ex utero non cogitur, hoc facit ultro.

Dum videt in puero lachrymas modo Virgo decoras,
Uberior gemitus pia viscera torquet et angit.
Forte Ioseph rediens operis pretium referebat,
Sensit in ingressu primo lachrymas utriusque:
Sic facies, sic vox, ita gestus significabant.
Omnia sic didicit tandem referente Maria,
Acriter ingemuit et flens cum flentibus insit.
Aequo sors animo, quaecumque sit usque feratur
Incola, dum sic vis, Deus, haec nos terra receptat,
Expedit hoc, dilecte Ioseph, patientia custos
Optima virtutum meritis ditescit opimis.
Incipit hanc mostrare viam puer indole prima.

80. Ioseph Memphitis historiam hebraei Iosephi enarrat — veraque de religione disserit.

Fors aliquando Ioseph miscet dum verba coaevis,
Edoctis gravibusque viris, grandaevior unus
Intulit annales, similis tibi nominis hospes.
Hic referunt unum priscis habitasse diebus,
Cuius provida mens magnam est operata salutem
Ægypto toti, natus de genfe tuorum.
Alter ut instructus erat astris forte Mariam
Dum gremio puerum gestare, Iesumque vocare
Viderat, et quod erat prolixi virgo capilli
Munda, decens, meminit aliquid de Virgine signo,
Quale ferunt alta coeli regione videri.
Quid super his dicet Ioseph expectant. Remoratus,
Ille parum, tandem sapienti protulit ore:
Clari Memphitae, mihi semper iure colendi,
Hospes enim tractor tanquam sim civis apud vos,
Gesta Ioseph, cuius meministis scripta tenemus;
Legifer edocuit Moyses scripsitque quod istum
Progenuit Patriarcha senex Iacob, amplaque fratrum
Turba sibi fuerit, sed amabilis ille parenti
Plus aliis, livor fratres convertit in hostes,
Somnia quae retulit odii fomenta dedere.
Nam praetendebant dominum Ioseph esse futurum,
Sicut erat, fraterna cohors molitur amaram
Mortem, sed voluit aliter mens provida summi
In cuius sunt corda manu quae singula vertit,
Finis ad obsequium primo quem vidit ab aevo.
Venditur ergo Ioseph dominus ne fiat, et ecce
Fit dominus varia per tentamenta probatus,
Tetragono fultus virtutum. iustus in omnes
Res domini, castus, domina suadente, nefandum
Concubitum; fortis, quia contempsisse furentem
Sustinuit prudens, quia somnia clausa revelat,
Septemnique fami condit frumenta futurae.
Iudicat Ægyptus quod sit salvatio mundi.
Mutato sed rege capit respublica motum;
Nam Ioseph hic tantus, tantum veneratus, et omnes
Promeritus laudes, oblitus posteritatis
Excidit a corde. Pertranseo plurima: tandem
Nos de gente sua Dominus sic iusserat, oras
Iudaeae petimus, deserto lege recepta
Per prius in Sina Deus unicus esse colendus
Traditur, et nobis fieri simulacra vetantur,
Astra nec ulla coli solum veneramur amantes.
Plures esse Deos hospes nolito negare,
Mox dixere senes, memorant Apis, Isidis aras,
Idola mltiplici confirmant numine plena
Mira quidem facere, praedicere saepe futura,
Sontes punire, cultoribus auxiliari.
Vana superstitio quod Apis veneratur et Isis,
Ille refert; statutis daemon se miscet in istis
Ultro, nec, ut fingit, est ullo carmine tractus,
Est equidem liber, vult divinos sed honores
Inde sibi tridui, vult vestrae illudere genti,
Dum miranda facit signis fallacibus utens.

Digitized by Google

Porro quod coelis vos dicitis esse figuram
Signantem partum cuiusdam virginis olim,
Nil coeli libris conscriptum tale putetur.
Ordo namque duplex rebus fuit inditus, unus
Naturae servit, de quo fateamur oportet,
Quod scriptus coelo est, voluit mens provida summi
Temporibus sibi complacitis servare patranda.
Supra naturae solitas miracula vires,
Quae coelum nescit, nec coelis inditus ordo,
Credite, tempus erit, nec tardum e Virgine natus
Quando patebit homo, cuius se subdere legi
Ægyptus tota volet, expulsis simulacris.
Iam nec Apis, bos, nec mulier venerabitur Isis.
His super atque aliis docto sermone putandum est
Disseruisse Ioseph de vera religione
Cum senibus Thanaos; sed nec te, Virgo beata,
Septenni toto cum vicinis siluisse
Crediderim, sed eas de lege sacra docuisse,
Quae ventura forent et quae credenda tenerent.
Unde probabile fit multos ad suscipiendam
Dispositos tunc esse fidem, dum fertur ad ipsos
Post mortem Domini, post te Iudaeo relictam.

Distinctio Tertia.

81. Deus Puerum ex Ægypto revocat — Ioseph terram repetit hebraeam.

Dum voluit puerum Deus Ægypto revocare
Iuxta vatidicas voces, prius ipse revelat
Mysterium tibi, iuste Ioseph, iam tertio somnis
Angelus apparens denunciat, accipe matrem
Cum puero, terra rursus repetatur Hebraea.
Mors etenim rapuit puerum qui morte parabant
Perdere. Consurgit laetus mox visa revelat;
Laeta fuit coniux, laetus puer, haud sine quadam
Tristitia, notos etenim iam linquere moestum:
Sanguinis ac patriae, tum est vis suavior intus.
Tum discessuros tristis vicinia visit,
Hortantur maneant secum, nil defore spondent.
Dum nequeunt retinere, diu comitantur euntes,
Intervalla viae dum cogunt longa reverti.
Tunc mixti gemitus, plangor lachrymaeque vicissim
Plurima suscipiunt, redduntque vale, sociantur
Dextrae cum dextris, amplexus oscula gratis
Qualia dant animis nemo proferre valebit.
Quis tibi septenni puero modus in gradiendo
Tunc fuerit, dubium est, baiulandus utrique parenti
Tu non appares sat idoneus, aspera ferret
Quomodo longa viae dispendia pes tener, atqui
Non asino tua membra satis suffulta locares,
Curriculus ne vehit forsan te, Virgo, Iesumque,
Conscius in quales modo vir fabrefecerat usus?
An super aetatem diffundit gratia vires
In corpus, vel iter peragrat breviore diaeta?
Virtus Angelica, nec deesse ministra putanda est.
Quis dederit peregre tales vidisse viantes,
Alloquioque frui? facundia quam satiasset
Grata Iesu? puerilis nam solet aetas
Promptula velle loqui quidquid non antea novit.
Si videt aut audit, sylvis vel in aere pictas
Dulcisono volucres modulantes gutture voces,
Si grandes aquilas, aut si quae saltibus amplis
Bestia conspicitur vel reptile, sique decoris
Floribus ornatos vidit splendescere campos,
Tempore vel pluvio formosum foederis arcum,
Cuncta velut mirans sciscitatur utrumque parentem.
Multa sibi ratio quaerendi vult puerilem,
Et veram carnem se suscepisse videri,
Vult ex sensatis ita commonuisse parentes,
Ad insensata sublimi corde petenda.
Exterius quaerit, sed solus perdocet intus.

82. Ioseph Archelaum timens Galilaeam petit, sed Angelo admonitus Nazareth accedit. — Ioseph et Mariae genealogia.

Tandem post casus multos variosque viarum
Incolumes, ductore Deo, terram Israel intrant.
Audito vir quod illic Archelaus hostis
Regnaret, timuit illo ire, petit Galilaeam
Secedens ita commonitus per somnia rursum
Angelico alloquio. Iam tandem proximus fit
Nazareth oppidulum, veluti in caligine quadam
Cernitur, en nostram, fili dulcissime, villam,
Protendens illac dexteram faciemque retorquens
Ad puerum mater gaudens ait: haec tibi laetum
Florentemque dedit ortum, florentis obinde
Hoc est Nazaraei praesaga vocabula sumes,
Applaudit manibus hilaris, gestuque revidet,
Gaudet et ipse Ioseph, salve dulcissima tellus
Protulit illachrymans grandi pietatis amore,
Salve nostrorum cognatio sancta parentum.
Qualis vero fuit generatio talis, habemus:
Anna sacerdotum sacra de stirpe refulgens
Bethleemita fuit, ipsi Ioachim sociatur,
Regia cui series dedit, et cui Nazareth ortum,
Anna licet primo sterilis, tamen ipsa Mariam
Postea, sic voluit virtus divina, beato
Germine progenuit, ablactatamque reliquit
In templo Sion, sacra de lege docendam;
Annaque post mortem Ioachim, nupsit Cleophae, qui
Frater erat tibi, iuste Ioseph, sponsare Mariam
Isque tibi voluit Anna de coniuge natam.
Ex Anna Cleophae fuit orta secunda Maria,
Virque Thadaeus ei fertur genuisse quaternos.
Hi Iacobus minor atque Ioseph cum Simone Iudas
Qui fratres Domini, quia cognati, vocitantur.
Ex Anna Salome rursus vir tertius unam,
Tertia quae subiit, fertur genuisse Mariam.
Ex qua tu, Iacobe maior, tuque virgo Ioannes,
Fratres exorti Zebedaeo patre fuistis,
Frugalem quibus ars dat piscatoria victum,
Tale fuit tibi Christe genus Ioseph atque Mariae,
Non dubium plures alii, pars mortua, parsque
Tunc nondum exorta, nec villula protulit una.

83. A Nazarenis plaudenter excipiuntur — Plura quae non sunt scripta Iesus fecit.

Laetior occursu primo plebecula clamat
Cum puero venisse Ioseph, venisse Mariam,
O qui complexus, quae gaudia, quot lachrymas hic
Extorsit pietas, sternunt convivia, plaudunt,
Totus et ipse dies vario sermone repletur.
Quale peregrinis iter obtigit, hospita tellus
Septenni toto, quali sub sorte peracta est,
Conquirunt, pariter miscent responsa vicissim.
Sero domos repetunt, laus et benedictio postquam
Reddita grata Deo, devoto corde, pioque.
Digna peregrinis datur hic speculatio nobis
Qui patriam petimus coelestem, quantus adepta
Cordis dulcor erit, qualis iubilatio mentis,
Quantus et applausus cunctorum illic habitantum?
Plurima credo, Iesus fecit, fecere deinceps
Convictu casto iuncti Ioseph atque Maria
Quae non sunt scripta, non totus (credo Ioanni)
Scribendos caperet mundus per singula libros.
Nil super ignotis igitur meditatio nostra

Digitized by Google

Affirmet temere sola, suffecerit uti
Conjecturarum topica ratione modeste;
Ex scriptis inferre potest, non scripta, pio mens
Cum studio, sic certa fides incerta revelat
Qualia sunt acta, vel quae fieri potuere.
Credis quod puer iste Iesus, Deus est benedictus?
Femina materno regit ipsum iure, Iosephque
Vir suus est, credis quod vir caput est mulieris?
Quanta putas ex his, et quam miranda valebit
Contemplativus animus deducere solers?
Ut suus affectus sancto rapiatur amore,
Mens quoque suspensa in spectacula tanta stupescat.

84. Iesus a templo doctor rediens servili operi incumbit.

Urbe Hierosolyma festivum pascha quotannis
Venerat, ascendunt illic utrique parentes
Cum puero, certum hoc legitur, lustrisque duobus
Binos addiderat Iesus annos, quando remansit
In templo, medius doctos interrogat omnes
De sacra lege, sua sunt responsa stupori.
Inventus rediit, subiectus utrique parenti.
Ex his fas fuerit paucis deducere multa
Qualia non credi, sed nec reprobare necesse,
Si subiectus erat ut erat tibi, Virgo Iosephque,
Christus; quid sibi vult oro subiectio talis?
Obsequium nonne vobis praestabat? eratque
In medio vestrum sicut qui rite ministrat?
Saepe focum, crebroque cibum parat officiosus,
Vasa lavat, baiulat undam de fonte propinquo,
Nuncque domum scopit, paleas, vel aquam dat asello,
Vicinis fert matris opus quod texuit ipsa:
Exercenda datur ars crebro paterna fabrilis
In ligno vario, fuit hinc faber ipse vocatus,
Fissile per lignum trahitur dentata vicissim
Serra, forant scamnum terebro, planantque fenestras,
Linea castigat vel regula, quaeque videntur
Aspera nec directa satis, fiunt tripodesque
Cum mensis, arcae, currus vel aratra quadrigae;
Naviculas forte, quae sint piscantibus aptae
In stagno Genezar, mare cui nomen Galilaeae
Compingunt, pix linit eas, liquidumve bitumen,
Cum musco et clavis partes iunguntur hiantes,
Cum puppi clavum, cum malo vela coaptant.
Talia qui recolis, quo plus servilia, plus sunt
Mysterio plena, Christi dignatio quantum
Pro nobis fuerit, humana benigna patenter
Insinuant; pudeat igitur, pigeatque superbos
Horrori quibus est hominum labor, otia summum
Qui decus esse putant, qui libertatis honorem
Si sine sudore vultus iam pane fruuntur
Emendicato praesertim fraude dolisque.

85. Ioseph Puero suam progeniem et cum Virgine desponsationem enarrat.

Invenit quandoque Iesus solum feriantem
Sabbata dum servat patriae, dum clausa seorsum
Virgo manens orat, blando puer intulit ore.
Mi pater, oro, tuum neu me celaveris ortum,
Et genus et vitam: gaudet grandaevus, et ipsum
Mox puerum rapit in ulnas, gremioque reponit.
Fili, patre Iacob, Cleophas et ego generati
Carne sumus: legalis Heli dictus pater, ob quod
Ex uxore sua frater dederat sibi semen.
Lex etenim fieri sic promulgata iubebat.
Porro Iacob rex Illustris David ordine longo
Progenuit, David ex Abraham natus patriarcha est,
Longa licet series interfuerit mediorum
Istis a Domino dudum promissio facta est,
Ad benedicendas in eorum semine gentes,
Israel et totus erit hoc in semine salvus;
Instruor a puero sacrae dignoscere legis
Iustitias, praecepta simul, Dominum revereri,
Hunc unum colere, fugere idola, cuique benignum
Qui mihi proximus est, atque aequum reddere fratri
Inculcant mihi crebro pater, mihi talia mater,
Cum Deus est solus, solus timeatur, ametur.
Cum verax, eius in vanum sumere nomen
Noli, cum bonus est, facito sibi sabbata soli,
Tu venerare patres, non occisor, nec adulter,
Nec fur, nec fueris mendax, ambire caveto
Uxorem, res, ancillam, quae sunt aliorum,
Esto sorte tua contentus, disce labore
Vivere de proprio, totum committe te Deo,
Advena sic poteris vitam sperare beatam,
Promissam patribus Abrahamque, Isaacque, Iacobque,
Atque David, clara de quorum stirpe refulges.
Cereus atque recens animus dum pectore puro
Verba sigillatur ad talia, mox sibi totus
Vilescit praesens mundus, coelestia captat,
Sperno iocos fili, lusus et ludicra, blandas
Illecebras, et ut ipse vides, insisto labori,
Oro frequens, dum grandis in his adoleverat aetas,
Hanc vitam nostram mirans cognatio dicit.
Est ducenda Ioseph (ita lex te petit) uxor
Sic petimus, tua gens patrio de more Davidque,
Regia nobilitas vult hoc, parere necesse est.
Adversor, refugit animus mollescere tactu
Femineo, cupit amplexus caro, nec mea tales
Fingere me plebs ista putat, nescit quod amoenus
Spiritus ut gustatur, ei caro desipit omnis,
Caelebs ergo diu mea sat mihi vita placebat.
Invidiae nec erat fratris mei vita mariti,
Non homini semper licet ut vult esse, fatebor,
Care puer, sponsam Domino mandante Mariam
Iure mihi Dominam, tibi Matrem consociavi,
Nec doleo, reliqua per eam novisse licebit.
Ore puer blando petit, instat ut omnia narret.

86. Mater cur Iosepho desponsata fuerit filio refert.

Cernitur interea thalamum reserare Maria,
Tota sibi facies fulgore nitebat honoro,
Difficile est cor devotum non prodere vultu,
Lumine cor divo plenum, foris emicat, instar
Lampadis accensae, Moysi testis facies sit;
Illi assurgit vir reverenter, eamque locavit
A dextris, capit ipsa Iesum, medioque reponit.
Sermones vestri qui sunt, interrogat, audit,
Sicque refert: Nunquam, fili divine, cupivi
Virgo virum, sed cur fuerim sponsata petenti
Vera tibi referam, quorum iam conscius est vir.
Urbe Hierosolymis in Sion vertice templum
Ponitur, est illic tam sedes regia, quam lex,
Sancta parens istic me tradidit erudiendam,
Virginibus socians aliis de semine regum
Deque sacerdotum; sic mos inoleverat, ipsas
Sanctius in templum nutritum iri dare: quare?
Messias quod erat tali de stirpe creandus.
Tempora partimur, cedit pars una labori,
Nere labor noster, varias et texere vestes,
Sacra sacerdotum gestamina, cuique dabatur
Bissus, bis tinctum coccum, linum sericumque:
Pars cognoscendae studio datur altera legis,
Obscuras vatum et sacras reserare figuras:
Orando pars una venit psalmisque canendis
Indulget tempus reliquum somnoque ciboque.
Templo sancta frequens, affinis Elisabeth, almus

Digitized by Google

Virque suus, steriles ambo, me visere crebro,
Me multo doctoque solent sermone monere:
Filia, tu nostrae stirpis clarissima proles,
Fac ut eam pulchra virtutum nobilitate
Exornes, sis noster honor lumenque decorum.
Nos steriles (ita iuste Deus vis) cernere fructum
Da nos ex ista benedictum posse puella,
Cuius sis rector, custos, instructor, amator.
Verba sacerdotes, alii scribae, seniores,
Ut Simeon iustus, octogenaria sanctis
In viduis Anna, nobis inferre solebant
Talia non nuptis in laudem virginitatis.
Credite: vos vates Isaias praecinit, *ecce*
Virgo concipiet, pariet puerum, sibi *nomen*
Emanuel, quod nobiscum Deus insonat, hoc est:
O si talis erit inter vos virgo reperta!
Ut facit aurora consurgens humida rore,
Garritu vario coeli resonare volucres,
Nam vitae fontem praesaga voce salutant
Vicinum solem qui dat cantus numerosos;
Coelestes homines ita complet mox oriturus
Justitiae sol, a quo vita novabitur omnis,
Inde tot audire est divorum carmina vatum.
Talibus accensa monitis propono manere
Virgo, Deus si non aliud decreverit; hinc iam
Horreo misceri ludentibus, horreo quidquid
Turpe loqui, quod vel gestu vel dedecet actu.
Nubilis at postquam nobis advenerat aetas,
Virginibus de stirpe sacra, nos nubere cogit
Cura sacerdotum, maledictam lege loquuntur
Israel in populo, nisi semen liquerit ullum.
Quid facerem? quae verba darem? committo superno
Me totam arbitrio, spes haec mihi sola relicta est,
Cumque timore Dei consentio sumere sponsum.
Traditur ipse Joseph coniux, qui moribus ultro
Consonat meis, sancto castoque pudore.
Antea notus erat propter genus et quia festis,
Ut mos, me templo veniens sermone fovebat.
Plurima restabant ut eas exponere causas
Coniugii talis cum virginitatis honore
Mysteriumque sacrum, Gabriel quod missus ab alto
Nunciat, et quod, iuste Joseph, somnis didicisti.
Forte supervenit extraneus, ac ita coeptum
Rumpitur alloquium, sed id infra littera supplet
Ancillans phronesi cui consonat allegoria,
Moralis se iungit eis, simul anagogia,
Nunc illa solers, nunc has secernito voces.

Distinctio Quarta.

87. Maria Ioseph desponsata Messianica prophetarum oracula mente revolvens, orat.

Mos apud antiquos pro religione verenda
Creverat iste patres, dum sponso sponsa daretur,
Antea quam celebri fierent solemnia ritu
Foedera coniugii, mora temporis una fluebat,
Qua sponsae mores sponsus dignoscere posset,
Hisque Dei possent interpellare diebus
Numen et auxilium, digna pro prole futura,
Proque diuturno convictu pacificoque.
Tobias hoc, Sara, simul fecere minores:
Hoc tu, clare Joseph, hoc docta Maria sciebas,
Hinc templo sponsata prius, post tecta subintras
Nazareth ad cari pia contubernia sponsi,
Discreti vobis thalami, tunc convenientes
Dum cibus accipitur, domus aut disponitur intra,
Dum simul alloquia cordis devotio miscet.
Saepius inclusa tamen oras Virgo Maria,
Tecum habitans, tua sit ut conversatio coelis.
Vernum tempus erat, quidam bis quarto Calendas
Signant Aprilis, quo vespere Pascha colebat
Israel, ut dicunt, Virgo divinius intrat
Mentis in arcanum, sustollit seque super se,
Alta superrapitur, coelos superevolat omnes.
Cuncta creata silent, fruitur caligine diva,
Nullum interturbat tantam phantasma quietem,
Excedit mens acta Deo, loquiturque silenter,
Intus et introrsus valde, ut non audiat intra,
Iuncta sibi ratio, sensum haec omnem superat pax,
Sibilus hic tenuis, Deus in quo cernitur, aurae est,
Felix hic somnus, qui somnia mira revelat,
Ebria sobrietas, mors vivens, lux et obumbrans.
Tunc aliqui Pascha bis sex unoque Calendis
Aprilis numerant, ita dicere computus urget,
Si natale Dei, si mors numeretur et aetas.
Ast credenda manent, sit calculus iste vel alter.
Exurgens tandem a somno hoc lucemque revisens
Corpoream, virgo sibi sobria, dum redit ad se
Ingemit, hinc curat humanam orare salutem.
Alme Pater, totiens hominum miserate labores,
Nunc miserere, precor, etenim *tempus miserendi*
Venit, quo dirae frangatur ianua mortis,
Quo coelos reseres; utinam diruperis illos,
O *coeli rorate, pluant* o *nubila iustum*,
Germinet et *terra Salvatorem* benedictum.
Concurrunt pariter sacrorum carmina vatum,
Quod Dominus prope, quod gens quem desiderat omnis
Adveniet: propera, iam non tardaveris oro,
Iam sceptrum a Iuda sublatum, iam Danielis
Visio complenda, iam Virgo puerpera fiet,
Iamque *virum mulier circumdabit* Emanuelem.
Sic Simeon sic Anna senes dixere recenter,
Et Zacharias vir, et Elisabeth uxor anilis,
Dum me deifici templi secreta tenerent,
Mysterium praegrande nimis, quis noverit illud?
Quis capiet? sed certa fides praestanda prophetis.

88. Gabriel nuncius ad Virginem e coelo mittitur. — Verbum caro factum est.

Temporis articulo tali delapsus ab alto
Praeradians Gabriel totus festivus, eo quod
Mittitur ad talem deferre salutem,
Gratia qua coelis, qua pax sit reddita terris,
Infima quae iungat summis, Deus ac homo fiat,
Virginis ingreditur thalamum cum luce corusca,
Cum pulchro nimirum vultu, cultuque decoro.
Qualiter ex facili corpus sibi spiritus aptat,
Aereum, declarandam conformiter ad rem,
Sic Moysi, sic et Abrahae, sic pluribus olim
Angelus innotuit, naturam cerne, figuras
Suscipit ut varias aër densatus, ut iris
Mille trahit pulchros adverso sole colores.
Virgo tremit, nunc plus solito splendescere lumen
Angelicum tremit, et speciem, quoniam speciosi
Prae natis hominum, quia dicere venerat ortum,
Formoso nimis ornatu vultuque nitescit;
Adde quod instantis suspecta crepuscula noctis
Esse sibi poterant, licet hora novissima mundi
Qua Jesus advenit, sub vespere rite notetur.
Quid? quod et ipse Sathan credi vult angelus esse
Lucis, et hoc scit Virgo, tamen super omnia terret
Mentem humilem, dum dicit: *Ave*, dum *gratia plena*,
Dum *Dominus tecum*, *benedictaque tu* mulierum.
Cogitat hanc quae sit secum turbata salutem.
Pauper ut ancilla si forte videre supremi
Regis coniugium, fama referente veniret,
Nescia quae fieret uxor, si missus ad illam

Digitized by Google

Nuncius a rege, praeter spem quaereret eius
Consensum, turbaret eam dignatio tanta.
Ast Gabriel trepidam solatur et instruit ipsam,
Qualiter absque viro complebit sanctus obumbrans,
Spiritus arcanum hoc, naturam gratia vincet.
Assensum da, Virgo, tuum, noli esse recusans,
Non ingrata Deo dicit, tu crede, volenti
Velle tuum tribue, Gabriel te respicit, omnis
Expectat mundus, coelum, tellus et abyssi.
Aude magnanimis, quia magna fides operatur.
Audet, iamque fides qualem dilectio format
Verbigenam reddit animam, dum protulit ore:
Ecce Ancilla Dei, fiat missum *mihi verbum.*
Verborum instanti primo non esse Maria
Excessum quendam patitur, quasi sit sopor, ex qua
Formatur subito novus atque novissimus Adam
Immensusque Deus minimos sinuatur in artus.
Hanc veram mirare vicem sub origine prima,
Coniugium mirare novum, deitas ubi nubit
Humani generis limo, fit Virgo deinceps
Nullius apta viri complexibus, hoc quia corpus
Sacramentum Domino solos sibi servit in usus.
Audiit ut Gabriel responsa fidelia, novit
Virginei ventris thalamo virtute repente
Quod *verbum caro factum est*, illud pronus adorat
Atque peracta videns mandata, recessit ab illa
Glorificans Dominum; coelestis eum comitatur
Multa cohors iubilans, hymnisque corona melodis
Gloria sit coelis Domino, sit pax bona terris.
Mater et ipsa nova grato nova gaudia corde
Laeta canit, iam magnificat secum orsa retractat.
Hac hora se pascha puer Iesus obtulit ultro
Humani generis pretium factusque sacerdos
Et caput Ecclesiae, pastor seu Papa supremus,
Unctus et in regem summum, cognosce Mariam,
Invenit ut sua mens cum laetis iungere moesta
De puero assidue, venturae conscia mortis
Moeret, laetificat virtus praescitaque nati
Gloria, dum premit exilium. Nos hanc imitemur,
Tristia ne frangant animos, neu laeta resolvant.

89. Virgo Ioseph parituram se fore Messiam aperit.

Porro quid faciat Virgo tantum nc revelet
Sponso mysterium? fac dicere, quomodo credet,
Da, celet, quo pacto Deo, tibi grata videtur,
Et sponso, cui res tandem manifesta patebit.
Saltem coniugii sacrum, dum foedus inibunt
Solemni ritu, nec enim clam foedera iungent,
Affines venient, vicinia tota videbit,
Tempore quo si forte tumens uterus videretur,
Ambo probrosa fierent in cantica vulgi.
Quid? quod cognatam praegnantem ad Elisabeth ire
Nec decet aut licet hanc, nisi vir consenserit ante.
Sed neque consensum nisi causae conscius addet,
Dicendum est igitur conceptum quid dedit, addet
Ipse fidem sponso, dubitataque scandala tollet.
Caeciliam dum prima thori secreta tenerent
Cum sponso, legimus forti divinitus ausu
Integra virgineum dum vult servare pudorem
Sponso dixisse: iuvenis gratissime, pando,
Sanctus, crede, Dei mihi custos angelus adstat,
Tangere polluto (me zelat) amore, caveto
Permaneas et tu castus, te diliget ut me.
Credidit, et castum post firmat sanguine votum.
Maior nonne fuit ausus tibi spesque, Maria?
Credulus ipse tibi quod vir sanctissimus esset,
Quodque Dei tali casu tibi numen adesset.
Festa dies aderat qua plebs sua sabbata servat,
Ergo more suo cum sponso sponsa quieto
Secretoque loco consedit, ubi sacra legis
Dogmata colloquio secum pariter referebant.
Tum virgo intuitu solito plus supplice vultum
Librans ad sponsum, simplex convertit, aitque:
Clare Ioseph, cui sum Domino sponsata volente,
Est mihi secretum, quod pandere convenit et te
Participem fieri, nos uno magnificemus
Ore Deum, voto simili, ratione parique,
Sponsa potest dilecta loqui quodcumque placebit.
Audisti iam crebro loseph, sermoque frequenter
Inter nos talis habitus, cito quod veniet rex,
Ortus stirpe David, populum salvare potenter,
Et quod concipiet puerum Virgo. parietque,
Israel hoc omnis desiderat, optat et orat.
Orabam nuper et ego paupercula, quae sum
Et cinis et pulvis, dum me diiudico sollers;
Ille tamen cuius oculis humiles placuerunt,
Qui tollit pro velle suo de pulvere tales,
Qui lasso requiem, panem, vestem dat egeno,
Qui facit ut sterilis gaudens foecunda domi sit
Grata, fatebor enim, sic me respexit, et ipse
Fecit magna mihi cuius nomen benedictum;
Elegit gratis, ita crede loseph, parituram
Me fore Messiam cum virginitatis honore,
Angelus haec mandata Dei iam pertulit ad me,
Spiritus et iam me gravidavit germine sacro.

90. Trepidanti Ioseph incarnationis mysterium Angelus revelat.

Obstupet ad verba haec subito grandaevior heros
Et refugit: quid ais? quis erit tecum, oro, deinceps?
Exi a me, Domina, non hoc sum dignus honore.
Petrus uti vidit multi miracula piscis
Retibus inclusi, stupor exclamare coegit:
Exi a me, Domine, peccator enim nimius *sum.*
Sic viduam legimus orbam quod dixit Heliae:
Quid mihi, quidve tibi venisti? commemorentur
Ut peccata mea, puer inde meus, moreretur.
Corripit hinc se vir thalamo solumque reclusit,
Cor trepidum vario curarum fluctuat aestu,
Esset cum iustus sponsam traducere nolens.
Iniustum reputabat enim se ducere talem,
Scandala sed metuens voluit clam linquere, facto
Iustus utrinque suo. Secum dum tale volutat
Mentis litigium, sopor irruit, Angelus adstat,
Confortans loquitur, sacramentumque revelat:
Clare Ioseph, filique David, nolito timere,
Coniugii sed iure sacri, tibi iunge Mariam,
Natum quidquid id est in ea, de Pneumate sancto est,
Concipiet puerum, quem rite Iesum vocitabis,
Ipse suum salvans populum peccata remittet.
Virgo puto vigil orabat precibusque suisque
Pro meritis sponso data visio coelitus ista,
Suspicione carens quod homo formaverit illas
Voces, somnus enim sensus ligat exteriores.
Tunc *ubi vult spirat* ex alto *spiritus*, aures
Intellectivas reserans pulsis simulachris,
Lumine divino radians secreta revelat,
Vel de praeterito, praesenti, sive futuro,
Ecce Ioseph divinum aliquid de Virgine natum
Intra cognoscit, quodque est paritura salutem
Humani generis, deitas ubi panditur apte,
Namque Deus delere potest peccamina solus.

91. Ioseph inter et Mariam, virginitate manente, verum exstat matrimonium.

Splendida virginitas niveo splendore refulgens
Angelico compar, consors et amica decori,

Digitized by Google

Cuius propositum est nunquam sensisse, voluptas
Qualis sit carnis tactu, foedata pudendo,
Haesitat, Angelica postque mandata capessit,
Ipsi namque Ioseph aderat, cui talia fatur:
Quid mihi, quid vobis almi Ioseph atque Maria,
Quid cum coniugio quod prolis cedit in usum
Iurane sunt eius vestro contraria voto?
Mutua nam duplicis fit ibi translatio sexus.
Ergo coniugium vos vel derelinquere oportet,
Vel me, quo pacto fidei parebitis ambo,
Vana ne vel mendax fieret translatio talis.
Vana quidem minime fiet, purissima Virgo,
Docta refert phronesis supremi filia regis
Desuper elapsa, pectusque amplexa iacentis
Blanda viri, nec erit mendax, nec copula vana
Legitimas inter personas dispare sexu,
Mutua qua dabitur in corpus utrumque potestas,
Ac individuae morem vitae retinebit;
Non quod carnalem post haec procedat in actum;
Obstabit votum, prout esset cernere, si quae
Virgo virum postquam nupsit cum virgine verbo
Praesenti, constat poterunt emittere votum
Mutuo, quod carnale nihil post haec repetetur,
Immo conditio consensum si praeit ista.
An licet atque decet, si non praeiudicet usus,
Et lex Ecclesiae laqueos cavet atque pericla.
Iure licent aliqua, fieri non expedit illa,
Raro quidem fomes divino nec nisi dono
Extinctus reperitur, et hinc conventio talis,
Talis convictus quam magnum rete pararet
Illecebris, faceretque frequens effringere votum,
Sed neque coniugiis aliis spiramine solo,
Edere vult prolem Deus absque viro, velut istic
Edita iam crede, est dicetur et haec tua proles.
Cur? quia facta tuae de sponsae corpore, quale est
Iure tuum, semen sanctus tibi Spiritus almum
Suscitat in fratris vice, tu legalis haberis.
Hinc pater infantis nutritio sola patrem te
Non faciet, sed nec propriae commixtio carnis.
Plaude Ioseph, quia de Domino tibi fas erit olim
Dicere, filius ecce meus; divinius, oro,
Quid sublimius et praeclarius attulit aetas?
Filius atque pater nunquid non grandis amoris
Nomina sunt, et praecipuae pietatis imago?
Obligat haec te laus titulo fundata paterno
Infantem cum matre sua servare deinceps;
Causa ne coniugii talis tibi parva videtur,
Ut sudore tui vultus tua pane fruatur
Uxor, et illius sis custos fidus in omni
Temporis articulo, sis testis virginitatis.
Debeat et possit cui credulitas adhiberi,
Proderit atque tua trepidatio posteritati;
Concludent, quod tu iustus nunquam violatam
Duxisses sponsam, punisses vindice lege.
Adde quod in nobis Isaiae verba valebunt:
En *habitabit* (ait) *iuvenis cum Virgine, sponsus Sponsaque gaudebunt.* Vos hi Ioseph atque Maria
Quid? quod celandus erat infantis novus ortus
Coniugis ob famam, nam perfidia quando malorum
Plebs Iudaeorum puerum sine semine natum
Crederet, innuptae nec parceret impia matri.
Adde, Sathan fallendus erat: reliquas ego causas
Praetereo, cur coniugio iungenda Maria
Praecipue tibi, virgo Ioseph, vir iuste senilis
Ætas quem nondum frangit, vel reddit ineptum
Curandae soboli cum Matre, laboris et exors
Non es, non fidei, te nulla libido titillat,
Ante quidem, nec post partum cognosce cupisces
Uxorem, nec enim templum temerare sacratum
Effractis votis fas esset, et unica proles.
Haec sat erit nuptis cum virginitatis honore,
Candida virginitas: phronesis dum talia fatur
Assensit, somnusque viri mox deserit artus.

Distinctio Quinta.

92. **Ioseph Angeli iussa facessit uxoremque suam Mariam accipit — Perpetuae virginitatis eius custos.**

EXURGENS Ioseph a somno, sibi iussa peregit,
Uxoremque suam verbo praesente Mariam
Accepit, nec eam voluit cognoscere donec
Primo parit genitum, nomenque Iesus dedit illi
Non quod post partum (procul hoc) cognoverit ipsam,
Donec enim negat hic tempus quandoque futurum,
Scandala ne tibi dent Scripturae, reddere passum
Cum passu studeas doctorum more priorum.
Angelus ista ferens Gabriel si creditur esse,
Non horret ratio, cur non utrique minister
Assiduus fuerit, discretio spiritum dat,
Et sapor internus quod non sit visio vana.
Credo recensenda sunt verba priora Matthaei:
Esset cum sponsata Maria Ioseph pia Mater,
Antea quam convenissent, de flamine sacro
Praegnans inventa est, invenit vir suus ipsam
Ut prius est positum; quae sit conventio talis
Nescio, si non solemnis ritus celebrisque
More suae gentis, velut in Cana Galilaeae
Adfuit ipse Iesus, et cum multis sua Mater.
Laetificans miro convivas germine vitis.
Quae gens, oro, probat clam matrimonia facta,
Illa palam iungit; igitur conventio talis
Dicitur hic acceptio. Non iucundius ullum
Coniugium rituve sacro plus concelebrandum
Regia nobilitas insignit nempe parentes,
Iunge sacerdotes, patriarchas, iunge prophetas
Progeniem veterem, vicinos adde decenti
Laetos pauperie, gazas exuperat omnes
Ipse Dei timor, his cultus et victus honesti,
Conveniunt alacres quos ipse citaverat heros.
Angelicis parens monitis cum Virgine votum
Virgineum prius emisit, reverenter adorans
Hac in Matre Deum, dominam reputat, neque post haec
Fomitis illectu scit fas, cognosce sacratam.
Se dat custodem, testem, comitemque fidelem.

93. **De Summo Pontifice Ecclesiae sponso et unitatis custode allegoria — (schisma occid., Conc. Constantiense) — Ad Virginem invocatio.**

Littera tale canit, cui concinit allegoria,
Non secus Ecclesiae, tu Papa daris vice Christi
Sponsus pro pastore pio violare pudicam,
Crede nefas; sed eam te custodire necesse est
Divina sub lege datam, vel cedere sedi,
Scandala subiectis vel schismata si status affert.
Sensimus hoc hodie, tempusque locumque notemus:
Mille semel, centumque quater, septemque decemque
Orbibus in propriis Phaebus confecerat annos
Bisque decem, bis terque dies peragrando leonis
Iulius in signo dederat, tunc schismatis altos
Pestiferi, Petrus de Luna cedere nolens,
Eiicitur sede papali voce sub una.
Urbs dum concilium retinet Constantia sanctum,
Balthasar eiectus fuerat, iam cesserat alter;
Triceps hoc monstrum fuit, ut sunt cerberus hidra,
Unum nullo modo contentio rumpit ovile.
Legimus superest sponsus, pastorque credetur
Unus in Ecclesia cui totus pareat orbis.
Virgo tuis fac hoc precibus meritoque potenti,

Digitized by Google

Ipsa tuo celebres gratissima, spero, quotannis,
Fecundo prolis cum virginitatis honore
Coniugio, sponsoque Ioseph sacrabit honores
Natali ne tuo sic olim octava dicata est?
Hoc prior inspira tali nos munere dotes.
Alma redemptoris mater, cui lege superna
Vir iustus, virgoque Ioseph cum Virgine nupsit,
Da celebrem dignumque tuo persolvere cultum
Coniugio, fac nos ablutis sordibus omnes
Posse Deo iungi, fidei qui foedere puras
Desponsas animas divino germine complet
Mentis castus amor; nomen non invenit ullum
Suave magis, penetrans liquefactis corda medullis,
Quam sponsi et sponsae, Salomonis cantica cantant.
Verum si foedis affectibus obsita mens est,
Discrimen timeas carmen tam molle retractans.
Plurimus ast animalis homo est, sed spiritualis
Rarior, haec patres potuit movisse priores.
Hoc ne coniugium ritus popularis haberet
Concelebrare sacrum? tractare pudica pudice
Vix valet impurum vulgus petulans et ineptum,
Insanit gaudens, furit iratum, medium nil
Sabbata neu cumules populo, male fungitur illis.
Sobrius Ecclesiae mos est, ideo vetus illud
Olim pro Druidum fano memorabile templum
Carnoti, titulus cui Virginis est pariturae
Hoc modo coniugium celebri de more colendum
Cepit, et exemplum devotio sancta sequatur,
Post Evangelium missus sunt ordine recto.
Exurgens autem Ioseph, exurgensque Maria
Missus Mercurii post de Lucia decoro,
Cultu perlegitur ternum Venerisque sequenti
Dat clerus, mediumque Iovis nonus obtinet usus.

94. De annuli templo Parisiis exstante. — Ioseph cum Maria connubium triplicis unionis adsignificatio mystica — variae triplicis coniugii figurae; contemplativae vitae considerationes quaedam.

Miro Parisiis templum molimine structum est,
Annulus est illic duplex, cui gemmula duplex
Auro conseritur tenui, quos, Virgo, ferunt te
Cum digitis aptasse tuis, est abdita zona
Incertum tibi vir si tradidit ista subarrans.
Felix coniugium quo proles estque fidesque,
Est tibi res sacra quae signat mystica trinas:
Coniugii species sibi nam connectere nostram
Naturam voluit aeterno de Patre natus,
Illam suppositans, idiomata miscet utrinque.
Nubit et Ecclesiae proprio cum Sanguine Christus.
Agnus in aspectu fidei sub origine prima
Peccantis mundi praevisus morte cruentus.
Nubit et ipse Deus animae quam gratia format,
Quae fit Verbigena fit Virgo, filia, mater,
Triplex coniugium, triplex patriarcha figurat:
Primus Abraham, post hunc Isaac, Iacob alter, et illi
Sponsas duxerunt vos Sara, Rebecca, Rachelque
Cum Lia: Carbo tu Sara, Rebeccaque multum
Diceris accipiens, vitam signatis utramque:
Contemplativam Rachel, activam tu Lia, signas.
Ignis cum carbone facit iunctus velut unum,
Sic deitas carnen succendit et unit, et inde
Exoritur risus Isaac, quae plura recepit
A sponso sponsa quam quae Iesus Ecclesiae dat
Tot sacramenta, virtutes, dona beata.
Hinc variae sortis fratres, Esauque Iacobque
Nascuntur, bonus hic simplex, sed eum foetus alter
Persequitur, semper bonitas odiosa malignis.
Huicque Iacob tot sunt virtutes, quot patriarchae.
Extremi tu, care Ioseph, tu Beniamin infans
In primo crescens discretio significatur,
Accusans alias virtutes ut moderentur.
Contemplativus est Beniamin, huius in ortu
Mater obit speciosa Rachel, quia deficit ipsa
Mens contemplantis, ratioque sagax alienum
Transit in affectum, levat et sese super, altos
Migrat in excessus; hoc scit soror anagogia,
Conspicitur clara caligo lucida nubes.
Spiritus effari secretum nec valet intro
Quod sentit, scit id et docet experientia sola.
Spiritus ac anima scinduntur; *Magnificat* vox
Est animae, sed spiritus exultare refertur,
Apte, Virgo, tuum carmen secrevit utrumque.
Ignis ad exemplum qui dividit heterogena,
Iuncta simul mixtis omogenea cogit in unum.
Namque vides, crudis vitrum focus elicit herbis,
Hoc in calce patet, hoc multa liquamina monstrant
Ignea, conscendit ita thuris virgula fumi;
Sic animam, quae pars hominis terrena notatur
Corporeis nexam membris, vis cogit amoris
Spiritui substare suo, volat ima relinquens;
Uniri totus Divino Spiritui vult,
Purus pura petens; cordis compunctio fontem
Lotio quo fiat emundans, crede ministrat,
Fervida cum luctu lachrymisque rigata profusis.
Hinc fit theoricus excessus et extasis alma,
Quam praxis sequitur zelans operosa salutem
Alterius, sese tum circa plurima versat.
Pax intus tranquilla manet, quia mens in idipsum
Saepe redit, semper oculis divina tuetur,
Coelitus aeternis a montibus irradiata,
Ac operando frequens primaevam consulit artem.
Rarum hominum genus in terris, o dixeris, hoc est;
Angelica haec vita est, sic est: sed prospice tecum
Ignibus in mediis quidnam Laurentius ustis
Carnibus eloquitur, quidnam Vincentius egit;
Quid sacer obsessus turbis Antonius urbis;
Alta quies erat illis in sublime levatis:
Gratia cor stabilit et miro robore firmat.
Talis crediderim fueris tu Virgo Maria,
Dum post conceptum Iudae montana petisti,
Obsequiosa seni cognatae mystica facta es
Martha, Maria simul una quoque Lia Rachelque.
Nonne Ioseph tractans operansque fabrilia crebro
Desuper aethereos hausisse putandus odores?
Dum sibi certa fides, Deus est absconditus, inquit,
Hoc in Virginei fructu ventris benedicto,
Qui fructus suus est uxoris carne creatus.
Inde Ioseph pater est quasi legis iure vocandus,
Et Iesus est haeres verus, nec adoptio sola
Dat titulum hunc: secus est ubi prodit adultera proles;
Absque viri iusto consensu dicere non est
Quod prolem vir alat, vel eam succedere ius sit.

95. Spirituale coniugium carnali perfectius atque purius.

Est aliud quod corde capi nequeat nisi puro,
Effarique petit verbis ac ore pudicis,
Quando coniugii fit consummatio, fiunt
Una carne duo, fit homo tamquam caro totus.
Ast in coniugio quod spirituale vocamus,
Desipit ipsa caro, Deus et mens spiritus unus
Fiunt, et maior ac purior inde voluptas
Sentitur, quanto coniuncta potentia digno
Dignior obiecto est, premat heu nisi sarcina carnis.
Zelotes Dominus et totus amabilis ultro,
Sponsum vult animae se tradere, verbigenamque
Reddit, deliciasque suas dignatur habere,
Sponsam cantavit qualem Salomonis ab ore.

Digitized by Google

Sed quaeres si coniugium Ioseph atque Mariae
Sit sacramentum magnum, te, Christe, figurans
Ecclesiae sponsum, quia copula non fuit ulla
Carnalis, sed carne Deus conformis habetur
Ecclesiae membris; an forsan carnea proles
Hoc in coniugio signum suffecerit esse?
Unde fuit nexus nisi morte solubilis unquam,
In quali nexu fit Virgo puerpera, natus
Sic parit Ecclesia nec Virgo desinit esse.
Porro velut Matrem Dominus custode carentem
Linquere non voluit, sic quam plus diligit unam
Ecclesiam remanere vetat custodis egentem,
Primus qui pater est sponsique vicarius almi.
Amplius ipse David rex uxori Sunamiti
Caste convivens, quam non cognovit amatam,
Coniugium signat recte Ioseph atque Mariae:
Non tamen ex aequo, nec enim volo crediderit quis
In sponsi gremio sic convixisse Mariam;
Dissuasit fieri reverentia debita Matri
Tale aliquid, plus quam formido libidinis ulla,
Vel quod adhuc iuvenis Ioseph esset, namque iuventus
Ad quinquaginta perhibent, producitur annos,
Infra quos poterat partus velamen habere
Virgineus, nec sic effectus si senio vir
Esset, et hinc Vates: *iuvenis cum Virgine* deget.
Corrupto numquid fuerat socianda puella?
Quae grandaeva fuit soli commissa Ioanni,
Quo magis Helvidi blasphemum os crede spuendum.
Ergo Ioseph reputasse senem fecere seniles
In se virtutes, vel neu carnalis haberet
Suspicio de te quidquam carnale, Maria,
Donec virginitas tua fixa fidelibus esset
Cordibus, inde minor est mentio de Ioseph acta
Non subito totam se monstrat gratia mundo.
Nunc secus esse decet dum toto creditur orbe.
Copula virginea vobis sine labe fuisse,
Munda, decens, cauta, coelesti par et honesta.
Heu quam dissimiles habet aetas perdida mores!
Moralis soror hinc conclamat, quaeso, cavete,
Femineos fugite convictus, nam latet ignis
Interius vivens, cur stuppa immittitur igni?
Credite quin etiam sub religionis amictu
Saevit amor caecus, plus fallens illiciensque
Quanto puto turpem citius celare pudorem
Credit se primo tutam devotio; sensum
Verba dat, et gestus, quibus est lascivia iuncta,
Ac ita paulatim foedo irretitur amore.
Tum se flagitiis tradunt, pulso rubore
Horrida committunt, meretrix quae non aget effrons
Naturae iura dicunt, nihil esse pudendum;
Et libertatem reputant si quod placet audent,
Ut peccata tamen celent foris aspera fingunt:
Secta Flagellantum docet hoc, docuere Begardi
Philosophi tales olim dixere caninos.
Sed neque coniugibus violare debet honestas,
Hactenus haec, Evangelium iam littera narret.

Distinctio Sexta.

96 Maria Elisabeth cognatam visitat, Deumque magnificat.

Exurgens autem ipsa Maria diebus in illis
In Montana abiit festina, domum Zachariae
Dum subiit, meruit ab ea cognata salutem.
Ut reputo prius accepit tc., Virgo, beata
Uxorem vir, quam cognatae tecta subires
Et quam ventre tuo notus fieret tumor ullus,
Hoc tua poscebat, hoc clari fama mariti,
Quod si praegnantem, si confestim parituram
Dum professurus, et dum numisma daturus,
Sollicitus voluit te vir transducere secum
Bethleem in villam turbis et frigore plenam,
Quid nova nupta tibi, quid delitiosa puella
Nunc facere iustus, dum longius instat eundum
Quomodo desereret te solam, nec comitatam?
Quid? quod Pascha sacrum vel erat vel adesse parabat
Quando Hierosolymis mas quilibet esse tenetur.
Ergo potest ex his concludi sufficienter,
Quod Dominae fidus custos tantique recenter
Conscius arcani, dederit pariter comitem se.
Primo petis templum, hinc affines visere curas,
Fecundos noviter qui his duo millia distant
Urbe Hierosolymis, ubi sors est Beniamin atque
Totius est regni Iudae metropolis alma.
Esto, forte Ioseph causa quacumque remansit
Nazareth, ipse tamen progressum Virginis ante
Novit, et adiunxit consortia fida parentum.
Non quod formidet crimen zelotypus ullum,
Sed dare solivagis non vult exempla puellis.
O quali cum laetitia, dulcedine quanta
Cordis devoti, circumspicit omnia templo
Ætatis totos ubi flores virgo peregit.
Crediderim socias videt hic, notosque ministros
Levitici generis, gersonitas, caathitas
Atque meraritas, et multos carne propinquos:
Omnia picta prius secum memorata retractat,
Surgit adorato Domino quem magnificat, cui
Pleno corde pias satagit persolvere grates.
Utque subit primum Zachariae limen, anilis
Occurrit cognata sibi quae manserat intro
Mensibus abdita sex, et ut exaudita salutis
Virgo tuae vox est, mox exultavit in eius
Infans visceribus, impletur Elisabeth almo
Flamine, proclamat magna cum voce puellae
Dicens: *Tu benedicta inter omnes mulieres*
Sis felix, *fructusque tui ventris benedictus*,
Atque hoc unde mihi, Domini quod venerit ad me
Mater celsa mei? tua protinus ecce salutis
Auribus ut vox facta meis, utero meus infans
Gestiit exultans et gaudens, plaude beata
Quae sic credideris, in te quia perficientur
A Domino tibi dicta. Maria refert igitur sic:
Magnificat anima Deum mea, spiritus almo
Iure salutari meus exultavit, et altus
Ancillam vidit humilem, ex hoc ecce beatam
Me dicent omnes, quia magna potens mihi fecit.
Est in progenies reverentes saepius omnes,
In virtute sua perfecit magna potenter,
Cordis et ipse sui dispersit mente superbos,
Exaltans humiles, deponit sede potentes,
Implet et hic inopes, dites dimisit inanes,
Suscepitque suum puerum Israel, ut memoratus
Est pietatis quam nostros praedixerat olim
Ad patres Abraham cum semine iugiter eius.

97. Elisabeth et Virginis colloquia sancta.

Scire velim totis quid Virgo mensibus egit,
Namque tribus mansit quibus et tu nutibus usus,
O Zacharia, sis cognata laetus adepta.
An scriptis aliquando notas quod corde repositum est?
O quotiens tibi Virgo senex cognata recenset
Lecto dum recubat, utero senioque gravata,
Gestorum seriem, gaudet sermone senectus,
Sede sedes humili suspensa loquentis ab ore:
Quam magnus Dominus et quam laudabilis oro est,
Talia qui fecit nobis miracula solus,
Iam iam namque senex sterilisque puerpera fio

Digitized by Google

De sene; tu gravida es de solo flamine, Virgo,
Hoc equidem novi, non te referente, tumentem
Non uterum video, Deus est secreta revelans,
Implet quae cecinit vatum praesaga priorum
Plurima vox, veniet promissa redemptio plebis:
Hoc Zacharias, hoc et ego deposcere crebro
Et tu nec dubium soliti; sit quanta videmus
Orandi virtus, bona quae plus publica curat,
Obsequiosa Deo, cuius mandata tremiscit,
Iustitiasque facit legis, vitatque querelas.
Orat dum Zacharias pro vicis ordine sanctum
Ponit et incensum templo, Gabrielis honorus
Inspicitur vultus et vox auditur, eundem
Exauditum esse, linguam dubitatio plectit.
Obmutescit enim, plebs extra tota stupescit,
Et mihi quis reputas timor affuit angor et horror?
Donec mysterium nutu talamoque repandit,
Pandit ut e nobis infans nascetur et omne
Vinum non bibet aut siceram, virtus sed Heliae
Splendescens in eo mirabilis usque patebit.
Qui quantum fuerit victu vel veste severus
Nosti, quam lucens ardensque lucerna potenter.
Concepi ut cernis (in peccato tamen) infans
Hic meus ex utero promissus sanctificari,
Sensit in occursu nostro quid protinus actum est,
Sensit et illustrata mei iubilatio cordis.
Multa mihi dicenda tibi cognata supersunt.
Qualia divinus doctor legisque sacerdos
Vir meus edocuit ritus cultusque sacratos,
Non decet in templo solis nos sensibus uti,
Mente opus est; o quanto sub velamine signant
Sacrifici ritus ea quae nondum patefiunt,
Informes formare volunt quam plurima mores.
Nonne notat sus luxuriam, carnisque lutosas
Illecebras, ideo nostrum non cedit in usum,
Sic lepus et vulpis vesci sic bubo vetatur,
Invenit in vetitis in concessis rationem
Ad mores aliquam, quisquis traduxerit apte.
Mystica sunt, vestes, ornatus, foederis arca,
Sic ars natura libros picturaque praebent
Multos, stolidus est qui non se dat vel in uno.
O si me priscos Dominus revocaret ad annos,
Qualis eram cum me templi secreta tenerent,
Quali me cura quantove ardore sciendi
Tradiderim studio, quaedam scio, plurima nossem,
Praesciat o iuvenis pretii sapientia quanti est,
Ne doleat senio, pigeat quoque temporis acti.
Ast superest magnum, carissima, magnificare,
Sed superat laudes, linguas super effugit omnes;
Quis dederit cognata mihi gratissima, natus
Filius ex te dum fuerit, complectar in ulnas,
Attollam manibus ac toto pectore stringam,
Officio fungar gerulae, figam oscula fronti,
Ludat et in gremio nostro, ludantque coaevi
Infantes tuus atque meus, sed fata senilem
Terrent, non ideo mihi praestolatio certa.
Vive, beata nimis, quae sis visura quod opto,
Pluraque dum fuerit aetas grandaevior illis.
Huic desiderio congaudet Virgo benigne,
Sit licet introrsus merens, quia conscia sortis
Venturae est, mavult secum secreta tenere
Talia, scit quoniam laetis refovenda senectus,
Est senium morbus, laesis non laesio danda,
Foemina nec praegnans verbis oneranda molestis.
Surgit ad obsequium cognatae Virgo ferendum,
Affert ipsa cibos, cunctantem hortatur ad esum,
Praegustans hilaris verbis vultuque sereno.

98. **Ioannes Baptista nascitur, Zacharias Israëlis Domino Deo benedicit.**

Iamque dies natus sterili veniebat ad octo,
Certatim accurrit omnis vicinia plaudens,
Ac de montanis, Iudaea, tuis simul adsunt,
Mirantur, gaudent, plaudent et utrique parenti.
Forte tuis puerum, Virgo, baiulaveris ulnis,
Ostentans alacri plausu, vos cernite quantus
Est decor infantis, quam grataque gloria vultus.
Credo etiam quod te gravidam coetus benedicit
Namque tuo iam ventre facit Iesus ipse tumorem.
Et tu, forte Ioseph, aderas reduci comitem te
Praebens uxori, postquam tu Sion in arce
Legis more sacram Pentecosten coluisti.
Felicem tali te coniuge proleque dicunt,
Simplicitas aliqui quod sit tibi, Virgo, columbae,
Quodque pudicitiam vultus gestusque loquuntur,
Collaudant, quia non urit decor iste videntum
Lubrica corda virùm, sed in ipsis temperat aestum
Frigidus e facie quasi ros spiraverit intro.
Gaudia multa nimis omni de parte patescunt,
Vox laudis, cordis iubilatio, carmen et hymnus.
O Gabriel, tua vera patet promissio, multi
Gaudebunt eius natali, gaudia vitae
Eius pro meritis nobis sint spiritualis.
Quis ne, putas, erit iste puer dicunt? manus ipsa
Nam Domini puero signis se monstrat apertis,
Cernitur en praeter naturam corpore robur;
Aut aliquis forsan usus rationis in illo est.
Unde pater sibi decantans, et tu, puer, inquit,
Perfectum perfecta decet formatio, mirus
Mira facit Dominus, naturam gratia vincit.
Vindicat hic coeli nil constellatio iuris,
Deserti puer hic hominem super incola mansit,
Illa luce puer fit circumcisus, et ipsi
Dant nomen Zachariae, mater sancta Ioannem
Vult appellari, scripto pater adstruit illud,
Spiritus implet eum sanctus, mox ore soluto:
Sit *benedictus*, ait, *Dominus Deus Israel*, hic nam
Visitat et redimit plebem, cornuque salutis
Erigit in nobis David ipse domo, prout olim
Ora prophetarum praedixerat ipse suorum,
Hostibus ex nostris qui nos odere salutem,
Cum patribus nostris eius pia gratia fiat,
Atque sui sancti testamenti memoretur,
Iusiurandum quod Abraham iurasse daturum,
Se legitur patrem ad nostrum, nos quatenus illi
Servi sancti, iusti libertate perenni,
Hostis ab incursu pulsa formidine simus.
Tu puer vates summi vocitaberis, ibis
Ante suam faciem, callesque parabis eidem.
Sicque salutifera dabitur sapientia plebi,
Et peccatorum completa remissio fiet
Viscera per divae pietatis, visitat alto
Nos quibus exoriens, venit illustrare sedentes
In tenebris, et in umbra mortis carcere caeco
Nostros dirigere gressus in limite pacis.
Virgo redit, residetque domi, secumque retractat.
Nunc Zacharias quae cecinit modo quae variorum
Vocibus audierat, apicem nec iota relinquens,
Confert corde suo, neque passim quaeque revelat;
Aut hic aut illic, satis est vir conscius unus.
Vive, beate Ioseph, cui mystica tanta patescunt
Praevenis obsequio Dominum, Deumque vocat te,
Alter in alterius pariter congaudet honore.

99. **Virginei conceptus prae Elisabeth partu anagogia.**

Quomodo verbigena mens fit, docet anagogia,
Nam sanctae menti Gabriel dum nunciat, hoc est

Digitized by Google

Intimus instinctus dum suggerit, ut paritura
Sit verbum Domini, quod virtus alta supremi
Impraegnabit eam fecundans germine sancto.
Synderesis consensit ei, virgo licet expers
Sanguinis et carnis, neque vir cognoverit illam,
Vir suus est intellectus, vis cuius in istum
Nunquam pertingit partum, sed sufficit ipsa
Gratia verbigenam supremam reddere mentis
Particulam, quae se dat ei passiva ministram.
Conceptus est iste tui typus alma Maria.
Ast pars inferior animae, quae non ita virgo,
Quae de se sterilis et quae corrupta frequenter
Esse potest, te signant Elisabeth apte.
Parturit haec fructum virtutis, rite Ioannem
Dixeris, est in eo quia gratia; prospice rursus,
Nunciat ut praegnans corruptae Virgo salutem
Gaudet, solatur ita mentis portio summa
Dum fit verbigena, partem descendit ad imam,
Laetificans ipsam, cum morum prole beata
Portio sic maior venit obsequiosa minori,
Sic fert activae contemplativa iuvamen.
Porro si tantas praesentia Virginis offert
Iucundas dotes in utroque parente Ioannis,
Quid de te, praeclare Ioseph, fas est meditari?
Virginis in reditu totis sex mensibus actum,
Quorum fine Iesus oritur, quod litera tradit,
Significatque locum, reserans quid gratia fatur.

Distinctio Septima.

100. **Augusto imperante orbis descriptio fit. — Ioseph cum Maria Bethleem venit — Virginis partus tempus adstat — Gratia naturam superat, Immaculatus Virginis recolitur conceptus.**

Pax erat, et Martis horrentia bella quierant,
Creverat Augusti iam quadraginta duobus
Annis imperium, totus describitur orbis
Ipsius edicto, pax talis tantaque divi
Muneris est pridem a sanctis promissa prophetis.
Quisque suam pergit ut profiteatur in urbem,
Inde Ioseph, cum sit iustus, parere iubenti
Vult regi, quamvis sit flagitiosus et exlex.
Hoc exemplari confunditur improba cervix
Quae subiici renuens erronea tradit in ipsis
Absque fide populis, quod nec possessio iusta est,
Nec regnum, quasi ius naturae gratia tollat.
Certe vult dominus, iniustis tradere iusta
Imperia et regna quae transfert, tollit et addit
Ut placet, haec sua pro titulo est, pro iure voluntas
Munera sed iusti soli maiora capessunt.
Coniux sit licet ad partum iam proxima, pergit,
Et gravidam suus omnino non praegravat infans,
Alleviat potius, gestat se namque gerentem.
Bethleem intrarunt, quae, voce interprete, panis
Dicitur esse domus, secumque considerat alma
Mox fore complendum, quod dixerat ante Michaeas,
Exiet ex te dux populum reget Israel, cius
Fiet et egressus aeterna a sorte dierum.
Sit natura licet expers propriae rationis,
Divina regitur quae nunquam fallitur arte.
Hinc nidos avis, inde favos apis efficit apte,
Gratia quanto magis ad fines omnia librat
Quae prosunt media. Venit Ioseph, et Dominus fit:
Cirus, et expositus perdendus dente ferarum,
Scandit ad imperium. Moysem submersio salvat;
Bethleem ecce Ioseph veniens, oracula complet.
Sic a fine regit usque ad finem sapienter
Gratia, fortiter atque suaviter ordine miro
Singula disponens, res omnes ad bona vertens.
Haec tua spes, hoc consilium, fiducia tota
Quidquid agas, aut proponas, te dirigat ora
Bethleem haud dubium est multi tibi, Virgo, propinqui
Materno ex genere, diverticulo tamen uti
Paupertatis amor facit atque locus nimis arctus,
Et datur exemplum quod nos mundus premit iste.
Vesper erat primam quod dat post sabbata lucem,
Dicere quam Domini solisve diem solet usus.
Mense Decembrili iam bis quartoque calendas
Se diverticulo retrahit solamque recludit
Virgo: Ioseph cedit, felicem poscit uterque
Partus eventum, Deus hoc vult, nec minus orant.
Ac prope te, Virgo, sunt ignis, balnea, panni.
Pro cunis praesepe, tibi soli Deus adstat.
Multa viri subiit, ut fit, meditatio mentem.
Miratur quod non sentit fastidia partus
Coniux, nec monstrat ullos plangere dolores,
Vividus in facie color est, nec lividus ore
Pallor, ut in gravidis; sibi gestus, gressus alacris.
Solvitur in levem somnum lapsuque silenti
Complexuque sacro demulcet pectus amicum
Gratia, quam divinus amor genuit peperitque.
Gratus amor vel amans, hinc gratia dicitur apte,
Cui facies formosa nimis gestusque benignus,
Vestis purpurea, coelestem os spirat amorem.
Haec sibi visa loqui non verba simillima somno:
Mirari nolito Ioseph, si magna potenter
Magnus et Omnipotens vult atque potest operari.
Gratia nam supero naturam, iudiciumque
Iustitiae superexalto, sum fortior eius
Communi lege, proprias mihi condere leges
Ius reputo; videas quot habet miracula mundus,
Qualia nemo satis miratur: sed solet usus
Solis in raris laudem praetiumve putare.
Si coelo, terris, ponto, cunctis et abyssis
Inferior me tot natura facit facietque,
Cur non virgineum mihi fas erit edere partum,
Quo dolor omnis abest, nec fractus sit pudor ullus?
Sol radium genuit, radius vitam penetravit,
Emicuit botrus, ruptum nil inde videbis,
Porro iustitiam, sine qua pax affore nollet
In terris, primum placandam noveris esse,
Ipsa tenax veri, sua stat sententia mortis
In genus humanum pro crimine iusta parentum.
Fiat parvulus hic qui mox nascetur oportet
Vobis iustitia, sapiens sanctusque Redemptor.
Curas depone, Dominum benedicito laetus,
Virginis instantem conceptum sanctificare
Et potui et volui redimens perfectius ipsam,
Praeveniens casum, quam sit relevasse iacentem.
Tota fuit pulchra, nulli unquam obnoxia culpae.
Absit ut attritus ab ea serpens caput eius
Antea contrivit peccati sub pede foedo.
Absit et hoc fuerit et membrum daemonis unquam,
Gratia suppleo iustitiam quam perdidit Adam.
Vix mihi maior inest, licet omnes tollere poenas
Non soleam, nulla premet hanc augustia partus,
Cur? quia nulla fuit in concipiendo libido.

101. **Medio noctis cursu Verbum caro factum ex Virgine nascitur, in praesepe reclinatur — Laetatur Ioseph, natum Puerum adorat.**

Interea peragrat medium nox algida cursum,
Virginis e clausa tunc porta prodiit infans,
Sermo Dei omnipotens regali a sede beatus;
Mox pannis involvit eum sola et pia mater,
Praesepeque locat, praebet latriam prior illi.
Vult infans primam nobis similem dare vocem

Digitized by Google

Lugubrem, vagit; vagitum cuius ut audit
Solvitur a placido vir somno, laetus et intrat
Ad te, sancta Parens, tibi collaetatus adorat
Poplite deflexo, natum puerum Dominumque
Stringit et ad pectus, te te tradente, fovendum;
Deficit hic sensus, ratio stupet, omneque mentis
Caligat lumen, dum te, vir, cernere tali
Conor in obsequio, quid dicam nescio, voces
Nullas invenio, tua quae praeconia dicant.
Nonne Dei verbum custodis, cernis et audis
Contrectans manibus, attollis laetus in ulnas?
Sentiat hic quod quisque volet, mihi suadeo nullos
Inter dilectos Domini vixisse priorem,
Qui teneros Christi totiens ita sensit amores.
Pectore tu Domini recipis secreta, Ioannes,
Sed semel hoc: fruitur quotiens hoc iustus honore.
O benedicta cohors, te Virgo, Iosephque Iesumque,
Consocians, o quis spectacula tanta videre
Et si non oculis, poterit vel mente fideli?

102. Lux clara micat, pastores laudant Dominum, munera offerunt; coelestis militiae vox; Ioseph omnia miratur et in pectore servat.

Dum vos laetificat ambos modo parvulus ortus,
Dum blanda flentem cura refovere studetis,
Pastores celeri concursu Bethleem intrant,
Conquirunt ubi sit novus infans ortus in illa.
Ad diverticulum veniunt, aut indice quoquam,
instinctu signove aliquo divinitus acto;
Hic non grande specus ubi bos asinusque ligati
Sunt ad praesepe, medio Iesus est resupinus,
Atque voluminibus ligat ipsum fascia strictis.
Heros miratur, fremitum primo strepitumque
Turbae adventantis, quae pulsans clamitat an ne
Femina paturiit intus, petimus, videamus.
Dic nobis, bone vir, si quid cognoveris ipse?
Nam Ioseph exierat ad eos: intrate, videte,
Respondet: veniunt, puerumque vident et adorant.
Unde sit hoc vir pastores interrogat; o vos
Felices, aiunt, o tali prole beatos!
Omnis plebs plaudat, populus congaudeat omnis.
Ecce quod angelica praedixit visio nobis,
Visio quae, qualisve, precor, dum vir petit, omnes
Enarrare volunt, tandem sermo datur uni:
Inchoat, ac puerum certatim est cura videndi.
Fertilis et laetus ad pascua campus abundans
Ad triplex miliare situs, grex multus in illo,
Quem vigiles dum custodimus nocte profunda,
Tempore solstitii quo sol meat in capricorno
Angelus adstitit, et lux circumfulsit in omnes
Clara micans, tremimus, magnoque pavore stupemus.
Angelus est nobis, nolite timere, locutus:
Ecce *evangelizo vobis gaudia magna*
Omni pro populo, quia vobis est modo natus
Salvator mundi Christus Dominus, David urbe.
Addidit et signum nos quale videmus aperte.
Et subito facta est coelestis multa cohortis
Militiae vox, quae Dominum laudat, resonatque:
Gloria sit coelis Domino, pax reddita terrae
Humano generi, quibus est non prava voluntas.
Talia mirantur hi, quorum venit ad aures
Sermo, suo cuncta conservat corde Maria,
Conservatque Ioseph, et secum audita recensent.
Pastores abeunt, collaudant, glorificantque
Omnibus his Dominum quae cernere contingit ipsos.
Credet forte aliquis, quod de grege munera coetus
Pastorum gratus transmiserit, aut ob honorem
Divinum, vel quod fuerit miseratus egentes.
Non aurum ut reges, sed mel, lac sive butyrum,
Vellera vel nenda, vel oves, agnosque tenellos.

103. Christianae pia meditatio mentis. Divinae gratiae vox.

Et quid nos agimus? numquid non glorificare
Ac laudare decet Dominum, cognitio maior
Est quibus indulta de Christi religione?
Nascatur nostro Puer hic in corde, fidesque
Sit semen, sit Pneuma Pater, sint gratia spesque
Obstetricantes; ast mentis portio summa
Inviolata manens, sit Mater, Filia, Virgo,
Dum mens verbigena meditando parturit ex se
Divinum noviter Verbum: suffecerit illud
Panniculis tegere, si defuit aurea vestis,
Pro se fulget enim, cultu non indiget ullo.
Non tamen ornatum reiicit, quando datur ultro.
Plus gaudet veste quae verbis texta sacris est,
A solis quam si fuerit depicta poëtis.
Gratia multimode partitur dona per omnes
Qualiter ingratos: tamen accipe, gratia culpat.
Evoco te, mortalis homo, responde vocanti
Gratia sum, tibi contulerim quam magna videto,
Tu redimendus eras, quia perditus exul, et arctæ
Mortis in imperio positus: sed solvere solus
Hoc poterat pretium Deus aeternalis et altus,
Quem frustra capere tentasses sive videre.
Feci quod similis fieret tibi, tempore factus.
Immensus mensus, et parvulus atque videndus
Obiicitur tibi sacco vestrae carnis opertus,
Palpandusque datur. Si formidabilis eius
Visa prius fuerat sapientia, flagitiosos
Accusans, si iustitiae damnatio terrens
Conturbabat te, si deinde potentia saevis
Horrida tormentis formidine concutiebat
Iuste damnatum, nunc respirare memento.
En sapientia fit infantia, fit quasi non fans.
Porro iustitia damnatur, iustitiatur,
Ut solvat poenas tamquam rea criminis omnis
Iudice me, per me prostratur summa potestas.
Do legem iusto, vinclis adstringo potentem;
Denique concludo verbum sapientis in ore.
Victrici datur ergo mihi de iure triumphus.
Omnis ingrate si non sit gratia talis
Grata tibi, quid si multa maiora rependi.
Pauper eras, pro te ditando dives egenus
Efficitur, mirum si non sunt sufficientes
Divitiae tales, infinitusque thesaurus.
Amplius efficio mens quod tua coelica verbi
Esse potest summi sancto spiramine mater.
Vae tibi, sed raro perpendo signa nitere
Infantis nati, virtutum te quia panni,
Fascia nec religant disciplinae, nec in imo
Vis inclinari, nec te puero similem das.
Vis altus, dives pomposus, grandis haberi.
O respice videns Infantem et utrumque Parentem,
Funde preces ad eos, pete natum qui tibi natus
Est hodie, nec enim pueri mos est reminisci
Irae, rancoris, odiive, nec impia fiet
Erga te Mater pietatis, Mater amoris.
Nec Ioseph invidus est, nullam patiere repulsam
Iustitiae, si iudicium formidine terrens
Praegravat, appella, pete me, mea suscipiet te
Curia, salvus eris, si te damnaveris ultro.
Parabuntque tuam causam Ioseph atque Maria;
Immo tuas Iesus accipiet pro iudice partes.
Dum sedeo propera, si cessero clamor inanis
Fiet, crede, meis etiam sub legibus esto.
Vis tibi dem veniam parcens, aliis veniam da;
Pastores imitato gregis, custos vigil ut sis
Grex tuus hic sensus et motus colligit omnes.
Auribus intende cordis, quid turba canoro

Digitized by Google

Coelestis resonet hymno, pariter cave, vita
Concordet voci, non sit simphonia discors.
Gratia plena satis hominem monuisse putetur
Addidit: infantis dum circumcisio fiet
Cum lachrymis et cum valido clamore salutis.
Nomen quod Iesus est capiet, sub luce propinqua,
Quo sine nulla patet homini salvatio terris.

Distinctio Octava.

104. Virgo Ioseph aperit Puerum circumcisionis legi voluntarium subditum fieri. — Iesus nomen datur ei — Iesus vera salus, suave nomen!

Post ortum pueri fulgere dies properabat
Octavus, iam bifrontis, primoque kalendas,
Adstanti tibi iuste Ioseph sic Virgo locuta:
Mi vir, mi Domine, sit circumcisus oportet
Infans iste, suis ut fratribus assimiletur,
Legibus adstrictos ut solvet, lege sub esto,
Quamvis sit Dominus non legi obnoxius ulli.
Dixerat, et faciem detorquet Virgo benignam
Ad cunas nati, levi quibus ipse sopore
Forte quiescebat. Fili suavissime dixit:
Iam fundendus erit sanguis tuus atque tenella
Cultro praescindenda caro; nudaberis acri
Vulnere saucius, et frigus tolerabis iniquum.
Undabit lachrymis facies speciosa, dolenti
Vagitu, simul et valido clamore replebis
Aures adstantum, me me penetrabit acutus
Plangoris gladius, maternaque viscera rumpet.
Parendum tamen est, fuerit quaecumque voluntas
Abba Pater tua: tu modo mi vir sancte ministros
Accersi legis; fiat, nec erit mora, crede,
Respondit iustus tremula cum voce, tremorem
Incussit luctus, quo fit turbatus, amatae
Uxoris, pueri Matrisque vicem miseretur.
It moerens secum meditando plurima volvit.
Ast postquam Mater cum solo clausa remansit,
Tum lachrymis totas verbisque relaxat habenas.
Quid loquar, aut sileam? Quando, purissime Fili,
Innocuum sine peccato te cerno reatus
Humani luere generis, maledicta parentum,
Primorum noxa; potuisti Conditor alme,
Ne caderent servare prius, vel ut hi cecidissent.
Numquid non poteras aliter servare cadentes
Sanguine quam geniti poenis et atrocibus eius?
O Gabriel, memini mihi te dixisse salutem,
Ecce dolore premor, omnis quia criminis expers
Diras peccati tenero fert corpore poenas;
Ast ita vult fieri. Quae sum? Quae murmura contra
Velle suum dederim, quamvis dolor urget amarus
Extorquetque meo molli suspiria corde.
Solvitur interea Pueri sopor, hinc adapertis
Paullum palpebris lucem quaerens prope cernit
Adstantem Matrem, vultum quae protinus eius
Inclinata petit delibans oscula fronti,
Dat lachrymas quibus ipse suas miscuit infans.
O cor duritiem solidi superans adamantis,
Quod non emollit tantae pietatis imago.
Adfore, Virgo notans horam quam tradere oportet,
Infantem refovet, lac praebet, balneat, aptat,
Exhibet, effertur, nomenque Iesus datur ipsi,
Praemonet id Mater, sibi dixerat Angelus ante;
Dixerat atque viro, fieret quia causa salutis
Dulce Iesus nomen, ex quo tu, Virgo, subortos
Compescis gemitus, cor contemplatio sursum
Sublevat, et gaudes toto orbe venire salutem,
Gaudia compensant paucos aeterna dolores.

Romani veteres posuere salus tibi templum,
Vera salus Iesus est, sine quo salvabere nemo.
Vexillum fuit hoc nomen tibi, Paule, per orbem,
Cuius sunt fidei strati virtute rebelles.
Est cordis iubilus Iesus, exultatio mentis,
Estque triumphale nomen vincens sceleratas
Peccatorumacies, Iesus, ergo mihi Iesus esto
O dignare, salus tua sum mihi dicere servo.
Nomen ad hoc Iesus in coelis, terris et abyssis,
Cuncta genu flectunt, tentatio diffugit omnis.
O celebrande Ioseph, cui nomen tale revelat
Angelus in somnis, quotiens nomen Iesus ore
Suave tuo sonuit, verbo dum faris amico!
Saepe sibi quanta dulcedine cor recreatur?
Gratia naturae dominans, hodie benedicit
Anni principio, sunt haec encaenia nobis
Magna nimis, non quae solita est praebere vicissim
Vana superstitio, nobis modo gratia donat.
Valde salutiferum sacro cum sanguine nomen,
Ergo redde vicem, praebe sibi quod petit a te,
Namque tuum cor, crede, petit; cor trade petenti.
Quis neget ingratus donatum, nemo retractet
Cara Iesus cordis possessio, pars benedicta,
Adiice quod tronus meus in quo gratia versor
Est puer iste Iesus, cuius gerulus Ioseph adstat.
Accedas ad eum, pete me securus ab ipso,
Aude, quid refugis? Incredulus esse caveto.
Flecte genu cordis, sit simplex, sitque fidele,
Pacis amans, humile, Domini quod verba tremiscat,
Tale cor implere, mihi credito, magna voluptas.

105. Pulcra circumcisionis allegoria. — De intellectu abstrahente rationem entis a phantasmate deque circumcisione quam coelestis operatur amor.

Forte Ioseph meditans quid circumcisio signet
Mystica, quae cordis resecare superflua novit.
Incircumcisum nam cor vetat esse propheta.
Mente videt, quoniam lugens contritio cultrum
Seu compunctio fert moralis, et alma sacerdos
Gratia, mittit eam vitiosos tradere mores
Notum quo pacto: post hanc videt allegoriam,
Errores gladio fidei praescindere cordis.
Altior et potior est circumcisio, qualem
Intellectus agens in nobis efficit utens
Abstractiva vi, quasi celte vel ense secando
Materiae partes, ut spirituale seorsum,
Separet et phantasma loco phantasmaque motu
Intro susceptum denundans, materiales
Abstrahat a formis vi forti conditiones,
Sicut ubi, quando, quantum, vel quale relatum.
Verum abstractiva vis haec hebetata frequenter
Redditur a carne, sed eam meditatio fervens
Ut eos exacuit, si circumcisio duplex
Facta prior fuerit, quam nos dat et allegoria.
Exemplar dignum factor statuae tibi monstrat,
Ex ligno informi pulchrum qui format agalma,
Adiicit ipsi nihil, fit ibi detractio sola
Partis multiplicis, formosa resultat imago.
Sic quasi materiam, cui pulchram vis dare formam,
Entis phantasma confusum, vel rude, quale
Corde tuo facile retines, et quod prius intrat
Accipito; nihil addideris, species latet intro;
Eradas, facito quidquid perfectio non est
Entis, in hoc verbo conclusum, quod vagus affert
Secum conceptus, u dicimus esse creatum
Esseque dependens, cui iuncta potentia, tempus,
Aut privatio sit, ubi, quale, relatio, quantum.
Haec abstractivae virtutis distrahe celte,
Protinus erumpet entis pulcherrima forma,

Digitized by Google

Cortice purgata, deformi, nuda, remotis
Turpibus involucris omnique quod accidit enti,
Conspicies quod sit unum, purumque necesse,
Æternum, nec habens aliquid causabile, rerum
Principium, finis, exemplar, forma, sigillum.
Conceptus tamen hic vel imago visio non est
Clara, sed abstracta quasi circumcisa per omne
Quod notat imperfectum; si nudaveris entis
Nomen ut edocui, proprie tunc convenit uni
Supremo solique Deo, dicesque quod hoc ens
Est infinitum pelagus substantia dictum.
Nomen signat idem *tetragrammaton* appropriate,
Nam neque respectum gerit ad res quasque creatas.
Haec contemplatus secum Ioseph, aestimo sponsam
Vult fore participem, quid non communicet illi?
Doctior illa quidem super his ea comprobat, addens:
Abstrahit ens, ut ais, dum mens sibi format agalma
Sed capit ipsa boni formam dilectio, quae non
Permanet intra se, nec imagine sistitur entis,
Concupit ire foras, in amatum sibi prorsus
Vult transformari, vult se transfundere totam.
Fortis enim quasi mors amor est, ut flammeus ignis,
Ac velut accensa rutilans fornace liquescit
Aurum, fitque potens omnem transumere formam,
Nec propria sistit, sic mens ignita superno
Cum desiderio semper liquefacta movetur.
Donec fine boni primo requiescat amato.
Est equidem bonitas haec fornax spiritualis
Illius ignis, quo debet fervescere tota
Mens in amore Dei, quoniam solus bonus est, et
Hoc nomen bonitas proprium sibi quod Iesus apte
Denotat excelso demissum nomen olympo.
Ordine procedunt amor et ratio quasi verso,
Ens sibi consimilat ratio, sed amor fieri vult
Ipse bono similis; notat hoc, puto, carmen amoris,
Dilectus meus est *mihi;* sum sibi, consimilamur:
Intellectus enim mihi se, sed amor sibi me dat.
Sed nec amor motus est discursivus, ut esse
Vult ratio, satis est uno si sistit amato.
Tunc requies sibi, tunc somno plasmata quiescit,
Se premit in solido cum toto pondere centro.
Ergo potens fit circumcisio vim per amoris
Iunctus sit fidei, sit amor virtus rationis
Non ita laudatur quia conquisitio sensum
Multos in reprobum dedit, agnovisse dabatur
Quod Deus ens primum, quod mens super omnia praestans
Glorificare, tamen meritis nec reddere laudes,
Non latriae cultum bene vivendo voluere,
Quin libertatem sibi detraxere docentes
Ingrati, quod eam fato parere necesse,
Aut quod fortuito fluitarent omnia casu,
Legibus orba Dei, mores idcirco nefandos
Ac execrandos pulso fecere pudore.
Flagitiosa sui cordis commenta secuti
Functi fine malo, sed amor studet obsequiosus
Esse Deo, refugit scrutari plurima credens
Contestante fide; Deus est, quodlibet et omne
Quod voluit, fecit, coelis, terris, et abyssis.
Quo sine nec passer cecidit, nec ab arbore ramus.
Hic Pater est noster, merces quaerentibus ampla,
Quamvis propter se sit totus amabilis ultro.
Ista fides se simpla bono defigit in uno.
Sit licet infirma ratio, sit deforis, intrat
Intima fortis amor dilecti, fidit et audet;
Supremum nec iam pensat Dominum sed amicum.
Ast aliis tantus rationis, tantus amoris
Erga divina defectus, spirituale
Nil capiunt, vita merguntur compare brutis.
Causat et hanc phrenesim carnalis virus amoris
Quod reputant animas vel nullas vel perituras,
Nostra tamen quia vis intellectiva capax est
Numinis aeterni concludit, perpetuam se
Credit, et indignam se carni sternere legi.
Hoc aperitur si sit circumcisio cordis,
Praecipue per cauterium coelestis amoris,
Additus et si sit luctus, lachrymosus et ungens,
Et cor dulcorans quod consolatio linit.
Iam satis est Domina, Ioseph intulit, ecce per orbem
Nescio quis rumor auditur, video quid sit
Orta quidem super adventu vaga fama magorum.
Praepetibus pennis nunc hac nunc evolat illac.
Interea dat lac puero, dat balnea Mater.
Nondum erat in carne pueri curata cicatrix
Praeputii, pellis haec portio scissa refertur
Terris mansisse; negat hoc alius, quia Christus,
Inquit, surrexit cum carne et sanguine totus.
Totum quidquid erat nos surrexisse fatemur
Integrans hominis naturam, pellis adempta
Si cruor effusus sint talia, crede resumpta.
His super atque aliis sensus sit sobrius, et tu
Dic ita, quod fidei pietas non deroget ulla,
Consilium tale dat littera, deinde subinfert.

Distinctio Nona.

106. **Stellam conspiciunt Magi. Hierosolymam veniunt Regem Puerum quaerentes; crudelis Herodis ficta fraus.**

Urbe Hierosolyma Iudeae regia sedes,
Ac studium legis templumque iure colendum
Extitit a docti Salomonis tempore regis.
Nunc alienigena sua sceptra tenebat Herodes,
Unde Iacob patris oracula vera videntur
Desuper adventu Messiae gente cupiti,
Venerat ille quidem, gentes regionis Eoae
A Balaam doctae qui Iob memoratur amicus.
Qui maledicta parans super Israel addere, vertit
In benedicta, potente Dei virtute coactus.
Ex Jacob, hic cecinit, orietur stella refulgens
Stella fuit formata novi praenuncia regis;
Conspiciunt illam reges, veniunt et in urbe
Sancta, dum sistunt, conquirunt, est ubi natus
Iudaeorum rex; haec urbem quaestio turbat:
Te perturbato nimium, crudelis Herodes,
Iugiter anxia fit dominandi saeva cupido.
Et qualis rector urbis tales habitantes
Vel sunt vel fingunt, rationem plebe requiras,
Invenies nullam: vento est plus mobile vulgus.
Turba sacerdotum, scribarumque agmine multo
Commoniti veniunt, et dant responsa petenti:
Nascetur Christus in Iudae Bethleem urbe,
Sicut divina deprompsit voce Micheas.
Auxilio nimis humano qui fidere quaerunt,
Perdunt divinum; fit in urbe recondita stella
Deforis inspicitur, Reges praecedit ad usque
Clara domum supra pueri, consistere visa,
Congaudent valde. Crudelis clam prius ipsis
Rex accersitis fallax condixerat, ite,
Quaerite de puero, ut veniens devotus adorem.
Mentiris, fraus ficta tibi, nam perdere quaeris,
Non colere Infantem, sic se perquirere verum
Fingit hypocrita, vult expugnare repertum.
Invenisse Ioseph pastores littera tradit.
Mentio nulla fit hic, sed qualiter huius honoris
Huius mysterii mansisse putabitur exors?
Praesertim reges qui non cessere repente
De reditu vetito, nam somnis visio facta est.

Digitized by Google

Quid quod muneribus erat aptus suscipiendis
Atque recondendis, an sola relicta videtur
Mater cum puero, quando vaga fama per urbem
Insonuit totam, reges venisse potentes
In dromedariis cum pulchro et divite cultu.
Quid? quod fortassis praegrandis fulgida stella
Visa fuit multis, signo quae stella peracto,
Materiam redit unde fuit formata priorem.
Tantos nonne, Ioseph, tecum miraris honores?
Numquid non Matri congaudes tristia passae
Multa prius, puto, quid vult haec veneratio quaeris?
Respondet Virgo vates memorata priores:
Mi Vir, mi Domine, salvandas credito gentes,
Et sua perfundet fidei lustratio corda,
Primitiae veniunt, inter miracula nullum
Maius praedictum est, totoque implebitur orbe.
Fiet et Ecclesia de gentibus, ast synagogam
Magna pro parte caecavit devius error.
Divitias reges et opus cumulare cupiscent,
Addent ornatus templis cum dotibus amplis,
Plurima dona ferent, quae mystica plura docebunt.

107. Ioseph Magorum stellaeque meditanti mysterium, visa in somnis rerum parens natura, quae non suis sed supernis legibus deberi talia fatetur.

Nox venit et iustum Ioseph admiratio grandis
Mentis in excessum rapit, et secum meditatur
Seclusus solus humili castoque cubili.
Conquirit si forte magi studio rationis
Edocti veniunt, vel tractu legis in astris.
Nam deduxit eos radiantis stella nitoris,
Dicitur an ne magus magicas quia noverit artes?
Decidit in somnum sensim dum talia pensat,
Visa loqui grandaeva parens natura decorum,
Astriferumque caput illi quod signifer ornat
Circulus, atque orbes septem, totidemque planetae,
Continet haec utero cunctarum semina rerum,
Semina sunt elementa sibi quae temperat; et quae
Influa conciliat vis coeli, mixta perinde
Profert assidue species distincta per omnes:
Noli, clare Ioseph, dubiam deducere mentem,
Quaerens forte meis si feci viribus illam,
Quae stetit hic stellam: si, me ductrice, magorum
Venerit ista cohors rationis lumine visa.
Scito tale nihil coelis vel in aere gesto
Funereas cognosco meum formasse cometas,
Flammiferasque faces similes radiantibus astris,
Quas admirantur subito per inania labi.
Huic alius modus, huic perduratio dispar:
Hunc circa puerum (nec denego) plurima fiunt,
Quae nostras superant leges, perquirere causas
Non nostrum, Domino parere necesse iubenti;
Sed neque nobis est hominum subiecta voluntas,
Libera nunc illuc, nunc huc convertitur ut vult.
Idcirco leges nequit experientia certas
Colligere, humanos dum sub se respicit actus.
Cur? quia nec coelum nec ego causavimus illos,
Iunge, quod humanus supra me finis habetur
Gloria dicta beans, ad quam dux gratia sola
Non ego, nec media disponere sufficiens sum.
Ast aliter fuerat hominis formatio prima,
Nam memini per cuncta sibi dedit officiosam
Me Dominus, iussit illi post esse rebellem.
Sed maiora dedit, valeat quam nostra potestas,
Dum reparare placet, et eum vult esse redemptum.
Mysterium fateor, hoc nescio; nam sua reges,
Non mea stella trahit, peperit sine semine Virgo
Absque dolore parens; pastoribus et data lux est;
Romae oleum fluxit, cecidit pacis modo templum.
Non meus hic terris, non coelis inditus ordo,
Gratia mea superest, illam pete, perdoceat te.
Haec inter somnus elabitur, et Ioseph omnem
Pervigil uxori seriem docet atque retexit,
Visa probat, roburque suo superaddit ore.
Post haec legitimum dum tempus adesse dierum,
Quos quadraginta numerat lex, sensit ab ortu
Iam pueri, sponso loquitur: nosti quia templum,
Non sine muneribus nos visere convenit, infans
Est etenim primogenitus, redimatur oportet,
Non quod eum vel me legis censura coarctet,
Sponte placet subdi, fiatque oblatio nostra
Pauperibus similis, mores humiles doceamus.

Distinctio Decima.

108. Ioseph cum Maria Puerum in templo offert — Simeon senex requiem a Domino expetit — Sacri vatis oracula Matris transfigunt animam.

Responsum Simeon accepit desuper olim:
Non te mors rapiet nisi Christum videris ante.
Christus ubi venit quid gratia suggerit, audit.
Gratia coelestis radians bonitatis imago.
Ecce suum venit ad templum Dominus dominator.
Iuste senex, timorate Dei, quem spiritus implet
Interno afflatu, fac occurras venienti,
Ulnis accipito puerum, benedicito dicens:
Dimittis, Domine, me nunc *in pace, secundum*
Verbum, sancte, *tuum*, qui sum servus tuus alme,
Namque tuam propriis oculis nunc cerno salutem
Sive salutare, quod cunctorum populorum
Ante paras faciem lux gentibus alta revelans,
Israel ipse tuae laus est et gloria plebis.
Membra senex ergo quamvis languore gravata
Corde vigente movet, templum petit, ornat ovanter,
Nunc ea, nunc illa loca templi, suadet alacris,
Sic faciant alii, quia mox veniet Dominator.
Prospicit ex aditis templique per atria, quando
Promissus veniet; vidit procedere tandem
Bethleem ex urbe te, Virgo, Ioseph, Puerumque
Agmine cum sancto vicinorum atque parentum:
Spiritus ex templo sanctus sibi prodidit, hic est.
Exilit et iubilat, non se capit, atque iuventus
Est aquilae visa, mens in Domino renovatur.
Turturis illic par duplicatus sive columbae
Pullus pro Puero datur, huic qui sacrificatur
Obtorto collo, guttur dirumpitur ungue.
Sanguis et effusus divina altaria tingit,
Pluma vesciculaque cineres mittuntur in atros.
Vidit et ingemuit nova Virgo puerpera noscens
Passuri hanc pueri pro nobis esse figuram,
Infantem redimens vir ciclos quinque dedisti.
Forte sacerdotum sancta de sorte beati
Tunc aderant cum te Puero, venerande Ioannes,
Vir Zacharias, et olim sterilis sua coniux.
Venerat Anna senex octogenaria vates,
Deque Iesu cunctis multo sermone loquuntur.
Intulit et Simeon tibi Matri, Virgo Maria,
Voce prophetali: *positus* puer *iste ruinam*
Est id *multorum* multisque redemptio fiet
Israel ex populo, sed erit cui dicere contra
Continget signum, *gladius transibit* acerbus
Crede, *tuam*, Mater, *animam*. sic corda patebunt.
Singula corde suo retinet Virgoque recenset
Dictaque facta simul, cum laetis tristia confert.
Tuque Ioseph, nec enim memorem non esse decebat.
Mos erat in templo distinctis sedibus uti,
Virginibus nuptisque; peto qua sede resedit

Digitized by Google

Virgo die tali, puto nuptis associatur:
Ipsa humilis secreta tegèns, et Elisabeth illi
Consignare locum satagit cognata propinquum,
Concordant aliquae, fors quasdam livor inurit,
Divitias reputas solas plebs multa colendas.

109. **Maria Ioseph sciscitanti, Simeonis dicta « de contradictionis signo » sapienter aperit.**

Postquam complerunt legem Ioseph atque Maria
In templo Sion, redeunt ad Nazareth urbem.
Quaerit eundo, prout fit consolando laborem,
Vir puerum propriis ulnis ad pectora gestans
Fasciculum velut myrrhae, quasi cordis amorem:
Quid ne putas, Domina, sibi vult dictum Simeonis?
Hic erit *in signum cui contradictio* fiet?
Praesertim quia praedixit mihi visio certa,
Quod foret iste puer populorum causa salutis.
Mi vir, mi domine, vitiis contraria virtus,
Virtus in medio rectum tenet, ast vitiorum
Sunt torta extrema, falsi conventio nulla
Cum vero, nec quae fidei natura capessit,
Nec videt inflatus oculus, nec crimine lippus;
Signa petit Iudaea, placet sapientia Graècis,
Stultitiam verba reputabit Graecia Christi,
Signaque quae faciet Iudaei scandala dicent.
Si dè corporeis ratio vix redditur ulla,
Ni Deus illustret, capiet coelestia nemo.
Infans iste Dei dicetur Filius, o quot
Philosophi simul et Iudaei tale videntes
Corpus quod peperi, quod nos gestavimus ambo,
Dicent: quid cum carne Deo, quis Filius illi
Esse potest, cum sit simplex, aeternus et unus?
At cum dicent de Virgine natus, et absque
Contactu cuiusque viri, quod vagiit infans,
Lac quod ei dederim, quod tu nutriveris illum,
Scandala stulta vides fidei, si lumina desint.
Non aliter quam nictycorax si fulgida solis
Lumina contendat tenebroso cernere visu;
Aut si quis varia per nubila densaque lunam
Inspiciat, fallunt, ipsa radiante, colores.
Est oculus mentis tetra omnis passio nubes,
Passio iudicium varium variata rependit
Practica, praecipue ratio diiudicat, ut fit
In dèsiderio tractus nunc iste vel ille.
Hinc oculus trahitur oculo, velut orbibus orbes.

110. **Ipsis Nazareth redeuntibus, invidus furensque Herodes occidi pueros a bimatu et infra crudeliter iubet.**

Quid? quod care Ioseph sensisti surgère multum
Murmur iam populo, quod noster erit Puer hic rex,
Consortem non regna volunt, non ampla potestas,
Urbe Hierosolyma scis quae turbatio facta est.
Ecce sed o mi vir nativum cerno propinquum
Nazareth oppidulum, verbis iam terminus esto,
Mutua posterius super his collatio fiet.
Complacet, inquit vir: video concurrere nostros
Affines, laeti veniunt applaudere nobis,
Proque puerperio, pueroque tuo, redituque
Sic erat: o quam mens venturae nescia sortis,
Fient in luctum quae sunt modo gaudia moestum.
Interea nam se reputans truculentus Herodes
Regum responsis delusum perfurit amens.
Ergo regnabit alius? regnoque repellar
Iudaeae: fiet aliter, pueros nece perdam
Bethleem in tota, placet hoc, regione morantes.
Hoc ita proposuit primo sed pergere Romam
Urget notorum delatio facta suorum.
Haec inter Ioseph est Ægyptum pergere iussus
Cum Matre et Puero, sicut descripsimus ante.
Sic Dominus saevo sapiens est usus Herode;
In bona nam mala scit convertere gesta malorum.
Rex redit et mandat crudelia iussa per omnes
Bethleem heu terrae fines, nullusque bimatum
Attingens puer ac infra delinquitur expers
Mortis, et in proprios gladius desaevit aequus
Regnantis natos; hinc Caesar: porcus Haerodis
Esse malim quam filius. Heu describere tale
Quis poterit facinus, quis fando aequare dolorem?
Matrum e complexu pueri rapiuntur, et ipsos
Ubera lactantes fodit crudelior ensis;
Excerebrant alios, elidunt corpora petris,
Innocuo matrum lac tingere sanguine gaudent,
Membratim excerpunt alios, pes proterit istos
Improbus, et matrum lachrymas iustoque dolores
Atque preces, gestus humiles, risisse voluptas.
Quid tibi vis Caesar terreni ambitio regni?
Non est consilium non est prudentia contra
Crede Deum: placito Deus omnia fine coercet.
Dixerit hic aliquis matrum infelicia fata,
Sed felicia sunt, nec enim longaevior aetas
Profuerit quantum mors contulit accelerata.
Ecce tuum Simeon verbum iam verificatur,
Fit Puer iste Iesus multorum dura ruina,
Corpore dura quidem est, animae vos vivite laetae.
Non etenim Iesus advenit concedere terris
Pacem, sed gladium quo pax conquiritur alma.
Felices pueri quos circumcisio puros
Primitus effecit, sacrat proprius modo sanguis.
Heu quantum miseris mortalibus horrida sors est,
Perdere quando malis fas vitam impune bonorum
Cuilibet est: si fas saevos iugulare tyrannos,
Cur sceleratus, cur truculentus vivit Herodes?
Sed non fas, tibi vindictam Deus alme reservas,
Solis quos statuis est exercenda ministris.
Corporeas vero si mortes has puerorum
Horrescit meditans, quam tetrior illa tyrannis.
Quae genitas noviter animas iugulare requirens
Ridet, et exempli gladio secat improba calcans
Sub pedibus, modo suffocat hos, modo strangulat illos,
Mens nova verbigena dum se transferre iubetur
Ægypti tenebris, hoc est caligine diva
Tutandum, simulacra ruunt, phantasmata cedunt,
Dirigit ipse Ioseph, hoc est discretio gressum,
Neu cadat in praeceps petulantis carnis asellus.
Perfurit interea Sathanas, qui perdere, perdens
Multa, nequit puerum ignota regione repostum.

111. **Poëtae digressio de sacro candelarum ritu superstitioni, Romae, suffecto Praesentationis referente diem.**

Hactenus haec mentis oculos dum retro reflecto
Inspicioque diem qua templo sistitur infans.
Februus intrabat mensis quo more celebri
Romam cum facibus populus lustrabat ovanter
Vana superstitio: fidei dum Roma recepit
Lumen mutata festivo cessit honori
Virginis atque Ioseph Pueri Simeonis et Annae:
Hinc candela manu portatur cerea multa
In templis hodie prudenti consilio fit;
Quod popularis mos, qui tolli vix potuisset
Funditus, in finis melioris vertitur usum.
Augusti sic prima tuis data petra catenis,
Sic Iano possunt encaenia facta colorem
Sumere virtutis; nobis datur ergo salubris
Regula, dum mores popularia corda replerunt
Vana superstitio quibus est seu devius error

Digitized by Google

Tollere cum facile nequeas, mutare doceto
Fine bono, sit eis melior directio cordis.
O quam lata patet haec regula, quae vitiosos
Actus innumeros virtutes reddere posset.
Dum nummos recipit quis sacramenta ministrans
Tollite proclamant, sunt Simonis omnia plena.
Quis numeret? quot dant usurae nomina rebus?
Quidquid eis vanum, quidquid vel displicet acri
Iudicio feriunt, mortali crimine damnant,
Plura tamen fieri possunt aliquando merendo
Talia, si fuerit prudens directio cordis,
Nec tamen haec nostrum sit singula tradere metris.
Sed redeo, non Roma modo lustranda priore,
Nec veneranda sibi sunt idola muta deinceps
Cum face succensa, cessit iam cereus ardens
In decus Ecclesiae, nomen candela diei
Multiplicata dedit, flammanti splendida luce
Quae fert laetitiam, quae mystica multa figurat:
Igne vigor, fulgor, ardor sunt appropriate
Patre vigor, fulgor genito, suavissimus ardor
Pneumate sunt sacro: virtutis sit vigor in te,
Fulgeat in mente sapientia, serpat amoris
Ardor in affectu, devotio sancta coruscis
Luceat exemplis, si cordibus ignea lex est.
Nam Iesus atque sui nobis exempla parentes
Religiosa satis liquerunt, quando quotannis
Isse Hierosolymis referuntur visere templum.
Annus erat puero bissextus quando remansit
Per triduum in templo, rediit subiectus utrique.

Distinctio Undecima.

112. Iesu docente ad templum reperto, Familiae sanctae suavissimum trilogium. — Puer utrique subditus, aetate, sapientia gratiaque crescit.

Scire velim praeclare Ioseph praeclara Maria
Dum Iesus a templo rediens ad Nazareth urbem
Tramite protenso plus quam miliaria bis sex
Cum puero quis sermo fuit, nec enim siluistis.
Quis dederit trilogus fuerit notus mihi vester.
Ambulat ut medius Iesus inter utrumque parentem
Nexa manuum manui repetit suavissima mater:
Fili quid nobis fecisti perdite totum
Per triduum, quae verba tibi, quae facta fuerunt?
Enarres placeat, via nam sermone levatur.
Primo sacerdotes et scribas visere, Mater,
Templo cura fuit, de lege interrogo multa.
Multa super ritu sacrorum, si cito regem
Venturum sperant Messiam, cuius et ipse
Natus erit? qualive loco nascetur et anno?
Dives vel pauper? quae vita? quis exitus illi?
Quisque refert ut doctus erat, cecinisse prophetas
Libris in variis; ergo venisse revinco
Dictis et propriis Messiam vivere terris.
Mirantur, se respiciunt pariter, nec habentes
Responsum solidum, me respondere perurgent.
Talibus intentum reperisti, sedula Mater,
Inter eos, reliquo cum notis tempore verso
Quos genus affines reddit, nutritus ab illis.
Incola quid faciat deserti noster in annis
Par sciscitor vitae cui caelica forma Ioannes.
An nos blande puer nimis anxia cura coquebat,
Mecum Matre tua, rursus ne perdere te te
Quaereret impietas, carissime, saeva tyranni:
Quid ne putas agimus primae dum nocte diei
Una domus recipit nos ambos, te sine fili?
Namque viros mos a mulieribus ire seorsum,
Ast pueris aderat fas istac ire, vel illac.
Hic ego cum Matre te mecum pergere credit,
Nonne fuit tecum petimus, querimurque vicissim?
Fit nobis nox una vigil, flemusque precantes.
Primo mane cito consurgimus, atque propinquos
Nunc hos, nunc illos inter te quaerere cura est.
Teque die tota fili non invenientes.
Quando tertia lux oritur, repetamus ad urbem.
Heu nimium tristes, defessus anhelat uterque,
Istum sed removet inventio laeta dolorem,
Oramus fili ne taliter egeris ultra.
Nec faciam, remanebo domi, pareboque vobis
Respondet Puer, hinc fuit proxima Nazareth illi.
Intravere domum, fuit illis coena paranda,
Non erat intus aqua vicino fonte petenda est,
Protinus urceolum Puer accepit obsequiosus,
Ad fontem properat, lassus licet. Gabriel quid
Ista videns reputas tecum, quoniam Deus ecce
Servit et obsequitur terris, quem regia coeli
Tota cohors tremit, et supplex veneratur adorans.
Quid dices hominis ignava superbia nullum
Dignans obsequium, tolerans nec pigra laborem?
Amplius exemplum pulchrum de religione,
Quodque parentibus et humilis subiectio danda
Servitiumque frequens pueris Dominus Iesus offert,
Sedula non minus hic speculatur cura parentum,
Quanto cum studio nati serventur oportet
Corpore ne pereant, animae salvatio, cura
Conquirenda: tamen maiori sollicitaque
Insuper hoc speculo cor devotum meditetur
Quid quaerat, quid agat, quando declinat in iram,
Quando perditus est ab eo Deus, et Iesus extra
Diffugiens fictum, vel de virtute superbum,
Fac tibi discursus, et per loca coelica quaere
Cum pedibus mentis manibusque repens, pavor ingens
Urgeat, et dolor anxius, omnes impete sanctos,
Sis importunus, nec desine saepe repulsus.
Irrue tu quasi mentis inops vel ad hos vel ad illos,
Pandite, dic ubi sit fugiens dilectus, et illum
Reddite, non fas est vobis, o languor, et horror.
En morior, prostrata pedes nec desero vestros,
Ni redeat mentis utero de Pneumate sacro,
Quem peperi Mater, est totus amabilis ille,
Vae tibi mens tumida talem quia reiicis a te
Poenitet heu heu, nunquid eum poenitentia reddet?
Quo quaeram? quid agam, si non invenero coeli
Templo, quo fugiam, vel ubi moribunda quiescam
Dic rursus precor, alme Ioseph, tibi supplico Virgo,
Ambos obtestor, memores estote priorum
Curarum, et desiderii quod torsit utrumque,
Et quot circuitus, quota quaestio facta per omnes
Quaerendo puerum, cum declinare parumper
A vobis voluit quaerentibus, ut misereri
Forsan sciretis, miseros miseret miserorum.
Ergo Ioseph sicut visus tibi durior esset
Quaerenti Puerum, si quis celasse repertus
Nec iuvisse volens fuerat, mihi mollior esto
Condescende piis votis si recta requiro.
Ætas in Puero, sapientia, gratia coram
Mundo crescebat, et in illis proficiebat
Ac ita se gessit, triginta donec ad annos
Venit, continue Ioseph uti patrem veneratus
Secum habitans patrem quod plebs existimat omnis.
Asserit hoc Lucas, notat hoc et sermo Philippi:
At Nathanaël se Christum reperisse loquentis.
Quem scripsit Moyses a Nazareth ex Iosep hortum,
Deserto veluti studuit latitare Ioannes
Tempus ad hoc celat ita cura domestica Christum

Digitized by Google

113 **Iesus missionis in orbem expleturae horam advenisse, dulcemque vitae consuetudinem separandam oportere, flenti Iosepa aperit.**

Vera repentine non vult se prodere virtus
At Ioseph incurvus senio sua membra bacillo
Sustinet atque regit, labor huic non convenit ullus;
Vir factus residere domi, quandoque benignus,
Ut Iesus inspexit, consedit proximus illi,
In primis reprimit assurrexisse volentem,
Hinc loquitur: Dilecte Ioseph fidissime custos,
Ætas dum tulerat tua iure colendo minister
Exercendum opus est, pro quo sum missus in orbem,
Nec residere domi, tibi nec socialis adesse
Hactenus ut feci, potero tolerare labores
Quos habiturus ero, poteris nec dura viarum
Forte nec invidiam, mea quae bene gesta sequetur.
Flet Ioseph, ac imo suspiria pectore trahit;
Ergo mori praestat, inquit, spes unica vitae.
Tu solamen eras nobis. Quid vita deinceps
Profuerit, cum sit mortalis lex omnibus una,
Proxima sed senibus venit, et mortale quid ultra
Concupiam? quid amem si non convivere fas est?
Sed vereor, Domine, fili sanctissime, quando
Nomine dignaris hoc me, vereor sceleratos
Iudaeae multos homines simul et Galilaeae
In quibus et verax verbum et virtus odio sunt.
Quae tibi sola placent, horum si tarpere vitam,
Si mores formare bonos tentaveris, eheu
Mox volet, ut priscis, te livor perdere nequam.
Et volet agnovi, Iesus intulit, ecce videmus
O grandaeve parens modo quod nos diligit omnis
Nazareth hic populus, sed noveris affore tempus
Hac nostra quando Pharisaei me synagoga
Torti rancore dum verba prophetica de me
Scripta legam, quod me Dominus transmisit et unxit
Desuper hoc monte me praecipitem dare quaerent.
Sed mihi cedet mons, vestigia monte relinquam
Mollior humana lapidum natura patebit.
Hi mea pervertent miracula, dogmata spernent,
Et dicent: Medice temet curare memento.
Plurima subticeo, sed quidquid erit peragendum est
Intrepide mihi, quod statuit divina voluntas.
Sit labor atque dolor, afflictio, vulnera, carcer
Sit gelidus, sit crux, Domino parere necesse est
Mors etiam toleranda piis: patientia vincit,
Et coeli regno tribulatio multa coronat.
Æqua mente feras quidquid tolerare necesse,
Nec mihi nec Domino, Pater, assentire recuses.
Haec ait, et solens lachrymosa voce quaerentem
Liquit, et huic celerem praedixit adesse quietem.
Haec super introiit coniux sanctissima, quaerit:
Mi vir, mi domine quid habes? plangore dolorem
Nempe suum sensit lachrymisque per ora volutis.
Hic silet, ac tandem potuit qua voce recenset
Singultu mixto, praenuntia tristia Christi
Condolet afflicto, vultum tamen ipsa serenat,
Verbaque dat blanda, premit alto corde dolores,
Scit quoniam tristi confert affabile Verbum.

Distinctio Duodecima.

114. **Ioseph pretiosa morte quiescit. Iesus adest cum Matre pia.**

VENERAT illa dies quae vitam morte pararet
Perpetuam tibi iuste Ioseph, quod inclyta proles
Christus adest cum Matre pia, quibus officiose
Servieras, vultu placido solantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor, etenim sat credere fas est
Quod patrem Iesus, et sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, fidi custodis amato
Procumbit lecto, complexans membra pudicis,
Oscula dat labiis, mi vir, conclamat, abisne?
Deseris et viduam passuram dira relinquis?
Velle tamen Domini fiat, dilecte valeto.
Nil timeas, Dominus placida te sede locabit.
Protinus ipse Ioseph pretiosa morte quievit.
Lugubres recepit vestes viduata Maria,
Exequias reddunt devotas Nazareth urbe
Tota, virum flet plebs qui vixerat absque querela
Omnibus in commune bonus sanctissimus herus,
Certa David regis et praeclarissima proles.
Nec tamen est obitus sat certa dies, quia signant
Hanc varii varie pro religione colendam.
Est Februarius, est et Martius, estque December:
Primi nona dies, cum dena nona secundi,
Alterius decima et per quosdam nona notatur.
Sic quaecumque dies sua nobis mors honoranda.
Casta velut turtur si compare sit viduata
Sola volat repetens arentes arbore ramos:
Pro cantu resonat planctu gemebundo pudico,
Sic dolet abrupto vitae socialis amore
Virgo, gemens deflensque virum plangore modesto.
At semel ut sensit subtristem Filius eius,
Solans alloquitur, secretaque plurima pandit,
Atque futurorum seriem breviando recenset.
Cara mihi in primis Mater, nolito doloris
Accumulare tibi causas; sed respice mentis
Interiori oculo fidei cum lumine, quales
Collegio Patrum bene qui vixere priorum
Applausus iubilosque dedit custodis amici,
Decedens anima, dum limbum ingressa propinquam,
Sic equidem novit denuntiat esse salutem.
Nam Salvator adest, ego sum salvatio certa.
Porro te solam Mater custode carentem
Neu reputes, subeo curam iam discipulorum;
Plurimus adstabit numerus mihi, iam mulieres
Sanctae gaudebunt sese praebere ministras.
Audis ut affinis noster pius iste Ioannes
Hactenus haec deserta colens, modo flumine cepit
Iordanis baptisma novum, baptismate cuius
Abluar, ut sit aquis recreandis spiritibus vis.
Me populo ostendet, digito monstrabit et *agnus*
Inquiet *ecce Dei,* qui mundi crimina tollit.
Namque columbina specie superastitit almus
Spiritus, et mansit in eo dum tingitur undis.
Vidi equidem et novi, coeli testantur aperti,
Vox ego clamantis in deserto, paret omnis
Dirigat et colles Domino populus venienti.
Quemque sui pigeat sceleris, quia proximat ecce
Regnum coelorum, trunco est affixa securis
Crebrius et haec plura feret, quae conciliabunt
Auditorum animos, mihi gens sociabitur ultro,
Carcere claudetur, volet hoc immitis Herodes,
Quem timor et livor stimulis agitabat acerbis
Publicus inde mihi sermo procedet ad omnes
Iudeae terras, per sabbata, per synagogas,
Deserto tamen ipse prius remanebo diebus
Bis viginti, me deducet spiritus illuc
Tentandum a Sathana, rabida qui turbidus irae
Plurima perplexa secum ratione revolvet:
Hicne Deus qui iam potuit ieiunia per tot
Ferre dies? de quo sunt multi tanta loquuti
Quod veniet nostrum spolians violentus avernum,
Si vero Deus est, modo qualiter esurit? ibo
Tentaturus eum, comites aderunt mihi pestes
Tres Erebi furiae, gula prima, superbia deinde
Mente tumens, alia rerum scelerata cupido,

Digitized by Google

Turpes celabunt vultus sub imagine pulchra
Virtutum, sub fallaci fictoque decore.
Debita sum, dicet gula, sustentatio carnis,
Altera fide Deo, dicet, quid sanctius hoc est?
Tertia quod toti dives dominabitur orbi.
His potui monstris primos superare parentes,
Numquid et hunc aliis similem subvertere possum?
Ista Sathan secum: sed erunt certamina frustra,
Divini gladio verbi confossus abibit.
Denique multa mihi, Mater dilecta, triennii
Tempore patranda, quorum tu conscia fies,
Nam praesens aderis sub me custode deinceps,
Conspicies oculis tandem me scandere coelos,
Scandet et ipse Ioseph ut mecum regnet in aevum,
Regnabis pariter fuerit dum vita peracta,
Nomen, laus et honor dabitur per saecula vobis.
Procumbit Mater genibusque affusa rependit
Grates, et repetit: Fiat tua, nate, voluntas,
Debeo solari rursus visura Ioseph te.
Et nos Christicolae talem veneremur, amemus,
Fundamusque preces sibi supplice carmine tales.

115. Oratio.

Illustris Patriarcha Ioseph David alta propago,
Iustitiae cultor, claris numerande Prophetis,
Virgineo splendore micans, custosque Mariae,
Testis, nutritor, et Christi fide minister,
Conscie mysterii, quod nescivere priora
Saecula, tu Verbum vitae quod erat caro factum
Gestasti manibus, etiam tibi subditus ultro
Dignatus fieri nutu qui temperat orbem.
Tu vir, tu dominus Matris Domini dominorum,
Magne peregrine dudum terris, modo regnas
Felix in coeli patria, securus, et omnis
Expers terroris, labor, anxietas procul absunt.
Quaesumus, intende nobis, miserosque benignus
Inspice nos oculis, quos tanta pericula turbant.
Esto peregrinis fautor, dux, auxiliator,
Defessos refove, tot scandala tolle viarum,
Dirige caecos, erige lapsos, optima detur
Gratia dux, baculusque spei firmissimus adsit.
Pax in credendo, cordis meditatio suavis:
Tentamenta Sathan, mundi, carnis superemus
Te protectore, peccatores nec abhorre,
Pro quibus a Domino dignatio talis oborta est
Erga te, sponsamque tuam Dei Genitricem.
Sic age pro cumulo meritorum et laude tuorum
Advena quod fueris et Gerson mysticus olim
Multis implicitus curis meminisse precamur.
Ex his quae passus es noveris ut misereri
Campatiens esto, nos heu retinet tenebrosa
Torquet et Ægyptus, sis salvator velut alter
Egregius Patriarcha Ioseph frumenta recondens
Providus, o iam iamque fame refove pereuntes.
Ista fames nostras animas, non corpora perdit.
Alter laudatur Ioseph insignis quia Christum
Consepelire suo legitur curasse sepulchro.
Dignus et alter erat dici cognomine iustus
Filius Alphaei Iacobus cum Simone Iudas,
Hinc fratres Domino affines comitesque fuere.
At noster Ioseph hic quotiens et quot tibi Christe
Praebuit obsequia vivo, plus plurima iustus.
Iustus in omnimoda virtutum sorte beata
Sit sua iustitia nobis, protectio nobis,
Pro meritis nobis, nobis salvatio fiat.
Cyprius ast alius Ioseph extitit, hic sua vendens
Ante pedes posuit primorum discipulorum,
Cognomenque fuit sibi quod solamina praefert.
O noster petimus consolator Ioseph esto!
Tu Ioseph accrescens dictus, quia semita iusti
Crescit ad usque diem perfectum, crescere fac nos
Virtutum gradibus donec Dominus videatur.
Gloria non tollit naturam, perficit ipsam
Plus ea dignificans quae modo digna fuere.
Ergo si dederit natura et gratia terris,
Incola dum fueras tibi munera tanta quod altus
Coelorum Dominus est dignatus tibi subdi.
Quid modo gloria dat, quanta o fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum Pater orat
Uxorem et Natum, velut imperium reputatur.
Cui non blasphemus sermo precor hic videretur
De coelis, nisi quae fuerit dignatio penset
In terris? et quae miracula gratia fecit.
Personas inter similes est nexus amoris:
De Ioseph ast ratio suadet sua quod facialis
Forma Iesu formae similis reputanda fuisse est.
Si non, quo pacto pater eius creditus esset?
Qualiter omnimoda Matris servasset honorem?
Disparitas vultus prolis cum patre putato?
Gratia naturae fieri vult consona saepe.
Nonne minor Iacobus fratre Domini perhibetur?
Valde sibi similis quod gratia non caro fecit.
Nuper in austera vir religione probatus,
Dum peragrabat iter sub finem noctis opacae
Ventis ac pluvia simul ac errore viarum
Turbatus, vestri meminit Ioseph atque Maria,
Orans hospitium, mox villa petita patescit.
Possumus hoc signo portum sperare salutis.
Corpora multa, Iesu Domino moriente, sepulchris
Exurrexisse et venisse feruntur in urbem
Sanctam, si tu, iuste Ioseph Patriarcha beate,
Ex illis unus fueris, si teque videndum
Uxori dederis moestae, definio neutrum
Re super hac, satis est animos pulsasse fideles.
Certum quod magno est venerari dignus honore
In terris, immensa tenet quem gloria coelis.
Est etenim, Christe, tecum tuus iste minister,
Est et cum Sponsa Sponsus clarissimus alma.
Virgineosne tuos sedes locat aequa parentes?
Sic tamen hac in re simplex meditatio nostra
Sanctis salvus honor, volumus, aliis suus esto
Quos de primatu contentio nulla fatigat,
Magne Ioseph, magno velut imperiose patrone
Cum desiderio petimus fer opem, nostri miserere,
Coelica suscipiat nos tamdem patria tecum.
Talis dum fieret oratio corde fideli
Visa videt radiis intus splendere coruscis;
Fulgurat ut subito collisus nubibus ignis,
Flammea rima micat, coelos plebs credit apertos.
Tali sub radio mentem rapit anagogia
Empyreum in coelum, videt illud ut angelus implet
Iam non solus ei, sed plurimus adsociatur
Spiritus humanus, patria qui regnat adepta.
Ergo impetrandi nobis fiducia maior,
Intercessores quo plures gratia donat.
Nescio quid corde meditor, mirabile dictu!
Disserat hoc pietas, terris tu nonne viatrix
Virgo diu degis, postquam conscenderat astra
Filius atque patres sancti, inter quos Patriarcha
Sponsus erat custosque Ioseph fidissimus olim?
Numquid non devota preces, devota salutes
Crebro sibi mittis, quas laetatus speculatur
Clarius in Verbo, te forsan nonne revisit
E coelis agilis terras delapsus ad imas,
Angelico more, cur hoc non credere fas sit?
Ut de Martino, quem tu, quem Tecla, quem Agnes
Degentem in terris visistis, pluribus idque
Contigit in mundo hoc miserae ad solamina vitae.

Digitized by Google

Aut pro doctrina, vel quodam pignore vitae
Iam iam venturae, seu contra daemonis astus.
Addit ad haec pietas quod amoris cantica sponsae
Mutua cum sponso, Salomon quae concinit apte,
Conveniunt tibi, sponse Ioseph, tibi sponsa Maria.
Quam felix, illa puro qui corde recenset!
Supra mel supraque favum praedulcia menti,
Qualia gustare, quam verbis promere praestat.

FINIS.

In editione Parisiensi ann. 1606 (Gersonis opp., pars 3) *et in altera Hagae Comitum ann. 1728* (Gersonis opp., tom. 4), *ad finem poëmatis quae heic subiiciuntur addita exstant:*

Annotata fuere verba quae sequuntur in extremo margine eius exemplaris, unde haec correximus, et quaedam manu ipsius Christianissimi viri Ioannis de Gerson correcta MCCCCXVIII. Iulii 27 in commemoratione sanctae Annae a Rathenberg, quando compilabat De consolatione theologiae:

116. Argumentum pro Ordine rei gestae non ut scripta est hoc carmine.

Alme Ioseph Iosephina tuo de nomine carmen
Narrat, ut angelica conceptum visio pandit
Virgineum: celebri ritu connubia iungis.
Itque redit Sponsa te per montana volente;
Das latriam Infanti nato, nomen Iesus addis,
Suscipis inde magos: puerum tu postea templo
Sistis, et inde fugis in Memphim: septimus annus
Illic transierat, redis: invenis hinc duodennem
In templo puerum: placido post fine quiescis.

117. A Domino Guilhelmo Scissoris Carthusiensi, prius scholari Navarrae, in Maio MCCCCXXIV recepta sunt haec metra Lugduni.

Sicut es humanae Gerson divaeque peritus
Legis et eloquii, Iosephinam sensibus altam
Auribus in nostris cecinisti gutture dulci;
Quam duros parvique Iesu, matrisque Mariae
Et Ioseph una domus fuerit perpessa labores,
Dum fugit aptantem lethalia tela tyrannum
In mortem pueri: noctem dum captat opacam.
Dum petit Ægyptum, dum vivit gente sub ipsa,
Dum natale solum repetit, cum Virgine Natum
Arte Ioseph quanta rexit, quam iustus utrique
Custos, egregie scripsisti, donec adultus
Ac fieret Iesus, ac animam Ioseph adderet astris.
Illic fine Ioseph, illic Iosephina quievit
Virgo Iesu, virgoque Ioseph, virgoque Maria,
Nunc domus aetherea, nunc orbis summa potestas,
Tunc inopes, tunc terricolae, nam carmine sacro
Disserit, ut nobis gravis extitit hospita tellus,
Compensate vices, in regna vocate Ioannem,
Vestra precor, vestrum date coetum, sit date vester,
. . . . . .
Te Iosephina polo Gerson doctissime, ducet,
Quae tam pulchra solo te dictatore relucet.

Ista prosa canitur conformiter ad istam:

Mittit ad Virginem non quemvis nuncium.

118. Primum.

Ad Ioseph mittitur — In somnis nuncius
Iustum alloquitur — Spirans interius
Assensum numini — Noli metuere
Proles Davidica — Sponsam accipere,
Iussa te coelica — Nubunt huic virgini.

119. Secundum.

Tibi rex gloriae — Mariam copulat
Mira vis gratiae — Pudicum postulat
Hoc matrimonium, — Crede magnanimis
Audi, nil haesites — Haec sunt magna nimis.
Cur novum cantites — Epithalamium.

120. Tertium.

Sis licet conscius — Quod habet Filium,
Fac iussa citius — Dum scis mysterium,
Noli hoc prodere, — Exurge, nuntia,
Dic sponsae protinus, — Tibi me Maria
Nam vult hoc Dominus — Virum do propere.

121. Quartum.

Virgo suscipias — Dei dispositum
In quo perficias — Voti propositum
Cum prolis gratia — Volo quod nuntias,
Refert humiliter — Virgo dans gratias,
Ergo solemniter — Iungunt connubia.

122. Quintum.

Nubunt angelicis — Choris canentibus,
Plaudunt sanctificis — Parentes lusibus,
Caste tripudiant, — Dulce canentium
Hymen inseritur — Vehens ad gaudium,
Quod coelo geritur, — Et illis inhiant.

123. Sextum.

Cognatam visita — Virgo celeriter,
Vis me Ioseph ita — Vult, et dat pariter
Fideles comites, — Clamat Elisabeth
Plausus infans edit — Prophetat quaelibet,
Virgo tandem redit, — Parit, neu dubites.

124. Septimum.

En Ioseph parvulum — Decorum aspice,
Dat Ioseph osculum, — Fer, fove, refice.
Qualis o gloria, — En tibi subditur,
Qui coelis imperat, — Servit, obsequitur,
Qui mundum temperat — O mirabilia.

125. Octavum.

Tuum dic Filium — Iam iuris corpore,
Ius habes proprium — Consensus robore
Dati coniugio, — Sanctus se Spiritus
Dedit vicarium, — Fecundans coelitus
Uxoris gremium. — Te voluntario.

Digitized by Google

126. **Nonum.**

Virgo Verbigena, Virgo fons gratiae
Nos nos gens advena Pleni miseriae,
Plenique vitio, Te Virgo petimus,
Te Ioseph inclite Vester quem colimus
Iesus nos placide Locet in gaudio.

FINIS.

127.

O veneranda Trinitas Iesus, Ioseph et Maria,
Quam coniunxit divinitas Charitatis concordia
Mater, Virgo puerpera Facit in diversorio,
Cui Iesus sugit ubera Gaudet Ioseph obsequio
Hic Virgo servit virgini Humili benignitate.
Sed virgineo germini Amplius charitate,
Magna laus humilitatis, In Ioseph, sed in Virgine
Maior et in deitatis Prole laus est in culmine.
Hunc humilitatis thronum Trinis distinctum gradibus,
Tantoque gratiae donum Nunc extollamus laudibus,
Ut humilitatis vitam Suis sequi suffragiis,
Donetur et per gratiam Æternis frui gaudiis,
Amen dicamus singuli, Huic sacro coetui trino
Laudes canentes servuli Uni trinoque Domino.

IV. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE PRINCIPIIS DIGNITATIS ET EXCELLENTIAE B. M. VIRGINIS ET S. IOSEPH IN GENERE.

Sermo in Concilio Constantiensi de Nat. gloriosae Virginis Mariae et de commendatione Virginei Sponsi eius Ioseph: Exord.

IACOB *autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Originaliter Matth. I. et recitative in Evangelio praesentialiter lecto. Invocandum te iudicamus in primis, o Maria, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Neque enim laus altera praeclarior tibi dari potest, quam quod ex te natus est Dominus noster Iesus Christus. Tibi quoque fuit vir Ioseph iustus et virgo, tuae testis et custos virginitatis. « Iacob » inquit « genuit Ioseph virum Mariae ». Tu hodie regali ex progenie orta refulges; cuius precibus nos adiuvari mente et spiritu devotissime poscimus.

129. Fac nos, obsecramus in hac sacratissima Nativitate tua mori, peccatis, mori mundo, vivere et renasci Deo; fac nascatur in nobis per gratiam Iesus qui vocatur Christus, quemadmodum prius in te natus est per fidem et amorem, dicente Augustino, quam nasceretur per corporalem incarnationem, cui divinae incarnationi faciendae consensisti, salutata prius ab angelo, sicut et nunc te salutamus implorantes et dicentes: Ave Maria, etc.

130. *Iacob autem genuit Ioseph*, etc. (Matth. I, 16). Nativitas est hodie sanctae Mariae virginis, patres celeberrimi, patres apostolici, domini sapientissimi et ornatissimi viri. Eius est, inquam, hodie nativitas, cuius laudes inclytas conabor ut potero deducere modo quodam scholastico plusquam declamatorio vel accurato sermone: et hoc ex praeassumptis Evangelii verbis tamquam ex principiis nostrae fidei firmissima credulitate tenendis. Sic enim philosophi solent ex principiis naturaliter cognitis ad eliciendas conclusiones, nunc ex evidenti, nunc probabili consequentia procedere. Offerunt autem nobis ex praeassumptis Matthaei evangelistae verbis duo nostrae fidei principia.

131. Primum, quod ex Maria natus est Iesus, qui vocatur Christus, et ita fuit Mater Dei, quia Christus est Deus. Alterum, quod Ioseph fuit vir Mariae, et ita caput eius, quia « caput mulieris vir »; (Ephes. V, 23), secundum Apostolum. Ex hoc autem duplici principio concluditur alterum duplex. Unum, quod decuit, ut Maria tanta puritate niteret, sicut dicit Anselmus, qua sub Deo maior nequit intelligi.

132. Alterum, quod decuit ut Ioseph, tanta praerogativa polleret, quae, similitudinem et convenientiam exprimeret, talis Sponsi ad talem Sponsam Mariam « de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Unde sicut laus Mariae et laus Christi filii sui; ita laus Ioseph in praeconium redundat utriusque, Iesu et Mariae. Sic ex adverso, dicit Sapiens, quod « dedecus filii, est pater sine honore »; (Eccli. III, 13). Similiter dedecus sponsae est sponsus sine honore derelictus.

133 Solvitur ex his quaestio, cur de Mariae, cur de Ioseph praeconiis, dignitatibus et excellentiis, virtutibus, operibus et gestis ampliora non tradit sacra Scriptura? Neque enim mundus ipse caperet omnes, qui super his scribendi essent libros. Sed ex hoc quadruplici principio velut fecundissimo quodam, copiosissimo et amplissimo laudum seminario, habet devoti contemplantis animus unde faciliter assurgat ad laudes quantaslibet Mariae et Ioseph, quomodo sic recte ascribat eis per sufficientiam aut virtualem continentiam laudes quas in aliis creaturis, etiam angelicis considerat.

134. Nam habet hoc hierarchicus ordo, secundum Dionysium, inferiores virtutes sunt in superioribus perfectiori modo repositae, quemadmodum sapientia perfectior est in Seraphim quam in Cherubim. Est autem Maria super choros angelorum per gratiam et gloriam sublimata, quale aliquid de ipso Ioseph negare non audeo; sed nec affirmare praesumo. Erunt ergo in ambobus perfectiones ceterarum creaturarum irrationabilium,

Digitized by Google

et rationabilium etiam angelicarum eminenti quodam modo reperibiles et attribuibiles. Ex hoc, quam late pateat ad commendationem utriusque, perspicuum est solerter intuenti, et per considerationem intranti campos amplissimos omnium virtutum, donorum, beatitudinum, fructuum spiritus, et similium.

135. Colligamus tamen ex his principiis laudes virtutesque, Ioseph scilicet et Mariae, coarctando sermonem circa ea quae in benedictissima nativitate Mariae concurrunt, interserendo de iusto Ioseph virginali Sponso suo, quia laus eius, Mariae laus est, et hoc sub quadruplici consideratione fiat. Agetur in prima, de nobilitatis origine Mariae et Ioseph. Agetur in altera, de sanctificatione utriusque. Agetur in tertia, de fomitis repressione in utroque. Agetur in quarta de multiplici nativitate Christi, respectu Ioseph et Mariae.

136. Erit autem deductio nostra imitatrix sanctorum ac devotissimorum patrum, qui ad commovendum piarum mentium devotionem dixerunt multa de sanctis et de divinis. Quae et qualia magis ex coniecturali quadam probabilitate, quam ex fidei necessitate tenenda sciebant. Sic eorum quae dicentur plurima volo potius intelligi; ita ut non tam quae facta sunt, quam quae fieri potuisse pia quadam religiositate credi possunt; absque ulla assertionis temeritate, et sine praeiudicio sententiae seniorum referantur.

137. Hymnus IV.

Ioseph ad mentis et corporis invocatur salutem.

Ioseph stirpis Davidicae
Sponse Almae Theotocae
Adesto nostris precibus
Quas tibi pie fundimus.
2. O gloriose baiule
Monarchae coeli curie
Ut digne demus cantica
Nostra dirumpe crimina.
3 O custos Matris Domini
Devotos tuo Nomini,
Ioseph alme, per aspera
Salva semper et prospera.
4. Adesse tuis famulis
Dignare, dux amabilis,
Sentiant nostra pectora
Tua semper iuvamina.
5. O faber beatissime
Succurre benignissime
Nosque supplices respice
Vota servorum suscipe.
6. Praesta Pater ingenite
IESU cum Sancto Flamine
Ut Ioseph almi precibus
Iungamur in coelestibus.

(E collect. Hymn. 16. saeculi, Mone, pars III).

138. **Memento.** — Religionem cultumque erga magnum Patriarcham S. Iosephum Sponsum B. M. V. enixe omnibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, pariter commendamus; sed praecipue ecclesiarum rectores hortamur, ut dies XIX cuiusque mensis specialem in modum eidem dicata ita immaneat, ut nonnullae pietatis exercitationes in eius honorem peragantur. Si vero integer mensis praecelso V. Mariae Sponso dicabitur, eius initium die etiam XIX februarii fieri poterit ut finem in festo eius natalitio habeat. (Conc. Prov. Mexicani V, n. 475).

V. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE NOBILITATIS ORIGINE MARIAE ET IOSEPH.

Sermo in Concilio Constantiensi de Nativ. gloriosae Virginis Mariae et de commendatione Virginei Sponsi eius Ioseph: Consid. 1.

MARIA (*de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*) *sicut fuit regali ex progenie David orta, ita Ioseph virum Mariae, decuit et legimus de domo David esse progenitum.* Hoc ex evangelica traditione certum est. Sed poterat hic sermo multus de nobilitate fieri, quid sit, et quid vel quantum laudis habeat. De moribus insuper nobilium, sicut apud Aristotelem, apud Ciceronem, apud Sallustium, apud Boëtium et alios plures invenimus. Etenim cum nobilitas sit quaedam de meritis veniens laus parentum, hoc in ipsa nobilitate bonum est, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a maiorum virtute degenerent.

139. Alterum nobilitatis bonum, quia probabile est, secundum Aristotelem, ex bonis bonos nasci, praesertim ubi disciplina bonarum artium et virtutum iam confestim a puero tradi potest et debet nobilibus, et hoc si vero et non ficto nomine nobiles velint haberi. Colant in primis praecipua sollicitudine Deum, cuius oraculum ad puerulum Samuelem tale factum est: « Qui me contemnunt erunt ignobiles ». Neque enim facient nobilem antiquatae divitiae, ut videtur Aristoteles describere, neque dominatio super ceteros, aut aliquod huiusmodi temporale dat nobilitatem, sed servitus Dei, cui servire regnare est, cuius agi frenis summa libertas est. Sic Agatha theologizans gloriabatur inter opprobria dicens: « Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur ».

140. Ex quibus elicere protinus fas nobis est Mariam et Ioseph summa nobilitate praeditos fuisse. Quae ratio? Nimirum quia supremum eos in Dei obsequio etiam corporali servitutem exhibuisse credi debet. Nobiliores igitur quam nobilissimus regum David, sicut eo sanctiores et timoratiores in Dei fuerunt servitio, quamvis illa fuit mirabilissima stupendaque nobilitas David, dum respondit

Digitized by Google

ipsi Michol irridenti et contemnenti eum in corde suo: « Vivit Dominus, et ludam ante Dominum, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis ». (Lib. II Regum VII).

141. Porro si de nobilitate corporis quam dare videtur harmonica complexionis dispositio bona, loquimur, invenimus Mariae corpus miraculose compositum, quoniam ex utero sterili formatum est ab illo, cuius perfecta sunt opera, qui ideo perfecte materiam disposuit, ex qua Mariae corpus formatum organizatumque est. Ac proinde colligimus quod neque malevolus aspectus cuiuslibet ex planetis nocuisse credendus est in ipso conceptionis aut nativitatis exordio, sicut nec huiusmodi formatio subiiciebatur coelorum influxibus, quia quidquid agebat, hoc totum gratiae magis erat quam naturae.

142. Sumeretur hoc loco efficax argumentum contra superstitiosam neque fundabilem astronomorum de iudiciis circa nativitates hominum traditionem, quoad plurima quae asserunt; quoniam gratia Dei et libertas arbitrii sic dominium obtinent super naturales influxus, quod per experientias sumptas ex hominum operationibus nullae poterunt regulae tradi certae et universales. Sed haec omittamus quoniam ad alia sermo deproperat.

143. Inquiri vero potest de Annae sterilitate unde erat. Non enim videtur quod ex senectute vel senio, licet anus appelletur dum de Mariae conceptione fit mentio. Constat enim ex historiis, et Hieronymus testis est, quod Anna post genitam Mariam ex Ioachim duobus viris nupsit Cleophe et Salome, et a primo Mariam Cleophe, ab altero Mariam Salome suscepit (1), quarum genealogiae metris comprehensae sunt:

Anna tribus nupsit: Ioachim, Cleophe, Salomeque
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxere Ioseph, Alphaeus, Zebedaeusque.
Prima Iesum; Iacobum, Ioseph, cum Simone Iudam
Altera dat; Iacobum dat tertia datque Ioannem.

144. Inveniuntur proinde doctores aliqui satis moderni, ut dominus Armacanus, conquisitionem facientes de nobilitate Ioseph et Mariae, an videlicet illa talis fuerit et tam proxima ipsi David secundum rectam genealogiae legem, quod vel ipsa Maria vel ipse Ioseph haereditario successionis iure debuerant in regnum temporale David sublimari. Et an Iesus benedictus fructus ventris Mariae fuerit iure ponendus super sedem David et thronum eius, tanquam rex temporalis et specialis Iudaeorum.

145. Unde consequenter inquiritur ab aliquibus, si muliebri sexui, deficiente masculino, apud reges ius successionis ad regnum debeat etiam iure divino et invariabili et impraescriptibili competere? Quae disceptatio non parvam inter duo regna Christianorum clarissima Franciae et Angliae vel fecit vel fovit controversiam, sicut ex opusculis hinc inde confectis sciri potest, quorum sententias omittere decrevimus pro praesenti.

146. Puto tamen probabilius quod regnum Christi super Iudaeam non fuit temporale; sed spirituale, sicut in aliis regionibus. Dicitur autem specialiter rex Iudaeorum, quia in eis in persona propria regale sacerdotium exercuit praedicando; propterea dicit: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel » (Matth. XV, 24). Haec enim fuit praecipua causa deceptionis Iudaeorum circa Christum verum Messiam, quoniam omnia quae de Christi regno dicuntur in scripturis, accipiunt carnaliter seu temporaliter, cum tamen vere Pilato dixerit: « Regnum meum non est de hoc mundo » (Ioann. XVIII, 36). Sed et alteri quaerenti: « Dic fratri meo ut dividat mecum haereditatem », respondit: « Quis me constituit iudicem super vos », (Luc. XII, 13) et ita de pluribus.

147. Et fatendum tamen est quod ipse est Rex regum et Dominus dominantium iure et titulo multiplici, quemadmodum declarat inter ceteros quidam doctor Angelicanus, probare volens quod falsum et blasphemum est dicere, quod Christus mendicaverit, imo quod potuit mendicare. Est enim, inquit, mendicare ipsum mendicantem petere de solo debito naturali, sine omni dignitate, iustitia seu debito personali habito ad petitum. Fuit autem impossibile Christum aliquid petiisse seu mendicasse ostiatim, vel aliter de solo debito naturali sine omni dignitate, iustitia seu debito personali: hoc enim faciendo fictus extitisset et falsus, cum sibi competiverit dignitas personalis ex iustitia et debito, quam dignitatem repudiare non potuerat secundum veritatem. Fictio autem longe erat ab eodem.

148. Mendicitas enim defectum dicit, quia « mene » (2) defectus est. Aut igitur mendicans habet dignitatem aliquam personalem, aut aliquam iustam causam ad petendum id quod petit, ut quia ministravit illi spiritualia, scilicet praedicationem, orationem, vel missam, vel temporalia, sicut obsequium; et sic non

(1) Haec opinio merito reiecta fuit et omnino reiicienda est, ut dicetur infra. Anna enim sanctissima unicum habuit virum S. Ioachim.

(2) A voce μήνη, luna: idest, defectus lunae.

Digitized by Google

petit ex solo debito naturalis indigentiae, sed habet debitum et obligationem iure personalis dignitatis, aut alicuius alterius meriti personalis, et ita non vere mendicat. Et si mendicare se dicit, fingit, hoc est mentitur.

149. Si autem non habet titulum dignitatis aut alicuius meriti personalis, et est in necessitate positus, fatendum est quod in hoc casu veraciter et licite mendicus est. Si vero deficit utrumque, ut quia non indiget, vel si indiget potest retribuere, vel retribuit meritum personale, et sic mendicat; ista est prorsus ficta et hypocritalis mendicitas. « Spiritus autem sanctus effugiet fictum », (Sap. I, 5), nec hypocrita placebit Deo; ergo mendicare non conveniebat Christo. Quam late pateat haec materia, viderit doctor praedictus, viderit et vestra beatitudo.

150. Sed oritur dubitatio, cum Maria et Ioseph fuerint de regia stirpe progeniti, quo pacto voluit ipse Ioseph servilibus operibus intendere? Fuit enim faber lignarius. Similiter dicit Hieronymus Mariam operi textrino operam dedisse. Respondemus mirandum non esse si paupertatis honestae praedicator et amator Iesus voluit in honesta paupertate nasci, et laboriosissimus cum laborantibus educari, dans in hoc exemplum omnibus etiam nobilibus, ne vacent inerti otio, quod est fomes, fons et origo omnium vitiorum, quoniam multa mala docuit otiositas. Recogitent insuper nobiles et ignobiles illud Psal. « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit » (Psal. CXXVII, 2).

151. Agerem hic de mendicitate, nisi quod ad alia festino. Ceterum plurima suppetebat hoc loco querimonia contra quosdam superbe et enerviter otiosos praesertim ecclesiasticos et religiosos, sed adversus eos satis sit volumen istud egregium quod de opere monachorum composuit Augustinus, a quo posterius multa Hugo de Sancto Victore sumpsit, et explicando disseruit. Itaque illud quod de forti muliere praedicat Sapiens, Mariae convenit, quae « panem otiosa non comedit, sed quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum ». (Prov. XXXI, 13, 27). Ideo rite subinfertur mystice de Ioseph viro suo, quod « nobilis in portis vir eius ». (vers. 23). Et haec de nobilitate Ioseph et Mariae dicta sufficiunt [1].

Sequitur de utriusque in utero sanctificatione.

152. **Hymnus V.**

A Iosepho castitas exoratur.

CARNIS servans munditiem
Fragrasti quasi lilium;
Stolam amplexus regiam,
Cursu cepisti bravium.
2. Tu sis nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio,
Nostraque iubilatio.
3. Ope guberna fragiles
Immundi huius pelago,
Atque exutos corpore
Nos omnes semper suscipe.
4. Nos ergo, sponse Virginis,
Rogamus, Ioseph, supplices
Obtentos castos perfice,
Et a peccatis ablue.
5. Procul a nobis subdolus,
Te obsecrantes quaesumus
Abscedat atque lubricus
Bonorum anguis invidus.
6. Ut beatorum gaudiis
Tuisque nos suffragiis
Coniungat Una Deitas,
Quae est in Uno Trinitas. Amen.

(E. Brev. sec. usum Gallicanum. Venetiis 1727).

153. **Memento.** — Quoad cultum Sanctorum, quoniam, prout dicit Apostolus, una stella differt ab altera, licet omnes Sancti coram Deo magni sint, attamen quidam illustriores aliis, quos inter maxime eminere S. Iosephum, Sponsum B. Virginis solemnissima Vicarii Christi in terra auctoritate edocti retinemus; ex eo quod tum immort. mem. Pii IX, tum incliti eius successoris Leonis XIII decretis, Sanctus iste constitutus fuerit Ecclesiae universae Patronus. Quare et Synodus haec insignia bona spiritualia sibi a patrocinio huius Sancti adpromittens, Eundem veluti specialem Ecclesiae Ruthenae protectorem exinde sibi assumere Dei benignitate gestit. — Cultui S. Iosephi Sponsi B. V. Mariae copulandus est etiam cultus gloriosissimorum Eiusdem B. Virginis parentum SS. Ioachimi et Annae, qui pariter Summorum Pontificum decretis in dies vehementius inclarescit, quorumque memoria apud nos speciali officio semel iterumque celebratur. Quare animarum pastores satagant etiam horum Sanctorum cultum semper ardentius appositis concionibus, occasione data, promovere, atque diebus eorum memoriae dedicatis Missam decantare (Synodus Prov. Ruthenorum, p. 64).

([1]) Isolanus, p. I, c. VII, quatuor producit obiectiones contra nobilitatem S. Ioseph, easque solvit, ut sequitur: Sed non videtur in Sancto Ioseph tanto laudata affectu carnis nobilitas, sanctarum consona mysteriis litterarum. Primo quidem quoniam electus fuit Ioseph ad dignoscendam veritatem Verbi Dei. Sed de illa electione dicitur *primae ad Cor. primo:* " Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed ignobilia mundi et contem-

Digitized by Google

VI. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE SANCTIFICATIONE MARIAE ET IOSEPH.

Sermo in Concilio Constantiensi de Nativ. gloriosae Virg. Mariae et de commendatione Virginei Sponsi eius Ioseph: Consider. 2.

MARIA (de qua natus est Iesus) sicut fuerat in utero sanctificata priusquam nasceretur, ita de Ioseph virginali viro suo pia credulitate credi potest, quamvis non omnino similiter. Potest forsan haec dissimilitudo notari in hoc quod Ioseph post originale contractum sanctificatus est in utero baptismo flaminis, sicut Ioannes Baptista et aliorum plurimi.

155. Sic enim in officio Hierosolymitano de Ioseph composito continetur, et ex praemisso quadruplici principio sequi videtur. Mariam autem ita praevenit gratia sanctificans, ut quamvis lege communi teneretur, obnoxia peccato originali, iuxta causas universales generationis ab Adam traductae; non sic autem Filius eius Iesus, quia non ex virili concubitu genitus est; nihilominus ipsa Maria lege privata ac privilegiata sic praeventa est ut nequaquam illud generale contraheret, quoniam hoc et potuit et decuit fieri, ut perfectissimus Salvator Filius eius perfectissimum in sua Matre modum salvationis impenderet, taliter eam sanctificando a peccato, ut in illud in quod aliquando casura erat, ipso sanctificante et gra-

---

ptibilia, et ea quae non sunt elegit Deus „: ergo non videtur recte laudari nobilitas in electo Dei Ioseph.

Secundo idem confirmatur, auctoritate glossae super dictum idem Apostoli: " Venit Deus humilis, quaerens humiles, non altos „: de quorum numero creduntur nobiles a mortalibus.

Tertio arguitur. Dei suprema fuit humilitas in opere Incarnationis. Sed videtur maior humiliatio Dei patrem putativum eligere ignobilem, quam nobilem. Non recte igitur in Ioseph, commendari videtur nobilitas.

Quarto. Nobilitas nihil aliud videtur esse quam antiquae divitiae, ut dicit Philosophus in quarto Politicorum. Sed Ioseph fuit pauper, utpote ex arte lignaria sibi victum quaeritans: ergo non vere laudatur in eo nobilitas.

Verum pro clariori horum solutione animadvertendum est, nobilitatem hominis in tribus considerari, in causa, in substantia, in efficientia. In causa, si a nobili origine principium ducat: quae in sancto Ioseph, excellentissime fulsit. Nam in origine illius triplex inventa fuit dignitas: prima corporalis, secunda spiritualis, tertia coelestis; prima regalis, secunda sacerdotalis, tertia prophetalis, et haec coelestis, quia futura praedicere, donum Dei est. David enim rex fuit, Abraham patriarcha, Nathan propheta, a quibus originem duxit Ioseph. In substantia vero, sive in persona sua, triplicem pariter possedit nobilitatem. Fuit namque iustus mente, dignitate Reginae coeli Sponsus, officio Dei nutritius, ac pater putativus. In efficientia itidem triplicem effectum praeclarissimae nobilitatis toti universo produxit. Nam Salvatorem mundi suo excepit hospitio, deduxit per longa terrarum spatia incolumem suo servitio ac nutrivit multos per annos, proprio labore et exercitio. Hi sunt novem radii nobilitatis sanctissimi Ioseph, quibus sole clarius praestantissima illius nobilitas mortalibus explorata redditur.

Ad primum ergo respondendum est, divinum Paulum loqui de praedicatoribus per quos convertendus erat mundus ad fidem, quos congruebat esse plebeos et indoctos; ne eorum potentiae et sapientiae vel dignitati ascriberetur, illud quod Deus per gratiam et eorum ministerium operabatur, et sic crux Christi evacuaretur. Unde glossa ibidem: Nisi fideliter praecederet piscator, non humiliter sequeretur orator. Non autem congruebat, ut domestico familiatu Rex regum ab ignobili mente vel corpore nutriretur. Nec fas erat, cui millia millium ministrant angelorum, patrem deligere putativum ignobilem. Neque, qui Virginem, quam sol et luna, ac coelestis quique Ierusalem cives admirantur, Matrem delegit, indigno ignobilitate viro desponsari pateretur.

Ad secundum dicendum, quod humilitas non adversatur nobilitati: sed est illius decor admirabileque ornamentum, iuxta illud: Quanto maior es, humilia te in omnibus. Humiles vero ac nobiles quaerit singularissime Deus, dicente beatissima Virgine Maria: " Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes „.

Ad tertium dicendum, quod in opere Incarnationis, ostensa est suprema Dei humilitas, in carnis assumptione. Exinanivit enim seipsum formam servi accipiens, et in humili conversatione: " Discite a me, quia mitis sum et humilis corde „, Matthaei 11, et in passionis vehementissima afflictione, Threnorum primo: " Attendite et videte si est dolor sicut dolor meus „. Verum, non semper operationibus humilitatem praeseferentibus exteriorem, usus est, sed magis vel minus ut decuit. Nam in virtute docuit, miracula fecit, et victoriosus a mortuis resurrexit. Non ergo fuisset maior Dei humiliatio in Incarnatione, si patrem ignobilem delegisset, quia maxima illius humilitas in praemissis apparuit, in tali opere aliter agere non decuit, et nihil humiliationi divinae defuit cum humanam naturam assumpsit.

Ad quartum dicendum: Ioseph pauperem fuisse divitiarum copia, sed nobilem complexionis excellentia quod est totius nobilitatis fundamentum: et haec quidem, satis superque declarata fuere. Caruit ergo Ioseph divitiis, ad vitandam superfluitatem, easque habuit ad necessitatem. Nec opere manuum victum quaerere repugnat hominis nobilitati, sed eius saepenumero vilitati. Nam de nullo nobilitatis genere gloriari debet, qui in sudore vultus sui, pane vesci minime valet. Mater enim nobilitatis natura, otiosum horret, et extinguere conatur quantum potest, quoniam teste Philosopho in secundo Coeli: " Omne cuius est opus, est propter ipsum opus „. Et idem in tertio de Anima: " Deus et natura nihil frustra faciunt „.

Digitized by Google

tiam infundente non caderet, et ita contereret caput serpentis antiqui nunquam ab eius pede contrita.

156. Longus esset sermo, si cuncta prosequi vellemus de hac sanctificationis materia, quam ad benedictae conceptionis suae festivitatem remittimus, elicientes religiosum ac morale documentum pie et crebro praedicandum. Constat itaque Deum misericordiam salvationis suae non ita legibus communibus traditionis Christianae, non ita sacramentis ipsis alligasse, quin absque praeiudicio legis eiusdem possit pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare gratiae suae baptismo, vel virtute Spiritus Sancti.

90. Debent igitur mulieres praegnantes, similiter et viri sui per se et alios diligentius preces fundere Deo, et ad sanctos angelos custodes hominum, etiam puerorum in utero; debent ad ceteros sanctos sanctasque omnes confugere, quatenus infans nondum natus, si forte moriturus est, priusquam ad baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Iesus summus pontifex baptismo Spiritus Sancti praeveniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit si forte exaudiat Deus, imo quis non devotius sperare valeat, quod orationem humilium et in se sperantium nequaquam despiciat?

157. Proficit haec consideratio ad excitationem devotionis in parentibus, proficit ad leviandum eorum angustiam, dum sine baptismo decedit puer, quia non omnis inde spes ablata est. Sed neque absque revelatione datur (fateor) certitudo. Sed oritur in hac consideratione secunda et in similibus dubitatio theologica salubriter coram hoc sacrosancto concilio et publice pertractanda. Necessitas enim maior incumbit ut hoc fiat quam credideram. Dicit quippe nostra consideratio, quod Maria fuit in utero sanctificata, imo et ipse Ioseph.

158. Constat autem quod hoc in Scriptura sacra quae est canon Bibliae neque continetur explicite, neque in contentis in eadem educitur evidenter. Est igitur quaestio si de necessitate fidei tenenda est veritas nostrae considerationis secundae. Et hoc est investigare sub generali regula, quae veritas est certa fide et de salutis necessitate tenenda, quae de sola probabilitate, quae de pietate fidei, et quae sit impertinens?

159. Respondere proposueramus per unicam distinctionem septuplicem, collocando virtutes pertinentes ad religionem Christianam sub sex gradibus ad invicem ordinatis, inferendo breves et paucas propositiones corollarias, quae forsitan minus habent praedicationis locum quam exercitium scholasticum respiciunt, quale exercitium posterius habere sperantes, nos hac dubitatione relicta transibimus ad reliquas considerationes tertiam et quartam.

160. **Hymnus VI.**

Ioseph in morte patronus eligitur.

DILECTE mi Iosephe si
Fatalis instat hora:
Ah vindicem tunc iudicem
Pro me patronus ora!

2. Cum tristibus conflictibus
Mors instat et minatur,
In luctibus ceu fluctibus
Mens tristis implicatur,

3. Fatalibus singultibus
Cum spiritus fugatur,
Ad vindicis cum iudicis
Tribunal evocatur:

4. Tunc nexibus complexibus
Hunc stringe brachiorum,
Ut exuas et eruas
E vinculis malorum.

(Ex collect. Hymn. 16 saeculi).

161. **Memento.** — Foveant parochi, cunctique sacerdotes, in populis cultum et venerationem Sancti Iosephi, quem catholicae Ecclesiae Patronum ven. mem. Pius IX declaravit. Ii omnes, quibus sanctum et dulce est Christum adorare, et Mariam celebrare, dulce et sanctum quoque erit illum colere, qui Christi pater putabatur, patris officia Christo exhibuit, cuique Christus in terris subditus erat. Eius patrocinium nos celebrare voluit sancta mater Ecclesia; omnes igitur ad ipsum confugiant oportet, et religioso cultu illum prosequentes, eximias virtutes imitentur. Filius David iustus et humilis superbiae humanae fastum confundit, et labore manuum suarum, et in sudore vultus sui comedens panem, ac Iesu et Mariae necessaria procurans, omnibus qui in laboribus versantur et fatigantur, exemplum sit et praesidium. Apud homines quidem faber lignarius dicebatur, sed in coelis ineffabili fulget gloria, et validissima sua oratione cunctis eum implorantibus spiritualia et temporalia saluti congruentia a Deo impetrat beneficia (Conc. Prov. Vallisoletani, pag. 178).

VII. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE REPRESSIONE FOMITIS IN MARIA ET IOSEPH.

Sermo in Concilio Constantiensi de Nativ. gloriosae Virginis Mariae et de commendatione Virginei Sponsi eius Ioseph: Consider. 3.

MARIA (de qua natus est Iesus) sicut habuit repressionem fomitis originalis ne in vitiosam excandesceret concupiscentiam; sic de Ioseph virginali Sponso suo intelligi pie potest, praesertim dum matrimonialiter eidem coniunctus est. Unde sicut Maria potuit ex sententia dicere illud Sarae uxoris Tobiae iunioris filiae Raguēlis:

Digitized by Google

« Tu scis, Domine, quod nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere ». (Tob. III, 16). Sic ipse Ioseph potuit apud Deum gloriari, ita enim pie teneo: Tu scis Domine quia nunquam concupivi feminam, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia ; uxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

163. Testis et assertor huius sententiae nobis est Hieronymus (libello de perpetua virginitate Mariae) contro Helvidium etc. Similiter et Hugo de sancto Victore (in tractatu de coniugio beatae Mariae), et alii sanctorum plurimi. Hieronymus enim Ioseph permansisse virginem non dubitat adstruere. Ioseph igitur priusquam iungeretur cum Virgine Maria corruptus vel uxoratus non fuerat. Et hoc maxime concludimus ex eo, quia si Matri suae Dominus iam provectae neminem dare custodem voluit nisi virginem, scilicet Ioannem evangelistam, quanto magis existimandum est quod hoc fieri voluit in adolescentiori aetate? Similiter Filius Iesus sicuti non voluit nasci, ita nec nutriri nisi in puritate virginali.

164. Porro Ioseph si ab uxore post immediatum tempus nuptiarum continuit semetipsum, sicut evangelistae testimonium habet, quod « non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum » (Matth. I, 25), et hoc propter reverentiam tanti sacramenti tantique mysterii. Hic apertissime datur intelligi quod nec post partum cognovit eam, quoniam urgentior erat ratio tunc quam prius, ut ab eius cognitione se temperaret. Et hoc nobis non ut dubium, sed ut certa fide tenendum nunc iniungitur ; sic quod Maria post partum inviolata permansit.

165. Addamus quod Ioseph cum esset vir iustus, cum praeterea fomitem originalis peccati vel repressum vel extinctum haberet (ita enim decebat fieri ne Mariae speciositas vel familiaritas sibi cederet in scandalum vel ruinam), ipse ex convictu et cohabitatione familiari Mariae non movebatur ad libidinem, sed ad castitatem tam ex repressione huiusmodi fomitis in seipso, quam ex Mariae virtute et merito, quam ex disciplinato conversationis modo.

166. Hic figuraliter introduci potest illud de Sunamite, quae erat puella pulchra nimis, et dormiebat in sinu David, qui tamen non cognovit eam, nec in eius concupiscentiam quomodolibet exarsit. Sic enim certissimum est de Maria coniuge sua, quod ex convictu seu associatione viri nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus, nulla illecebra praeveniens rationem, vel inobediens sibi vexabat eam. Alioquin peccasset saltem venialiter, quod Augustinus negat, negant et doctores; quia gratiae plenitudinem habuit ad vincendum ex omni parte peccatum, plus quam Adam ex originali iustitia.

167. Tradit Dominus Bonaventura hoc se habuisse a Iudaeorum fideli narratione, quod nullus ex aspectu gloriosae Virginis, quamvis esset pulchra nimis, urebatur aut inflammabatur ad foedam carnis concupiscentiam, sed eam potius extinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus spiraret vel effluereat a mente sua castissima. Sic ex adverso de peccatrice ac petulanti muliere verum est illud Horatii: « Et vultus nimium lubricus aspici ». Sic de talibus notavit Petrus: « Oculos, inquit, habentes plenos adulterii et insatiabilis delicti » (II Petr. II, 14), unde consurgit fascinatio quaedam illecebrosa in aspicientes.

168. Memini me latius alias cum de conceptione Virginis sermo fieret, materiam hanc per similitudines et rationes pertractasse, ut de samma herba, cuius et aliorum quorundam pretiosarum lapidum movet aspectus ad castitatem. Elicio protinus ad confirmandum Mariae perpetuam virginitatem cum Ioseph.

169. Non oportet credere ipsum Ioseph iustum virum Mariae senio fractum, debilitatum aut frigidum fuisse, dum nupsit Mariae adolescentulae ad salvandum castissimum atque pudicissimum cum ea convictum. Potuit utique plus operari Spiritus Sanctus in conservando castitatem ipsius Ioseph per repressionem vel extinctionem fomitis originalis in ipso, quam senectus vel senium operetur. Etenim quis nesciat quosdam senes septuagenarios aut octogenarios spurcissimis libidinibus exarsisse, euntes post desideria sua et in adinventionibus suis turpissimis, quales etiam vel cogitare vel dicere pudor et faetor est, computrescentes. Sensit virginitatis gratiam qui dixit: « Scio enim quod continens esse non possum, nisi dederit Deus ». (Sap. VIII, 21).

170. Sic autem existimo Ioseph fuisse iuvenem, sicut iuventutis terminos ponit Isidorus, quos extendi a vigintiocto annis, ubi terminat adolescentiam, usque ad annum quinquagesimum, quo tempore aetas tunc senectutis inchoat. Fuit igitur Ioseph dum primo desponsatus est sub quinquagesimo anno constitutus. Nec urget in oppositum libellus « de infantia Salvatoris » quia iure damnatus est. Movet autem ad hoc pie tenendum multiplex ratio.

171. Primo propter mysterium propheticum, quo dicitur in Isaia: « Laetabitur sponsus super sponsam, et habitabit iuvenis cum virgine » (Is. LXII, 5), ubi glossa interlinearis

Digitized by Google

et ordinaria dicit: « Ioseph cum Maria ». Movet historiae consideratio, quia Cleophas secundus maritus Annae, ex cuius filia sorore Mariae virginis geniti sunt quatuor fratres: Iacobus, Ioseph, Simon et Iudas, habuit fratrem ipsum Ioseph virum Mariae filiastrae suae. Non igitur videtur probabile quod in aetate tantum distarent Ioseph et Cleophas fratres. Monet tertio finis et ratio desponsationis Mariae cum Ioseph.

172. Quae ratio duplex principaliter, assignatur. Una propter ministerium et obsequium praestandum ipsi Mariae et puero Iesu euntibus in Ægyptum, illic manentibus et inde redeuntibus, et consequenter usque ad perfectam aetatem. Constat autem quod ad talia non fuisset idoneus homo senio confractus et impotens, qualis eget amplius ut ei ministretur quam ministret, qualis praeterea onerosior Mariae quam obsequentior extitisset. Altera ratio fuit ad conservandam Mariae famam apud perfidos Iudaeos, et ad Incarnationis mysterium celandum daemonibus, quae ratio cessasset prorsus, si Ioseph senex, frigidus et quasi maleficiatus palam apparuisset. Talis enim quo pacto credi potuisset alicuius pater infantis?

173. Quaereret igitur aliquis, cur senex depingitur? Responsio: depingitur alicubi senex propter mentis et castitatis virtutem, sicut dicit sapiens, « quod aetas senectutis vita immaculata » (Sap. IV, 9). Quo contra dicit propheticus sermo, quod « maledictus puer centum annorum » (Is. LXV, 20). Vel ideo pingebatur senex ab initio nascentis Ecclesiae, dum Mariae perpetua virginitas nondum, ut modo, radices fixerat in cordibus fidelium, ne suspicarentur carnale aliquid de Ioseph et Maria. Hinc fortassis omissa est solemnizatio celebris de tam venerando laetoque coniugio. Depictum tamen invenimus Ioseph velut in aetate iuvenili qualem praediximus, sicut in hac Alemania crebro notavi. Vel dic illud Horatii:

> Pictoribus atque poetis,
> Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Suggerebat hoc loco religiosa studiositas plurima conquirere de castissima et sanctissima conversatione Ioseph cum Maria, de confabulationibus suis divinissimis in loco peregrinationis suae super mysteriis nostrae redemptionis, super canticis ipsius Mariae, Zachariae, et Simeonis. Super his praeterea omnibus quae dicebantur de puero Iesu, et quae videbantur in eo, et quae revelabantur ab angelo, imo et quae felici experimento tu, Maria, didiceras.

174. Unde sicut decuit Mariam ut summa puritate niteret, sic decuit ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua virgine virgo prius et posterius permaneret. Uterque regali progenie renitens et illustris. Uterque sanctificationem in utero recipiens: cum Maria plena gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia, peccatum saltem mortale quodlibet superante. Vovit Maria virginitatem, vovit et ipse Ioseph, secundum doctores, cui voto non repugnavit vera matrimonialis coniunctio, neque corporum mutua translatio. In quo matrimonio proles fuit, fides atque sacramentum.

175. Novit Maria mysterium Incarnationis a saeculis absconditum angelo nuntiante, novit et Ioseph admonitus super haec in somnis, ut existimo, pie prius edoctus familiariter a Maria, sicut beatam Ceciliam legimus Valeriano sponso suo dixisse: « Est mysterium quod revelem, amantissime iuvenis, si tota illud fide custodias, etc ». Quidni fuerit audentior divino confidens auxilio Maria erga Sponsum suum Ioseph pudicissimum, « cum esset iustus » quam Cecilia erga Valerianum, quem urgebat impetus nuptiarum?

176. Turbata est Maria in angelica salutatione, sed non cónturbata vel incredula. Turbatus est ipse Ioseph ad stupendum tantae novitatis miraculum, ita ut nollet Mariam traducere, non tamen conturbatus vel culpabiliter incredulus, sed stupor quidam apprehendebat eum, sicut de Petro legimus dum ait ad Iesum: « Exi a me Domine quia peccator sum » (Luc. V, 8). Ioseph similiter coniungi coniugio tam excellentissimae Virginis Mariae indignum se iudicabat. Propterea non ex credulitate suspiciosa, sed ex profundissima humilitate videtur Mariam traducere noluisse, sed quasi dixisse: Exi a me Domina, quia peccator sum. Hinc angelus ad eum: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam » (Matth. I, 20) non dixit: noli incredulus esse.

177. Visitavit Maria Zachariam et Elisabeth, non dubium, quin de licentia et consensu viri sui Ioseph, iam de sacramento incarnationis instructi. Visitavit et Ioseph vel illo tunc tempore, vel in solemnitate paschali quae proxima erat, et ad quam ire iubebat lex in Hierusalem. Decantavit canticum Maria, cecinit et ipse Zacharias. Non dubium quin particeps et conscius canticorum istorum Ioseph extiterit. Congratulata est Maria cum ceteris parentibus et cognatis ipsi Elisabeth puerperae, dum Ioannem enixa est; a qua gratulatione Ioseph alienus non fuisse putandus est.

178. Recogitabat Maria signum datum ipsi Acham de virgine paritura in se completum fuisse. Gloriabatur et hoc ipse Ioseph magnificans Deum in corde suo, et assidue gratias agens. Obedivit Ioseph edicto quod fecerat Caesar Augustus, obedivit et Maria.

Digitized by Google

Scriptum est enim quod Ioseph ivit in Bethleem « cum Maria uxore sua praegnante ». (Luc. II, 5). Sciebat enim obediendum esse « potestatibus sublimioribus » (Rom. XIII, 1), quoniam sic est voluntas Dei.

179. Maria filium suum primogenitum mox ut natus est adoravit cum gaudio et exultatione. Ioseph ab hoc adorationis gaudio et exultatione nequaquam alienus fuisse credendus est. « Maria conservabat omnia quae dicebantur » de puero Iesu per pastores, per tres reges, per Simeonem, per Annam, per ceteros, « conferens ea in corde suo » (Luc. II, 19) et admirans, non ex ignorantia, sed ex insolita mysterii reverentia, Ioseph similiter. Nam scriptum est, quod « erant pater Iesu et mater admirantes super his quae dicebantur de puero » (vers. 33).

180. Obedivit Ioseph angelo iubenti in somnis ut acciperet matrem cum puero, ut fugeret in Ægyptum. Obedivit et Maria nova illa puerpera et delicata iuvencula nocte consurgens. In qua peregrinatione laboriosissima dicere poterant uterque ad Dominum: « Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae » (Psalm. CXVIII, 54). Unde quidam metrice scribit velut ex persona peregrinantium et psallentium de lege Domini:

Esto peregrinis nobis cantabilis alma,
  Lex Domini relevans taedia dura viae.
Nam fugiunt tristes citius per inania curae,
  Carmina divinus dum modulatur amor.
Ergo coeligena miseris mens incola terris
  Sis psaltes, lyricis iugiter apta modis.
Sic non te totam lachrymarum valle molesta,
  Sed coelo poteris dicere te positam.

181. Et, o bone Iesu, o salutifer Christe, quis sufficienter existimare possit egressum, progressum et ingressum peregrinationis illius septennalis, quantus fuerit hinc labor, dolor et timor, quantus inde divinorum sapor et dulcor. Et unde? Nimirum ex divina consolatione quae facit etiam cum tentatione proventum. Ex mutua rursus collatione et allocutione Ioseph cum Maria et amborum cum puero Iesu. Ex cogitatione tandem divini consilii super redemptione generis humani. Sicut Augustinus confitetur, quod non satiabatur dulcedine mirabili super altitudine consilii divini in redemptione generis humani.

182. Quis det interfuisse collocutionibus huiusmodi? Quis peregrinantibus his concesserit adstitisse? Quis oeconomiam illam honesta paupertate gratissimam viri et uxoris cum filio, ubi pro famulo dabatur asinus, secundum Aristotelem, considerare poterit? Unde si vetus illa mater Elisabeth exclamavit prophetice ad unicam Mariae salutationem, si exultavit prae gaudio Ioannes infans in utero suo, quid ex continua cohabitatione et allocutione cum Maria et puero Iesu iustus Ioseph acceperit divinae consolationis et illuminationis dici nequit. Quis det hymnum de canticis Sion ex Maria suaviter audivisse in terra aliena? Quis det eam baiulantem in ulnis, « speciosum forma prae filiis hominum » (Psal. XLIV, 3), quae blandiebatur arridenti, quae condolebat vagienti, quae frequenter tibi viro Sponso suo Ioseph baiulandum, fovendum osculandumque tradebat, vidisse?

183. Legimus praeterea puerum Iesum dum duodecim annorum factus esset, subditum fuisse Ioseph et Mariae; quae subiectio sicut inaestimabilem notat humilitatem in Iesu, ita dignitatem incomparabilem signat in Ioseph et Maria. Porro legimus in transitu Mariae ipsum adstitisse. Hoc enim Hieronymus argumentatur. Sic et in obitu felici Ioseph recte credendum est Mariam sponsam et filium Iesum corporaliter adfuisse. Ante enim Christi passionem defunctus est: alioquin enim custodia matris alteri commissa non fuisset. Hinc metricus quidam:

Venerat illa dies qua vitam morte pararet
Perpetuam tibi iuste Ioseph, David inclyta proles,
Christus adest cum matre pia, quibus officiose
Servieras, vultu placido solantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor, etenim sic credere fas est,
Quod patrem Iesus et sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, fidei custodis amator
Procumbit lecto, complexans membra, pudicis
Oscula dat labiis, mi vir, conclamat, obisne?
Deseris et viduam passuram dira relinquis?
Velle tamen fiat Domini, dilecte volo mi,
Ecce Iesus tuus in placida te sede locabit:
Protinus ipse Ioseph pretiosa morte quievit.

184. Legimus Christo moriente multa corpora sanctorum surrexisse et venisse « in sanctam civitatem Hierusalem et apparuisse multis ». (Matth. XXVII, 53). Hinc forte dicit Apostolus: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos » (Hebr. I, 35). Recogitet oro pius animus, si iustus Ioseph unus ex illis putandus est fuisse, qui Mariae apparuerit carissimae Sponsae, qui eam consolatus sit, qui tandem Christo in coelum ascendente simul et ascendit glorificatus; non dubium in anima, sed an et in corpore nescio, Deus scit: et collocatus est a dextris ipsius Iesu, hoc est in potioribus bonis suis.

185. Concluditur ad extremum pro praemissis et aliis inenarrabilibus iusti Ioseph praeconiis, quam recte, quam religiose faciunt et fecerunt, qui celebritatem de virginali coniugio Mariae et Ioseph, qui festivitatem solemnem de beato transitu eiusdem Ioseph peragere senserunt tam verbis quam scriptis suis; quae scripta, quoniam vel habentur vel faciliter haberi possunt, ea brevitatis amor linquit et ad ultimam se transfert

Digitized by Google

considerationem quae post verbum de nobilitate Ioseph et Mariae in prima consideratione ; dehinc de ipsorum santificatione in altera; rursus de fomitis repressione in tertia; loquitur de multiplici nativitate Iesu, et de habitudine quam habet ad Mariam atque Ioseph huiusmodi nativitas.

Felix illa dies toto celeberrima mundo,
Sacra docens laeta, qua scandit ad aethera virgo
Mater. et angelicos cives supervolat omnes.
Huc tibi virgo Ioseph, Iesus, et tua sponsa pro-
[pinquum
Credere fas statuunt solium, tales ob honores
Concinimus, facite nobis haec gloria detur.

186. **Hymnus VII.**

Panis angelicus pro morituris impetratur.

O gloriose, Domini
Sponse Matris Altissimi,
Quem totus orbis non capit,
In tuis ulnis iacuit.
2. Quod Eva tristis abstulit,
Prole Maria reddidit,
Cuius pudoris custos es,
Testis, Christi nutritor es.
3. Tu regis Regem gloriae,
Eius putaris genitor,
Qui cum Patre et Flamine
Est coeli et terrae conditor.
4. Panis altor angelici,
Corde precamur supplici:
Tuo gustemus merito,
Cibum hunc in termino.
5. Gloria Tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

(E Breviario S. Donatiani).

187. **Memento.** — Foveatur ergo in populis cultus et veneratio Sancti Iosephi, quem Ecclesiae Catholicae Patronum declaravit Pius IX. Ii omnes, quibus dulce et sanctum est Christum Iesum adorare, et Mariam celebrare, sanctum et dulce quoque erit illum colere, qui Mariae Sponsus est, qui Christi pater putabatur, patris officia Christo exhibuit, cuique Dei Filius subditus erat. Eius patrocinium nos celebrare voluit Sancta mater Ecclesia; oportet igitur omnes ad ipsum confugere, et religioso cultu eum prosequentes, mirabiles eius virtutes imitari. Filius David iustus et humilis, superbiae humanae fastum confundit; et labore manuum suarum in sudore vultus sui comedens panem, ac Iesu et Mariae necessaria procurans, omnibus, qui laboribus versantur et fatigantur, exemplum est et praesidium. Apud homines quidem faber lignarius dicebatur; sed in coelis ineffabili fulget gloria, et validissima sua oratione, cunctis eum implorantibus spiritualia, et temporalia saluti congruentia, a Deo impetrat beneficia (Act. Conc. Provin. Hispal., ann. 1893, p. 261).

VIII. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE MULTIPLICI NATIVITATE CHRISTI.

Sermo in Concilio Constantiensi de Nativitate gloriosae Virginis Mariae et de commendatione Virginei Sponsi eius Ioseph: Consider. 4.

De Maria natus est Iesus qui vocatur Christus, nedum corporaliter, sed spiritualiter quidem. Et de virginali Sponso suo Ioseph suo modo dici potest. Non equidem dici potest quod de Ioseph natus sit Iesus, modo quo blasphemat Iudaeus infelix qui dicit Christum ex Ioseph semine esse natum, procul hoc a pietate fidelium. Sed attendo triplicem nativitatem Iesu Christi, attendat et vestra beatitudo, scilicet aeternalem, corporalem, spiritualem vel mentalem.

189. Nascitur enim aeternaliter ex Patre quemadmodum nascitur splendor ex luce coaevus luci. Hinc est illud Ecclesiae canticum. « Oriens splendor lucis aeternae ». Et in persona Sapientiae increatae dicit Ecclesiasticus: « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam » (Eccli. XXIV, 5). Et Isaias: « Generationem eius quis enarrabit » (Is. LIII, 8). Et in Psal. « Ex utero ante luciferum genui te » (Psal. CIX, 3). In hac aeternali nativitate Christi Iesu neque Maria, neque Ioseph communicavit.

190. Altera nativitas Christi Iesu, fuit corporaliter in mundo ex Virgine, de qua angelus ad Mariam: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi abumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei » (Luc. I, 35). Et hoc factum est quando « completi sunt dies Mariae ut pareret, et peperit filium suum primogenitum » (Luc. II, 6). Et in hac quidem nativitate sola Maria materiam ministravit.

191. At vero quia corpus Mariae fuit ipsius Ioseph iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporum viri ad mulierem, et contra; videamus si cum intelligentiae sobrietate dicere fas nobis sit, quod ex corpore et carne Ioseph natus est Christus Iesus. Et hoc dici forsitan posset, nisi piarum aurium timeretur offensio. Animadvertamus tamen ex lege veteri, quod si frater decessisset sine prole, frater superstes ducebat uxorem defuncti, ut suscitaret semen eius. Ac natus inde puer dicebatur filius, non quidem naturalis sed legalis illius qui iam obierat fratris.

192. Sic enim concordat evangelica series genealogiae Christi, dum Ioseph legitur habuisse duos patres, unum quem Matthaeus nominat Iacob, alterum quem appellat Lucas Heli, qui legalis fuit pater, Iacob vero

Digitized by Google

naturalis. Quorsum ista? Nimirum pro intelligentia litterae, ne pateat irrisioni vel scandalo nescientium morem Scripturae, quasi Ioseph habuerit duos patres naturales, vel quod Evangelistae mentiti sunt, prout ponit Iulianus.

193. Proinde quatenus daretur intellectus quomodo Ioseph dictus est pater Iesu Christi, nedum a Iudaeis hoc putantibus et carnaliter sentientibus, sed ab ipsa etiam Virgine Maria: « Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te » (Luc. II, 48). Fuit itaque Ioseph pater Iesu reputatione. Fuit pater curatione, quia nutricius. Fuit tertio pater generatione, non quidem sua, sed Mariae uxoris suae, cooperante Spiritu Sancto, et quodammodo vices Ioseph gerente, non virili semine, sed mystico spiramine. Propterea pater quidem Ioseph non naturalis, sed legalis pueri Iesu dici potest, cui Spiritus Sanctus suscitavit semen carnali valentius.

194. Natus est igitur Iesus in terra seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra clamat Isaias: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem ». (Is. XLV, 8). Et in (Psal. LXXXIV, 12) « Veritas de terra orta est ». Quidni competat igitur ipsi Ioseph ius aliquod legale ultra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea et ex ea carne cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum Ioseph.

195. Unde non confundebatur Maria vocare Ioseph dominum suum, quemadmodum de Sara ad Abraham scribit Apostolus Petrus. (I Pet. III, 6). Unde et praeponit eum sibi, ubi prius: « Ecce pater tuus et ego quaerebamus te ». Nimirum quia maior in Maria quam Sara humilitas, et Ioseph dignitas Abrahae dignitatem superabat. Fuit autem haec procreatio pueri Iesu in te, Maria, per Spiritum Sanctum, de consensu vero vel interpretativo viri tui Ioseph. Volebat enim quod fieret voluntas Domini per omnia, « cum esset iustus ». Haec autem dicimus ad excludendos partus adulterinos uxorum, in quibus mariti vel non consentiunt, vel consentire rationabiliter nequeunt. Nullum idcirco ius paternitatis in talibus filiis, licet in fundo suo genitis, vendicare possunt.

196. Libet hic exclamare: O miranda prorsus Ioseph sublimitas tua! O dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, regina coeli, domina mundi appellare te dominum non indignum putaverit. Nescio sane, patres ortodoxi, hic quid amplius habeat mirabilis vel humilitas in Maria, vel in Ioseph sublimitas; quamvis incomparabiliter exuperet utrumque Puer Iesus benedictus in saecula, de quo scriptum et iam dictum est, quod « erat subditus eis ». Subditus fabro is qui fabricavit auroram et solem. Subditus feminae textrinae, cui flectitur omne genu, coelestium, terrestrium et infernorum.

197. Cuperem mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum et absconditum a saeculis mysterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem Iesu Ioseph et Mariae. Velle mihi quidem adiacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio. Unde cum gratia similiter et gloria naturam non tollat, sed extollat et perficiat; recogitemus pia devotione, quod si vinculo quodam naturali, obligatio consurgit filii ad matrem et matris ad sponsum suum, et utriusque scilicet filii et matris ad fidelissimum, vigilantissimum et sedulum custodem et nutricium Ioseph, qui fuit caput Mariae, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Mariam, sicut et Maria suo modo in Filium suum Iesum iure naturalis maternitatis; quantus existimandus est iustus ipse Ioseph nunc in gloria et in coelis, qui talis ac tantus inventus est hic in miseria, et in terris?

198. Profecto si non mentiebatur Iesus qui ait: « Ubi sum ego, illic et minister meus erit (Ioann. XII, 26); ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris. Sed haec hactenus de ipsa nativitate corporali Iesu Christi, cuius particeps quemadmodum Ioseph extiterit supra ceteros viros, et de sublimitate sua, aliqualiter apertum est, honore sanctorum sanctarumque omnium, inter quos non est contentio quis eorum videatur maior esse, ac intelligentiae sobrietate semper salvis.

199. Nunc de tertia nobilitate quae spiritualis est, et omni devoto viventi communicabilis, sermo loquatur, de qua Christus apud Ioannem ait: « Oportet vos nasci denuo » (Ioann. III, 7). Et iterum: « Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est » (Ioann. III, 6). In hac autem nativitate vicissitudo mirabilis est, quia dum nascitur Iesus in anima devota per fidem et gratiam, fit ipsa verbigena, hoc est verbum generans et mater Dei, quae tamen anima nedum per naturam, sed per gratuitam adoptionem est filia; ut verum sit de qualibet tali anima quod ipsa est virgo, mater et filia.

200. Itaque quod mater sit, testis est omni exceptione maior qui ait: « Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater, soror et mater est ». (Matth. XII, 50). Porro de filiatione quid Ioannes, quid Paulus dixerit, scimus. « Dedit eis potestatem filios Dei fieri », inquit Ioannes (I, 12). Et quo modo? Subdit quod per fidem, quia « his

Digitized by Google

qui credunt in nomine eius ». Eodem enim teste: « Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est » (I Ioann. v, 1). Sequitur aliud, quod pertinet ad animae verbigenae Dei matris et filiae virginitatem. « Qui non ex sanguinibus, ait, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt » (Ioann. I, 13).

201. Nescio dicere quod sentio, nescio si satis assequor verbis, suppleat imperfectum meum sapientissima beatitudo vestra. Itaque consideratur in anima rationali, indivisibili quidem substantialiter, portiuncula quaedam virginalis, quae nec obnoxia potest esse violationi. Haec appellatur quandoque a Doctoribus synderesis, quandoque apex mentis, quandoque scintilla rationis, quandoque naturalis instinctus in bonum. Hanc autem synederesim nec ipsi violatores et constupratores animarum daemones corrumpere possunt etiam in inferno, quin ad bonum stimulet, et ad malum remurmuret Hinc nascitur acerbissimus ille vermis, qui non morietur. Hinc rixa discerpens et dissipans, supra quam cogitari potest, animam infelicem; dum synderesis impellit ad dilectionem Dei, sed reproba voluntas toto odiorum conatu resilit in adversum.

202. Sed quid ista de synderesi? Certe ut ostenderemus eam semper virginem esse, quae dum caret obumbrante et foecundante Spiritu Sancto, manet infeliciter sterilis. Dum autem adest idem Spiritus visitans, gratificans et foecundans, fit ipsa verbigena, hoc est, verbum pariens, et hoc sine corruptione, quia non ex sanguinibus corporalium phantasmatum, neque ex voluntate carnis desideriorum carnalium, neque ex voluntate viri, hoc est, ex potestate liberi arbitrii, sed ex Deo est, quidquid hic natum est.

203. Nec tamen excluditur synderesis rationisque consensus. Sed cum nunciatrix gratia afflatu secreto et intimo, veluti clauso super animam ostio, suggerit adventum verbi in mentem; respondet synderesis humili genuflexione: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ». (Luc. I, 38). Deinde visitat Elisabeth senem et corruptam, per quam mystice designatur inferior portio rationis se convertens ad corporalia et terrena, unde quodammodo violatur; sed ex munere divino Ioannem in se recipit, hoc est, gratiam participat. Et ita gaudium Mariae Verbigenae in Elisabeth gravidam partu talis gratiae derivari recte memoratur.

204. His igitur breviter et pro captu tantae rei tenuiter expositis de hac virginali nativitate et filiatione, dum in anima nascitur Iesus, qui vocatur Christus, nulli dubia relinquitur veritas nostrae huius principalis quartae considerationis; quod scilicet tam ex Maria quam ex Ioseph natus est Iesus qui vocatur Christus. Quod si traducere placuerit verba thematis ad hunc anagogicum intellectum, poterimus convenienter aptare, quod Iacob genuit Ioseph virum Mariae.

205. Quid enim per Iacob, qui supplantator appellatur, rectius accipitur, quam lucta et supplantatio vitiorum, quod fit in activa in qua primum contemplativum exerceri necesse est. Oportet insuper ut activus post se gignet ex se meditationem. Est autem meditatio vehemens animi applicatio ad divinum aliquod investigandum, cognoscendum, et degustandum; quae meditatio recte per Ioseph exprimitur, quia Ioseph « crescens » interpretatur. Neque enim potest aliter anima melius excrescere spiritualibus augmentis, quam per meditationem fortem et salubrem per quam ascendit anima de virtute in virtutem, reiecta vel superata fluxibilitate inanium cogitationum et volutabro desideriorum carnalium evacuato. Haec insuper meditatio, quia robusta est, neque fluida vel enervis, sicut est ipsa cogitatio, rectissime vir dicitur.

206. Sed cuius vir? Vir utique Mariae, per quam omnis mens illuminata vel illuminatrix divinitus intelligitur. Audi meditationem illuminantem: « In meditatione mea (inquit Psalmista) exardescit ignis » (Ps. XXXVIII, 4); ecce splendor illustrans. Ex hac autem Maria mystica nascitur per contemplationem Iesus qui vocatur Christus; non quidem ex commixtione viri sui, qui est meditatio; sed, prout expositum est, mystico spiramine, dum Spiritus Sanctus obumbrat animam ad terrena non conspicienda, refrigerans ab ardore illecebrarum carnalium. Illuminat autem ad divina, libero intuitu, longe lateque contemplanda cum degustatione, « quoniam suavis est Dominus ».

207. Haec est illa beata nativitas in qua castissimis amplexibus tenetur et deosculatur Puer Iesus; in qua pascitur et nutritur lacte devotionis, ut melle contemplationis, in qua dulcor et splendor est. Quin etiam, versa vice, renascitur anima Christo, ut ita se mutuo condeceant adolescentulus et adolescentula in mentis excessu et dicat ad dilectum suum dilecta: « Dilectus meus » supple, condecet « mihi et ego illi » (Cant. II, 16).

208. Haec est gratiosa, vere desideranda nativitas: sic enim nascens succedit Deo Patri in nobilitate, quia Deus efficitur ipse participatione divinitatis. Sic deducit Boëtius; et Propheta ait in persona Domini: « Ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes » (Psalm. LXXXI, 6). Adeo quidem Maria fuit divina ut ea quae de Sapientia increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad Mariam; ut est illud: « Ab initio et ante saecula creata sum » (Eccli. XXIV, 14).

209. Succedit praeterea talis Deo in dile-

Digitized by Google

ctione. « Videte, inquit Ioannes, qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur et simus » (I Ioann. III, 1). Succedit in strenuitate, quia « omne quod natum est ex Deo, vincit mundum ». Et iterum: « Omnis qui natus est ex Deo non peccat » (I. Ioann. v, 18). Nonne tibi magna videtur strenuitas vincere mundum et non peccare? Succedit demum in haereditate, quia « si filii et haeredes, etc. (Rom. VIII, 17).

210. Legitur Aristotelem dixisse: Gaudeant bene nati; gaudeant plane: « quia non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt » modo dicto. Quo contra maledicit Iob, maledicit et Hieremias nativitati suae, repraesentantes illud Apostoli: « Omnes nascimur filii irae ». Haec est nativitas naturae corruptae, quae seclusa gratia, miserabilis est. « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis » Iob. XIV, 1). Et Ecclesiastes laudavit « magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque qui nondum natus est » (Eccl. IV, 2). Qua in re stultissimum est solemnizare nativitatem hominum, quemadmodum fecit Herodes diem natalis sui celebrem, in quo Ioannes occisus, mystice, gratia perdita. Hinc recte facere traditur gens Thraciae, quae nativitates hominum deplorat, congaudet morientibus.

211. Dies vero nativitatis spiritualis dum homo regeneratus est per gratiam, baptismo vel fluminis, vel flaminis, sub intentione celebrari potest, nedum sine culpabili reprehensione, sed cum laudabili gratiarum actione apud Deum, qui taliter dedit nasci denuo. Propterea post celebritatem nativitatis Ioannis Baptistae sacratissimam et iucundam, quia sine peccato natus est per sanctificationem, instituit Ecclesia nativitatem beatae et gloriosae semper Virginis Mariae celebriter fieri, admonita prius miraculo. Addidit consequenter octavas propter adipiscendam, sicut historiae tradunt, Ecclesiae pacem. Hinc in oratione nativitatis eiusdem dicitur: « Famulis tuis, Domine, coelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, nativitatis eius votiva solemnitas pacis tribuat incrementum ».

212. Si vero propter finem consimilem congruat huic sacrosanctae synodo laudis aliquid vel honoris instituere pro virginali Sponso Mariae Ioseph, cuius honor redundat in ipsam et in eum qui de ea natus est Iesus Christus, viderit vestrae beatitudinis sapientissima devotio. Non quod multiplicationem festivitatum apud vulgus, quod de labore manuum vivere habet suadeamus; esset utinam apud tales huiusmodi numerus festivitatum minor, sicut in reformatione hic in concilio notatum est; sed apud ecclesiasticos et de ecclesiasticis talia loquimur, dum de celebritate virginalis coniugii Ioseph cum Maria, vel de ipsius felici transitu fieri solemnitatem exoptamus.

213. Ad quid ista? Quatenus ita Mariae meritis et intercessione tanti tamque potentis, et imperiosi quodammodo patroni, apud Sponsam suam de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, reddatur Ecclesia unico viro vero et certo, summo Pontifici sponso suo Vice Christi. Nos denique singuli Deo renascamur felici nativitate, hic per gratiam et in futuro per gloriam, quae est natale sanctorum. Intercedente te, et si fas est dicere, quodam iure tuo iubente, gloriosissime Ioseph, vir Mariae, « de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ».

214. VERSUS AD PRAEDICTA.

ALMA Redemptoris Mater, cui lege superna
Vir iustus, virgoque Ioseph cum Virgine nupsit:
Da celebrem, dignumque tuo persolvere cultum
Coniugio, fac nos purgatis sordibus omnes
Posse Deo iungi, fidei qui foedere puras
Desponsans animas, divino germine complet.
Portio naturae praestantior esse Maria
Creditur, haec coelis, haec mundo dignior ipso,
Gratia nam superat naturam, gratia quae se
Dividit in reliquos, istam fontaliter implet
Quae clausit gremio, quem totus non capit orbis.
Olim, nam coeli Gabriel festinus ab arce
Praeradians, alacer, totus iucundus ad ipsam
Nazareth urbem Galilaeae mittitur, illic
Desponsata viro, Davidis de stirpe, Ioseph qui
Dictus erat, clauso reperitur Virgo Maria
Ostiolo, cui dixit: *Ave*, cui *gratia plena*,
Cui *tecum Dominus*, Gabriel: quae verba salutis
Virgo silens cogitat, animo turbata, quousque
Nuncius arcanum divo sermone retexit.
Hoc natura stupet, stupet hocque Ioseph, reputans se
Mysteriis tantis indignum, voce modesta
Clamat, id unde mihi? Quis sum? Te deprecor a me
Mox exi, Domina, nec enim mihi nubere tecum
Fas video: dum multa Ioseph trepidus cogitaret,
Solvitur in somnium, cui iussio coelica dixit:
Aude clare Ioseph, uxori trade virum te.
O nimium dilecte Deo, cui sponsa frequenter
Blanda Iesum gremio posuit, fidenter adimus
Hunc thronum, residet ubi gratia salvificans nos
Mira Ioseph iusti virtus, laus mira, Mariam
Cui Deus uxorem sociat, mirare sacratum
Foecundum prolis cum virginalis honore
Coniugium, faber o mirus cui subditur ultro
Auroram et solem qui fabricat, hunc que benigno
Nominat ore patrem, tali quoque gaudet alumno.
Regia stirps, et sacra Ioseph te reddit ab ortu
Claris insignem titulis, te laeta decenter
Pauperies, manuumque labor nutrivit, obinde
Strenuus et liber, ac psalmo teste, beatus.
Hinc uxor tua tecum sicut vitis abundans
Te Dominum, Sponsumque vocat, nos redde beatos.

Digitized by Google

215. **Hymnus VIII.**

Iosephi Mariae Sponsi laus et ad eum oratio.

VIRGINIS Sponsum Mariae fidelem,
Regibus Iuda genitum et Prophetis,
Sobriae mentis resonare Ioseph
Christicolarum.
Virga, quam sanctis manibus gerebat
Aridam, miro subito virescens,
Virginis monstrat Mariae maritum,
Virginem Joseph.
Antequam Virgo pia conveniret
Cum viro, novit gravidam maritus:
Clanculum iustus voluit relicta
Virgine abire.
Angelus coeli vetuit monendo:
Coniugem sumas, nihil est timendum,
Nempe quod gestat, gravidata sacro
Flamine gestat.
Liber a sommo, memoransque Ioseph
Angeli dictum, Mariae ministrat,
Parvulum et matrem fovet architectus
Officiose.
Iussus, Herodis rabiem cavere,
Currit Ægyptum, redit inde iussus,
Et senem iustum comitantur ambo:
Mater et Infans.
Sedulus natum simul et parentem
Educat, quamvis fuit ille alumnus,
Qui potest patris famulos supernam
Ducere in aulam.
Ergo iam nostri memor, o patrone,
Criminum exora veniam salubrem:
Tempora, coelum sociosque sanctis
Redde clientes.

(E libro: Heures à l'usage de Lengers).

216. **Memento.** — Compendium laudum Iosephi dedero, si convixisse Iesu et Mariae dixero; huic Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraque septem fuisse binis e D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum nuntius, quo non nisi Deo plenam Mariam intellexerat; tunc deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulae nobiles; sed longe demulsit suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis, quae Servatorem puerum; deiecta in Ægypto simulachra daemonum, quae Deum loquebantur, et Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atque aliis gaudiis cumularunt. Illud demum delitiis inundavit, cum quod carissimum habuit pignus, amissum reperit. Et haec gaudiorum materia; illa dolorum fuere: tristis primo, quem a Virgine parabat, secessus; tum pauperes curae, et prima, quae imbribus praelusit, sanguis pluvia; mox gladius Simeonis, cor Sponsae nonnisi per praecordia Sponsi petiturus; post fuga praepropera et Archelai tyrannis; demum amissa in uno Puero omnia bona. Haec inquam, tot moeroris argumenta, quot ante laetitiae, dubiam utrinque victoriam fecere. Ego, si fas sit, octavum et dolorem et gaudium addidero, mortem inter Iesu ac Mariae amplexus. Quid enim acerbius, quam os ex oculis dimittere? quid dulcius, quam ab his oculos claudi? (Fasti Mariani, die XIX Martii).

IX. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE FESTO S. IOSEPH CELEBRANDO.

Exhortatio facta ad Ducem Bituriae anno Dom. 1413, ut solemnizetur festum S. Ioseph.

SAEPENUMERO et frequenter considerando excellentiam, et dignitatem Sancti Ioseph Filii David, legitimi et virginalis Sponsi pudicae Virginalis Sanctae Mariae Dominae nostrae secundum Evangelii testimonium, et meditando quando, et quomodo saepius memoraretur, honoraretur, et celebraretur in sancta Ecclesia Sanctum hoc, et sacratum Matrimonium; venit paulo ante ad dictae considerationis meae oculos (sic enim Deum reor voluisse) quod tu nobilissime, potens, et Christianissime Princeps, Regis filius, et Regis avunculus, Bituricensis Dominus, is esses inter ceteros Dominos (absque adulatione loquor) qui posses, et velles promovere, exaltare, et exequi negotium hoc usque adeo dignum, honorabile, pretiosum, sanctum, et religiosum.

218. Causae et rationes ad id me moventes, satis cognitae sunt tibi; propter devotionem quam habes ornandi tam copiose auro, et pretiosis lapidibus Sanctorum Reliquias, et eas donandi ad multas et diversas Ecclesias cum vestimentis, et ornamentis pretiosissimis, magnique valoris. Quid fundationes et dotationes tuas variis in locis factas memorabimus ad divinum augmentandum servitium, tum in bona civitate tua Bituricensi excellentius, quam aliis in locis. Et praesertim videmus in solemnissima Ecclesia nostrae Dominae Parisiensi te caput sancti Philippi dedisse, adeo pretiose undequaque contextum, ut me lateat ubinam gentium simile posset reperiri. Et interea paulo ante aliud Reliquiarum dedisti receptaculum dignissimum, et pretiosissimum, in quo multae continentur Reliquiae.

219. Conspiciuntur oculis in illa Ecclesia pulchra organa, quae ex tuo sunt dono. Conspiciuntur cappae, casulae, dalmaticae, et tales Ecclesiae habitus, fere omnes aureo filo formati. Conspicitur maxima pars verae Crucis pretiosissime circumsepta. Conspicicitur osculum quoddam pacis aureum, et alia talia ornamenta plurima, quae omnia tua donavit liberalitas. Ad cognoscendam autem religiosam tuam magnificentiam, humiles tui Capellani, et Oratores, Decanus et Canonici Ecclesiae illius Parisiensis, instituerunt perpetuo, anno quolibet, quatuor solemnia servitia, in quatuor temporibus.

220. Cum ergo sic sit, o Nobilissime, et Christianissime Princeps, secundum quod in illis locis declaravi, ut commemoratio, et

Digitized by Google

memoria Matrimonii sancti et sacrati Dominae nostrae, et Ioseph convenientissime fieri possit die Iovis quatuor temporum ante Nativitatem Domini, cantando Evangelium hoc « Exurgens autem Ioseph a somno », etc. (Matt. I, 24). Aut die Mercurii valde solemniter Evangelium illud : « Missus est Angelus », etc. (Luc. I, 26). In memoriam mihi venit (sic Deus voluit, ut religiose credo) hanc rem devotae tuae magnificentiae denunciare, ut sublime considerares mysterium supradictum, quod fuit de virginali coniugio sancti Ioseph, et Dominae nostrae. Et quod servitium tibi illo die fieri concessum in Ecclesia eius Parisiensi, in qua annuli sunt coniugii Dominae nostrae, et eius cinctura, fieret solemniter in dignam commemorationem sancti Matrimonii iusti Ioseph, et Dominae nostrae, secundum modum cuiusdam servitii, quod modo compositum est : quod fieri posset non impediendo servitium principale Ecclesiae sine vana superstitione, et fatua praesumptione.

221. Significo igitur tibi fiducialiter, Nobilissime et devote Princeps, secundum exiguum sensum meum te hortando per magnam illam gratiam quam Deus tibi contulit post regenerationem, et sanctum Baptismatis fontem, usque in hodiernum diem, humilissime supplicando, qui adeo abundantissima dona acceperis naturae et fortunae, alia quoque bona tum corporalia, tum spiritualia, et in primis in mutatione talium, et tam grandium adversitatum, in talem exaltationem et prosperitatem, in qua, Dei gratia, modo es constitutus.

222. Te etiam adhortor per Virginem illam Matrem, puellam Dominam nostram, quam saepenumero, ut fama est, in tuis invocasti necessitatibus, periculis, et infirmitatibus, non certe frustra, nec eius non percipiendo auxilium, et iuvamen. Ecquid mirum ? Ipsa enim ea est, ut verum fateatur, quae numquam humanae defuit creaturae, ipsam bono corde imploranti.

223. Praeterea te hortor per dulcem illum et benignum puerum Iesum, qui in hoc sacrato Matrimonio Dominae nostrae, et Sancti Ioseph nasci voluit, et nutriri, et per ipsum iustum, et Sanctum Ioseph, nobilissimumque sancti Ioannis Baptistae consanguineum. Qui quidem Ioannes valde a te colitur. Per Ioseph, inquam, qui virgo fuit, Sponsus, et custos fidissimus virginum Virginis, et gubernator praefati Pueri Iesu, quem saepius hinc inde deferebat, saepius osculabatur, et tractabat, saepius familiarius quam quicumque alius homo. Et sic te iuvent et succurrant in omnibus necessitatibus tuis, et in extremo negotio iudicii tui ; saepius invocata ac petita Regina misericordiae, Mater gratiae, Advocata peccatorum, atque honoratissimus et amantissimus, Sponsus suus Ioseph erga benignissimum Iesum Salvatorem nostrum, et Iudicem, qui dignabatur eorum appellari filius, eisque subiici, et illis servire.

224. Velis, nobilissime et devote Princeps, velis rei huic tibi quidem facillimae superintendere religiose ; hoc enim magni meriti erga Deum erit, magni honoris sanctae Ecclesiae, magnae devotionis, et pulchri exempli omnibus devotis personis, et gloriosae memoriae, ac famae tuae magnificentiae. Gratius fere sepulchrum, ut mihi videtur, aut obitum magis placentem Deo facere non posses, aut fundare. Sume igitur, Domine, et concilia tibi tandem, hoc faciens, peculiarem tuum protectorem, amicum bonum, intercessorem potentem Sanctum Ioseph erga Dominam nostram, et Filium suum Iesum, ut pervenias de mortali hac et brevi peregrinatione ad perennis gloriae civitatem. Amen.

225. Scriptum Anno gratiae 1413 die Sancti Clementis Papae, cui successit magnus tuus, et bonus amicus sanctae memoriae Papa Clemens VI, qui ut digna fide et revelatione cognovi, in veneratione singulari habebat Sanctum Ioseph, sicut etiam nostri temporis multi magnae scientiae, et probitatis habent, et habuerunt, quemadmodum Cardinalis Cameracensis Praeceptor meus, et bonae memoriae Frater Petrus Burgundio Coelestinus : cui, ut dicere solitus erat, singularis erat patronus, et refugium, cuius saepius expertus fuerat auxilium in suis, et aliorum necessitatibus, tamquam per miraculum. Et postremo Magister Henricus Chicquot, plurimum famatus, et antiquus in Universitate Parisiensi Clericus, Theologiae Doctor, paulo ante in obitu suo, et suprema voluntate redditus misit in Ecclesia Carnotensi, ut loco obitus sui dicta fiat commemoratio Sancti Ioseph in tali, ut dicebam, die. Eo enim vivente saepius fueramus locuti, et omnes hi super hac re scripserunt, scripta quidem plena scientiae et devotionis.

Humilis tuus Capellanus et Orator Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis indignus.

226. Hymnus IX.

Iosephi gloria et potentia celebratur.

TUTOR et divi Pueri pater, qui
Impium tristis fugens tyrannum
Exteras terras subiisti amore
Fervidus acri :
Gloria illustris tua semper edat
Carminum festum sonum, et anxio qui
Orbis aeternum studio tueris
Rector amorem.
Sponsus et castae Genitricis atque
Virginis custos celebraris, omnes

Digitized by Google

Quae regit coeli proceres Deique
Gloria magna
Orbis et Mater; fidus Advocatus
Tu quoque et constans morientium spes,
Doctor et vitae, pariterque imago
Coeli potentis.
Deserat nunquam tua laus perennis
Nostra, quae grato studio triumphant
Corda, nec votis meritis, Benigne !
Renue nostris.

(Ex Brev. sec. usum Gallican.).

227. **Memento.** — Allegoricae Ecclesiae maritus Christus Dominus merito humilitatis suae, qua iudicatus et damnatus a Pilato, velut ignobilis, imo infamis latro crucifixus est: *nobilis,* id est illustris apparebit, quando iudex gloriose sedebit in sede maiestatis suae, cum Apostolis velut senatoribus et assessoribus iudicaturus orbem. Ita S. Aug. Beda, Salon, et alii. Nobiles enim sunt Apostoli et similes, qui caelestia terrenis praeferunt; ignobiles vero sunt mundani qui terram coelo, lutum auro, humana divinis, temporalia aeternis anteponunt, uti ait S. Greg. explicans haec Salomonis verba, l. 19. Moral. c. 16. B. Virginis quoque sponsus, puta S. Ioseph, erit in hoc consessu nobilis, quin post B. Virginem censetur inter primos sanctos; quare in die iudicii inter Prophetas et Apostolos consedebit, imo inter primos angelorum ordines illustris et conspicuus apparebit (Alapide, in Prov. xxxi, 23).

X. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE FESTO S. IOSEPH CELEBRANDO.

Epistola ad quemdam ut celebretur festum S. Ioseph.

REVERENDO Patri Domino, ac Magistro praeclarissimo, Domino D. Parvi, Cantori Carnotensi, et Theologiae eximio Professori: Gratia vobis, et pax Reverende, ac praeclare Pater Doctor, et Domine.

229. Meminit (ut opinor) vestra devotio quemadmodum piae et clarae recordationis Magister Henricus Chiquoti Concanonicus olim, et Compatriarca vester, motus affectu speciali ad virginale coniugium Ioseph cum Maria, postquam in vita sua scripserat diserte, et sapienter in uno volumine super hac materia: postquam insuper mecum benigne contulerat, tandem in ultima qua obiit aegritudine sanus mente voluit in testamento suo, loco obitus sui, sicut moris est in Ecclesia celeberrima, et antiquissima vestra Carnotensi, ubi Canonicus erat, et domum habebat, quod aliqua solemnis commemoratio de praedicto Ioseph fieret, sciens quod laus eius laus Mariae est. Volens praeterea Patronum habere tam potentem, Virginem eamdem, ac Iesum Filium suum benedictum, suadente Iob qui ait: « Ad aliquem Sanctorum convertere ». (Iob v, 1). Felix plane, et efficax pro sui obitus commemoratione deprecatio, si gloriosus Ioseph pro impenso sibi honore devoto preces pro defuncto refuderit. Valet enim mortuis (novit hoc sapientissima Paternitas vestra) servitium, nedum pro mortuis ordinatum, sed aliud quodlibet ecclesiasticum obsequium, dum adest, et fertur ad hoc intentio ministrorum.

230. Addidit praefatus Magister Henricus assignationes aliquas redituum, et inter ceteros vos dilectissimum suum, et fidelissimum executorem nominavit. Tandem sentiens forte quod praeventus morte non posset commode novitatem hanc servitii (prout optabat) ordinare, dignatus est opus hoc ad exiguitatis meae qualemcumque dispositionem remittere. Noverat enim me iam nonnulla super hoc edidisse. Recogitavi postmodum, mecumque revolvi talis amici piissimi devotionem ad Beatum Ioseph: talem insuper de parvitate mea confidentiam. Hoc quidem de iure poterat, qui longe me senior in studio, tam artium quam Theologiae, sub me qui eum licentiaveram, voluit incipere. Et quia nunc in hoc sacro Constantiensi Consilio fuit assignatus sermo mihi pro Nativitate Beatae Virginis, memor aliquo modo praecedentium assumpsi thema tale, quod laudibus Mariae simul et Ioseph esset accommodum. « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Matth. 1, 16. Hunc sermonem mittere disposui quamprimum dabitur opportunitas ad vos, et alios Canonicos vestros, Dominos meos Reverendos, cum aliis quibusdam scriptis conferentibus ad hanc materiam.

231. Occurrunt tamen quaedam interim notificanda summatim; nescius enim sum, quid futura pariet dies et ne valeat omnino indiligentia mea culpari. Voluntas utique pii testatoris praefati potest exequi altero trium modorum. Unus modus est super quo iam epistolam scripsi, et servitium qualecumque composui, quod die Iovis in Adventu, quando celebrantur ieiunia quatuor temporum, quando praeterea die Mercurii praecedente legi celebriter solet in Matutinis et Missa hoc Evangelium: « Missus est Gabriel Angelus » etc. Luc. 1, 26; fieret similiter decantatio solemnis in matutinis et missa praedictae diei Iovis de hoc Evangelio: « Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praeceperat ei Angelus, et accepit Mariam coniugem suam, et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen eius Iesum ». Matth. 1, 24, 25. Fierent insuper tres lectiones in Matutinis de hoc Evangelio, cum expositione et cum responsoriis tribus ad hoc appropriatis.

Digitized by Google

232. Placebat modus iste: primo quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impeditivus ordinarii servitii de Adventu, non magis saltem quam solemnizatio Evangelii istius: « Missus est Angelus » etc. (Luc. I, 26). Deinde reditus assignati forte tenues essent pro Dominis Canonicis, ac Ministris, si fieret onerosior in Ecclesia constitutio. Denique Evangelia haec ordine convenientissimo se consequuntur duo quae dicta sunt, et tertium de die Veneris: « Exurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione ». (Luc. I, 39).

233. Alter modus est, quod de transitu Sancti Ioseph fieret festum celebre, quemadmodum de altero Sanctorum, et sicut fit in partibus ultramarinis. Quale servitium penes me est tamquam de uno Confessore, addita proprietate lectionum, et hymnorum. Et assignatur celebritas haec regulariter die octavarum Purificationis Beatae Mariae Virginis, nisi forte occurrerit tunc Dominica Septuagesimae, aut Sexagesimae, quia tunc fit anticipatio. Alter modus est conformis isti, nisi quod officium totum fit proprium; et in altera die hoc fit apud Mediolanenses Fratres Augustinenses 19 Martii. Fit et in multis partibus Alemaniae; sed nescio si sint omnino similes dies, et conforme servitium.

234. Animadvertat tandem circumspectissima prudentia, et religiosa mens vestra, quid super praemissis erit acceptius, vigilanterque det operam, ut devotissima dilecti vestri testatoris voluntas non frustretur, quae Ecclesiae vestrae sacratissimae ad honorem, vobis autem omnibus Reverendis Patribus, Dominis ac Fratribus in Christo dilectissimis, obsequentibus eidem Ecclesiae cedet ad virtutem, laudem, et meritum; intercedente pro vobis hac venerandissima, et divinissima Trinitate Iesu, Ioseph, et Mariae. In qua bene valete. Scriptum Constantiae, 7 Septembris, pro festo Nativitatis beatae Mariae, anno 1416. Vester ab adolescentia discipulus Ioannes Cancellarius Parisiensis.

235. **Hymnus X.**

Iosephi virga florens.

VIXERAT interior taciti sub fornice templi,
Iamque pari fuerat Virgo iuganda viro:
Dum sponsus par omnis abest, polus indice virga
His thalamis fabrum sanciit esse parem.
Arida virga fuit, siccisque victa medullis,
Nullaque decussis frondibus umbra viret.
At simul hanc Senior dextra tangente capessit,
Pullulat natis, vernat amicta comis.
Inque repentinum laeto se germine florem
Induit et vernas frondea monstrat opes.
Quanta pudicitiae vis est, et vivere virgam,
Et virgam iussit Virgo virere manus.

(Ex anno sacro poetico Petri Sautel S. J Coloniae 1741).

236. **Memento.** — Vide quomodo Ioseph patrem nominat Iesu Scriptura. Ita enim patrem nominat, quomodo tunc putabatur. Nec tamen incongrue vocabatur Ioseph pater Iesu, erat enim vere Virginis Mariae maritus, licet virgo et coniux. Quare cum Mariae verus esset coniux, iuste etiam dicebatur pater Iesu, quia Iesus Iosephi, licet non ex ipsius semine, tamen ex ipsius coniuge erat filius. Recte igitur dicebatur Ioseph pater Iesu, quia suae coniugis erat filius Iesus: quare iustus ei erat pater per Mariam coniugem, quem fuisset aut esse potuisset per adoptionem. Potest tamen Iesus nihilominus dici filius Ioseph, quia alumnus nutricio patre Ioseph educabatur, et communis omnium fama sic eum, hoc est, filium Ioseph habebat et loquebatur. Noluit igitur Evangelista tam Sancto viro quidquam honoris derogare, sciens nihilominus fidelibus aliunde satis notum, non ex semine Ioseph Iesum natum, sed eum patris maluit decorare vocabulo, qui, ut talis putaretur, Mariam est in coniugem accipere iussus (Lanspergius, t. I, oper. maiora, p. 58).

XI. — Sermo Ioannis Gersonii.

DE FESTO S. IOSEPH CELEBRANDO.

Alia Epistola de eodem.

ECCLESIIS universis, praesertim dedicatis in memoriam beatissimae, et gloriosae semper Virginis Mariae. Unus ex zelatoribus suis indignus, volens diem in honorem Virginis eiusdem, atque iusti Ioseph Sponsi sui, testis ac custodis sui celebriter venerari. « Pertransibunt plurimi » (iuxta verbum Danielis XII, 4) « et multiplex erit scientia ». Placuit itaque divinae sapientiae quae « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. VIII, 1) inclinare novissimis temporibus istis corda multorum, ut iusti Ioseph, et Mariae virginale (sicut Hieronymus appellat) coniugium esse venerandum solemni cultu Ecclesia doceret atque promoveret sua devotio. Movit eos (sicut arbitror) Evangelicus sermo praedicans excellenter, et crebro praerogativas quibus enituit ipse iustus Ioseph. Movit honor et amor beatiss mae coniugis suae, quae eum Dominum vocabat, sicut de Sara quoad Abraham dicit Apostolus. Movit humanitas atque benignitas Salvatoris nostri Iesu, qui « subditus erat illis ». (Luc. II, 51). Movit rursus operatio miraculorum, quae ad invocationem ipsius iusti Ioseph deputant in seipsis, et in aliis contigisse. Movit denique multiplex aedificatio morum, quos ex huius sacratissimi coniugii religiosa meditatione mens devota suscipit, et in ignem copiosum castae devotionis exardescit.

Digitized by Google

238. Nemo propterea deputet arrogantiae, nemo curiositati, nemo superstitioni, quibus viis placent vel nova, vel insolita, vel apocripha; si beatissimum iusti Ioseph cum Maria sibi prius desponsata coniugium per Ecclesias recolendum, cum hymnis, et canticis, praedicemus, et ita praedicemus, non ut apud vulgares inconditosque tumultus profano quodam ritu divulgetur dignissimum nuptialis huius, atque virginalis coniugii Epithalamium; sicut nec apud Hebraeos passim legebantur Cantica Canticorum. Satis esse videtur, apud Ecclesiasticos graves, si in locis Deo dedicatis, in canticis suavesonantis Ecclesiae absque notabili mutatione veteris Officii celebritas memori cultu fiat. Et quidem Officium Missae iam ordinatum habemus non ex apocriphis, vel dubiis, sed ex sacrae Scripturae verbis. Porro celebrationis annuae, et matutinalis tempus appareret idoneum, feria quinta quatuor temporum in Adventu, quando feria quarta praecedente solemniter hoc Evangelium: « Missus est Angelus Gabriel » etc. (Luc. I, 26) decantatur.

239. Probabile quidem est, sine praeiudicio sententiae verioris, et absque assertionis temeritate, quod solemnizatio coniugii Ioseph cum Maria, facta fuerit proxima satis post Annunciationem Angelicam, quando Mariam docuit Angelus, dicens: « Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua » (Luc. I, 26); inde enim desiderium visitandi Elisabeth, sibique ministrandi, subortum putatur. Maria vero iam non solum desponsata erat ipsi Ioseph per verba de futuro, sed de praesenti, ac recepta ad familiarem convictum in propria domo sponsi, more observationis Iudaeorum.

240. Videamus ergo si peregrinationi satis longae se dedisset talis virguncula illicentiata a Sponso suo. Videamus si discessit non communicato sibi prius tanto divino Incarnationis mysterio, quoniam sicut dixit Raphael ad Tobiam: « Opera Dei revelare, et confiteri honorificum est » (Tob. XII, 7). Ioseph quippe cur Mariam voluit « occulte dimittere », et non « traducere eam, cum esset vir iustus », nisi quia propalatum sibi fuit hoc Incarnationis grande miraculum? Dicit nempe Evangelista, quod « antequam convenirent », intellige ritu celebri nuptiarum, « inventa est », scilicet Maria « habens in utero de Spiritu Sancto » (Matt. I, 18). Cognovit hoc igitur ipse Ioseph quod erat gravida, et quod erat de Spiritu Sancto.

241. Sed cur non Maria referente hoc cognovit? Nulla videtur obstare ratio, si redeat in memoriam quanto devotionis ausu Caecilia virgo Valerianum allocuta est sponsum suum: nota est narratio. Propterea post huiusmodi revelationem Ioseph stupore quodam et horrore subito concussus, et in semet deliberans propriae indignitatis aspectum, voluit Mariam dimittere, simile aliquid in se sentiens cum Petro, et dicens: « Exi a me, Domina, quia peccator et indignus sum ». Aut cum Centurione: « Domina, non sum dignus ut inhabites mecum ». Aut cum Elisabeth: « Unde hoc mihi ut sit Mater Domini Dei mecum? ». Sic Moyses videns rubum ardentem, non audebat propius accedere. Oza quoque punitus est, quod arcam sustentare praesumpsit; et bestia tangens montem lapidibus obruebatur. Sic denique Ioannes Baptista non audebat tangere sanctum Dei verticem Hoc modo sensit Chrysostomus de timore Ioseph. Aut dicamus quod forsitan permisit hanc fluctuationem Spiritus Sanctus ad tempus concutere pectus Ioseph, quatenus a posteris haec trepidatio vulnus dubietatis amputaret, quemadmodum de Thoma Didimo dicit Gregorius.

242. Ioseph itaque, dum de Mariae virginitate simul, et foecunditate fuit Angelico oraculo solidatus, testis ipse nobis absque ullo exceptionis scrupulo recipiendus effectus. Nam « cum esset vir iustus », utique repudiasset eam, sicut dicit Evangelista quod nolebat « eam traducere »; sed occulte dimittere, si violatam invenisset. Fuit nempe iustissimo dolore permotus. Aut haec postremo dubitatio fuit non in ratione superiori, quae de Mariae virginitate non dubitabat, ex cognitione conversationis eius sanctissimae; sed fuit quaedam trepidatio, vel concussio in sensualitate, consurgens ex insolita re tanti miraculi, quemadmodum dicit Augustinus, Mariam in passione Filii ex horrore tanti facinoris dubitasse.

243. Amplius vero, si iam utero tumescente, iuxta id quod Origenis verba sonant, Ioseph accepisset uxorem suam plane solemniter more gentis suae, immo omnium pene nationum consuetudine, et iuris sanctione; consideremus quale spectaculum de uxoris adolescentulae pudicitia ipse nesciis huius mysterii Iudaeis et parentibus praebuisset; sed neque celasset conceptum virginalem diabolo, nec teneram coniugis famam inviolatam, nec sui honoris integritatem servasse visus esset. Quamobrem existimari non incongrue potest, quod Ioseph parabat iam accipere Mariam in coniugem solemniter, quando missus est Angelus ad eam: quo temporis articulo Maria petens licentiam a Ioseph ut visitaret cognatam, simul prodidit mysterium. Quo audito stupuit Ioseph modis dictis, et ascendit multus cogitationum fluctus in caput eius. « Haec autem eo cogitante, ecce apparuit ei Angelus in somnis », iubens, ut

Digitized by Google

non timeret, « accipere Mariam coniugem » suam, « quod enim », inquit, « in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». (Matth. 1, 20). Et « exurgens Ioseph a somno fecit » protinus, « sicut praecepit Angelus », et « accepit coniugem suam » (Ibid. 24), more celebri, prout antea praeparasse credi potest. Deinde consummata solemnitate nuptiarum, factum est ex licentia Ioseph, sicut dicit Lucas, quod « exurgens Maria abiit in montana cum festinatione (Luc. 1, 39).

244. Colligimus ex his rationabilitatem collationis huius Evangelii secundum Matthaeum: « Exurgens autem Ioseph a somno etc. ». (Matth. 1, 24) confestim post hoc Evangelium « Missus est ». etc. (Luc. 1, 26). Et proxime illud secundum Lucam, quod feria quinta praemissorum quatuor temporum legitur in Adventu: « Exurgens autem Maria abiit in montana ». (Luc. 1. 39).

245. Sit denique liberum cuilibet super hac re, vel simili, non decisa per Ecclesiam, quae neque auctoritate, neque ratione certis fulcita est, sentire (salva pietate fidei) quod voluerit. Nos absque ullo controversiae, vel reprehensionis dubio, monemus, suademus, affirmamus, obtestamur insuper toto religiosae pietatis affectu, quatenus virginale iusti Ioseph cum Beata Maria coniugium solemni veneretur Officio, non exspectata etiam, nisi voluerimus cuiuscumque alterius, quam Evangelicae narrationis, et auctoritatis licentia.

246. Offerimus praeterea sine praeiudicio sonantioris elegantioris scripturae unam Officii formam, specialiter in Missa, cum expositione huius Evangelii: « Exurgens autem Ioseph a sommo etc. ». (Matth. 1, 24). Ceterum qui voluerit, vel suscipiat, vel corrigat, vel commendabilius aliquid (nec invidebimus) efficiat.

247. Commonitos autem super hoc uno singulos velim, quatenus dignissimum hoc coniugium ita venerari studeant, quod apud irreligiosos, improbos et impuros homines nihil oriatur scandalosae, vel turpis, vel blasphemae suspicionis in Ioseph, et Mariam, quasi videlicet non potuerit familiarissimus ille coniugalisque convictus tempore tanto perseverare cum omni castimonia mentis, et corporis praesertim: cum praemiserimus ex Isaia, quod Ioseph erat iuvenis habitans cum Virgine. Neque enim senex et debilitatus existens fuisset idoneus qui Virginem aleret suo labore; quique in illa peregrinatione Ægyptiaca deduceret; similiter nec celasset ita partum diabolo, nec a populo Iudaico Pater Iesu facile putatus fuisset.

248. At vero scutum triplicis veritatis circumdat nos, et protegit ab hac sagitta suspicionis volante in die. Est autem prima veritas: Maria Virgo, quae « antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto », munda servavit animam suam ab omni concupiscentia, immo « virtus Altissimi » sic eidem « obumbravit », quod in ea peccati fomes extinctus est. Ex qua veritate concluditur, quod ex viri convictu, vel associatione, nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus praeveniens rationem, vel inobediens sibi vexabat eam.

249. Addunt Doctores, praesertim Bonaventura, dicens, hoc se habuisse a Iudaeorum fideli relatione, quod nullus ex aspectu gloriosae Virginis (quamvis esset pulchra nimis) urebatur ad concupiscentiam, sed eam potius extinguebat frigidus ille ros virgineus emanans a sua mente castissima, quemadmodum ex adverso de peccatoribus verum est illud Horatianum:

Et vultus nimium lubricus aspici.

250. Conforniter ad illud Petri: « Oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti ». (II Petr. II, 14). Quod qualiter verum esse possit, declaratione prolixiori, vel sermone opus esset.

251. Subsequitur altera veritas, quae talis est. Iustus Ioseph ex convictu et cohabitatione familiari Mariae movebatur, non ad libidinem, sed ad castitatem. Quemadmodum figuraliter introduci potest illud de Sunamite, quae erat puella pulchra nimis, et dormiebat in sinu David, qui tamen non cognovit eam, quia nec in eius concupiscentiam quomodolibet exarsit.

252. Subiungitur tertia veritas, quae ex principiis nostrae Fidei concluditur argumentatione probabili. Iustus Ioseph iuvenis existens, hoc est, sub quinquagenario annorum numero Mariam accepit coniugem, cum qua licet familiarissime (sicut vir cum uxore, seclusa carnali copula) fuerit conversatus; ipse nihilominus virgo permansit, et pari cum Maria virginitatis voto se constrinxit. Sentit hoc Hieronymus « Epistola contra Helvidium ». Cuius dicti rationem ipse, ac posteriores multi talem tradunt: Ioseph itaque priusquam iungeretur cum Virgine Maria corruptus, vel uxoratus non fuerat. Et hoc maxime concludimus, quod Dominus Matri suae iam provectae, neminem voluit dare custodem, nisi virginem; quanto magis id existimandum est fuisse conservatum in adolescentia. Similiter Filius, sicut non voluit nasci, ita nec nutriri, nisi in puritate virginali. Porro si ab uxore post immediatum tempus nuptiarum continuit semetipsum sic, ut Evangelistae Matthaei testimonium habet, quod « non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum », et hoc propter reverentiam tanti Sacramenti, tantique my-

Digitized by Google

sterii; hinc apertissime datur intelligi, quod nec post partum cognoverit eam, quoniam urgentior erat tunc ratio quam prius, ut ab eius se cognitione temperaret.

253. Addamus confidenter, quod sic aeterna Dei sapientia praevidens totum Incarnationis mysterium, praeordinavit iustum Ioseph fore custodem, et testem Matris suae, fore praeterea nutritium suum continuum; sic dedit ad hanc custodiam et nutritionem omne illud quod erat accommodum, decens, et honestum. Hinc probabile est quod ipsum Ioseph consecraverit in utero Matris; quod eum ab omni fomitis illecebrosi refrigeravit concupiscentia; quod denique morientem eum, sicut lex Adam urgebat, personaliter visitaverit, ipsumque consolatus sit, perducens animam suam in requiem iustorum, quousque resurgens diceret animae suae: « Hodie mecum eris in paradiso ». (Luc. XXIII, 43). Dixit hoc forte ipsi in anima et corpore conresurgenti, quemadmodum multa corpora quae dormierant, eo moriente, surrexerunt. Apparuit denique fortassis dulcissimae uxori suae Mariae ipso Resurrectionis die, dicente Filio ad eam:

Salve sancta parens.

Dicente quoque ipso Ioseph:

Salve carissima coniux.

Sed hos interim, similesque praeconiorum particularium titulos omittimus eliciendos a sapientioribus, et devotis mentibus, optantes bene valere omnes. Scriptum Parisiis Anno Domini 1413, 17 Augusti.

254. Hymnus XI.

Ioseph Pater, Coniux, Nutritius et Faber.

Epigrammata.

I.

Hic Jesu Pater est, conjux sed Virginis, absque
Prole parens nata, non sine prole pater.
Nutrivit Nutritorem sudore fabrili,
Totius mundi est Filius ipse faber.

(Ex anno sacro poetico Petr. Sautel. S. I. Coloniae, 1741)

II.

Diceris esse faber, sed qualis? opinio multa;
Fabrum ergo fortunae, Te precor, esse meae.

(Ex Collect. hymnor. 16 saec.).

255. **Memento.** — Patronus Ecclesiae universalis declaratus fuit Sanctus Ioseph (S. R. C. 8 Dec. 1870). Est namque consentaneum Beato Iosepho apprime dignum, ait feliciter regnans Pontifex, « ut sicut ille olim Nazarethanam Familiam quibuscumque rebus usuvenit, et sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coelesti Ecclesiam Christi tegat atque defendat ». Incumbant itaque animarum directores ut devotionem in populo foveant erga castissimum Mariae Sponsum, cui subditus erat Christus, qui putabatur filius eius. Illius virtutes qui, cum pater Iesu a sanctissima Virgine appellaretur, in sudore vultus sui vescebatur pane, et domus suae sollicitam curam gerebat, populo, iis praesertim qui de fructu manuum suarum vivunt, frequenter exhibeantur, quo pietas domestica, apud plures hodie languescens, tam magnis exemplis excitata, magis magisque in dies augeatur. (Acta et Decreta primi Conc. Prov. Burgens., ann. 1898, p. 283).

XII. — Sermo Ioannis Gersonii.

SCHEMA OFFICII PRO FESTO S. IOSEPH.

Habetur post praecedentes epistolas.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

In illo tempore: Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam: Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen eius Iesum. (Matth. I, 24, 25).

HOMILIA LECTIONIS EIUSDEM.
LECTIO PRIMA.

Consecratum iusti Ioseph et Mariae semper Virginis coniugium, castissima devotissimaque veneratione recolendum, fratres dilectissimi, Matthaeo referente, et angelo praecipiente, et Ioseph obediente celebratum cognovimus. Miretur hinc omne saeculum, gaudeat omnis aetas, omnisque status, et sexus exultet. Itaque si matrimonium quodlibet rite factum, etiam inter peccatores et in concupiscentia iunctos, « Magnum esse Sacramentum, tradit Apostolus, in Christo et in Ecclesia » (Ephes. v, 32).

258. Quale, quantumque iudicandum est hoc Matrimonium, ubi virginitas nupsit; ubi nubentes neque violationem, neque concupiscentiam habuerunt ullam; ubi praeterea perseveravit integerrima, et inseparabilis fides; ubi rursus proles non altera fuit quam ipse Iesus qui est Deus benedictus in saecula? Quo praeconio quid aliud maius potest excogitari? Praecinuit olim Evangelicus Isaias super hac congregatione iustorum, dicens: « Habitabit enim iuvenis cum virgine (Is. LII, 5), id est, Ioseph cum Maria, prout authentici Doctores sponte exponunt. Et iterum: « Gaudebit sponsus super sponsam ». Porro de laudibus et praerogativis personarum nubentium, quae sunt iustus Ioseph et Maria, nulla vis dicendi satis disserere nulla eas lingua nedum hominum, sed nec angelorum sufficeret exprimere. Tu autem, etc.

SECUNDA LECTIO.

Pensset igitur vestra devotio quemadmodum celebri ritu foedera nova nuptiarum

Digitized by Google

peraguntur apud omnes fere populos. Evocati veniunt amici, cultioribus ornantur habitibus, indulgent lautioribus epulis, laetitiam denique quibus possunt modis ostendunt. Nam et musica concrepant instrumenta, vox canora resonat, et ad numeros libero pede terra pulsatur.

260. Sic enim legimus Assuerum convivium fecisse magnificum pro coniunctione et nuptiis Esther. Sic in nuptiis Tobiae iunioris et Sarae, sic in aliis de veteri Testamento solemnizata coniugia reperimus. Hinc est illud epithalamium spirituale quod Cantica Canticorum nominamus. Demum tendit ad hoc Evangelica parabola damnans hominem qui sine veste nuptiali nuptias intraverat. Tu autem, etc.

TERTIA LECTIO.

Haec idcirco praemissa sint, ut honorandum celebrandumque iusti Ioseph et Mariae virginale coniugium monstraremus. Accepit itaque Ioseph Mariam coniugem suam, sicut praesens Evangelium loquitur. Sed qualiter accepit? Numquid clandestine? Numquid in abscondito? Numquid absque solemnitate nuptiarum? Absit ut praetergressus fuerit consuetudinem gentis suae. Absit ut erubuerit palam id agere quod angelo iubente post primam desponsationem faciebat. Convocavit igitur parentes, amicos, et affines cum apparatu convivii. Nec obstitit paupertas frugalis, nec severitas sanctae vitae prohibuit quin morem suae gentis sequeretur. Hoc autem iudicabit quisquis attenderit qualiter ipsa Mater Iesu iam grandaevior, atque senior legitur ornasse sua praesentia nuptias alienas in Cana Galileae. Sic enim scribit Ioannes custos suus, quod « erat ibi Mater Iesu » (Ioann. II, 1). Ad quas insuper « vocatus est ipse Iesus cum discipulis suis » (Ibid. 2), et eas primo suae dignationis miraculo consecravit, dum ad insinuationem piae Matris convertit aquam in vinum, laetificavitque convivas.

262. Et nos, fratres carissimi, memoriam talis mysterii, tantique Sacramenti pia, sobriaque iucunditate colamus quod Evangelista Matthaeus explicat dicens: « Exsurgens autem Ioseph a somno » etc. (Matth. I, 24). Pulchre dicitur Ioseph exsurgere. Ioseph quippe sua interpretatione dicitur « augmentum » vel « appositio »: talis ille erat qui quotidiano profectui semper adiiciens, « ascensiones in corde suo disposuit » (Psal. LXXXIII, 6). Exsurgens, et vadens « de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion ». Recte praeterea sicut de Maria Virgine desponsata Ioseph dicit Lucas (I, 39), quod post revelatum Incarnationis mysterium, « exsurgens abiit in montana »; sic de viro suo Ioseph, dum per angelicam inspirationem ipsum cognovit Sacramentum, protulit Matthaeus dicens: « Exsurgens autem Ioseph a somno », etc. (Matth. I, 24). Exsurrexit uterque; sed de Maria non dicitur quod a somno, forte tamen, quod et a somno exsurrexit. Habet nempe spiritus rationalis somnum suum, qualem sibiipsi Propheta Regius pollicebatur dicens: « In pace in idipsum dormiam et requiescam » (Psal. IV, 9). Qualem similiter habuit in Canticis anima devota: « Ego, inquit, dormio, et cor meum vigilat » (Cant. V, 2). Dormit siquidem homo et feliciter dormit quando sopitis et quodam modo ligatis potentiis inferioribus cognitivis, et affectivis, ipse spiritus in solo aeternitatis desiderio positus conquiescit. Illic habitat in monte sancto Domini, protectus in abscondito tabernaculi admirabilis, in divina caligine, in requie opulenta, in thalamo sponsi sui, zelantis, et dicentis: « Adiuro vos filiae Ierusalem, ne suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit » (Cant. VIII, 4). Illic somniat mirabilia de lege Dei. Illic incerta et occulta sapientiae Dei sibi fiunt manifesta. Sit nobis in exemplum nedum Paulus, nedum Maria, sed iustus iste Ioseph cui in somno revelatum est Incarnationis superadmirabile mysterium.

263. « Ioseph, (inquit angelus) fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eis Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » (Matth. I, 20, 21). In hoc itaque somno, et in aliis postmodum, Ioseph accepit spiritum prophetiae pro omni differentia temporis, praeteriti, praesentis, et futuri. Cognovit Mariam a Spiritu Sancto foecundatam, quoad praeteritum. Cognovit esse Deum Puerum, quia habebatur praesentialiter in utero; sciens ex sacris Scripturis quoniam nonnisi Deus peccata dimittit. Est igitur ille Deus de quo dicitur hic: « Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Et haec utique simul est prophetia futurorum. Amplius, exsurrexit Maria, sed ad quid exsurrexit? Certe quatenus per studium actionis ministraret Elisabeth antiquae mulieri, et novae matri cognatae suae. Ubi sollicita, ubi turbata fuit erga plurima, sed non conturbata; quia redibat assidue in idipsum, in hoc unum scilicet quod est necessarium. Taliter exsurrexisse Ioseph putandus est, dum fecit sicut praecepit ei angelus. « Et accepit coniugem suam » (Matth. I, 24), intelligamus cum celebri ritu, et apparatu nuptiarum, ubi similiter ad Mariam sollicitus fuit, et vigilans per actionem.

Digitized by Google

264 Accepit Mariam adolescentulam prius ipse Ioseph in Sponsam suam in templo Hierosolymis, ubi dedicata Deo cum ceteris virginibus morabatur. Hanc proinde noverat Ioseph ex familiari visitatione, dum singulis annis veniebat in templum Domini Ierusalem. Erat enim Maria sanguine proxima sibi, quoniam Anna mater sua post virum Ioachim duxerat Cleophae fratrem Ioseph Porro Ioseph post dies aliquot Mariam accepit, iuxta morem gentis suae, in familiarem convictum secum in Nazareth: ita enim fiebat ad probationem morum sponsae. Illic in Nazareth priusquam convenirent Ioseph et Maria (intellige solemni ritu nuptiarum, et ut ita dicamus, per verba de praesenti) nunciat ei Gabriel angelus illa quae tradit Lucas Evangelista. Et ita « priusquam convenirent (dicente Matthaeo) inventa est Maria habens in utero de Spiritu Sancto (Matth. I, 18). Et a quo, vel qualiter inventa est, praeterquam ab ipso Ioseph Sancto Sponso suo; revelante sibi mysterium Incarnationis Maria Sponsa? Quemadmodum Valeriano prodidit angelicum mysterium Caecilia. Quibus auditis recogitavit plurima Ioseph, stupore quodam attonitus tantae novitatis.

265. Qualia eo cogitante, « apparuit in somnis Angelus Domini dicens ei: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est » (Matth. I, 20). Dehinc subditur paulo post Evangelii praesentis contextus: « Et exsurgens Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini » (Ibid. 24). Et quis angelus? Probabile satis est illum fuisse Gabrielem, quem iam bis missum super hoc Incarnationis mysterio, tamquam specialiter ad hoc deputatum legimus: quoniam sicut ab eo nunciata est Christi conceptio, sic Ioannis Praecursoris sui nativitatem ipse praedixit. Sequitur: « Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum » (Ibid. 25). Fuerunt qui sumpta super his verbis occasione, contra Beatae Mariae virginitatem perpetuam, contra iusti Ioseph religiosissimam castitatem blasphemaverunt, inter quos fuit quidam Helvidius haereticus, adversus quem beatus Hieronymus copiose, religioseque conscripsit. Et quoniam error iste contumeliosus iam (volente Deo, et traditione Sanctorum) procul est ab omnium cordibus fidelium, nulla cogit necessitas ista modo curiosius in disputationem adducere. Nos autem conscii, participesque tanti Sacramenti levemus sursum corda cum manibus ad Dominum. Postulemus ut illius aeterni, felicisque coniugii per hoc virginale, temporaleque signati, valeamus esse participes, ubi « nec nubent, neque nubentur carnaliter, sed erunt spiritualiter sicut Angeli Dei » (Matth. XXII, 30), soli Deo coniuncti, praestante eo quem vocavit Ioseph Iesum, « qui est Deus benedictus in saecula ». Amen.

266. *Primum Responsorium:* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph, nuncians ei Verbum et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies. (Luc. I, 31).

267. *Secundum Responsorium:* Dum esset desponsata Mater Iesu Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto (Matth. I, 18).

268. *Versus.* Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam (Ibid. 19). Antequam, etc. (Ibid. 18).

269. *Tertium Responsorium:* Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est (Ibid. 20).

270. *Versus.* Exsurgens autem Ioseph a somno fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam (Ibid. 24). Quod, etc.

Alma Redemptoris Mater, cui lege superna
Vir iustus, virgoque Ioseph cum Virgine nupsit,
Da celebrem dignumque tuo persolvere cultum
Coniugio, fac nos ablutis sordibus omnes
Posse Deo iungi fideique foedere puras
Desponsans animas divino germine complet.

271. *Responsorium.* Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam Virginem coniugem tuam.

272. *Versus.* Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est (Ibid. 20).

OREMUS.

UNIGENITO tuo, Deus, temporales absque carnali commercio parentes iustum Ioseph, et Mariam coniuges Virgines tribuisti, fac nos, quaesumus, eorum intercessione coelestium participes nuptiarum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

274. *Antiphona.* Annulo suo subarravit me, et zona circumcinxit me, et Filium Dei virgineo lacte nutrivi.

275. Fecit mihi magna qui potens est.
Versus. Et sanctum nomen eius.

OREMUS.

SPONSE Virginum, benigne Iesu, qui Beatam Matrem tuam Mariam Virginem a virgine et iusto Ioseph annulo fidei coniugalis subarrari, et ab ea te pasci virgineo lacte dignatus es; fac animas nostras castitatis zona cingi, et cum bonorum operum prole ipsas tibi fideles sponsas exhiberi, et eas coelico gratiae tuae lacte nutriri. Qui vivis, etc.

Digitized by Google

277. **Hymnus XII.**

Iosephi munera et curae in Familia Sancta.

MATRIS intactae venerande coniux,
Testis et custos nivei pudoris,
Quid Deo plenam meditaris anceps
Linquere sponsam?
Anxium coelo tibi missus ales
Firmat; hinc Virgo tibi visa maior:
Mente sedata modo nasciturum
Numen adoras.
Vix puer natus, redit ecce praepes
Nuntius patri: " fuge, dixit, infans
Quaeritur, matrem puerumque tutas
Transfer in oras ".
Tu nihil contra; per opaca noctis
Protinus matrem puerumque transfers;
Dirigit gressus, aperitque calles,
Dum silet infans.
Ora mox solvet; Solymas per urbes,
Quem dolens quaeres comitante matre,
Hunc senes inter puerum stupebis
Mira loquentem.
Anxias mentes, tenebrisque mersas
Christus illustret, Patris ipse splendor:
Nos inoffenso pede ducat astris
Semita factus.
Nostra Te summum celebrent Parentem
Ora, Te summo Genitum Parente,
Par sit amborum Tibi laus per omne
Spiritus aevum.

(E Breviario secundum usum Gallican.).

278. **Memento.** — Cuncti, quibus Christum adorare et Mariam celebrare sanctum et dulce est, S. Iosephum devote colant. Christi pater putabatur et patris officia ei exhibuit. Sponsus erat Mariae, testis mysterii Incarnationis, custos Filii Patris omnipotentis et Sponsae Spiritus Sancti. Filius David iustus et humilis confundit superbiae humanae fastum. Apud homines faber lignarius dicebatur, in coelis ineffabili fulget gloria, neque Christo, qui ei ut patri subditus fuit, neque Maria, quam in sua recepit, eum negantibus (Conc. Prov. Viennense, ann. 1858).

XIII. — Sermo Ioannis Gersonii.

SCHEMA MISSAE DE S. IOSEPH.

Ibid. post officium.

Officium Missae.

INTROITUS.

GAUDEAMUS omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Ioseph et Mariae, de quorum coniugio gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei.

280. *Versus.* Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Ecclesia, et in Christo. Gloria, etc. [1].

281. Gloria in excelsis, etc.

COLLECTA.

DEUS qui Unigenito tuo temporales absque carnali commercio parentes, iustum Ioseph et Mariam coniuges virgines tribuisti, fac nos, quaesumus, eorum intercessione coelestium participes nuptiarum. Per eumdem Dominum, etc.

EPISTOLA. *Isaiae* LXII.

PROPTER Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, et cuncti reges inclytum tuum: et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriae in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta: et terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te: et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus [2].

284. *Graduale.* Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.

285. *Versus.* Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere [3].

286. Alleluia *sub melodia Sicut dulce lignum.* Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est [4].

---

(1) *In MS. Cod. Vict.* Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Gloria, etc.

In eodem MS. alius Introitus. In coniugio iustorum, et congregatione, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.

Versus. Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini. Gloria, etc.

Alius item Introitus. Salve sancta Parens, cui sacro foedere nupsit virgo Ioseph, sine quo tu Virgo Deum peperisti.

Versus. Post partum Virgo inviolata permansisti. Dei Genitrix intercede pro nobis. Gloria, etc.

(2) *Alia Epistola.* Lectio Libri Sapientiae. Sapientia vicit malitiam, etc. *Usque ad haec verba:* In amicitia illius delectatio bona.

Alia Epistola. Lectio Libri Sapientiae. Mulierem fortem quis inveniet etc. *usque ad haec verba*, et laudent eam in portis opera eius.

(3) *Aliud Graduale.* Ascendit Ioseph a Nazareth in Bethlehem civitatem Iudae, eo quod esset de domo David, ut profiteretur cum Maria uxore sua praegnante.

Versus. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies Mariae ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum, et vocatum est nomen eius Iesus.

(4) *Aliud Alleluia.* Missus estGabriel Angelus a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen Virginis Maria.

Digitized by Google

287. *Prosa.* Ad Ioseph mittitur in somnis nuncius etc. *ponitur post finem sermonis. Iacob autem: sicut habetur prius in tertia parte operum Gersonis. Et canitur sub tali cantu, sub quali* haec prosa: Mittit ad virginem non quemvis nuncium.

EVANGELIUM *Secundum Matthaeum.*

EXSURGENS autem Ioseph a somnis, fecit sicut praecepit ei Angelus. Et accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen eius Iesum.

289. *Offertorium.* Tulerunt Puerum parentes Iesu in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, et offerrent par turturum aut duos pullos columbarum.

290. *Aliud Offertorium.* Unusquisque uxorem suam diligat sicut seipsum, uxor autem timeat virum suum.

ORATIO SECRETA.

VENERAMUR coniugium, Domine, illud Virgineum, in quo natum credimus illum qui pro nobis circumcisus et in templo praesentatus, et in ara Crucis immolatus est Dominus noster Iesus Christus Filius tuus, qui tecum vivit, et regnat Deus per omnia saecula saeculorum.

292. *Praefatio.* Et te in desponsatione Beatae, etc.

293. *Communio.* Erant Pater eius et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

294. *Alia Communio.* Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetis, invenimus Iesum Filium Ioseph a Nazareth.

295. *Alia Communio.* Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te, et descendit cum eis et venit in Nazareth, et erat subditus illis.

ORATIO POST COMMUNIONEM.

GRATIAS agimus tibi, Domine, pro virginali coniugio iusti Ioseph, et Mariae, postulantes, ut benedicti fructus in eo nati perpetua suavitate fruamur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aliud Alleluia. Fuit Dominus cum Ioseph, qui erat vir in cunctis prospere agens, habitavitque in domo Domini sui, et invenit gratiam coram eo, et ministrabat ei.

297. Alia Prosa seu Hymnus XIII.

In virginei conjugii laudem, nuptiale carmen.

IUSTI Ioseph, et Mariae
Nostra depromat hodie
Vox epithalamium.

2. Vox iucunda, vox sonora,
Vox haec, cui sit concanora
Alacritas mentium.

3. Lucens fides intellectum
Sincerus amor affectum
Levet ad coelestia.

4. Nam evolat cum his alis
Homo noster spiritalis
Saepe praegustans praemia.

5. Vere magnus dies iste
Loquens foedus quod tempore
Signat, et Ecclesiam.

6. Foedus sacrum nuptiale
Ubi decus virginale
Prolis habet gratiam.

7. Iam non time, Ioseph, aude
Castitatis salva laude
Coniungere vir Virgini.

8. Sic iuvenis habitabit
Cum Virgine, consonabit
Hoc Prophetae carmini.

9. Lucas virum te nominat,
Iuventutem vir terminat
Annorum iubilaeo.

10. Sic iuvenis famulatum
Sponsae debes, et ducatum
Natoque virgineo.

11. Fili David, ne formides
Iungere te, cui iam fides
Donata est sponsalium.

12. Coniux tua sit Maria
Virgo, quam in Isaia
Legis habere Filium.

13. Ne discede, neque durum
Quidquam crede, vel impurum
De Sponsa iam gravida.

14. Partum celas dum te Patre
Ortum credet ut et Matre
Puerum gens invida.

15. Hic aderit bonum triplex
Cara proles, fides simplex,
Et sacra signatio.

16. Filiumque qui nascetur
Iesum voca, quod curetur
Plebs a vitio.

17. Natum templo repraesentes
Audi laudes continentes
Annam cum aniculo.

18. In Ægyptum secede,
Gesta Iesum, victum ede
Labore pauperculo.

19. Magnum hoc in Sacramentis
Sacramentum quod est mentis
Tropus Deo cohaerentis
Deo fonti gaudii.

20. Sponsi corpus sponsae datur
Et e contra sic firmatur,
Quamvis ultra nil sequatur,
Lex vera coniugii.

21. Si provectae Mater datur
Virgo custos, huic probatur
Qui iunior copulatur
Seni Virgo virgini.

Digitized by Google

22. Ut sponseris dum moneris
Per parentes ne cuncteris,
Manens Virgo parens eris,
Da fidem hanc numini.
23. Nam nubere vero more
Non corrupto carnis flore
Potest, voti cum tenore
Dispar sexus hominum
24. Ioseph, et Virgo beati
Ope vestra maiestati
Coniungamur vestri Nati
Qui sponsus est virginum.

298. **Memento.** — Cum Sacerdotes exerceamus erga Iesum, in SSmo Sacramento et Sacrificio altaris, officia similia his, quae exercuit Sanctus Ioseph, debemus curare ut in nobis resplendeant iustitia, puritas, oratio, obedientia, pietas et reliquae virtutes, quas hodie in Sancto Ioseph gaudentes celebramus. (Card. Herrera, Breviar. pro Meditatione, in festo S. Ioseph, p. 206).

XIV. — Sermo Ioannis de Carthagena.

QUI MARIANAM DEVOTIONEM ADIPISCI CUPIT, CASTISSIMUM SPONSUM EIUS S. IOSEPH COLAT.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, homil. XIII.

INTER obsequia Deiparae Virgini praestanda, ad eius devotionem obtinendam, illud magni momenti esse reor, ut Sanctissimum Iosephum carissimum eius Sponsum singulari cultu prosequamur: id enim Christo Domino, et eius Matri gratissimum fore ex multiplici capite haud temere mihi persuadeo, tum quia id ipsi nos exemplo suo docuere, qui tamquam caput illius Sacrae Familiae eum coluerunt: etenim Christus, ut ait D. Lucas, « subditus erat eis »; Beata autem Virgo, cum coniux eius esset, divino oraculo Iosephum monente, « noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; et « vir, ut ait divus Paulus, caput sit mulieris », manifestum est se ei subiecisse, et illum tamquam caput suum coluisse. Quod si vulgo dici consuevit: Regis ad exemplum totus componitur orbis; certe cum Christus rex, et regina Maria varia observantiae, et comitatis obsequia divo Iosepho exhibuerint, par est, ut et nos eorum exemplo permoti servitutis nostrae stipendia ei persolvamus; tum quia nemo ingenuus negat, quin obsequia filiis praestita a parentibus exhibita, et quae maritis praestantur, uxoribus eorum etiam facta censeantur.

300. Cum ergo divus Ioseph legalis, et putativus Christi Pater fuerit: « Putabatur filius Ioseph », nec non verus Virginis maritus extitit, « Ioseph virum Mariae », sane obsequia ei facta, tamquam sibi exhibita suscipient illi: unde ad id respiciens eruditus ac pius auctor Isolanus (3. p. c. 4) dixit: « Gratissimum Deo non veremur dicere, si quispiam votis Sanctum imploraverit Iosephum, et constanti teneamus fide, talia vota Deo immortali fore gratissima, nec non et Reginae angelorum ».

301. Nec dubium quidem, rem acceptissimam nos facere Dei Filio, quando patrem eius putativum Ioseph talibus veneramur obsequiis; qui enim honorat patrem, honorat filium, qui sponsum diligit, et sponsam diligit, qui munera sponso donat, sponsam quoque gaudiis afficit; tum quia cum ad divum Iosephum, quis convertitur, illum colendo, et auxilium ab eo implorando, perfecte implet consilium illud sancti Iob (c. 5): « Voca, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere »; in quem locum sanctus Thomas ait: « Ad aliquem sanctum hominem deprecare ».

302. Quis autem, quaeso, sanctior homo Ioseph evangelico testimonio iustus cognominato? qui propter excellentem eius castitatem dignus habitus est Christi pater legalis, et Dei Genitricis Sponsus fieri.

303. Quare sicut olim illi patriarchae Ioseph omnes Ægyptii, obsequium se regi praestare putantes, ut revera praestabant, genuflectebant, ac variis modis ei famulabuntur, ita vos securi, ac certi, quidquid in cultum divi Iosephi exhibueritis, tam Christo quam Virgini fore gratissimum, varia ei obsequia impendite. I. Isolanus (4. p. c. 8) huius veritatis non ignarus, audet dicere: « Cum Dei Filius intuetur in lumine suae gloriae quempiam Sancto affici Ioseph, illius studere honori, eius implorare suffragia, gaudet profecto, ut filius suum nutritorem honoret annuit votis, exaudit clementius, et pro paterna gloria abundantius munera invocantibus effundit coelestia. An forte Regina mundi totis non optare animi votis gloriam, sui verissimi Sponsi et honorem dubitamus? ».

304. Unde idem auctor (3. p., c. 6) hoc salubre monitum nobis praebet in haec verba: « Quando B. Virginis Rosarium persolveris, non te pigeat in fine Rosarii, quempiam in honorem Sponsi sui Ioseph peragere; talibus enim tua Deo gratiora reddentur, quibus pariter coelum laetificabis, et terram ». Imo ex historia Orientali refert idem 3. p. c. 9) Christum Dominum dixisse ad Iosephum: « Ero auxiliator omni homini in ecclesia iustorum, qui in die memoriae tuae, o Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, et qui meditabitur in vita tua, et in laboribus tuis ».

305 Tandem mihi sane videtur D. Iosephus, tamquam stipendium, et tributum sibi debitum, a nobis cultum, et singularem erga ipsum devotionem postulare posse, prout sa-

Digitized by Google

pienter noster Bernardinus Senens. t. 3. serm. de S. Ioseph 2., c. 2, ubi ait: « Si compares Iosephum ad totam Ecclesiam, nonne iste homo electus, et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam huic Iosepho debet gratiam et reverentiam singularem: ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua patriarchalis et prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Certe olim in Ecclesia velo tegebatur, quantae dignitatis et sanctitatis esset Ioseph Sponsus Virginis et, pater Christi putativus, sed scissum est velum templi, a summo usque deorsum, et per fidem Christi sacrosancta mysteria orbi universo pervenerunt, et in hoc coelorum regno, idest Ecclesia, apertum est Dei templum et facta sunt fulgura, et voces concionatorum, sequutae sunt voces doctorum, quae de tanto et Sanctissimo Iosepho noverunt, concionibus et scriptis celebrarunt ».

306. Ad quod respiciens Isolanus 3. p., c. 6, dixit: « Spiritus Sanctus non deficiet a movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiae exsultans, divinum Iosephum nova prosequatur veneratione, condat coenobia, ecclesias, ac altaria in eius erigat honorem. Festa celebrabuntur et ei vota vovent, et solvent cuncti, aperiet Dominus aures praecordiorum intellectus, et viri magni scrutabuntur interiora Dei dona, abscondita in Sancto Iosepho, et invenient thesaurum optimum, qualem apud sanctos Patres veteris Testamenti non invenerunt: pinguedo enim, et abundantia donorum spiritualium in S. Ioseph spiritualiter emicuerunt, ita ut similis ei non inveniatur. Sancti enim novi testamenti a Christo dicti sunt amici, Ioseph vero pater ab eo vocatus est; illi mundi Reginam coluerunt ut dominam, Ioseph autem ut Sponsum. Benedicite igitur o populi S. Ioseph, ut benedictionibus repleamini; qui enim benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur ». Unde Hispalensis Ecclesia huius benedictionis participem fieri cupiens, solita erat in festo S. Iosephi hunc pium in eius laudem canere hymnum:

Hunc diem totum celebrem per orbem,
Virginis Sponsi veneremur omnes,
Turba coelorum simul et beata,
Concinat hymnos.
Conditor mundi pius, et Redemptor
Coniugem Matri statuit pudicum,
Eius ut custos foret, atque testis
Virginitatis.
Tempus ut plenum fuerat salutis,
In virum Ioseph datus est Mariae,
Ex tribu Iudae, veniens ab alto
Sanguine regum.

Unde doctissimus Gerson (serm. de Nativit. Virg. in Conc. Constantiensi habito) sic locutus est: « Congruit huic sanctae Synodo laudis aliquid, vel honoris instituere pro virginali Sponso Mariae, Ioseph, cuius honor redundat in ipsam, et in eum, qui de ea natus est, Iesum Christum, ut ita Mariae meritis, et intercessione tanti, tamque potentis, et imperiosi quodammodo patroni apud Sponsam suam, reddatur Ecclesia unico viro vero, et certo summo Pontifici sponso suo, vice Christi; et nos denique singuli Deo renascamur hic per gratiam, et in futuro per gloriam ».

307. **Hymnus XIV.**

Iosephi Sponsi et custodis praesidium imploratur.

ALMAE Sponsum Virginis,
Te Iosephum virginem,
Incarnati Numinis
Te parentem vigilem,
Ora promant omnium.
2. Felici coniugio
Quam suscipis socia,
Divino consilio
Edet viri nescia
Salvatorem gentium.
3. Missus coelo nuntius
Evolvet mysterium;
Miraris, nec dubius
Discis Dei Filium
Tibi iusto creditum.
4. Cuius coeli regia
Mandatis obsequitur,
Qui regit imperia,
Orbis cui subditur,
Habes tibi subditum.
5. Summa qui potentia
Tibi vitam contulit,
Mira providentia
Vitam a te recipit,
Pabula suscipiens.
6. Leto citus eripis
Iesum tibi creditum,
In Ægyptum transfugis,
Sacrum hoc depositum
Sedulo custodiens.
7. Illustri consortio
Factus custos Virginis,
Diurno colloquio
Gaudes nati Numinis,
Stans tecto sub paupere.
8. Quem quaerebas anxius
Solymis deperditum,
Quem complexu laetius
Fovebas iam redditum,
Prospicis in aethere.
9. Nunc superis sedibus
Nos regnans ne deseras,
Qui votis potentibus
Viam coeli reseras
Mortalibus miseris.

Digitized by Google

10. In hoc vitae stadio
Petimus suppliciter,
Nos firma praesidio,
Fruamurque iugiter
Numine, quo frueris.

(Ex Breviario secundum usum Gallican.).

308. **Memento.** — Desponsatur Iosepho de regia quidem stirpe, sed non opulento nisi virtutibus, quas ingentes fuisse necesse est, maxime castitatem, ut illi talis Virgo credi posset. Et uti Christus moriens Matrem Virginem Sancto Ioanni dilecto discipulo et virgini commendavit, ita dubitari non debet quin nasciturus voluerit eam dari Viro innocentissimo, Viro, ut Evangelium testatur, iusto, Viro virgini. Considera felicitatem talis Sponsi, ex convictu talis Sponsae, et Filii eius. Felix quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem fidissimum. Qualis inter illos amor! qualis conversatio! quam divina colloquia! etc. Tu ama Mariam et Iosephum qui eius Sponsus est (Cuvelhier, Medit. breviss.).

XV. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE EFFICACIA PATROCINII S. IOSEPH.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, hom. XIII.

PORRO, quia inter pleraque alia, quae a nobis cultum, et venerationem sanctorum veluti extorquere solent, motivum nostrae utilitatis ad id potissimum esse solet, operae pretium duxi de efficacitate intercessionis D. Iosephi super reliquos sanctos nonnihil disserere. Sane omnes isti servi Christi sunt, et ad neminem nisi ad Ioseph pertinent verba illa Virginis, (Lucae 2): « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Si autem Deus voluntatem servorum timentium se facit, ut cecinit David, quanto magis Iosephi voluntati annuet, quem in Sponsum suae Matris, et in patrem suum legalem, et nutritium elegit, et sub cuius tutela, et hospitio permultos annos infantiae, et pueritiae suae vitam transegit? quanta quaeso cum fiducia, quod olim Cicero ad Caesarem pro Deiotaro, ipsius Caesaris hospite, orans dixit: « per dexteram te rogo, quam hospes hospiti porrexisti: » ut viro parceret, et obtinuit; dicere Christo potero: per dexteram, te Christe, obtestor illam, quam hospes quondam porrexisti Iosepho, mea mihi condones peccata, gratiae tuae recipias sub alas, meque hospitis tui cari indignum licet servulum protectionis tuae digneris beneficio fovere?

310. Hanc Iosephinae intercessionis miram efficacitatem considerans acerrimus fidei defensor Ioan. Echius (homil 2. de S. Ioseph) haec scribit: « Usque adeo mutua illa Iosephi cum Domino Iesu, et Virgine Maria conversatio, immensam eius arguit sanctimoniam, et dignitatem. Unde sperare liqueat, quod quidquid filium suum Christum rogaverit Ioseph, vel etiam coniugem dilectissimam Mariam, eius rei repulsam passurus sit nunquam. Vos itaque carissimi, nolite tam sancti viri oblivisci, quin eum sedulo invocate pio affectu, neque ille in necessitate vos deseret ».

311. Et doctissimus Archiepiscopus Chrysostomus a Capite fontium (l. de perpetua virginitate Mariae et Ioseph) explicatius: « Adhuc, inquit, vide filii regum quanta pro suis nutritiis faciant, et pro suis nutricibus, et quanta apud eos suis amicis possint impetrare ».

312. Non credo Christum unquam oblivioni daturum, quantum Iosephus pro eo laboris sustinuerit, quantum illi debeat; atque ideo multa pro eo, et fecit semper olim et in illius gratiam devotis eius facere paratus erit in aeternum. Leoni comparatur Christus propter animi generositatem, et nobilitatem. Leone autem nihil est magis gratum, et memor nihil, quod acceptum beneficium maiori cum diligentia, et animi gratitudine rependat. De leone de tribu Iuda non est, quod dubites, quin maiori sit generositate, quam ferox istud animal, quod illius est figura, praeditum.

313. Quamobrem perpetua apud eum susceptorum a Ioseph obsequiorum memoria perseverat, et cum perenni memoria constans quoque atque perpetua, non dicam paria, sed infinita, uti, et liberalitas atque generositas eius infinita sunt, referendi: et statim exclamat dicens: « O beatum ergo virum hunc, cui contingit, talis filii esse nutritium, patrem dici! o beatos eos, quos iste dilexerit, quos sub sua susceperit Sanctus iste protectione ». Nihil arbitror potentius ad divina charismata a Deo impetranda, quam scalam hanc ascendere, a Iosepho ad Virginem, a Virgine ad Christum, a Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri plagas, et vulnera, Mater filio pectus et ubera, Ioseph utrique callos, et dura, quae pro eorum subveniendis necessitatibus, fabrili arte laborando, pertulerat; nec enim ipse superne in eos dominabatur, sed pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

314. Accedit quod aliis sanctis precandi data est facultas; auctoritas autem impetrandi Ioseph tamquam Patri uberius collata, quam antiquo patriarchae Ioseph Pharao

Digitized by Google

contulerat; unde Gerson (in sua Iosephina) cecinit:

Quanta fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum pater erat
Uxorem, et natum veluti imperium reputatur.

Et quidem, quum gratia in via sit, non destruit naturam, sed perficit, ut docet S. Thomas (1 p. q. 1, art. 8 ad 2); quanto melius et perfectius gratia consummata in patria, quae quidem eadem numero perseverat, iusta illud (I. Cor. XIII, 8): « Charitas numquam excidit? ». Ubi D. Thomas (lect. 3, in principio) sic explicat: « Sensus Apostoli est: charitas numquam excidit, quia scilicet sicut est in statu viae, ita permanebit in statu patriae ». Igitur sanctissimi illius respectus et relationes, ut ita loquar, quae dum superstites erant, fuerunt inter Iesum, Mariam et Iosephum, filiationes et subiectiones perfectius in coelo suo modo permanebunt, ut apprime Gerson adnotavit (serm. de Nativit. Mariae).

315. Ad extremum illud etiam potentiam intercessionis divi Iosephi non parum commendat, quod reliqui sancti certis, et singularibus necessitatibus subveniunt, et pro diversitate illarum, ad hunc, vel ad illum confugimus; ut pro gutturis infirmitate ad Blasium, pro dentium dolore ad Barbaram, pro rebus perditis ad Antonium. Unde D. Tho. ad id respiciens (4, dist. 45, q. 3, art. 2, ad 2) ait: « Quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem infernalem ». At sanctissimo Ioseph in omni necessitate, et negotio concessum est opitulari, et omnes ad se pie confugientes defendere, fovere, et paterno affectu prosequi.

316. Unde lib. vitae seraphicae virg. S Theresiae Heliani Ordinis montis Carmeli restauratricis legimus, quod pia haec Mater hoc universale patrocinium frequenter experta, filias suas hortabatur, ut licet quam plurimos alios sanctos, patronos et advocatos haberent, peculiari tamen devotione protectioni sanctissimi Iosephi confidenter se committerent, quia magna a Deo beneficia in qualibet necessitate eum debite invocantibus impetrabat.

317. Ad haec, quo plures quis habet actiones, ad aliquam rem petendam, eo efficacius ius habet ad illam obtinendam: potest enim illis divisim, aut simul illis uti in iudicio (l. non est novum; Digest. de actionibus empt.). Manifestum etiam est, duo vincula esse uno strictiora, et amplius operari, ut habetur (in Authen. de consanguineis in principio, et Authen. itaque, C. communia de successionibus): in S. autem Ioseph tot, ac tam efficacia vincula, tot actiones et iura concurrunt, ut nulla ratione intercessio eius repulsam pati queat.

318. Ille ab aeterno in caput clarissime Dei Familiae electus; ille dominus domus suae, et princeps omnis possessionis suae; ille vere Virginis sponsus, ille Christi putativus pater, ille nomen Iesu publice ei impones, ille prudens, ac fidelissimus Virginis custos, ille carnis Christi nutritius, ille Matris Virginis solatium, ille infantis Christi tutor vigilantissimus, ille praefectus mensae Iesu, et Matris eius, ille socius individuus laborum utriusque, ille magister sacri Palatii, ille aulicus familiaris, et Christi cubicularius, et ille clavem auream, ad eum libere ingrediendi, et egrediendi semper deferens, ille legitimatus Christi defensor, ille Mariae honoris, et famae zelator, ille ferculum veri Salomonis, frequenter brachiis suis Christum infantem gestans, ille pro puero Iesu in templo praesentato siclos solvens, eius quoad fieri potuit, et redemptor factus, ille ab insidiis et nece Herodis in Ægyptum Christum ducens, Salvatoris fuit Salvator.

319. Haec tam inviolabilia iura, quid quaeso a Deo non obtinebunt? Et quidem si rex Pharao beneficium commune a patriarcha Ioseph acceptum ita gratificavit, ut illimitatam pro suis fratribus locupletandis facultatem liberalissime impenderet: ut enim legimus (Genes. XLVII): « Dixit rex ad Ioseph, terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare fratres tuos », quid, obsecro, quid, rogo, pro nobis omnibus S. Iosephi filiis, non gentilis rex Pharao, non Iosepho patriarchae Iacobi filio, sed Christus Rex regum, et Dominus dominantium, cuius voluntas est sanctificatio nostra, non liberaliter concedet? Sane quidquid petieritis Iesum in nomine Ioseph, dabit vobis.

320. Quid plura? Cum sanctissimus Ioseph ex regia Davidis stirpe sit, ut testatur divus Lucas, eo quod esset de domo Davidis patris, suae liberalitatis haeres factus, non solum quae petimus, liberalissime praestat, sed maiora multo iuxta verae nobilitatis morem, quam Summus Pontifex Gregorius (in cap. 1 de donationib.) ita describit: « Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet; et nisi in beneficiis suis creverit, nihil se praestitisse putet ». Probate ergo fratres, obsecro, et experiamini patrocinium sanctissimi Iosephi: et annuetis in vocem illam erumpentes, in quam regina Saba regi Salomoni (III. Reg. 10): Verus est sermo, quem audivi in terra mea, et probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit ».

321. Non solum autem sanctissimus Ioseph liberaliter coelestia charismata suis precibus a Christo Domino efficaciter nobis impetrat,

Digitized by Google

sed ad temporalia beneficia non dedignatur auxilium suum fidelibus impertiri: etenim in primis ipse custos est, et protector, et comes iter agentium, ac per loca periculosa peragrantium; nam ex his, quae ipse passus est tum ut Caesaris Augusti edicto pareret, tum cum fugiens Herodis persecutionem in Ægyptum ire compulsus, et inde in partes Galilaeae, et a Galilaea in Iudaeam, sufficienter proficiscentibus, et peregrinantibus, succurrere didicit.

322. Unde Ioannes Echius (homil. 1. de Sancto Ioseph) ait: « Omnes insuper, quibus periculosae instituuntur profectiones, locaque adeunda sunt parum tuta, semel se Ioseph committere debent, et ex illo comitatem, securitatem, tutelam, et intercessionem petere, et fideliter sperare ». Quod etiam mirabili exemplo comprobatum refert magister Gratianus Carmelitanus (lib. 5. de Sancto Ioseph c. 4. post princip.): « Erat, inquit ille, quidam gravissimus pater Ordinis sancti Benedicti, habitantium in conventu Beatae Virginis montis Serrati, devotissimus Sancti Ioseph, qui meditabatur frequenter mysterium illud, et labores quos cum Christo Domino et Deipara in fuga in Ægyptum pertulit. Huic contigit, quod cum suum Conventum rediens, et obscura nox illum oppressisset, in quodam deserto monte feris truculentis, grassatoribus hominibus pleno, recta illinc itineris amissa via, huic sic desolato occurrit quidam homo iumentum agitans, cui pulcherrima mulier, Parvulum infantem gestans in brachiis suis, insidebat a quo religiosus ille rectam itineris viam edoceri postulavit; cui homo ille respondit, ut ambo simul pergerent, ipse enim probe iter illud noverat; cumque de rebus divinis colloquium miscuissent, monachus cor suum, prae nimia dulcedine, devotione, et suavitate intus ardere sensit, veluti discipuli illi, qui cum Christo Domino Emmaus versus euntes confabulabantur; cumque prope oppidum, quo religiosus ille tendebat, pervenissent, continuo homo ille, pulcherrima mulier et speciosus prae filiis hominum Puer disparuerunt; et devotus ille religiosus, quasi a somno excitatus, et ad se reversus dixit: Nunc scio vere, illos sanctissimum Iosephum, Beatam Virginem Sponsam suam, et Puerum Iesum, qui est via, veritas et vita, fuisse mihi socios, consolatores, et ductores extitisse, et per reliquum vitae tempus usque ad mortem in conspectu Domini pretiosam, eorum quae a Virgine et Iosepho in via audierat, dulcis memoria, et meditatio immobiliter perseverarunt » Unde merito B. Iosepho postulans, sic canebat olim Ecclesia Hispalensis in hymno eiusdem festivitatis:

O custos Matris Domini,
Devotos tuo nomini,
Ioseph alme, per aspera,
Salva semper, et prospera.
Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis:
Sentiant nostra pectora
Tua semper iuvamina;
Tu salus et protectio,
Nostraque iubilatio.

323. Rem aliam valde mirabilem memoriae commendandam refert Didacus de Iepes Philippi II Hispaniarum Regis a sacris confessionibus, et episcopus Tarraconensis (lib. 2 vitae beatae matris Theres., cap. 27). Narrat ille, quod cum beata illa mater cum aliis eiusdem Ordinis sanctimonialibus associata, spiritu Dei, ut pie creditur, actis, monasterium in oppido de Veas in radicibus montium, situm habente, sub invocatione sanctissimi Iosephi, proficiscerentur fundaturae, via regia penitus amissa, et ad loca lapidibus complantata, manifestis plena periculis, inter montium ad coelum ascendentium cacumina, et vallium ad abyssum descendentium pervenissent; tunc beata illa mater filias sibi socias sic fuit confidenter alloquuta: « Eia, eia amantissimae sorores, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, sanctissimique Iosephi patrocinium deprecemur, et in tam ingenti ruinae periculo auxilium imploremus ». O sancte, et mirabilis Deus in sanctis tuis: nec mora quidem, a profundissima voragine humana vox, quasi cuiusdam viri grandaevi, in hunc modum proclamans audita est: « Sistite, sistite iter, ulterius non progrediamini, nec moveamini; peribitis alioquin absque dubio praecipites ». Cuius monitu aurigae currus stare fecerunt, cumque ab eis vir ille obnixe rogaretur: « Dic, obsecramus, doce nos, rogamus, quid faciendum nobis est? » At ille statim respondit: « Omnes pariter versus unam signatam partem iter pedetentim arripite »; quae quidem non minus apparebat periculosa. Cumque illi omnes obtemperassent, et se miraculose a praecipitio ereptos conspexissent, vellentque hominem illum inquirere, ut ei debitas persolverent gratias; beata mater eximia devotione, et lacrymarum profluvio perfusa, sociis sanctimonialibus dixit: « Frustra quippe aurigae conquisitum hominem invenire fatigantur, non invenirent: erat enim sanctissimus pater meus Ioseph, qui a periculis nos liberavit, viam nostram direxit, et in tuto nos collocavit ». Quod rei probavit eventus; nam aurigae usque ad voraginis profundum descendentes, nullum hominem, nec vestigium hominis invenientes, defessi rediere, et omnes unanimiter Deo, et sanctissimo Iosepho gratias exhibentes, reliquam

Digitized by Google

itineris partem alacriter et velociter peregerunt.

324. Beatus Ioseph adiutor, et protector est navigantium, qui in perpetuo fere versantur periculo: « Qui navigant mare, inquit (Eccli. XLIII, 26), narrant pericula eius, et audientes auribus nostris admirabimur »; et (Psalm. CVI): « Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo. Ascendunt usque ad coelos et descendunt usque ad abyssos. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est ». Eorum etiam praecipue, qui naufragium passi sunt, se patronum ostendit, dominans potestati maris, et motum eius mitigans.

325. Quod manifesto hoc exemplo confirmatur, in authentica, et gravissima historia sacri ac seraphici nostri Ordinis, quam edidit pater Ioannes de Fanno, cuius et meminit magister Gratianus (loc. cit.). Refertur quod cum duo sanctissimi Iosephi devoti, et eiusdem Ordinis religiosi, Flandriam versus navigarent, navi cum multis hominibus demersa, ipsi quadam arrepta tabella, tribus integris diebus, ac noctibus Ioseph implorantes, super maris undas ambulaverunt; et quod tertia die super eadem tabella in medio eorum apparuit iuvenis, eleganti forma, et decorus aspectu, qui eos dulciter et affabiliter salutavit, eos bono animo esse iubens, erant enim iam quasi viribus deficientes; quo auxilio sani et salvi evaserunt, et gratias agentes Deo pro beneficii accepti magnitudine, iuvenem illum rogaverunt, ut nomen suum eis revelare dignaretur, qui statim placido vultu, se Sanctum esse Iosephum ingenue fassus est.

326. Experientia item compertum est, tam uxores, quam viros zelotypiae stimulis agitatos ad D. Iosephum confugientes, divino auxilio suffultos, ab eo dolore liberatos, sicut et ipse eodem morbo laborans, angelum sibi loquentem audivit: « Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ».

327. Moneo etiam eosdem coniugatos, ut infantem filium suum in lucens recens editum statim B. Iosepho, et B. Virgini offerant et educandum tradant, obnixe deprecantes, ut velit illi esse pater, pedagogus et tutor, et B. Virgo sponsa eius dulcissima mater; utrique et eorum cuilibet dicentes: « Accipe puerum, futurum est enim, ut Herodes quaerat ad perdendum eum »; et Beatae Virgini in particulari, quod regis Pharaonis filia dixit matri, licet non cognitae, infantis Moysis: « Accipe puerum istum, et nutri mihi, et dabo tibi mercedem tuam », (Exod. II). Age iam Virgo sanctissima, misericordiae tuae sinus aperi, iste hic filius meus sit, quaeso, filius tuus; nutri, obsecro eum, non mihi, sed tibi; in tua semper devotione permaneat et ego dabo tibi mercedem tuam; hoc est, varia tibi obsequia incessanter impendam. Proculdubio infantem recipiet, et absque ulla comparatione ministerium excellentius praestabit, quam Moysis mater, licet alioquin haec illum nutrivit, infantem parum educavit et adultum tradidit.

328. Iam finem dicendi facio, affirmans, felicissimos illos appellari, qui coeleste hoc donum devotionis erga Virginem, et Iosephum susceperint, et in ea ad mortem usque perseveraverint; de illis enim haud insipienter dixero: « Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta », (Psal. CXXVI); in quae verba Euthymius ait, antiquum morem fuisse hostium legatis, ut ante portas civitatis loquerentur. Nic. de Lyra legit, « in porta », id est, in iudicio, quia iudices antiquitus in portis sedebant, et ibi coram eis aliquando factae sunt disputationes fidelium cum infidelibus. Gloss. vero moralis ait: « Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, scilicet mortis, in qua non confundetur a spiritibus malignis, quia Virgo sanctissima, felix coeli porta, suo patrocinio, et efficaci protectione ibi aderit. Unde (Sap. VI) dicitur: « Facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quaerunt illam; qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet.

329. Non confundetur in porta, quia sanctissimus Ioseph, vir et Sponsus Virginis, tunc sanctorum multitudine sociatus, sedebit in portis cum senatoribus terrae, auxilium et tutissimam protectionem humili devoto suo impertiendo, iuxta illud (Prov. ult.): « Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae ». Et forsitan nunc tibi continget quod his verbis refert S. Gregorius (lib. 4, dial., cap. 15, 16 et 47): « Nonnumquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Nonnunquam etiam in consolatione egredientis animae, ipse apparere solet auctor, et restitutor vitae Interdum etiam contingit iustis, ut in morte sua sanctorum praecedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem pertimescant, sed dum eorum menti civium supernorum societas ostenditur, a carnis suae copula, sine doloris et formidinis fatigatione solvantur »; haec divus Gregorius.

330. Si Beatae Virgini, et carissimo eius Sponso Divo Iosepho devotum, ac perseverantem praestiteris famulatum, non temere sperare poteris in hora mortis haec eadem

Digitized by Google

beneficia te suscepturum, et tunc singulorum vultus intuens, dices, quod olim Iacob filio suo Iosepho (Genes. XLVI): « Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam ». Iam Christe Domine laetus moriar, quia vidi faciem tuam speciosam prae filiis hominum. Iam Beata Virgo Mater misericordiae, laetus moriar, quia vidi faciem tuam pulchram ut lunam, electam ut solem. Iam laetus moriar, dulcissime Ioseph, quia vidi faciem tuam similem valde pulchritudini Christi et Mariae.

331. Tunc tandem dulci concentu modulaberis, ut contemplatur Eusebius Emissenus (de gloria Paradisi): « Quam delectabilis repausatio post depositum gravis oneris fascem? Quam dulce post longae captivitatis catenas ad caram patriam recuperata libertate remeasse? quam pretiosum post multa navigationis pericula ad optatam terram ac portum desiderabilem pervenisse? ». Iam iam passer solitarius a mundi et proprii corporis rete, et periculoso laqueo liberatus, invenit sibi domum. Iam iam turtur, cuius vox gemebunda et desolationis plena in hac mortalium et miserrima terra audiebatur, invenit nidum, ubi ponat pullos suos.

332. Iam iam qui terram arentem cum dolore colebat, aeternae beatitudinis patriam perennis consolationis irriguam videre incipit. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Iam iam lux splendens coelestis templa et altaria incepit ostendere: Altaria tua Domine virtutum rex meus et Deus meus. Iam iam in altaria sacratissima, Beatissimam scilicet Virginem, et sanctissimum Iosephum, quorum brachiis vera hostia, verum sacrificium, Verbum caro factum, Deus humanatus et homo Deificatus gestabatur, nutriebatur et secure ac delitiose quiescebat; ad me venientes video: altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Iam iam choros utriusque sexus virginum Beatam Virginem et B. Iosephum comitantes, et mihi magna cum laetitia occurrentes videre incipio, eosque e longe resalutans clamito: beati qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

333. Hymnus XV.

Aeternam a Iosepho adprecamur lucem.

O Felix custos, Sponse Reginae virginum
Qui IESUM educasti omnis creaturae Dominum
Iam laetus regnas in choro sanctorum agminum;
Ora pro nobis assidue Patrem luminum,
Ut aeterna luce fruamur in perpetuum.

(Ex Collect. hymnor. 16 saec.).

334. **Memento.** — Pater Ianssens in sua moderna Summa Theologica, V, 184, pulcherrime de S. Ioseph scribit: " Praecellens tamen dignitas, qua gaudet B. Ioseph, uti virgineus Sponsus Matris Dei, uti pater putativus ac nutritius Iesu, uti figura Patris coelestis atque caput Sacrae Familiae in terris, demum uti Patronus Ecclesiae universae, pie suadet, SS. Patriarcham fuisse speciali modo sanctificatum, gratiarumque dotibus repletum. Quare placet sententia, quae eum privilegii Praecursoris ac Ieremiae participem affirmat.

Nec obest quod de hoc privilegio nihil in Scripturis legatur. Tota enim figura S. Iosephi est abscondita: unde potius decet ut ille tam eximius, cuius tamen Evangelium ne obitum quidem narrat, vitae supernaturali pariter ortus sit, quin ulla de speciali eiusdem sanctificatione memoria prostet.

Vi huius uberioris sanctificationis putamus, B. Iosephum fuisse in gratia confirmatum, ita ut non modo mortalia, sed et deliberata venialia vitare potuerit; saltem a tempore quo Sponsus cum B. Virgine convenit, utpote fomitem habens ex ipsa propinquitate purissimae Virginis ligatum.

Iuxta hanc doctrinam collatam cum resp. ad 1, sequentem sanctificationis scalam haberemus:

Christum, gratia, sine possibilitate augmenti undequaque plenum, absolute impeccabilem.

Mariam, immaculate conceptam, plenam gratia, iugiter adaucta, peccabilem tamen per se, sed liberam a quavis concupiscentia et a quovis levissimo peccato per gratiam.

B. Iosephum, sanctificatum ante nativitatem, eximia gratia ornatum, qua, saltem a sponsalitiis suis virgineis, fomitem habuit ligatum, et confirmatus in gratia venialia deliberata vitavit.

Praecursorem et Ieremiam, ante nativitatem sanctificatos, et ita confirmatos in gratia ut mortaliter numquam peccarint. (Inter utrumque S. Bonaventura discrimen posuit: quatenus Praecursor insuper frequentiam venialium vitare potuit).

Apostolos pariter, sed post Christum redivivum confirmatos in gratia, ne in mortalia inciderent.

Locum specialissimum in hac scala B. Iosepho inde tribuere non veremur, quod Spiritus ille, qui ubi vult spirat, ultimis temporibus cultum Sponsi B. M. V. in Ecclesia tam magnifice auxit; cui cultui oportet ut maxima gloria ac proin summa sanctitas omnino respondeant ".

XVI. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE SANCTIFICATIONE S. IOSEPH IN UTERO MATERNO.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, Homil. magna et ultima.

QUAMVIS de hoc genere argumenti latissime disseruerim, praecipue (libr. 4 et 9), sanctissimi tamen Patris ac Domini mei Iosephi praeconiorum vena dives adeo, et locuples esse perhibetur, ut tametsi disertissimi doctores novas laudes incessanter ex ea hauriant; cum tamen illam exhaurire nequeant, maior enim est omni laude, quem Christus

Digitized by Google

Dominus ineffabilis Matris suae Sponsi honore, ac patris sui legalis singulari praerogativa dignum iudicavit, necesse est, ut potius deficiant laudatores, quam materia laudandi; quae igitur alibi nos praetermisimus, nunc supplere properamus.

336. Gravissimi auctores constanter affirmant, Beatum Iosephum fuisse sanctificatum in utero materno, unde ei dicere licuit (Psal. LXX): « In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae; tu es protector meus, in te cantatio mea semper »; ita doctissimus Gerson Cancell. Parisiensis (in serm. de Nativit. Virginis) in Concilio Constantiensi habito, ubi asserit, hoc contineri in officio Hierosolymitano de D. Ioseph composito, et Theophilus, Chrysostomus, ut refert Isidorus Isolanus (lib. de S. Ioseph cap. 9. et 10), Margarita Confessorum (in parte ult. ex memoralibus), Iacobus Christopolitanus (sup. Cant. beatae Virg.) Archiepiscopus de Capite Fontium (libr. de perpet. virgin. Mariae et Ioseph), ac pene innumeri moderniores, quos perlongum esset recensere; idque mihi persuadeo verissimum, quia omnis sanctificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum Sanctorum speciali ratione ordinabatur; utrumque autem in nostro Ioseph excelluit; ipse enim iustus fuit, et primus, quem Spiritus Sanctus canonizavit in novo Testamento, vocans illum iustum: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus », et supra omnes viros ordinatus fuit prius, et immediatius ad Christi infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in utero fuisse sanctificatum.

337. Unde si Hieremias in utero sanctificatus legitur (Hirem. 1): « Factum est ad me verbum Domini dicens: Priusquam te formarem in utero, novi, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te »; id quod ita fieri decuit propter expressiorem prophetiam, quam de Christo venturo editurus erat; potiori iure D. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros ac familiarissimam quam cum illo subiturus erat consuetudinem. Quod si Ioannes Baptista in utero fuit sanctificatus, ut dicitur (Luc. 1): « Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae », quia praecursor Christi et clamosus eius praeco futurus, ac digito illum demonstraturus erat; quanto potiori iure S. Ioseph in utero sanctificari debebat quia Christi Domini non praecursor, sed nutritius, non praeco, sed pater legalis, et Genitricis Sponsus futurus erat?

338. Atque hinc etiam efficitur, ut sanctissimus Ioseph fuerit confirmatus in gratia ad similitudinem Apostolorum; ita docent Gerson in serm. de Nativit. Virg. et in sua Iosephina, et Gratianus lib. 5. de Ioseph c. 5. tit. 1. Hinc consequenter dicendum, quod toto suae vitae curriculo nullum peccatum mortale commiserit, ut docet Augustinus de natura et gratia, quem sequuti sunt multi recentiores, Gerson in sua Iosephina, Margarita Confess. in quae. ultima ex moralibus, Fonseca in vita Christi, Barrad. libr. 6., concord. cap. 8 prope fin., Gratian. lib. 5 de Ioseph, c. 5, tit. 1: id quod ex eo clare patet, quia effectus doni confirmationis in gratia est non peccare mortaliter, ut docet sanctus Thom. 3 p., q. 27, art. 6 ad 1^m. Insuper arbitror B. Iosepho fuisse extinctum peccati fomitem, aut saltem ligatum, ita censet idem Gerson. serm. de Nativ. Mariae, Ioannes Echius serm. de S. Ioseph, Iacobus episcopus in cant. B. Virginis, Bustensis in Marial. 4 part., serm. 12, per totum, Andreas de Soto lib. de Ioseph c. 10, Canisius lib. 2 de Virgine, cap. 13, post med., Salmeron tom. 3, tract. 29.

339. Etenim cum B. Ioseph a Deo fuisset B. Virgini datus in adiutorium simile sibi, maxime quoad dona et virtutes concernentes communem matrimonii convictum, cui maxime congruebat extinctio, vel ligatio fomitis in Ioseph, Deus a quo coeleste hoc matrimonium fuit specialiter ordinatum, « Qui attingit a fine usque ad finem, disponens omnia suaviter », sicut B. Virgini fomitem extinxit, ut docuit D. Thom., sic et B. Ioseph; vel si non extinxit, saltem ligavit; etenim B. Virgo vitam actura erat cum sanctissimo Ioseph, et non utcumque, sed tam familiariter, ut a quotidiano viri conspectu, domesticoque convictu se minime abstineret; imo illum et comitem et socium continuum haberet, is enim duxit illam in Ægyptum, et ab Ægypto reduxit solusque cum sola tam longinquam et tam secretam viam confecit, ut nullum periculum in suo purissimo coelibatu vereretur.

340. Nec dubium prorsus, quin castissimus et sincerissimus amor ex mutuis illis vitae communis officiis, atque obsequiis magis magisque fuerit in dies confirmatus, et ad commodiorem Christi pueri educationem magnum fructum attulerit. Quid autem illi metuerent? cuius incontinentiae periculo subiacerent, tam firmis et solidis divinae gratiae praesidiis communiti, ut lex carnis et effraenis concupiscentia sanctum et divinum in illis amorem nulla ex parte imminueret, atque labefactaret?

341. Unde egregie Canisius (lib. de Deip., cap. 13) inquit: « De Ioseph scribit Gerson, in hoc iusto et aeque casto viro peccati originalis fomitem, vel extinctum vel depressum fuisse; sed et prorsus decuisse, ne praestans

Digitized by Google

Virginis forma et cohabitatio familiaris ipsum ad libidinem sollicitaret, ac aliqua ex parte commoveret. Quamvis decor eximius et admirabilis Mariae nullum ad foedam carnis concupiscentiam incitabat ». Deinde originalis peccati effectus, quamprimum apparuit in motibus concupiscentiae inordinatis, ut Gen. II legimus: ubi cum primi parentes in statu originalis iustitiae essent nudi, non erubescebant.

342. Igitur credendus est Ioseph ligatum habuisse fomitem peccati originalis etiam naturaliter et absque deliberatione ne in quempiam concupiscentiae appetitum prorumperet eius sensus, dum in consortio Virginis versaretur, etenim appetitus operatur circa obiectum applicatum, nisi per actualem motionem a superiori potentia contineatur, quam naturalem inclinationem et efficaciam non videntur soli habitus posse impedire: nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum, ita neque virtutes, licet alioquin perfectissime possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quae interdum rationi repugnat, et ad illa nonnunquam movetur, nisi aliunde divinitus praeveniatur. Igitur cum sanctissimum Iosephum nullus prorsus libidinis motus unquam pulsaverit, manifeste efficitur, ut suaviter in eo omnis concupiscentia cessaret, fomitem in eo extinctum, aut ligatum fuisse non solum per habitus et virtutes, sed et per divinam gratiam excitantem praevenientem et illum adiuvantem.

343. Ad haec Virgo sanctissima castellum divinum est in quod ingressus fuit Iesus (Luc. II). Castellum enim a castitate dicitur, quasi castum lilium, ut docet Glossa ordin. ibi. Unde divus Bernardus (serm. 2 de Assumpt. in princ.) ait: « Quid introisse eum dicimus in castellum? etiam in augustissimum virginitatis uteri diversorium intravit ». In custodem autem fidelissimum huius castelli coelestis datus fuit B. Ioseph, (contra Helvidium testatur divus Hieronymus). Cuiuscumque vero castelli custos, maxime a rege Hispaniarum constitutus, debet esse nobilis, atque adeo tributis ignobilium prorsus exemptus (ut habetur in lib. 6 et 7, tit. 18, p. 2). Igitur cum sanctissimus Ioseph fuerit a Deo custos Mariani castelli constitutus, oportebat ne tributi illius solutionem subiret, de quo gemens divus Paulus (II. Cor. XII) dicebat: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? » et ad Rom. VII: « Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae ».

344. Hymnus XVI.

Ad S. Iosephum salutatio atque precatio.

SALVE Pater Salvatoris,
Salve custos Redemptoris,
Ioseph ter amabilis;
Salve Sponse Matris Dei,
Salve hospes Iesu mei,
Ioseph ter mirabilis.

2. O iucundum et beatum,
O felicem vitae statum,
Dum nutristi Dominum;
Dum fideliter servisti,
Et utrumque custodisti,
Matrem atque Filium.

3. Iesum oculis vidisti,
Et in brachiis tulisti,
O suavis felicitas!
Genis genas admovisti,
Oscula dans accepisti,
O felix suavitas!

4. Modo Deum appellasti,
Modo Regem nominasti,
Inter mille gaudia:
Modo Patrem adorandum,
Modo Natum adamandum,
Inter mille basia.

5. Cum Maria conversari,
Atque Iesum amplexari,
O quantae deliciae!
Illum brachiis tenere,
Atque totum possidere,
O quantae divitiae!

6. Cor amore diffluebat,
Flamma flammam nutriebat
Felici incendio:
Quando Parvulum tulisti,
Vel in Matris aspexisti
Blandientem gremio.

7. Quae dulcedo tam immensa,
Et quae flamma tam intensa
Cor magis accenderet?
Quae plus consolationis,
Aut plus delectationis
Peccatori submitteret?

8. Solus ille probe novit
Hoc, qui suo sinu fovit
Amoris incendium:
Solus ille degustavit,
Qui sic Matrem adamavit
Et cum Matre Filium.

9. Ambo Tibi servierunt,
Ambo subditi fuerunt
Toto vitae spatio:
Ambos semper honorasti,
Ambos intime amasti
Summo cum solatio.

10. Mater cibos praeparabat,
Natus tecum laborabat,
O divinum socium!
Post laborem consedistis,
Atque dulcem habuistis
Mensam et colloquium.

11. Dulces noctes, dulcis quies,
Dulcis labor, dulcis dies,
Dulcis conversatio!
Cum utroque habitare,
Cum utroque manducare,
Quanta consolatio!

Digitized by Google

12. Vitam demum dum clausisti,
Ambos tecum habuisti
Circumdantes lectulum:
Hinc et hinc utrumque stantem
Cernens et te consolantem,
Tradidisti spiritum.
13. O quam sancta, quam devota
Fuit tua vita tota,
O quam laetus exitus!
Inter Iesu et Mariae
Manus emori tam pie,
O quam felix obitus!
14. Quis est homo, qui servire
Tibi nollet et ambire
Tuam semper gratiam.
Quis non vellet te amare,
Aditum per te sperare
Ad coelestem patriam.
15. O Iosephe! plus amande,
Et prae cunctis honorande,
O flos pudicitiae!
Tibi tanta sors est data,
Quanta nulli est collata
Ab auctore gratiae.
16. O felicem et beatam,
Cui protegi est datum
Tuo sub praesidio!
Et qui meruit habere
Te patronum, et gaudere
Tuo patrocinio.
17. O Iosephe mi patrone,
Inter tuos me repone,
Me clientem suscipe:
Volo semper te amare,
Semper volo te laudare,
Tu me semper protege.
18. Tu indignum me dignare
Tuae Sponsae commendare
Atque tuo Filio:
Vobis cupio placere.
Vos propitios habere,
Omnes Tres desidero.
19. Istud Trinum, cui favet,
Laetus ille nunquam pavet
Ullo in periculo:
Qui sub huius Trini scuto
Latet, vivit ille tuto,
Moritur cum gaudio.
20. O mi Iesu! Tuae Matris
Preces et Iosephi Patris
Semper clemens respice:
Et Illorum per amorem
Rogo Te et per honorem
Tu me nunquam desere.
21. O Maria! Mater Dei,
O patroni Sponsa mei,
Mihi sis propitia!
Per illius sanctum florem,
Rogo Te et per amorem,
Mihi fer auxilia.
22. O mi Ioseph honorande,
Et ab omnibus amande,
Tu scis, quia amo Te:
Da, ut magis Te amare,
Et plus possim honorare
Toto semper pectore.
23. O mi Iesu! o Maria!
O Iosephe! mente pia
Semper Vobis serviam!
Vos iuvate, ut servire
Digne possim et venire
Ad coelestem patriam.
24. O si possim Vos videre,
Et in aevum congaudere
In coelesti curia!
O si summe Vos amare
Possim semper et laudare
In aeterna gloria! Amen.

(Ex Breviario secundum usum Gallican.).

345. **Memento.** — Recte scribit Alapide: « B. Virgo Iosepho Sponso, eo quod virginitatis suae fuerit in coniugio custos, retribuit omne bonum ». Audi S. Bernard. ser. de Iosepho: « Amplius autem, quia omnia quae sunt uxoris sunt viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat ». Et post nonnulla: « Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, et aeternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo Ioseph a Sanctissima sua Sponsa Maria? » Hac de causa B. Virgo Iosepho cooperata est ad omnem virtutem, gratiam et gloriam, uti explicare pergit S. Bernard. « Quomodo, ait cogitare potest mens discreta, quod tanta unione uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione », etc. (Alapide, in Prov. xxxi, 12).

XVII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE NOMINIS S. IOSEPH EXCELLENTIA.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, homilia magna et ultima.

NOMEN Ioseph ei divinitus, et peculiari Dei providentia contigit: ita Albertus Magnus (sup. Miss. est, cap. 48), et Isolanus (1 p., cap. 2, et cap. 12 per totum), et Cardinalis Toletus (sup. Luc. cap. 1), explicans illa verba: « Cui nomen erat Ioseph ». Idque probant primo ex praecedenti typo et figura. Nam Ioseph filius Iacob, de quo in Genesis capitibus multis diversa referuntur, in fide, quam domino suo servavit, non ausus impudice tangere dominam suam et castitate consequenter, et mysteriorum revelatione, procurationis commissione, cibi conservatione et terrae praelatione, istius Ioseph typum gessit; ille autem divino nutu nomen Iosephi accepit, quod « augmentum » interpretatur. Igitur et noster, ut figura respondeat figurato, maxime, quod significatio illa augmenti egregie in Iosephum convenit, ut his verbis honoravit Albertus Magnus (sup. Miss. est): « Proprietas et significatio, quae incrementum sonat, optime congruit, quia per

Digitized by Google

hanc dispositionem quantum ad proximum, et quantum ad Deum, sublimis fuit; virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia et dilectione, Matris Dei familiaritate et divina, ut putabatur, paternitate ». D. Augustinus a significatione nominis laudes Sanctorum decerpit; etenim (serm. 1. de s. Steph.) sic ait: « Stephanus enim graece, latine corona appellatur. Iam coronae nomen habebat et ideo palmam martyrii suo nomine praeferebat ».

347. Unde Cardinalis Toletus (sup. cap. 1 Luc.) in illa verba: « Cui nomen erat Ioseph », postquam dixerat cum divo Hieronymo augmentum significare, sic ait: « Ad hanc significationem alludens Iacob (Gen. XLIX), quando filio suo Ioseph, sic loquutus est: filius accrescens Ioseph, filius accrescens, quasi diceret: vere o fili Ioseph, auctus es et accrevisti, sic nomen tuum significat; nam excelluisti et in dignitatem provectus es tantum, ut omnium fratrum tuorum sis supremus et qui natus pene ultimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen Sponsus B. Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus: vir accrescens Ioseph, vir accrescens; in tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas, sanctitate et dignitate nihil est aequale, meruerit esse verus Sponsus, et unigeniti Filii Dei pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis et titulis auctus est super omnes patriarchas et prophetas qui ante eum fuerunt. Quibus si adiungas, quod quem reges et prophetae desideraverunt videre et non viderunt, audire, et non audierunt, ipse non solum vidit, et audivit, sed in ulnis saepe portavit, frequenter amplexus et osculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, et paternis officiis ipsi ministravit, iure profecto nomen hoc adeptus videbitur ».

348. Et paulo inferius de augmento spirituali nostri Ioseph agens subdit: « Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem, invenies. In illo enim Ioseph castitas mirifice commendatur, ut refertur (Gen. cap. XXX), dominae sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram domini sui pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere; vere magna castitas est haec. At quis non admiretur nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima Sponsa sua ita conversatus est, ut tamen neque ullo verbo, nec cogitatione, neque motu interiori, qui minus cum summa puritate conveniret, quique solet in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus ».

349. Denique Filium, si non parem, saltem non degenerem Sponsum Matris suae eligere aequum erat; nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem; id quod non obscure adumbratum fuit in melioratione facta a Patriarcha Iacob dilecto filio suo Ioseph, figura nostri, qui morti proximus sic eum fuit alloquutus (Gen. XLVIII): « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo ». Hanc autem partem fuisse Beatae Virginis figuram omnes fatentur; tulit enim eam Deus de manu Amorrhaei in gladio et arcu suo; non enim contentus fuit eam liberare in gladio, qui in propinquum suum effectum operatur, eam in toto vitae curriculo servans ab omni actuali peccato, etiam veniali; sed etiam arcu, qui in remotum vindictam operatur, praeliberans eam ab originali.

350. Fuit praeterea Beatus Ioseph auctus super omnes homines; nam ceteris Christus Dominus partem sui commisit, caput praecursori Ioanni in baptismo praebuit, Ioanni Evangelistae pectus in coena, Thomae apostolo vulnera, Magdalenae pedes, principi Apostolorum Petro et successoribus eius potestatem e tclaves; sanctissimo autem Ioseph, ut cui conveniat illud (Eccl. IV): « Unus est et secundum non habet », certe Christus Dominus se totum integrum filiali affectu tradidit per multorum annorum curricula gubernandum, nutriendum, ac paternis officiis pertractandum.

351. Fuit praeterea sanctissimus noster Ioseph accrescens, et auctus in zelo divinae gloriae et conversionis animarum; nam si de patriarcha Iosepho, qui nostrum adumbrat, dixit divus Cyrillus episcopus Alexandrinus (lib. 10. in Gen. ad fin. tom. 1): « Ioseph enim additio Dei interpretatur; addita Ecclesia gentium gregibus Israel est, et in innumerabilem gentium se multitudinem propagavit; unde Salvator noster ait: Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor, (Ioann. X); quanto praestantius et verius poterit hoc dici de sanctissimo Sponso Virginis, de quo divus Bernardinus Senensis (tom. 3, serm. 1, de Sanct. Ios., art. 2, c. 1) ait: « Credo, istum virum Sanctum Ioseph fuisse sollicitissimum pro omnium salute ad similitudinem Sponsae suae ». Et Isolanus (4 part., cap. 4) ait: « Plus est Christum praedicare facto, quam verbo ».

352. Ioseph autem Christum factis summopere praedicavit; quibus quidem occasionem universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum verum Deum hominem factum. Itidem veri praedicatores de sursum

Digitized by Google

illuminantur, suo tempore loquuntur, et ad verum Deum cognoscendum quoscumque convertere conantur; Ioseph quidem ab angelis fuit illuminatus, quibuscum conversabatur, suo tempore locutus est. Verba enim praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere satagentis; Ioseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur. An non credimus, illum saepissime exhortatum fuisse eos, cum quibus conversabatur, Ægyptios, ut Deum verum colerent? maxime quando contingeret eos audire Messiam, promissum in lege Iudaeorum, advenisse, et ut crederent, nervose suasisse? Nec tantum Beatus Ioseph praedicator exstitit Apostolicus, sed etiam typus fuit et exemplum praedicatorum, ut divus Hilarius (sup. cap. 2 Matth.) his verbis adnotavit: « Ioseph Sponsus Virginis circumferens Christum nunc in Ægyptum, nunc in Iudaeam, designat Apostolos Christum praedicantes Iudaeis et Gentibus ».

353. Fuit etiam sanctissimus Ioseph auctus quatenus nomen eius frequentissime in Evangelio repetitum invenitur; etenim (Matth. 1): « Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus »; et infra: « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph »; ac deinde: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus »; et postmodum: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; et rursus: « Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini »; et (cap. II): « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph »; et infra: « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto »; et (Luc. 1): « Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph »; et (cap. I.): « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea »; et ibidem: « Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem »; et (cap. III): « Putabatur filius Ioseph »; et (cap. IV): « Nonne hic est filius Ioseph? » et alibi sub nomine parentis.

354. Quod quidem mira Dei providentia gestum non dubitamus, ut optime advertit Albertus Magnus (sup. Miss. cap. 47) in haec verba: « Ut iustus apud Deum demonstretur Ioseph, cuius nomen, tamquam in libro vitae scriptum, in evangelio signanter exprimitur ut notus hominibus intelligatur, qui testis virginitatis Beatae Virginis adhibetur ut nomen eius digne in memoriam hominum vertatur qui in patrem Dei assumitur putativum ».

355. Et divus Bonaventura (opusc. de vit. Christ. cap. 6): « Vere de Sancto Ioseph dici potest, ait, quod laus eius in Evangelio ». Recte quidem in Ioseph convenit, quod de S. Iosia dicitur (Eccle. XLIX): « Memoria Iosiae in compositione odoris, opus pigmentarii, in omni ore, quasi mel indulcabitur eius memoria et ut musica in convivio vini ». Est enim nomen Ioseph, ut (ibid. cap. L) de Simone Oniae filio dicitur: « Quasi arcus fulgens inter nebulas gloriae et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis, quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso ».

356. Et tandem non solum in terris apud homines, sed etiam in coelis apud Deum, angelos et homines glorificatos, honorabile est hoc sacrum nomen, ut pulchre satis his verbis Isolanus (4, part., cap. 7): « Quantis plausibus, qua laetitia, quibus honoribus, ac praeconiis personare coelestem credimus Ierusalem, cum Ioseph nominatur? quem parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina angelorum Sponsum amantissimum adhuc clamitat ».

357. His omnibus addo, non sine maxima et peculiari Dei providentia fuisse factum, nullum huius nominis Ioseph appellatione in Christi Domini apostolatum fuisse admissum; ut enim constat (Act. 1), Apostoli agentes de substitutione facienda in locum proditoris Iudae: « Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, et Matthiam »; et per divinam sortem electus, et praelatus fuit Matthias: « Dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis ».

358 Ambo, Ioseph scilicet, et Matthias, erant Christi discipuli, ambo servi Dei; Ioseph tamen ab Apostolis primus nominatus: « Statuerunt duos, Ioseph, qui cognominatus est iustus et Matthiam ». Primo autem loco nominatus, solet ceteris paribus praeferri, ut habetur in iure (l. quoties, ff. de usufructu, et ex plurimis iuribus et doctoribus resolvit Tiraquellus (lib. de iure primogenitorum). Unde D. Laurentius Iustinianus (in conc. Sancti Matthiae Apost. post med.) dixit: « Quis non praetulisset ex his Ioseph iustum cognomento et vita; et tamen aliter iudicavit Omnipotens, cuius iudicia longe ab humanis dissimilia sunt ». Quod si dicas duorum propositorum adhuc liberam esse cuiusque electionem ceteris paribus; certe in unius tantum electione idipsum contigisse video; nam ut dicitur (Act. IV) Apostolus Barnabas cum antea Ioseph nominaretur: « Ioseph autem qui cognominatur Barnabas », nomine Barnabae servato, Iosephi appellationem reliquit.

359. Sane, ni fallor, haec ita contigisse arbitror, ut singularitas et excellentia huius nominis Ioseph in Beato nostro Iosepho so-

Digitized by Google

lum effulgeret. Unde Isolanus (part. 4, c. 7 post medium) ait: « Amicos Christus vocavit Apostolos, Iosephum patrem ipse Deus, et homo nominabat »; et (3. parte, cap. 18) sic ait: « Sunt autem quatuor proprietates Apostolicae dignitatis. Annunciatio Evangelii: Euntes praedicate Evangelium omni creaturae. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Et per Spiritum sanctum loquutio: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hae proprietates dignissimae sunt, quia sunt immediate a Christo et sub Christo, et propter Christum. Proprietates vero Sancti Ioseph fuere, desponsatio Reginae coelorum, nominatio Patris regis angelorum, defensio Messiae promissi in lege Iudaeorum, educatio Salvatoris omnium. Et hae proprietates sunt immediate super Christum, ad Christum et propter Christum. Quisquis ergo ingenio polles, rerum divinarum praemissa veritate discurre, argue, conclude ab Apostolicae comparatione maiestatis ad coelestem Ioseph dignitatem, quanta sit illa praestita dignitas, sanctitudo, ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum et non deprimetur, aut humilior erit apud te maiestas Apostolici culminis, sed exaltabitur Deus in latentibus donis patris sui putativi Ioseph. Quamobrem mens contemplationi dedita, ingrediatur locum, quem calcamus, refugit, intelligat animus, quod verba exprimere declinant; admiretur ingenium, quod scripta non attingunt; veneretur denique totus homo quod coelesti tectum gloria latet ». Haec ille.

360. Ex quo facile colligemus, valde rationi esse consonum, nostrum Beatum Ioseph prae omnibus aliis, quacumque ratione Christo Domino coniunctis, nomine augmenti pleno esse decorandum. Quod si ut iura disponunt, possit vir nobilis prohibere, ne quispiam alienae familiae arma sua deferat, aut maiorum suorum nomine appelletur; ut tradunt Bartolus (in tract. de insigniis et armis), et Cassaneus (in Catalogo gloriae mundi, 1 part.), et Tiraquellus (de nobilit., cap. 6); certe B. Ioseph omnium nobilissimus et ex davidica regali progenie descendens, iure poterat impedire, ne quispiam suo nomine insigniretur.

361. Quod si ille, qui Christi corpus sepelivit, Ioseph est appellatus, divino consilio factum puta, quia sicut Ioseph noster, corpus saepe tangere, pannis involvere et attrectare debebat, idem etiam illum praestare oportuit, ut divus Matthaeus (cap. XXVII) narrat: « Venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu, et accepto corpore, Ioseph involvit illud in syndone munda et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra ». Cum igitur hic fuerit in locum et ministerium nostri Beati Ioseph quodammodo substitutus, mirum non est, si eodem nomine gaudeat, cum subrogatus sapiat vicem eius, in cuius locum subrogatur (ut habetur in l. decernimus, ubi Bartolus C. de aquaeductu, libr. 11, et resolvit Tiraquellus de iure primog. quaest. 40).

362. Hymnus XVII.

Iosephi mors singularis.

Epigramma.

INTER amplexus Pueri, amplexusque Parentis
Extremum claudis Sponse Parensque diem,
Deserere Hos moeres moriens, gaudesque vicissim,
Et Matre et Puero te prope stante mori.
Ergo tua moribunde Senex, nec amarior esse
Nec mors esse tua dulcior ulla potest.

(Ex Anno sacro poetico).

363. **Memento.** — Mulier fortis est B. Virgo, in qua vir eius, puta S. Ioseph, post plane perspectam eximiam eius sanctitatem, et conceptionem de Spiritu Sancto ex Angeli revelatione cognitam, plane confisus est et conquievit. Hinc graves theologi asserunt Iosepho, mox ut coniugium iniit cum B. Virgine, ob tantae Virginis et Matris Dei reverentiam, exemptum fuisse omnem libidinis fomitem et sensum, ita ut ne primos quidem eius motus persentisceret. Ita censent Ioannes Eckius serm. de S. Ioseph, Iacobus Christopolitanus in Magnificat, Gerson, serm. de Nativ. Virginis, et alii. Porro ab ipsis puta foedis hisce motibus sese liberum, utique persentiscebat ipse Ioseph; idque non ante, sed a coniugio B. Virginis sibi obtigisse advertebat: illam ergo ut Virginem divinam reverebatur, omnemque post Deum in illam spem et fiduciam collocabat. Rursum Spiritus Sanctus fuit quasi vir B. Virginis, quia in ea operatus est conceptionem Christi, fecitque in ea quod in aliis mulieribus efficit vir. Unde cum B. Virgo Angelo nuntianti Christi incarnationem respondisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* occurrit Angelus, et virum assignavit Spiritum Sanctum, dicens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obrumbrabit tibi,* ut scilicet totus tota sua plenitudine in te illabatur, itaque in te confidat, id est confidenter et secure in te habitet, tibi sua dona omnia communicet, tibi seipsum omniaque sua credat et committat: imo Verbum cum tota deitate, ceu suppositum, imo depositum divinum in te confidenter collocet et deponat. Unde S. Laurent. Iustin. agens de nuptiis B. Virginis, ait, Spiritum Sanctum et Iosephum sic officia inter se partitos fuisse, ut cura et custodia corporis Virginis ad Iosephum pertineret; animi autem curam et custodiam sibi sumeret Spiritus Sanctus. Denique in ea confidit cor Spiritus Sancti, quia eam peccatorum advocatam constituit, per quam plurima eorum qui a peccatis eius ope salvantur, spolia acquirit; cuius rei innumera sunt exempla: unde ipsa vocatur *spes peccatorum, et fiducia miserorum.* (Alapide in Prov. 31, 11).

Digitized by Google

XVIII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE PULCHRITUDINE CORPORALI ET SPIRITUALI S. IOSEPH, ET DE QUATRUPLICI EIUS IUSTITIA.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. et D. Ioseph, homilia magna et ultima.

CUM corporis pulchritudo naturale Dei donum sit, ut dixit D. Augustinus (lib. 15. de Civ., cap. 22), ambigendum non est, Christum, Mariam et Iosephum, inter quos mira fuit conformitas, naturali pulchritudinis dote minime caruisse. De Christo Domino id cecinit regius vates (Ps. XLIV): « Speciosus forma prae filiis hominum »; de utraque enim pulchritudine spirituali, et corporali locutum fuisse ibi Davidem, testatur divus Thomas (in commentario huius loci), ubi in eius confirmationem adducit verba divi Augustini de Christo dicens: « Nobis cernentibus ubique speciosus, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher in patibulo, pulcher in limbo, pulcher in coelo ». Beatam autem Virginem pulchram commendat sponsus, ut lunam (Cant. VI), et ibidem: « Pulchra es, suavis et decora »; super quae verba Hugo de sancto Victore ait: « Quam pulchra et suavis, quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium magister veritatis praebet ».

365. Divum tandem Iosephum pulcherrimum fuisse, ita ut post Virginem Matrem nullus fuerit Christo similior, docuerunt Iustinus Martyr (in Dialog. contra Triph.), et Lexicon Theologicum, verbo Ioseph, et doctissimus Gerson Cancellarius Parisiensis (in serm. de nativ. B. Mariae, habito in concilio Constantiensi, et in sua Iosephina), auctor summae Margaritae confessorum, qui (in quaest. ult. ex moral.), quae posuit in laudem sanctissimi Ioseph, compendiose dixit: « Ioseph fuit Christo simillimus, et per consequens formosissimus ». Et Bernardinus Bustensis (4 part., serm. 12), et Isolanus (4 part., cap. 9, et 1 parte, cap. 11 et 12), idque iam, ut commune receptum est apud fideles, ut quam plurimi nostri temporis scriptores ingenue fatentur. Et ratio opitulatur; tum quia teste Aristotele (lib. 2 de anima, cap. 4, textu 34), naturalissimum est omnibus viventibus, natura non errante, generare sibi simile, non solum secundum essentiam, sed et secundum accidentia corporalia, Æ-tiops generat Æthiopem, leprosus leprosum, pulcher pulchrum; sanctissimus autem Ioseph perpulchros habuit parentes, quos refert divus Matthaeus in eius genealogia, Davidem, Salomonem, Iacobum, Thamarem, et alios etiam proximiores, et in eo terminata fuit linea regiae illorum prosapiae; quis autem credat in deformitate fuisse terminatam?

366. Tum id colligitur ex fine, ad quem fuit ordinatum matrimonium inter Virginem et Iosephum, scilicet propter honorem Virgini debitum conservandum, et ipsi etiam Christo Domino, ut filius Ioseph putaretur, ut Patres omnes adnotant: at Christus Dominus speciosus fuit super filios hominum; ergo, ut facilius finis filiationis putativae obtineretur, oportebat Iosephum esse similem Christo, atque adeo pulcherrimum; quod egregie sic cecinit Gerson (in sua Iosephin. in fine):

Personas inter similes est nexus amoris;
De Ioseph at ratio suadet sua quod facialis
Forma Iesu ferme similis reputanda fuisset.
Si non, quo pacto pater eius creditus esset?
Qualiter omnimoda Matris servasset honorem,
Disparitas vultus prolis cum patre putato?

367. Unde in dubio illius, cuius filius esse putatur, cuius faciem, formamque refert, iudicatur; ut si dubitatur, utrum filius sit prioris, an posterioris mariti, ut tradunt Dynus (in lib. 3, l. si duobus ff. de adimendis legatis), Albericus (in l. 7 mense, circa med. ff. de statu hominum), Iason et Doctores (in l. Gallus, in princip. ff. de liberis et posthumis), Baldus (cons. 390), Fulgosius (cons. 212), Alciatus (in l. quaeret ff. de verbor. significat.), et alii quos refert et sequitur Tiraquellus (in lib. 7. connub.). Et quidem, ut philosophorum more loquar, individuatio est de substantia individui; anima autem individuatur per ordinem ad corpus, atque adeo, quo melius fuerit corpus, meliorem sortietur animam; quae occasione corporis et dispositionum, ex nihilo creatur a Deo, ut tradit divus Thomas (lib. 2 contra Gentes, c. 87).

368. Ut autem loquitur Isolanus (1 part., cap. 11 in princip.), anima sanctissimi Ioseph fuit ab aeterno a Deo electa, et in utero matris sanctificata, et miris donis, et gratiis ornata, ut posset esse dignus Virginis Sponsus; igitur tali animae corpus pulchrum et recte compositum, erat debitum, dicente divo Ambrosio (lib. 2. de virginit.): « Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis »; quae sententia apud theologos, iurisprudentes, nec non apud philosophos et humanarum literarum professores celebris est. Nam et Socrates in Phaedone Platonis sub nomine pulchri equi et equitis innuit, bonam corporis effigiem bonae mentis argumentum esse, aut certe adiumentum; et insignis latinus nomine Pagatus (in Panegyrico ad Theodosium imperatorem scripto) eleganter dixit: « Virtus tua meruit im-

Digitized by Google

perium; sed virtuti addidit forma suffragium; illa praestitit ut oporteret te principem fieri ».

369. Quam autem eximia fuerit interna animi pulchritudo divi Iosephi, ex interiori eius sanctitate et puritate, in qua animi decor et pulchritudo consistit, facile erit colligere; tanta illa exitit, ut nulla unquàm fuerit proximior, et similior puritati et munditiae Beatae Virginis; ita docuit Gers. (serm. de nativ. Mariae in exord. consid. 1): « Sicut decuit, inquit, ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, ut ait Anselmus, ita decuit ut S. Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ».

370. Idque facile mihi persuadeo, primo, quia puritas causatur per recessum a contrario, id est, ab omni contagione et immunditia; sed sanctissimus Ioseph per sanctificationem in utero, per extinctionem sive fomitis repressionem et per confirmationem in gratia, recessit ab omni peccato mortali, ut idoneus Sponsus Beatae Virginis, et Christi pater putativus, secundum aeternam Dei electionem idoneus inveniretur. Ergo eius puritas puritati Beatae Virginis quam simillima fuit, ne impar impari et dissimili coniungeretur.

371. Secundo, quia ubi adest omnimoda causa conservandi et augendi puritatem, ibi puritas in perfectiori gradu viguisse censenda est; B. autem Ioseph propter commune cum Christo et Virgine contubernium habuit opportunam satis occasionem, ut puritas eius adeo cresceret, ut proximior esset puritati B. Virginis: prudenter ergo philosophamur, ita de facto contigisse. Et quidem si laudatur, et merito, puritas patriarchae Noe, quia semel cum eo loquutus est Deus (Gen. VI), et laudatur puritas Abrahae quia praecepit ei Deus exire de terra sua (Gen. XII), et laudatur puritas Iacob, quia semel vidit Deum innitentem scalae (Gen. XXVIII), et laudatur puritas Moysis, quia cum Deo amice loquebatur (Exod. III), et laudatur puritas Samuelis, quia Deus vocavit et excitavit eum dormientem (I. Reg. III), et laudatur puritas David, quia secundum cor Dei erat (I. Reg. VI), et laudatur puritas prophetarum, quia sub diversis figuris Deum viderunt, unde videntes fuerunt appellati; ac tandem laudatur puritas Marthae, Magdalenae et Lazari, quia Christum hospitio receperunt, nec non et puritas Apostolorum, quia eum viderunt, audierunt et doctrinam eius susceperunt; quanto maioribus encomiis exaltari debet puritas nostri Ioseph, qui per tot curricula annorum cum Christo Domino et Deipara tam familiariter fuit conversatus?

372. Nam si ex consortio sermonis Domini facies Moysis splendore adeo coruscabat, ut non possent in eam intueri filii Israel, ut legimus (Exod. XXXIV), quanto magis puritatem S. Ioseph, ex tam antiqua et frequenti communicatione et familiari consortio cum Christo et Virgine, irradiasse, et splenduisse credendum est, cum id, teste divo Clemente Alexand. (lib. 6 stromat.) quotidie experiamur in his, qui per frequentem et flammigeram communicationem ad Deum accedentes in dies magis illuminantur? Gravissima S. Clementis Alexandrini verba sunt haec: « Certe sicut Moysi ex iusta operatione, et ex ea, quae continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quaedam coloris species, ita etiam iustae animae divina quaedam vis bonitatis inhaerens, per inspectionem propheticam et administrantem operationem, quasi intelligentis illuminationis, perinde, atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum iustitiae signaculum, lucem animae unitam per charitatem, quae nullo spatio disiunguntur, quae Deo afflat et Deo afflatur ». Haec ille.

373. Tertio, quia divus Thomas (3 part., q. 27, art. 5 in corpore) dixit: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii »; et sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem et illuminationem recipit, et quo magis aliquid appropinquat igni, fit magis calidum, et similiter aqua clarior et purior profluit, quando minus distat a fonte et principio. Unde Sanctus Dionysius (de coelest. hier. cap. 4) asserit, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, ut verbis eius loquar.

374. Duo autem principia in ordine supernaturali subordinata cernimus. Primum est Christus, de quo Evangelista Ioannes (c. 1): « Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum Iesum facta est ». Unde d. Thom. (3. p., q. 27, art 1 in corp.) dicit: « Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter ». De cuius principii plenitudine nos omnes accepimus, scilicet omes Apostoli et Patriarchae et Prophetae, et iusti qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes angeli. Secundum principium illi primo subordinatum, Beatissima Virgo est quae propterea gratia fuit plena et superplena, ut in nos illam effunderet, prout D. Bernardus his verbis eleganter edixit (sermone de Assumptione): « Quis vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam?

Digitized by Google

Neque hoc solum, sed adhuc quoque superventurum in ea asserit Spiritum Sanctum; ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid, nisi ut adveniente iam Spiritu, plena sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena, et supereffluens fiat? O femina plena et superplena gratiae, de cuius plenitudinis exundantia respersa, reviviscit omnis creatura! ».

375. Cum igitur his duobus totius puritatis principiis Christo et Maria, Divus Ioseph fuerit prae omnibus aliis Sanctis coniunctior et propinquior, merito censendus est amplius prae omnibus de utriusque puritate participasse; et quidem si ea ratione B. Virgini concessa est perfectior puritas, quia immediatius ordinabatur ad Christi humanitatem; consequens est, quod cum post Virginem nemo intimius, quam Ioseph ordinatus fuerit ad eandem Christi humanitatem nutriendam, alendam et fovendam, ipse, excepta Virgine, purissimus omnium fuerit.

376. Porro sub nomine iusti, quo sacra eloquia Divum Iosephum cohonestant: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus », miram eius animi pulchritudinem commendari arbitror. Unde Rupertus (lib. de gloria et honore filii hominis, super cap. 1 Matth.) ait: « Ioseph prius inaudita credidit, scilicet quod ipsa, quae conceperat, virgo esset, et statim obedivit Deo credulus, puellae benevolus, eatenus vir iustus, et exinde iustissimus ». Et paulo inferius: « Hic perconctari libet quare timorem eiusmodi Virginem occulte dimittendi, Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quae ei desponsata erat? Videlicet ut tentaretur et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus et talis, qui digne sic deberet appellari Ioseph filius David ».

377. Sic etenim idem pater eius David maluit exsultare, quam uti permisso legis dicentis, ut falso Hebraei commentabantur: « Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum ». Tradiderat Dominus in manu eius Saulem illum odientem et persequentem: « Et nunc », ait Abisai, « perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. « At ille »: Vivit Dominus! quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit ut moriatur, aut in praelium descendens, perierit, propitius sit mihi Dominus, non extendam manum meam in christum Domini ». Fuit ergo Ioseph insigniter filius David, iustus in verbo, iustus in facto, iustus adeo in legis consummatione, ut merito de eo dici possit illud (Machab. II): « Ioseph in tempus angustiae suae custodivit mandatum, et factus est Dominus Ægypti ».

378. Multo praestantius id convenit nostro Iosepho, quem iustitiae decor, in quo sita est puritas, multifariam, multisque modis eum exornavit; nam quod attinet ad iustitiam universalem, quae cunctas virtutes complectitur, ut docet Albertus Magnus (super Missus est, cap. 46), in D. Iosepho mirifice emicuit; nam S. Clem. Alexand. (lib. 6 stromat., post med.) haec praeclara de proprietatibus et conditionibus hominis iusti dixit: « Est ergo iustitia quadrata omni ex parte aequalis et similis in verbo, in facto, in abstinentia a malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam ullo modo claudicans ».

379. Appellat S. Clemens iustitiam, omni ex parte quadratam, propter stabilitatem quatuor virtutum cardinalium: etenim, ut notavit Abulensis (in Exod., cap. 15., q. 15) inter ceteras figuras nulla stabilior atque firmior est quam quadrata; nam quacumque ratione ponatur, semper stans, ac firma persistit; non movetur, nec in diversa girat. In cuius signum ait Beda (lib. 8 de templo Salomonis, c. 4), Templum Salomonis ex lapidibus quadris aedificatum fuisse, sicque intelligendum esse, quod dicitur (III Reg. VI): « Domus autem cum aedificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est ».

380. Rex etiam Medorum ut dicitur (Iudith I): « Aedificavit civitatem potentissimam ex lapidibus quadratis et sectis ». Unde apud antiquos sapientes quadrata figura hominem iustum et virtute praeditum portendebat, ut docet S. Thomas (libr. 9 Metaphys. lect. 8, et l. 2 de anima, lect. 3, in princ.); quod et Pierius (in suis Hieroglyphicis, lib. 36, cap. de quadrato) luculenter tradit; et expressius Aristot. (lib. 3 Rhetor., ad Theodecten cap. II): « Iustum quemque, ait, appellari quadratum »; propter quatuor virtutes cardinales, eum circumstantes.

381. Unde de iusto dicitur (Eccl. XXVII): « Iustus permanet ut sol ». Sic Iob, quasi quadratus, utroque consolationis et tribulationis tempore dicebat (Iob VI): « Qui coepit ipse me conterat ». Sic Paulus (Rom. VIII): « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia? ». Unde quaeso hoc? non aliunde profecto quam ex doctrina magistri veritatis, dicentis (Matth. VII): « Assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram ». Nostro sanctissimo Iosepho plane haec conveniunt qui in maxima tribulatione positus, semper firmus, semper stabilis, numquam minus habens inventus est. Quod Sanctus Chrys. (homil. 5 super Matth.) animo volvens, sic admiratus in haec verba prorupit: « Vidisti Iosephi

Digitized by Google

obedientiam? vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino vigilem et nulla prorsus corruptione violatam? ».

382. Constat ergo virum hunc excellentissimum quemdam attigisse iustitiae universalis gradum; fundatus enim erat supra firmam petram quatuor virtutum cardinalium, excellentius multo, quam alter Ioseph Patriarcha, ipsius figura et imago, de quo Eusebius Caesar. lib. 7 de praepar. Evang., cap. 3. in fine dixit: « Aderat enim Iosepho libertas animi, maxime robur invictum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa; sed pietate in verum Deum maxime praestabat, eratque mirabili corporis praeditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur ».

383. Verum iustitiam Iosephi altius mihi contemplanti, plane videtur extitisse in omni iustitiae genere.

384. Primo in legali iustitia, quae singulos dirigit homines ad operandum pro communi reipublicae bono. Cum revera ipse non tantum pro unius reipublicae, aut unius, aut alterius regni utilitate et bono operatus sit, sed et pro totius orbis, ut satis indicant verba angeli: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Unde Sanctus Bernardus homil. 2 super Missus est dixit: « Hic Christum panem vivum servavit sibi et toti mundo ».

385. Secundo fuit iustus iustitia distributiva. Nam cum esset divinae possessionis Princeps, Christique Domini et Virginis Deiparae, superior reddebat quod Christi erat Christo, et quod Virginis Virgini, dividens singulis, prout cuique opus erat, et quod eorum unicuique debebatur, Virgini solatium, Christo nutrimentum, tutelam et vigilantiam.

386. Tertio fuit iustus iustitia commutativa inter particulares personas. Hanc enim clare ostendit, dum noluit Virginem praegnantem traducere, sed eam occulte dimittere; reddidit enim Virgini, quod suum erat. Nam cum suspicio adulterii esset criminis occulti, et omnino iudicialiter improbabilis, ius eam practice accusandi non habebat, maxime quod cum vero et essentiali matrimonio essent copulati, et in eadem domo habitationem communem habuissent, foetum ex matrimonio processisse iudicandum et praesumendum erat, ut habetur in l. filium ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris; quod etiam verissimum putant doctores, quamvis adulterium probaretur iuxta l. miles § defuncto ff. de adulteriis, et tradunt Greg. Lopez (in l. 1, tit. 14, p. 2, gl. 5), et Navarr. (lib. 4 cons. tit. 10 de frigidis et maleficiatis, cons. 3), et in nostris terminis D. Thom. ex D. August. (sup. cap. 1. Matth.) haec docet: « Duplex est peccatum, scilicet peccatum occultum et peccatum manifestum; peccatum enim occultum non est publice arguendum sed aliter est ei remedium adhibendum; suspicio ergo adulterii, quam habuit Ioseph, erat suspicio peccati occulti et non manifesti, quia ipse solus sciebat; et iterum, si alii scirent eam gravidam, non possent opinari, nisi quod de ipso esset et ideo crimen eius non debuisset propalasse ».

387. Et Abulensis (sup. c. 1 Matth. q. 34, in medio) ait: « Istum modum accusandi in iudicio humano non poterat tenere Ioseph. Primo quia non constabat, an fuisset adulterium; nam dato quod appareret de conceptu, non autem constabat, an ante contractum matrimonii fornicata esset, vel postea; quia si prius, non erat adulterium; et tamen istud non erat possibile probari, saltem quoadusque pareret Maria; licet adhuc tunc non fiebat firma probatio, quia non habebat testes aliquos Ioseph ad probandum istud adulterium, et accusatio non valeret, imo potius ipse condemnaretur, quia deficiebat in probatione obiecti criminis per accusationem; et dato quod appareret eam esse praegnantem, non tamen secluso testimonio constaret de ista negativa, scilicet quod ipse non cognovisset eam, cum et sponsa eius esset et cum illa cohabitaret ».

388. Porro hoc loco quorundam prudenti obiectioni satisfacere non praetermittam, qui asserunt, Iosephum in actione nolendi accusare sponsam, pietatem potius quandam non iustitiam exercuisse, atque adeo propter illud opus magis pium, quam iustum dicendum fore. Verum nodum hunc sapienter satis solvit D. Petrus Chrysolog. nam (serm 145 qui primus est de gener. Christi) explicans verba Matthaei: « Ioseph autem cum esset iustus », sic ait: « Hoc pio magis videtur convenire, quam iusto, sed humano iudicio, non divino; penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia; quia aequitas sine bonitate saevitia est, et iustitia sine pietate crudelitas est. Ioseph ergo merito iustus, quia pius, et pius quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum causam temperat, iudicium custodit; dum vindictam differt, crimen evasit; dum refugit accusatorem, fugit saevitiam »; et Beda (sup. cap. 1 Matth.): « Ea quippe, ait, iustitia iustus erat Ioseph, ut misericorditer propinquae consuleret. Iustus erat, de quo Scriptura dicit; misericordiam volo, et non sacrificium: non ex qua

Digitized by Google

Scribae et Pharisei elati, iustos se, quasi aemulatores legis aestimabant, cum crudeliter proximorum sanguinem effunderent propter transgressionem legis quam nequaquam ipsi observabant ».

389. Certe in eo clarius iustitiam cum mirabili mansuetudine coniunctam ostentavit D. Iosephus, quod noluit Virginem traducere ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae (iuxta Num. v), quod libere poterat facere, quamvis ad id ex praecepto minime cogeretur; quia ius hoc introductum a Deo fuit in favorem maritorum ad amovendam adulterii suspicionem, quod inter maritum et uxorem, imo et in tota familia pacem turbat. Et ideo poterat tali iuri renunciare, ut habetur in capitulo: Si diligentius, de foro compet. quia quod alicuius voluntati permittitur non subiicitur iuris necessitati, ut Papinianus docuit in l. non quidquid ff. de iudiciis. Alias enim introductum in mariti favorem, in eius laesionem et odium retorqueretur contra l. quod favore C. de legibus. Et sic pietate ductus noster Ioseph, utens iure suo noluit Virginem traducere, noluit potestate adducendi eam ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae uti.

390. Unde merito S. Chrysostomus sup. Matth. virum in omnibus praeclarum, ac omnigena virtute insignitum nostrum nominat Iosephum, qui in hac maxima positus tribulatione invocavit Dominum et exaudivit eum in abscondito tempestatis, et probavit eum apud aquam contradictionis, aquam scilicet zelotypiae; et cum posset Virgini facere malum et molestiam inferre, noluit ex pietate facere, et probatus, perfectus inventus est, eritque illi gloria aeterna. Ex quibus omnibus ego mihi facile, nec temere persuadeo, D. Iosephum iustitia et sanctitate omnes sanctos, una eius Sponsa excepta, longe antecellere.

391. Nec quidquam obest huic Iosephi excellentiae, quod generaliter beatus Paulus Rom. VIII dixit: « Nos autem primitias spiritus habentes », quibus apostolos omnibus sanctitate praefert; nam cum noster Ioseph nutritius fuerit Christi, minime in illa universali praelatione venit intelligendus. Nam sicut imperatores Severus et Antoninus in leg. 1, C. quae res pignor. oblig. pos. vel non), imperatoria potestate in hunc modum statuerunt: « Alumnos tuos et ceteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventione, quae de bonis tuis facta est, in causa pignoris non fuisse rationis est »; ubi Glossa cap. 1 sic explicat: « Alumnos, scilicet qui te aluerunt »; ita cum sanctissimus Ioseph Christi Domini carnis fuerit nutritius eumque vivens semper aluerit, in generali illa regula, qua Paulus apostolos omnibus praefert non deberet intelligi comprehensus, imo ab ea iure tantae dignitatis exceptus.

392. Hymnus XVIII.

Ad Ioseph oratio Familiae Sanctae protectioni obtinendae.

O Pueri Iosephe Parens! o Sponse Parentis!
Sponse minor Sponsa, progenieque parens:
Te patre progenies maior, te coniuge coniux:
His minor, at reliquis maior honore praeis.
Tu maris et terrae Dominum, Dominique Parentem
Sub lare degentes paupere pauper alis.
O quem Te memorem! tantae cui cura Parentis,
Et Pueri tanti credita cura fuit,
Cui toties Puerum, totiesque videre Parentem,
Cum Pueroque loqui, cumque Parente datur.
Magnus eras, Te quando Puer nec dicere Patrem,
Nec poterat Sponsum dicere Virgo suum.
At postquam socialis amor Te iunxit Utrique,
Et socialis amor iunxit Utrumque Tibi:
Maior es et longe linguis mortalibus impar,
Ut decet, humano non potes ore cani.
Te quanto Natus, quanto plus Mater amavit:
Nos Pater et tanto plus quoque Sponsus ames.
Te per ego hunc Nati Sponsaeque Parentis amorem,
Te per ego si quid carius esse potest;
Oro fave, Natumque mihi, Sponsamque Parentem
Concilia, ut votis adsit Uterque meis.
Tu mihi sis, mihi sit Soboles, mihi commodo Mater,
Et mihi Tres Unam ferte salutis opem.
Arista cadant, phlegeton suas vomat igneus undas,
Terraque convulso funditus orbe ruat:
Impavidum ferient inconcussumque ruinae,
Dummodo me clypeus protegat iste triplex.

(Ex Anno sacro poëtico).

393. **Memento.** — Tripliciter loqui solet Deus hominibus et Prophetis: Primo, per internam locutionem et inspirationem, sive in phantasia factam per angelum (uti communiter accidit) sive in mente factam a solo Deo. Solus enim Deus menti nostrae illabi potest, solus immediate intellectum illuminat, et voluntatem commovet et accendit. Secundo per externam apparitionem et locutionem angeli. Tertio, si ipsemet Deus vel Christus appareat et loquatur, uti apparuit S. Paulo eum convertens, Act. IX, 4, et alias aliisque saepius. Tertius modus nobilior est secundo, et secundus nobilior est primo. Quocirca S. Hieron., Matth. II, Iosephi dignitatem prae Magis colligit, ex eo quod Deus ad Iosephum legaverit angelum, Magos vero docuerit per se in somnis. Verba eius sunt: " Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per angelum, sed per ipsum Dominum; ut meritorum Ioseph privilegium demonstraretur ". Rex enim maiore honore afficit subditum, cum ad eum legat principem aliquem e sua aula, quam cum ad eum nudas mittit Epistolas; inspirationes enim Dei sunt quasi eius Epistolae: ita Alcazar (Alapide, in Apocal. Ioann. I, 1).

Digitized by Google

XIX. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE SANGUINIS NOBILITATE S. IOSEPH ET DE MIRO SPLENDORE STEMMATUM EIUS.

Lib. XVIII, de cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, homilia magna et ultima.

VIDEBITUR fortasse cuipiam frustra me D. Iosephi praeconia nobilitate generis petere, D. Paulo dicente (I. Cor. I): « Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus »; super quae verba Glossa ordinaria ait: « Venit Deus humilis quaerens humiles, non altos ». Sed non recte iudicabit; tum quia D. Paulus ibi loquitur de Apostolis, per quos convertendus erat mundus; oportebat autem illos esse plebeios et indoctos, ne eorum nobilitati et sapientiae adscribi posset id, quod Deus per ministerium illorum operabatur, et sic crux Christi evacuaretur. Non autem congruebat ut domestico famulatu Christus rex regum ab ignobili homine nutriretur, cui, ut ait (Dan. VII): « Angelorum millia millium ministrabant, et decies millies centena millia assistebant ei »; tum quia, ut recte dixit D. Ambrosius (sup. cap. I Luc., in princ.): « Non solum mores in his, qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudare, ut velut transmissae immaculatae puritatis haereditas in his quos volumus laudare, praeexcellat ».

395. Etenim nobilibus sanguine parentibus nati, quasi quadam necessitate constringuntur a maiorum suorum probitate non degenerare, ut his verbis eleganter dixit divus Hieronymus (in epist. ad Paul. et Eustoch.): « Nobilitas videtur esse quaedam laus de meritis veniens; quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a maiorum virtute degenerent ».

396. Et quidem si generis nobilitas nihili facienda esset, nec ad Dei obsequium deservire posset, minime divina eloquia toties illam commendassent. Legimus autem (Deut. I) populo Dei Moysen dixisse: « Tollite de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles, et constituam eos principes, tribunos, et centuriones; et (Eccl. X) dixit: « Beata terra cuius rex nobilis est »; ubi Glossa ordinaria adiecit: « Nobilis moribus et genere »; ac tandem, primum quod senex S. Tobias precatione quaesivit a viro, filium suum comitaturo, quem Raphaelem archangelum esse ignorabat, fuit, de qua domo et tribu originem duceret: « Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? » Qui cum respondisset: « Ego sum Azarias Ananiae magni filius »; tunc Tobias dixit: « Ex magno genere es tu ». Unde tunc magna confidentia filium suum ducendum ei commisit, dicens: « Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro » (Tob. V).

397. Et quidem sicut legimus (I. Machab. III): « Rex Antiochus reliquit Lysiam hominem de genere regali super negotia regia, et ut nutriret Antiochum filium suum »; dubitari non potest de summa Dei sapientia quin unigenitum Filium suum Ioseph educandum minime tradidisset, nisi ex nobili sanguine oriundus esset. Quis enim ignorat nobilitatem naturalem cum spirituali coniunctam, ad virtutis exercitia, calcaria addere, et eius impedimenta removere? tunc namque habet homo cor bifariam praeparatum, iuxta illud (Psalm. CVII): « Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Et quis quaeso ignorat, duo vincula simul copulata, fortiora esse uno? ut ait Iustinianus (in §. affin. instit. de nupt.).

398. Nobilitatis ergo cum virtute coniunctio, est veluti fontalis aqua, et superna pluvia abundantius affluens; vel ut currus, equorum velocitate et aurigae industria ad destinatum locum ducens; vel ut navigium, remis et velis ingentibus cursum navigationis peragens; vel ut arcus sagitta pennis suis et impulsu se proiiciens, ad longissimum perveniens locum; vel ut aurum crystallo interpositum, mira colorum varietate distinctum; vel ut murenulae aureae argento vermiculatae, quibus sponsa ornabatur; vel certe, « ut gemmula carbunculi in ornamento auri », ut ait Sapiens. Decuisse igitur B. Iosephum clarissimo sanguine oriundum, dubitari non potest.

399. Ita autem de facto contigisse sacra contestantur eloquia, dum tradunt, ex stirpe ac regia Davidis prosapia, sicut et B. Virginem fuisse; etenim Num. XXXVI habentur haec verba: « Omnes viri ducent uxores de tribu, et cognatione sua, et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient, ut haereditas maneat familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatae sunt ». Cum ergo Beata Virgo desponsata fuerit Ioseph, consequens est illum fuisse eiusdem familiae et prosapiae cum illa. Sed et clarius idipsum constat ex evangelico eloquio; nam divus Lucas (c. 2) inquit: « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David ».

400. Unde D. Chrysostomus explicans genealogiam Christi, quam D. Matthaeus nar-

Digitized by Google

rat per progenitores Ioseph, in hunc modum sapienter loquutus est: « Cum multae essent ex tribu Iuda familiae, non utique omnes a David genus trahebant; sed ne istud hic diceres, praeveniens Evangelista prorsus exclusit suspicionem tuam, non solum ex domo verum etiam ex familia David illum esse confirmans ». Cum igitur linea recta D. Ioseph originem ducat, ut tradit D. Matthaeus (cap. 1) ex patriarchis et ducibus et ex regibus; liquido constat, Iosephum sanguine nobilissimum fuisse ».

401. Quia tamen nobilitas ex multiplici capite consurgit; idcirco nobilis auctor Isidorus de Isolan. (in vit. S. Ios., 1 part., c. 7) ad novem capita illam reducens totidem modis tradit, nobilem fuisse D. Iosephum; verba eius sunt haec: « Advertendum est, nobilitatem hominis in tribus considerari, in causa, in substantia et in sufficientia; in causa, si a nobili origine principium ducat, quae in S. Ioseph excellentissime fulsit; nam in origine illius triplex inventa fuit dignitas; prima corporalis, secunda spiritualis, tertia coelestis; prima regalis, secunda sacerdotalis, tertia prophetalis; et haec coelestis, quia futura praedicere, donum Dei est; David enim Rex fuit, Abraham patriarcha, Nathan propheta, a quibus originem duxit Ioseph. In persona vero sua tripliciter pariter possedit nobilitatem; fuit namque iustus mente, dignitate, Reginae coelestis Sponsus, officio, Dei nutritius, ac pater putativus. In efficientia itidem triplicem effectum praeclarissimum nobilitatis toti universo produxit; nam Salvatorem mundi suo excepit hospitio, deduxit per longa terrarum spatia incolumem suo servitio, proprio labore et exercitio per multos annos eum nutrivit. Hi sunt novem radii nobilitatis sanctissimi Ioseph, quibus sole clarius praestantissima illius nobilitas mortalibus explanata redditur. Ex his tamen nos brevitati consulendi gratia splendidiores ac praestantiores pro modulo nostro illustrare satagemus. Et quidem in primis praestantissimam omnium nobilitatem esse illam, quae ex virtute et sanctitate oritur, constantissimum mihi est; nam, omisso illo poetico proverbio, dicente:

Degenerant homines vitiis, fiuntque minores;
Exaltat virtus, nobilitatque genus;

certe ad interrogationem illam, qua quidam Poetarum quaesivit:

Si pater est Adam cunctis si mater et Eva;
Cur non sumus omnes nobilitate pares?

Ego eam legitimam responsionem esse reor, quod licet unus sit Adam omnium parens, ab ipsa tamen prope mundi origine ignobilitas, et nobilitas ortum habuit: nam hi, qui virtute maxima praeclaris gestis noti fuerunt, reputati sunt nobiles, ut incipientes a filiis Adam inveniemus Abel iustum, et virtuti deditum, nobilem fuisse; Cain vero ex malis operibus ignobilem; et postea cum omnes homines in diluvio perierint, salvis tantum Noe, et tribus filiis eius, ex quibus duo, Sem et Iaphet maiorem virtutem, et nobilitatem retinuerunt, et in posteros propagaverunt; tertius vero Cham ob nudum patrem ebrium derisum, ab ea decidit, audivitque a patre suo: maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis » (Gen. IX).

402. Servitutem autem quis non videat ignobilitatem praeseferre? Unde divus Chrysostomus (hom. 59. sup. cap. 17) quorumdam, licet alioquin nobilium, miseram servitutem in haec verba describit et deplorat: « Nihil prorsus libertatem animae sic tollit, quemadmodum saecularium rerum cupiditas, et eorum quae videntur esse praeclara; non enim sibi vivunt, sed alteri, et mille crudelibus dominis huiuscemodi homines premuntur, quos si recensere placet, aliquem ex his, qui apud reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriae splendor, maiorum nobilitas, ad quem universa pene respiciat civitas. Consideremus igitur an iste servus omnium subiectissimus sit? servus enim quilibet unicum habet dominum, quem si bene egendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quiete vivit; ille vero quem admiraris, non unum, aut alterum, sed multos et importunos sibi dominos conquisivit. Dominatur ei primo rex ipse; non est autem aequale obiectum habere dominum et regi servire, quorum aures multorum verbis expositae sunt, ut modo hi sibi, modo illi persuadeant. Quare quamvis nullius mali sibi conscius sit, qui regi servit, omnes tamen timet tam pares, quam sibi subiectos, et tam amicos, quam inimicos; servus enim neminem timet, quia nemo est, qui invideat, neque qui velit, isto expulso, ad eamdem se introducere servitutem, et sic nullus est, qui velit ei insidias tendere; multi vero sunt, qui nulli alii rei student, quam illum, qui proximus regi est, a statu eiicere; quare omnibus adulari cogitur, maiori, aequali, amicis. Quia, quemadmodum qui eodem artificio quaestum habent; sic omnes qui unam rem in saeculo appetunt, sincero nequeunt amore coniungi, unde fit, ut bellum intus sine induciis semper geratur ». Hactenus ille.

403. Unde divus Gregorius Nyssenus (in quadam orat.) nobilitatem in propinquitate ad Deum his verbis sapienter constituit: « Una est generis amplitudo, propinquitas cum Deo, quae non casu cuipiam contingit,

Digitized by Google

quemadmodum munda claritudo generis, quae etiam ad improbos defertur, sed quae non aliter, ac electione voluntatis acquiri possit ». Et D. Gregorius Magnus (super I. Reg. IX) ait: « Nobilis dicitur, qui a superna conversatione conspicuus est, et de mundanae vitae rusticitate nihil habet; inde enim nobilis, inde civis ». Ac tandem divus Hieronymus (in epist. ad Demetr. de virginitate) sic loquitur: « Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integre nobilitatem suam se servare putet, si dedignetur servire vitiis, ab eisque non superari ».

404. Divum ergo Iosephum hac prestantissima nobilitate, ortum habente a virtute et iustitia, per quam Deo efficimur propinqui, et ut ita loquar, spirituales consanguinei, insigniter fuisse praeditum et illustratum, luculenter satis evangelicum eloquium attestatur dicens: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus »; super quae verba divus Hieronymus ait: « Ioseph vocari iustum attendite propter omnium virtutum perfectam possessionem ». Si ergo vera nobilitas sita est in virtute, et Beatus Ioseph adeptus est possessionem illius perfectam; consequens est perfecta claruisse nobilitate.

405. Unde praeclare quidem Isidorus Isolanus (de vita D. Ioseph I part., cap. 6) haec in idem argumentum scripsit: « Sanctissimum Ioseph omni nobilitate claruisse, excellereque eius sanctitatem propter castam generationem, iuxta illud (Sap. IV): O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quoniam, et apud Deum nota est, et apud homines; satis liquet ». Sanctitas enim et nobilitas Ioseph excellit gemmis undique circumdata radiantibus: nam retro radiat praeclarissima nobilitate, ante radiat nobilissima humilitate, supra radiat praestantissima dignitate, infra radiat mundissima peccatorum immunitate, intus radiat virtutum magnificentissima puritate; a dextris erga Deum radiat ardentissima charitate; et a sinistris in proximum radiat ineffabili pietate.

406. Sed praeter haec ex eo etiam capite quod S. Ioseph fuerit maritus Deiparae Virginis, illamque habuerit in veram suam coniugem, iuxta angelicum oraculum (Matth. I): « Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam », opus fuit excellenti nobilitate conspicuum esse, cum nubentem reginae consequens est regem fieri: quis autem non videat dignitate regia, ac regali splendore, magnam comparari nobilitatem? licet enim verum sit, nobilitari mulierem ignobilem nuptam viro nobili, quia efficitur de familia mariti, ut habetur (in l. fin. c. de nuptiis), ibi: « uxor marito concrescat, et sentiat eius fulgorem »: et clarius (in l. fin. c. de incolis. lib. 10), ibi.: « mulieres honore maritorum erigimur et genere nobilitamur »; non tamen e contrario, quando mulier quantumcumque nobilis nubit viro plebeio: quia vilem mariti conditionem sequitur, ut dixit Ulpianus Iuriscons. (in l. ingenuae c. de murilegulis); illa tamen iura locum non habent, quando uxor est ducissa, princeps, aut regina, ut tradunt Bald. (in c. significavit, columna I de rescriptis), Decius (in l. I. c. de edendo), Raynutius Ostiensis, et alii non pauci, quos refert, et sequitur Tiraquellus (de nobilitate, cap. 18), idque mihi aperte statutum fuisse videtur (in l. unic. c. de praepositis laborum lib. 12), ubi haec verba lego: « Nam immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat ». Nulla autem excogitari potest maior lateritas, ut verbis loquar Baldi praecitato loco, quam viri et uxoris. Unde ad id significandum olim Deus uxorem dedit primo parenti productam ex costa lateris sui.

407. Igitur cum D. Iosephum B. V. latus illustraverit, non potuit exinde non magnam nobilitatem nancisci. Quod si D. Iosephum collateralem esse Virgini, regiam nobilitatem praebuit, plane aliam non inferiorem ex eo quod per plures annos collateralis Christi Domini fuit, adeptum fuisse ambigendum non est; ut enim ait imperator (in praecitata lege I, c. de praepositis laborum): « Qui praepositi laborum nostro iudicio promoventur, clarissimi sunt inter electos, ita ut ex consularibus habeantur »; et (in l. fin. c. de excusationibus tutorum) dicit: « Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios, circa caput nostrum militantes, de tutelis et curationibus excusari ». Cum ergo Divus Ioseph per omnes annos infantiae et pueritiae Christi lateri eius adheserit, non solum ut socius laborum, aut minister, vel famulus, sed ut magni consilii adiutor fidelissimus, imo ut superior, cui Dominus ipse ultro se subderet, ut testatur divus Lucas; non potuit non inde magnum contrahere nobilitatis splendorem, ut merito in eum conveniat illud, quod (Esther VI) de Mardochaeo dictum fuit: « Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare ».

408. Atque hinc est, quod sicut moris est in singulis nobilium familiis, diversa ab aliis stemmata ostentare, ad earum nobilitatem dignoscendam et distinguendam, ut tradunt Tiraquellus (de nobilitate cap. 6, et Cassaneus (in catalogo gloriae mundi I. part.), unde etiam in catholica Ecclesia plurimorum sanctorum venerandae imagines ex diversis stemmatibus agnoscuntur, princeps Apostolorum Petrus per claves, apostolus Paulus per ensem, divus Augustinus per sagittatum

Digitized by Google

cor, et per haereticorum capita pedibus eius conculcata, Seraphicus noster Pater Franciscus per sacra ei impressa stigmata, S. Pater Dominicus per canem variis maculis distinctum facem praedicationis accensam ferentem, illustris S. Laurentius martyr Hispanus per craticulam, nobilissima virgo et martyr Catharina per novacularum rotam, sanctissima Deipara per Christum Dominum in ulnis suo pectori admotum; sic stemmata illa, quibus Ioseph insignitur in argumentum suae nobilitatis, tanto splendore coruscant, ut omnia regum et imperatorum, quantumque Caesarea insignia, cum illis nulla ratione valeant comparari.

409. Etenim sicut ipse fuit velut confinium utriusque legis, scriptae scilicet et gratiae, ita etiam ex utroque capite varia ei competunt suae ingenuitatis et claritatis insignia; nam quatenus de domo David in stemmate habet fundam, et quinque limpidissimos lapides, quibus David eius parens giganteam illam Goliae molem prostravit, nec non gladium, quo caput illius gloriose praecidit; quatenus vero Sponsus fuit Virginis, et pater legalis Christi, sicut maiorem inde nobilitatis claritatem mutuavit, ita splendidiora et gloriosiora stemmata sortitus est, non ab hominibus collata, sed ab ipso totius nobilitatis fonte ei tributa; haec sunt Iesus et Maria.

410. Quod ne meo marte confingere videar, divino eloquio, ac nervosa ratione comprobabo. An nescitis angelum ad Iosephum dixisse (Matth. II) : « Ioseph accipe Puerum et Matrem eius ». Quasi clarius in persona Dei dicentem: Ioseph, haec regalia insignia ac tuae divinitus inditae nobilitatis clarissima stemmata suscipe (Matth. III) « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ». Haec de qua multo ante praedixeram (Cant. IV) : « Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te ». Haec tua sunt, tibi singulariter propria, haec in trophaeorum tuorum monumentum in regio tuo scuto depingere potes; atque haec stemmata sub metaphora virgae, et floris ab Isaia cap. XI praenunciata fuisse, facile mihi persuadeo: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ». Virga illa Mariam refert; etenim, quod arida esset, indicat virginitatem eius; quod sine humore refloruerit, ostendit non ex opera viri, sed ex divino spiramine concepisse; flos vero de radice eius ascendens Christum Dominum significat, instar floris ab ea ortum absque suae integritatis violatione. Tunc autem virga et flos intelliguntur etiam data tamquam stemmata D. Iosepho, quando ad explorandum quis esset futurus sponsus Virginis, cunctis de domo David ad nubendum actis, singulas virgas accipientibus, ut cuiuscumque germinasset, ille in sponsum Virginis haberetur, contigit, ut sola Iosephi virga floreret; nam sicut (Num. XVII), Aaronis virga flores germinante in sacerdotium fuit electus, ita simili miraculo B. Ioseph fuit in Sponsum Virginis destinatus.

411. Virga igitur cum suo flore in manu Iosephi posita, praeterquam quod significat superioritatem, quam habiturus erat super utrumque, facile nobis ante oculos ponit virgam et florem, Mariam et Iesum sibi in propria suae nobilitatis insignia coelitus data; haec autem tam splendida, ac praeclara stemmata D. Iosepho esse debita, ratio non parum urgens probat.

412. Nam quando aliquis strenuus miles in bello iusto regem quempiam debellavit, rex ille catenis vinctus, pro stemmate datur; et qui regem, aut reginam ab insidiis, et morte liberavit, eos in insignia nobilitatis assumit. In iure l. etiam quisque § fin. c. ad leg. Iul. Maiest. statuitur, ut revelans proditiones contra regem, vel rempublicam amplissime remuneretur; verba eius sunt haec: « Si quis in exordio initae factionis studio verae laudis accensus initam prodiderit factionem, praemio et honore donabitur ». Sed non opus est Iuris civilis testimonio, ubi divinum eloquium (Esther VII) luculenter dicit, quod cum Mardochaeus insidias Bagatham et Thares eunuchorum regem Assuerum iugulare machinantium eidem regi detegeret, continuo regiis honoribus ab eo fuit cumulatus.

413. Sane D. Ioseph insidias adversus Christum et Matrem non revelavit; per revelationem tamen angeli eas agnoscens, quas Herodes illis parabat, continuo omni deposita mora, et nulli parcens labori, Matrem et prolem in Ægyptum duxit, ab immanissimi illius lupi cruentis faucibus illos liberans. Merito ergo Maria et Iesus, tamquam a Iosepho liberati, in stemmata eius debebantur in praemium sibi dari, Salomone dicente (Prov. XXVIII) : « Qui custos est Domini sui glorificabitur ». Quam autem strenue ac viriliter Ioseph pro defensione Christi, et Mariae adversus diabolum pugnaret, his verbis erudite describit piissimus Isidorus Isolanus (2 p., cap. 4) : « Fuit Ioseph Christi Pueri contra insidias diaboli et astutias defensor; magna profecto erat, et mortalibus inexplicabilis virtus Iosephi, quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quae diaboli potestati comparari queat. Illi tamen incognitas Iosephi virtutes Deus omnipotens opposuit. Quam fortis, quam excelsus, quanta fulgebat prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum ac nequissimum dia-

Digitized by Google

bolum, filium Dei infantem, ac puerum protexit et defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus est tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit; oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Iosephi ». Hactenus ille.

414. Ad extremum, ut insignis nobilitas, ac regia sanguinis claritas Divi Iosephi manifestius innotescat, illam ducere censui a primo parente, ex quo pariter constabit, in quibus parentibus Ioseph et Beata Virgo conveniant, et in quibus dissideant.

Adam cum esset annorum centum triginta genuit Seth,
Seth autem annorum 105 genuit Enos,
Enos autem annorum 90 genuit Cainan,
Cainan autem annorum septuaginta genuit Malaleel.
Malaleel autem 65 agens annum genuit Iared,
Iared autem annorum 162 genuit Henoch,
Henoch autem annorum 65 genuit Mathusalem,
Mathusalem autem annorum 187 genuit Lamech,
Lamech autem annorum 182 genuit Noe,
Noe autem annorum 500 genuit Sem,
Sem autem, vel Melchisedech rex et sacerdos biennio post diluvium genuit Arphaxat,
Arphaxat autem annorum 35 genuit Cainan,
Cainan autem genuit Sale,
Sale autem annorum 30 genuit Heber,
Heber autem annorum 34 genuit Phaleg,
Phaleg autem annorum 30 genuit Reu, vel Ragau,
Reu, vel Ragau autem annorum 32 genuit Sarug,
Sarug autem annorum 30 genuit Nachor,
Nachor autem annorum 29 genuit Thare,
Thare autem annorum septuaginta genuit Abraham.
Abraham autem annorum 99 genuit Isaac,
Isaac autem annorum 60 genuit Iacob,
Iacob autem annorum 91 genuit Iudam,
Iudas autem genuit Phares de Thamar.
Phares autem genuit Esron,
Esron autem genuit Aram,
Aram autem genuit Aminadab,
Aminadab autem genuit Naasson,
Naasson autem genuit Salmon,
Salmon autem genuit Booz de Rahab,
Booz autem genuit Obed ex Ruth,
Obed autem genuit Iesse,
Iesse autem genuit David,
David autem rex genuit Salomonem,
Salomon autem genuit Roboam,
Roboam autem genuit Abiam,
Abias autem genuit Asa,
Asa autem genuit Iosaphat,
Iosaphat autem genuit Ioram,
Ioram autem genuit Ocoziam,
Ocozias autem genuit Ioam,
Ioas autem genuit Amasiam,
Amasias autem genuit Oziam,
Ozias autem genuit Ioathan,
Ioathan autem genuit Achaz,
Achaz autem genuit Ezechiam,
Ezechias autem genuit Manassen,
Manasses autem genuit Amon,
Amon autem genuit Iosiam,
Iosias autem genuit Iechoniam,
Iechonias autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Eliacim,
Eliacim autem genuit Azor,
Azor autem genuit Sadoch,
Sadoch autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud,
Eliud autem genuit Eleazar,
Eleazar autem genuit Mathan,
Mathan autem genuit Iacob,
Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae de qua natus est Iesus.

415. Quia tamen in enarrationem progenitorum Divi Iosephi incidimus, adverto, progenitores Iosephi positos infra Davidem, non esse progenitores naturales B. Virg. et consequenter nec Christi Domini; nam Beata Virgo non descendit ex Davide per Salomonem, sed per Nathan fratrem eiusdem Salomonis, ut Divus Lucas cap. III palam testatur. Quare ad cognoscendam lineam rectam, per quam descendit Beata Virgo, atque adeo Christus Dominus, in quantum homo, quamvis Beata Virgo, et Ioseph eosdem progenitores habuerint usque ad David inclusive, deinceps tamen omnino diversi sunt; nam ad Iosephum spectant omnes supra relati infra Davidem, ab Beatam vero Virginem hi qui sequuntur: nam

David genuit Nathan;
Nathan autem genuit Mathata,
Mathata autem genuit Menna,
Menna autem genuit Melea,
Melea autem genuit Eliachim,
Eliachim autem genuit Iona,
Iona autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Simeon,
Simeon autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathat,
Mathat autem genuit Iorim,
Iorim autem genuit Eliezer,
Eliezer autem genuit Iesu,
Iesu autem genuit Her,
Her autem genuit Elmadan,

Digitized by Google

Helmadan autem genuit Cosan,
Cosan autem genuit Addi,
Addi autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Neri,
Neri autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Resa,
Resa autem genuit Ioanna,
Ioanna autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Semei,
Semei autem genuit Mathathiam,
Mathathias autem genuit Mahat,
Mahat autem genuit Nagge,
Nagges autem genuit Hessi,
Hessi autem genuit Naum,
Naum autem genuit Amos,
Amos autem genuit Mathathiam,
Mathathias autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Ianne,
Ianne autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathath,
Mathath autem genuit Heli,
Heli autem genuit Pantherem,
Panter autem genuit Bipantherem,
Bipanther autem genuit Ioachim,
Ioachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.

416. Advertendum tamen est, omnes hos patres, qui naturales fuerunt Mariae, fuisse Iosephi legales. Divus enim Lucas (cap. III) miro artificio coniunxit utrumque, ut late et sapienter prosequitur Cardinalis Toletus (sup. cap. 3 Luc.), praesertim adnotat. 58.

417. **Hymnus XIX.**

Iosepho Sancto laudis honores.

O decus coeli, columenque mundi,
Numinis celsos meritus favores!
Quos tibi Ioseph iteramus, audi
Laudis honores.
Sponsa fit consors tibi Virgo, Mater,
Filius Summi tuus est Parentis,
Dignus es, nostrae sapiens minister
Esse salutis.
Ima cui parent simul et superna,
Qui praeest mundo Dominator omni,
Lege, quam sanxit, tibi fit paterna
Subditus uni.
Nunc fruens aevo superum perenni,
Fac: viae cursu, duce te peracto,
Iugiter tecum mereamur uni
Vivere Christo.
Da Trias coeli, Deitas beata,
Adsit ut nostros Trias haec in usus
Cum suo Ioseph, pariterque sancta
Virgine Iesus.

(E Breviario secundum usum Gallican.).

418. **Memento.** — *Haec eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Considera 1° quanta mysteria angelus paucis his verbis sit complexus. Revelavit enim iam adesse Salvatorem tantopere a patribus expectatum, omnes divinas promissiones vocesque prophetarum completas, conceptionem eius esse miraculosam, nempe opus Spiritus Sancti, et ex Matre Virgine profectam, salutem quoque ab hoc Salvatore expectatam, non esse temporalem, sed spiritualem et aeternam; addidit enim angelus: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Considera 2° quanto gaudio perfusus fuerit Sanctus Ioseph, postquam e somno evigilavit, dum videt se non modo ab omni metu et suspicione liberum, sed etiam in tantam dignitatem evectum, ut esset electus in Sponsum custodemque Matris Dei, imo in nutritium ipsius Messiae et Salvatoris. Unde nec dubium est eum statim ad pedes Beatae Virginis tum forte precibus vacantis accedisse, et veniam pro erratis et suspicionibus humiliter postulasse, unaque cum ea Deo pro revelatione facta gratias egisse: ubi discas in Deo, si quando ad tempus affligeris, spem omnem collocare, qui suo tempore novit cum tentatione facere proventum, exiguumque moerorem amplissimis compensare consolationibus. (Busaeus, Medit. in festo S. Ioseph).

XX. — Sermo Ioannis de Carthagena.

FAMAE ET HONORI CHRISTI DOMINI ET MATRIS EIUS S. IOSEPH MIRIFICE CONSULUIT.

Lib. XVIII. De cultu et devot. erga B. V. ac D. Ioseph, homilia magna et ultima.

INTER pleraque heroica D. Iosephi facinora, quae illum valde commendant, illud mirabile est, quod Christi Domini honorem ab Hebraeorum opprobriis suo sponsalitio praeservavit, sine quo tamquam illegitime natum illum longe a se abiicerent. Unde D. Ambrosius (libr. 2 in Luc., cap. 1, in med. tom. 5) dixit: « Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderent ex adulterio? » Et Divus Bernardus (hom. 2 sup. Miss. est) id confirmat his verbis: « Tolerabilius fuit atque honestius putare ad tempus de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione; alias enim daretur occasio, ut eius lex, et praedicatio contemnerentur. Nam si cum Pharisei ex legitimo matrimonio Christum natum esse putarent, tamen ideo contempserunt, quod fabri filium esse crederent, quid facturi erant, si spurium dicere potuissent? »

420. Solent enim huiusmodi illegitimi, incestuosi et adulterini contemptui haberi tamquam infames, iuxta (Sap. III): « Fili adulterini in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur ». Ubi Iansenius ex Divo Ambrosio (serm. 6) legit: « Filii adulterorum erunt in consummationem »;

Digitized by Google

et Lyra: « Filii iniquorum, qui erunt in exterminationem »; et Budaeus (in pand.): « Filii adulterorum in consummatione erunt, id est, imperfecti et non consummati ». De quibus gravissime dixit Sanctus Pontifex et martyr Bonifacius (in epist. ad Eched. Reg. Anglor.): « Incestuosi et adulterini, neque in bello saeculari fortes, neque in fide stabiles, neque honorabiles hominibus, nec Deo amabiles »; quod et refertur (c. si gens Angl., dist. 56). Sunt enim infames, quibus portae dignitatum non patent, ut defendit Azon (in sum. c. ex quib. caus. infamia irrogetur): idque verum habet etiam si essent legitimati a Principe; cum filius legitimatus similis sit alchimiae, quae facit apparere quod non est, ut loquuntur Baldus, Iason et alii, quos refert et sequitur Cassaneus (in catalog. glor. mund., part. 11, consid. 15 per tot.) Hi namque taliter nati, testes sunt adulterii, et parentibus pudori sunt, non honori, ut dixit D. Ambrosius (in serm. de S. Ioann.), et refertur (in cap. dicat. aliq. 32, q. 4).

421. Unde secundum iura non promoventur ad dignitates, nisi in legitimorum defectum, ut decrevit Ulpianus Iurisconsultus (in lib. general., § spur., ff. de Decur.): quod praecipue locum habet in filiis presbyterorum, de quibus Urbanus Papa sic statuit (in cap. 1, 56 dist.): « Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut coenobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint conversati. Nam si morum honestas eos commendabiles fecerit, cessante etiam legitimo competitore admitti poterunt », ut quam plurimis exemplis adductis probat Divus Damasus Papa (in suo Pontif.), et refertur in cap. 2, dist. 56... Regulare tamen est, huiusmodi illegitimos esse imitatores paterni sceleris et incontinentiae, ut dicitur (in cap. si quis cum milit. 6, quaest. 1, et in cap. si gens Angl., dist. 56) (1).

422. Huius autem boni nominis in Christo apud homines, et quod fuerit ex Virgine natus, unicus testis fuit B. Ioseph, in quo maxima eius excellentia declaratur, iuxta illud (Psal. LXXX, 6): « Testimonium in Ioseph posuit illud », ut optime explicuit Isidorus Isolanus (2 part., cap. 4) dicens: « Ipse Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis ». Quo munere sanctos aequavit spiritus, qui testes, et nuntii sunt et revelatores mysteriorum Dei.

(1) Unde, etiamsi agatur de filiis piissimis et virtutis probatissimae, praevaluit et praevalet praxis legis severissimae vim habentis, eos tamquam irregulares ab ordine clericali arcendi, nisi in casu aliquo extraordinario Summi Pontificis accedat dispensatio.

423. **Hymnus XX.**

Sit Virgae in aevum Gloria!

I.

Dio favore concinam
Levem remulcens barbiton:
Efficta Ioseph gloriae,
Sint fausta vobis somnia!
Adstat Domus paupercula,
Quam Nazarena Trinitas
Colit, sacratque moribus.
Cellae reservat angulus
Donum, quod auri plurimis
Venale non est mercibus:
En Virga! quondam lilii
Rosacque texta laureis,
Quae, ut nostis, exstant pectoris
Puri ac amantis symbolum.
Est virga quae sponsalia
Vidit Mariae Virginis
Cum Patriarcha, et nuptias.
Haec adfuit Bethlemicis
Ioseph dolori et gaudiis;
Et gestiit cum fulgido
Iesum canente exercitu;
Subrisit et pastoribus,
Pioque Regum coetui.
Quin, cum Patronus aequora,
Quae multa laudat pyramis,
Cum Matre et almo Parvulo
Extorris eheu! peragrat,
Adfirmat haec vestigium
Tum suspicantis horrida,
Forsanque pulsans aridam
Lymphae fluentum suscitat.
Sit virgae in aevum gloria!

II.

Quadam die sub angulo
Stans Iesus, illam suscipit
Virgam, premitque pectore,
Ad labra fert, et millies
Tractat benignus osculis.
Ad officinam, qui fabri
Ioseph putatur filius,
Procedit, et mox serrula
In bina frusta praevidens
Virgam vetustam dividit;
Clavis inaequa frustula
Sic pangit ille, ut lugubrem
Crucis figuram praeferat.
Mater videt cum lacrymis,
Memor prophetae carminum:
Sentit dolorem pectore...
Supplexque adorat Providum.

III.

Tunc officinam deserit
Iesus, Crucemque detegit
Ioseph iacenti in lectulo...
Eius propinquat exitus!
Vix ante Ioseph mystica
Apparet illa visio,
Cum virga flores eugepe!
Emittit, ac adstantium
Vestrum superno anhelitu
Dulce relaxat pectora,
Iesuque voces personant:
" Quicumque coeli gratias

Digitized by Google

Meique fructum Sanguinis
Optatis, eia, accedite;
Quos virga Ioseph flosculos
Producit, usque sumite...
Olent, vigentque in saecula „...
Sit virgae in aevum gloria!

(Thomas Viñas, Sch. Piar.)

424. **Memento.** — *Expectatio et desiderium Nativitatis Domini in B. V. et S. Ioseph.* Scribit Cuvelhier: " Desiderabat B. V. videre, illoque frui, quem Deum sciebat et agnoscebat in se, et ex se hominem. Desiderabat illum fovere, servire, maternis obsequiis curare... Anhelabat et S. Ioseph iam mysterii conscius et sollicitus quo obsequio recenter Natum exciperet, ac deinceps studiose aleret, etc. Tu idem fac ut in te Christus renascatur, et cogita te quoque Christi Matrem fieri posse, si illum per pia colloquia, etc., hoc potissimum tempore parias in animis aliorum, eos ad eius amorem excitando, etc. „. (Medit. breviss. De expect. partus).

XXI. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE DUPLICI S. IOSEPHI SUBLIMI DIGNITATE, SPONSI SCILICET DEIPARAE VIRGINIS, ET CHRISTI DOMINI PATRIS LEGALIS.

Lib. XVIII. De cultu et devot. erga B. V. ac S. Ioseph, homilia magna et ultima.

Cum Moyses historiam dierum creationis mundi texere institueret, in haec verba illam exorsus est: « In principio creavit Deus coelum et terram »; ubi originale Hebraeum habet: « In principio creavit Heylon », quod idem est quod Iudices, « coelum et terram ». In quibus verbis interpretes duplicem reperiunt difficultatem:

426. Prima levis est, quod secundum documenta linguae latinae non bene inter se consentiant singulare illud, creavit, et plurale, Iudices; verum hac incongrua secundum latinos dicendi phrasi latet supremum theologiae arcanum, ac altissimum Triadis mysterium; nam verbum illud in plurali, Iudices, pluralitatem divinarum personarum attestatur; vox autem, creavit, in singulari, unitatem Deitatis, in qua divinae personae consubstantiales sunt et unicus solus Deus non obscure indicat.

427. Secunda difficultas gravior est, quia non bene cohaerere videntur Creator et Iudex; nam creare nihil habet commune cum munere iudicis; ut quid ergo ait Moyses: « Creavit Iudices coelum et terram? » Creare enim est quoddam gratuitum beneficium, quod Deus confert rei creatae, adeo ut Divus Augustinus (epist. 106), et Divus Bernardus (lib. de gratia et lib. arb.) vocaverint illud gratiam creationis: iudicem autem fungi munere suo, non pertinet ad gratiam sed ad iustitiam. Ita sane esse non diffiteor; sed quia opus iustitiae distributivae est dare unicuique secundum propria eius merita, et Deus in creatione hoc genus iustitiae suo modo observavit, singulis creaturis iuxta exigentiam et merita suae naturae varias facultates, potentiam, situm, locum et proportionem cum aliis eius conferens; idcirco sapienter Moyses ad id declarandum dixit: « Creavit Iudices ». Hanc interpretationem docuit me Tertullianus advers. Marc., dum de creatione mundi loquens ait: « A primordio tam bonus, quam iustus, bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est »; et subiungit: « Iustitiae opus est, quod inter lucem et tenebras, inter diem et noctem, inter coelum et terram separatio pronunciata est, ita bonitas concepit omnia, iustitia distinxit ».

428. Ecce ait, divinam bonitatem, et divinam iustitiam pariter concurrisse ad fabricam huius mundi, aliter tamen, et aliter, quia bonitas ex nihilo creavit, in illas se diffundens: « Bonitas eius operata est mundum »; iustitia vero qualitates, ordinem et proportionem cum aliis iuxta uniuscuiusque naturae exigentiam dedit: « Iustitia distinxit », inquit Tertullianus. Sed et dixit: « Iustitia modulata est », quia revera mixta haec creaturarum proportio, connexio et cohaerentia cum quadam inter se pugna permixta, ut quidam Poëtarum cecinit:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus,

suavem concentum modulari videtur, ut dixit Iob XXXVIII: « Quis enarrabit rationes coelorum, et concentum coeli dormire quis faciet? » Adeo autem Deo placuit creaturarum hic concentus, quod quamvis de singulis operibus creationis Moyses dicat: « Vidit Deus quod esset bonum »; tamen postquam iam omnia opera compleverat, observante Deo in illis mirabilem concentum, et inter se proportionem, affirmat Moyses (Gen. 1): « Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona ». Ecce attendens ad creaturarum naturam, prius dixit esse bona, deinde ad miram harmoniam et consonantiam inter se respiciens, dixit, cuncta simul sumpta esse valde bona.

429. Illud tamen in operibus creationis singulari observatione dignum arbitror, quod cum Deus singulas alias creaturas creans, confestim illas laudaret, vocans illas bonas, ab hominis tamen laude, cum illum creavit se abstinuit. Scio alicui videri posse consulto id factum, ad manifestandum liberum hominis arbitrium, cuius operibus, laude,

Digitized by Google

vel vituperio dignus redditur; unde quousque operaretur, laudari non licebat; sed nostro argumento accommodatius arbitror, Deum non laudasse illum a bonitate, quia nondum tunc creaverat mulierem illi consonam et conformem, ex cuius consortio magna illi debebat accrescere perfectio, ut non obscure indicant verba ipsius Dei (Gen. II): « Non est bonum, hominem esse solum; faciamus adiutorium simile sibi ». D. Ambrosius (lib. de institut. Virginum, cap. 3) ex hoc divino oraculo infert: « Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere praedicatur ». Ecce quomodo laus viri et complementum perfectionis illius a femina dependet propter miram consonantiam et harmoniam, quam conformitas inter illos parit.

430. Haec cum ita sint, nemo sanae mentis ambiget, perfectionem et laudem Divi Iosephi maxime pendere a Sponsa sua Maria: unde ad id innuendum S. Evangelista Matthaeus (cap. I notanter dixit: « Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph », quasi dicat: attendite, Iosephum Sponsum esse Matris Iesu; hinc enim valde innotescit sanctitatis et dignitatis eius excellentia, cum absonum sit de Deo cogitare, voluisse Matrem suam in matrimonium coniungere viro sibi moribus dissimili; si enim curam habuit dandi Adae adiutorium simile sibi, quomodo nisi insipienter credam, dissimile Matri suae dedisset? Et quis quaeso sibi persuadeat in sponsalitio Mariae cum Iosepho non fuisse ad unguem impletum illud (Eccle. VII): « Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam »; ubi Glossa Interlin. « Id est, prudenti, strenuo, qui bene servet eam ». Et Lyra et Iansen. « Trade filiam nuptui, et homini prudenti da illam, ita ut magis habeatur respectus ad mores, et prudentiam sponsi, quam ad opes, vel genus ». Huc pertinet responsio Themistoclis, qui cum a quodam esset interrogatus, cuinam ex duobus filiam suam daret, improbo ne diviti, an pauperi bono ac prudenti viro: « Malo, inquit, virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam quae viro ».

431. Sicut ergo B. Virgo fuit omnium mulierum praestantissima, sic etiam sanctissimus Ioseph fuit omnium hominum prudentissimus, ut sic a Deo matrimonium peculiariter ordinatum inter eos debita proportione contraheretur. Deinde si argumentum hominis Deo grati est, prudentem uxorem ab eo accipere, Salomone dicente (Prov. XIX): « Domus et divitiae dantur a parentibus, a Domino autem praeparatur uxor prudens »; certe cum Divo Iosepho solum prae omnibus aliis viris tam creatis, quam creabilibus, Dominus praeparaverit in uxorem Matrem suam Virginem, non ex quinque prudentibus, sed omnium prudentissimis; non leve illud argumentum censeri debet, ipsum reliquos omnes sanctitatis excellentia longe superare; quod ne praecipitanter dixisse videar testimonio Divi Augustini omni exceptione maiori id constabiliam; etenim (serm. 81 de tempore) reliquos omnes Sanctos comparat stellis, D. autem Iosephum fulgenti soli.

432. Disserit eo loco de somnio illo, in quo antiquus patriarcha Ioseph vidit lunam, solem et stellas ad adorandum eum sibi procumbere, notatque S. Doctor visionem hanc propheticam minime gentium ad unguem impletam fuisse in antiquo illo Iosepho, tum quia mater eius, quam luna significabat, iam de hac luce migraverat, atque adeo illum adorare non poterat; tum quia fratribus eius stellarum nomen non congruebat, quia invidiae nox obscuros illos, et tenebrosos effecerat. Vaticinium igitur illud impletum fuit in vero Ioseph Christo Domino, cuius antiquus ille typum gessit; hunc adorarunt stellae splendidissimae, scilicet Apostoli; hunc adoravit pulcherrima luna Maria; eumdem etiam religioso adorationis cultu veneratus est sol fulgentissimus Ioseph. Non meam, sed Divi Augustini doctrinam trado.

433. Nec miretur quispiam, quod in conspectu Virginis, quae luna appellatur, Ioseph sol vocetur, quia revera sicut luna splendorem, et claritatem a sole mutuat; ita Maria honoris sui splendorem a Sponso suo accepit; quae, si dum filium pareret, Sponso careret, gravi infamiae nota obscuraretur. Atque hinc manifeste liquet, quod si in claro die legis gratiae praefulgebat Apostolis Ioseph velut sol; sane in lege veteri, quae nox fuit respectu diei legis gratiae, ut Pauli (Rom. XIII) metaphora utar, dicentis: « Nox praecessit, dies autem appropinquavit »; si Ioseph tamquam sol praeesse non potuit, cum in nocte sol omnino lateat; praefuit tamen antiquis patriarchis in caliginosa legis scriptae nocte, velut resplendens luna, ut non obscure praefiguratum cerno (Eccli. L), ubi de Simone Oniae filio haec verba lego: « Quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit ». Huius autem reddens rationem Eccli. subiungit: « Quia in vita sua suffulsit domum, et corroboravit templum ».

434. Haec quam apte in D. Iosephum conveniant, nemo est qui non videat; utrumque enim in eo palam impletum agnoscimus, praefulsit ut sol in die legis gratiae, splenduit ut luna in nocte legis scriptae; ratio autem huius illa est, quam de filio Oniae reddit Eccli. « Suffulsit domum, et corroboravit templum ». Domum Virginis ille sua auctoritate et industria, tamquam caput illius

Digitized by Google

sacrae familiae, fulciebat, indigentiae Matris et Prolis singulari providentia consulens; sed nec hoc solum praestitit: « Sed corroboravit templum », hoc est, corpus Christi nutriebat, et alimento robustius reddebat, quod ipse templum appellavit: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ». « Ille autem, ait Ioannes (cap. 2), dicebat de templo corporis sui ».

435. Ad haec si Salomon (Prov. XVIII) dixit: « Qui invenit mulierem bonam inveniet bonum, et hauriet iucunditatem a Domino »; quantam putabimus D. Iosephi felicitatem, qui non modo invenit mulierem bonam, sed optimam omnium, ipsam scilicet Deiparentem? Sane credendus est hausisse maiorem, quam nemo iucunditatem a Domino; tunc autem illam hausit, cum in utero Sponsae suae auctorem ipsius iucunditatis delitescere agnovit. Quare duplicem felicitatem contemplor in Iosepho; primo ex eo quod invenit mulierem bonam, ut ait Salomon; secundo, quod illa ab eo inventa est habens in utero de Spiritu Sancto, ut testatur Divus Lucas (cap. 1). Ut enim dixit Divus Hieronymus (in comment. hui. loci): « Non ab alio inventa est, nisi a Ioseph, qui paene licentia maritali futura uxoris omnia noverat ».

436. Et quidem cum propria uxor sit velut ager, seu haereditas ipsi viro, merito Ioseph cum Davide patre suo canere poterit illud (Psalm. XIII): « Funes ceciderunt mihi in praeclaris; etenim haereditas mea praeclara est mihi ». Sed quare sibi praeclara? sane quia inventa est ab eo habens in utero de Spiritu Sancto Filium Dei, infiniti adeo valoris thesaurum, ut de eo Salomon (Sap. VII): « Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei ». Sed et in hoc etiam mira Iosephi excellentia super omnes Sanctos eminet, quod illi participes facti amicitiae Dei, non aliud, quam amicitiam hauserunt ex illo infinito thesauro; at Ioseph non solum hausit arctissimae amicitiae cum Deo foedera, sed et paternitatis et superioritatis super eum singularia iura, nemini alteri, quam sibi, et Virgini concessa.

437. Quid plura? illud celsissimae dignitatis Sponsi Deiparae excellentiam mirum in modum commendat, quod si, cum Adam et Eva matrimonium iam copulati, communis perditionis, et iacturae humani generis, antiquo serpente suadente, principium et origo extitere; ita Maria et Ioseph vero matrimonio coniuncti, tamquam aptissima Dei instrumenta, reparationi antiquae illius ruinae totius generis humani primordia exhibuere. Unde verba illa (Psal. XVIII): « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam »; iuxta explicationem D. Thom. ita quidem interpretari licet: « Dies, i. e. Gabriel, eructat verbum diei, » i. e. Virgini », Verbum divinum in ea incarnandum ei praenuncians; « nox noctem, id est, diabolus, indicat scientiam noctis i. e. Evae », quam ipse fraudu'enter obscuravit, dicens: « Eritis sicut Dei, scientes bonum et malum ».

438. Deinde sicut tunc serpens prius mulierem seduxit, et postea virum, ut legimus (Gen. III): « Comedit, deditque viro suo, qui comedit », sic similiter angelus prius Virgini incarnationis mysterium manifestavit: « Concipies in utero, et paries filium »; postmodum vero Divo Iosepho, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Ac tandem sicut Adam et Eva mortem peccati in posteros omnes transfuderant, ita Maria et Ioseph vitam in universum orbem terrarum intulerunt, illa concipiendo et pariendo auctorem vitae Christum Dominum, hic vero eundem infantem nutriendo, fovendo et ab Herodis tyrannide liberando.

439. Haec et similia perpendens de nostro Iosepho Cancellarius Parisiensis (serm. de Nativ. Mar.) dixit: « Decuit, ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequeat intelligi, sicut dicit Anselmus. Decuit ut Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatus est Christus; et ut potest colligi ex Matth. 1, beatissimus Ioseph fuit super omnes homines purus similis Virginis gloriosae ». Haec ille.

440. Isidorus vero Isolanus de B. Ioseph valde bene meritus eandem Sponsi Deiparae dignitatem contemplans, haec scripsit (2. p., cap. 4): « Quantae latebant in sanctissimo Iosepho virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret et vestiret; ad varia enim animantium genera alenda, atque educanda, omnium corporum coelestium vis concurrit, quam ab angelis orbium motoribus accipiunt; Ioseph autem Verbum Dei, per quod coelestes orbes, et angeli conditi sunt, et in esse conservantur, enutrivit, et aluit. Ioseph profecto plusquam Iosaba fuit, ac in eo praefiguratus est, qui Ioas infantem clam nutrivit et aluit ac regem Israel tandem constituit (ut habetur 4 Reg. XI) ». Et paulo inferius: « Propter coniugium cum Beata Virgine Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis, et hoc munere sanctos aequavit spiritus qui testes et nuntii sunt ac revelatores mysteriorum Dei; unde angeli vocantur: Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sacrarum quoque litterarum emerita dignitate donatus est; sacrae enim litterae testimonium Domini vo-

Digitized by Google

vocantur (Psal. XVIII): Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Fidelis nimirum, nimiumque Ioseph, cuius unica testificatio satis Deo et angelis faciebat, cui etiam universae nationes, quae sub coelo sunt, merito assentiri debent, Domino sermonem confirmante sequentibus signis ». Ad quae attendens D. Ioannes Damascenus (orat. 3 de Nativ. Mar.) magnam vocavit dignitatem Iosephi; sic enim loquitur: « Dignitas magna haec concessa fuit Iosepho singulari Dei dono, ut per dispensationem omni sermone praestantiorem fieret Virginis Sponsus ».

441. Ex qua dignitate aliam ex consequenti obtinuit omnino ineffabilem, quod legalis Christi pater fieret, ut his verbis eleganter adnotavit Rupertus (lib. 1, de glor. et honor. fil. homin., in cap. 1 Matth.): « Virum Mariae cum dicit, magnum et verum nomen B. Iosepho attribuit Evangelista; quia si est vir Mariae est pater Domini; si ergo vir Mariae Ioseph et ipsa uxor illius; proinde neque iste Evangelista Matthaeus inepte dixit Ioseph virum Mariae, neque alius Evangelista (Luc. II) mentitus est, patrem illum eius qui ex ea natus est Christi appellando, dicens: Et erat pater eius, et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo ». Hactenus Rupertus.

442. Ex quibus aperte constat, ut recte adnotavit Divus Augustinus (lib. 2, de cons. Evang., cap. 1), quod, licet Divus Ioseph parentis opinionem haberet apud Christi conceptionis ignaros, patris tamen appellationem non ab illis solum, sed a sacris Evangelistis, et ab ipsa Dei Genitrice, quae nihil falsum proferre poterat, accepit, cum (Luc. II) dixit: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ».

443. Nec quidquam refert, si obiicias, quod cum Beatus Ioseph non fuerit Christi genitor non recte dicatur pater eius; respondet enim Divus Augustinus (lib. 23 contr. Faust., t. 6): « Quid ergo iam moveat sancti Evangelii sectatorem, quod sine concubitu Iosephi Christus natus ex Virgine, filius tamen David appelletur, cum generationum seriem, non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Matthaeus Evangelista perducat? Primo quia mariti eius fuerat propter virilem sexum potius honoranda persona, neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus; cum ipse Matthaeus narret, ab angelo Mariam coniugem ipsius appellatam, qui narrat quod non ipsius concubitu, sed de Spiritu Sancto conceperit. Cum vero unus idemque narrator, utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariae Ioseph, et Christi Virginem Matrem, et Christum ex semine David, et Ioseph in serie progenitorum Christi et David, quid restat, ut credat, qui vult divino Evangelio potius, quam haereticorum fabulis assentiri, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, eam Ioseph coniugem non frustra appellatam propter ordinem sexus, et animorum confederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus, et Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus? » Hactenus D. Augustinus.

444. Et quidem, cum nominis impositio ad parentes pertineat, ad quorum nutum filii nomina suscipiunt, illud certe non obscure indicat clarissimam patris Christi nomenclaturam Iosepho apte convenire, cum coelitus ei data fuit auctoritas imponendi Christo nomen Iesu, et consequenter quoddam genus paterni dominii, quo patres gaudent in filios; ut enim recte dixit Divus Damascenus (lib. 2 de fid., cap. 3): « Nomen imponere, maiestatis ac dominii est; nomen vero accipere, subiectionis et servitutis; quoniam nomen vicarium est rei; et ideo auctoritas in nominis impositione significat dominium rei.

445. Et copiosius Sanctus Chrysostomus (hom. 6 de laud. Paul., tom. 4, et homilia de convers. Paul., prop. med., tom. 5) his elegantibus verbis id confirmat: « Quare nomen Sauli mutavit in Paulum Spiritus Sanctus; quemadmodum dominus qui servum mercatus, ostendere volens se dominum servi, nomen illius immutat, ita Spiritus Sanctus fecit, ubi Paulum captivum accepit vocabulum eius mutavit. Ut enim inde disceret Paulus se habere Dominum; nominum enim impositio dominii signum est, et praecipuum. Et unde hoc declarabimus? facile ex his quae Dominus cum Adam egit, perspicuum erit: volens enim Dominus docere Adamum, quod eum principem et dominum fecisset, adduxit ad eum omnia animalia, ut videret, quid vocaret ea: ecce nominum impositio dominium testatur. Quod si ab hominibus ita factum videre vultis et discere, olim talem fuisse morem, quod servorum in captivitatem adductorum nomina mutata sint; audite quid fecerit Babyloniorum Rex: nam ut captivos adduxit Ananiam Azariam, et Misaelem, non reliquit eorum nomina prima, sed vocavit eos Sidrach, Misach et Abdenago ». Idemque docet S. Hieronymus (sup. cap. 2 Dan.) his verbis: « Non solum praepositus eunuchorum sanctis mutat nomina, et Pharao Ioseph in Ægypto appellavit Saphanatphares nolentes eos in terra captivitatis vocabula habere Iudaeorum ».

446. Atque hinc fit quod propter hanc rationem olim in circumcisione, modo autem

Digitized by Google

in baptismo, nomina parvulis imponuntur, quia ex eo tempore, iam non daemon, sed Deus noster incipit eorum esse Dominus peculiari, et novo titulo, iuxta illud (Gen. XXVIII) ubi Iacob votum vovens Deo dixit: « Erit mihi Dominus in Deum ». Unde quia ingressus in religionem habet quandam imaginem et effectum baptismi; ideo secundum S. Thomam (2, 2, q. 189, a. 3 ad 3), « legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequuntur religionem intrantes quam baptizati ».

447. Hinc piissimus Isolanus (p. 1, c. 11) pro mira, qua praestabat erga D. Iosephum, devotione, perdocte et pie dixit: « Non parum attulit dignitatis Ioseph legatio angelica qua ei mandavit dicens, vocabis nomen eius Iesum Matth. 1): impositione enim, ac sanctissimi nominis huius publicatione coeleste secretum mundo aperuit Ioseph, Patris coelestis vices gessit, Spiritus Sancti arcana, quae in canticis et Prophetis mysteria abscondita erant, patefacit, beatissimaeque mundi Reginae coniugis suae collega fuit, atque angelicae maiestatis sublimitatem attigit ». Quod appositissimo hoc et quotidiano exemplo statim confirmat. Est namque mos apud homines, ut patres nomina imponendi filiis auctoritatem habeant; Iesus autem erat Filius Dei Patris; Sanctus igitur Ioseph Patris coelestis vices hac in dignitate manifeste gessit.

448. Olim Spiritus Sanctus per ora loquens Prophetarum diversorum variis vocibus, licet aenigmaticis, Beatissimum nomen Iesu expressit. Legitur (Is. VII): « Vocabitur nomen eius Emmanuel ». Item (cap. IX): « Vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis»; et item: «Vocabitur nomen eius, spolia detrahe, festina praedare ». Messias, quod nomen interpretatur Christus, notissimum apud Hebraeos est. In Canticis quoque scribitur (cap. I): « Oleum effusum nomen tuum ». Lucae vero cap. II dicitur: « Et Filius Altissimi vocabitur ». Haec vero mysteria unica nominis Iesu impositione ignaro orbi aperuit noster Ioseph.

449. Verum, ut patris Christi dignitas magis innotescat, revocate quaeso in memoriam quod, dum ipse mori esset propinquus, de Ioanne Evangelista dixit: « Mulier, ecce filius tuus ». Ex qua appellatione colligunt omnes sancti singularem amorem, quem Christus ad Ioannem habuit, quem tanto honore affecit, ut nomen filii sibi proprium illi communicaret, et loco sui ipsius illum substitueret. Cum igitur multo excellentior sit parentis Christi, quam filii Virginis appellatio, non solum, quia patris appellatio maiorem auctoritatem praesefert, sed etiam quia dignitas Christi dignitatem Virginis infinite excedit, consequens est, non solum patris Christi nomen, sed etiam rem, quae huic nomini subest, Iosephum participasse, quantum, excepta generatione, ab homine participari potuit, ut loquitur Divus Chrysostomus hom. 4. in Mat.

450. Ad extremum, illud eiusdem dignitatis patris Christi excellentiam palam facit, quod ad illam consequitur in Iosepho quaedam superioritatis auctoritas super Christum Dominum, ut disertis verbis dixit Lucas: « Et erat subditus illis ». Quamvis enim verum sit, quod haec subiectio ex parte Christi, et superioritas ex parte Iosephi magis significat usum, quam debitum, quia revera Christus propter dignitatem suae personae nulli hominum proprie subiectionem debebat, tamen ad dignitatem Ioseph declarandam satis est; tum quod praecise considerata humana conditione et origine, Christus futurus erat iure subditus Ioseph, eo quod maritus esset Matris eius; tum quod licet ratione divinitatis esset omnino exemptus, tamen de facto voluit illi esse subiectus, eique tamquam patri, ac superiori obedientiam, honoremque deferre.

451. Ceterum, quia rem hanc maximi momenti esse reor ad Iosephi dignitatem illustrandam, esplicare oportebit fundamendum paternitatis Ioseph, ex quo in eo resultat superioritatis mira illa dignitas, nec non et obedientia a Christo ei praestita; quod quia praeclare exposuit Gerson, eius verba hic apponam; is (serm. de Nativ. Mar., cons. 4 explicans illud Matth. 1): « Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus » sic loquitur: « De Maria natus est Iesus nedum corporaliter, sed spiritualiter quidem, et de virginali Sponso suo Ioseph, suo modo dici potest; non equidem, quod de Ioseph natus sit Iesus modo quo blasphemat Iudaeus infelix, qui dicit Christum de Iosephi semine esse natum; procul sit hoc a pietate fidelium, sed attendendo triplicem nativitatem Iesu Christi, attendat et vestra beatitudo, scilicet aeternalem, corporalem, spiritualem vel mentalem. Nascitur enim aeternaliter ex Patre, quemadmodum nascitur splendor ex luce coaevus luci, de quo Ecclesiasticus: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam, et in Psalmo: Ex utero ante luciferum genui te. In hac aeternali nativitate Christi Iesu, nec Maria, nec Ioseph communicat. Altera nativitas Christi Iesu corporaliter in mundo ex Virgine, de qua angelus ad Mariam: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et hoc factum est, quando completi sunt

Digitized by Google

dies Mariae, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum; et in hac quidem nativitate sola Maria materiam ministravit. At vero quia corpus Mariae fuit ipsius Ioseph iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporum viri ad mulierem et e contra; videamus, si cum intelligentiae sobrietate dicere fas nobis sit, quod ex corpore et carne Ioseph natus est Christus Iesus? et hoc dici forsitan posset, nisi piarum aurium timeretur offensio ». Idem etiam Gerson eod. serm. aliam egregiam rationem paternitatis Ioseph in haec verba reddit: « Natus est Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra Isaias clamat: Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem; et David: Veritas de terra orta est; quidni competat igitur ipsi Ioseph ius aliquod legale ultra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, et ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum. Unde D. August. lib. 2 de consensu Evang., cap. 1 dicere audet: Non quod opinione sola, sed quadam ex parte veritatis quoque Iosephi filius esset Iesus, quippe qui Mariae verissimus filius ».

452. Ex hac autem paternitatis dignitate alia mirabilis accrevit Iosepho praerogativa, quod Christo Domino multifarie multisque modis utilis fuerit: etenim licet Dominus dixit omnibus iustis (Luc. x): « Cum feceritis omnia, quae praeceperim vobis, dicite, quia servi inutiles sumus »; audeo tamen dicere hanc praerogativam Iosepho coelitus datam, ut mirum, in modum utilis fuerit Christo Domino creatori, et Redemptori suo: unde cupiens angelus Gabriel Iosepho amanter ostendere ministerium, laborem, suaeque personae industriam, et fidelissimam providentiam familiae Dei, esse necessariam ad utilitatem Matris, et Filii, ad matrimonii honorem, pariterque ad ipsiusmet Iosephi eximiam exaltationem, dixit ei (Matth. 1): « Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum »: ubi Gloss. ord. sic interpretatur: « Pariet; ne videretur Ioseph non esse necessarius ei, subdit: pariet; et ita erit necessarius educationi ».

453. Sed multo praestantius S. Thom. (sup. Mat. in expos. et in catena) ait: « Hic angelus pronunciat obsequium, quod exhibebit Ioseph puero iam nato, quia posset Ioseph dicere, ipsa concepit de Spiritu Sancto, et pariet filium, quid ergo ad me? in nullo sum ei necessarius: ideo subdit ipsius Ioseph obsequium: vocabis nomen eius Iesum. Ostenditque, quod quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est educationi, quia ipsa pariet filium, et tunc matri, et filio erit necessarius: matri, ut ab infamia defendat, filio, ut eum enutriat ».

454. Adverte Ioseph dignitatem tuam, illam attente considera, Deus per quem nec ales esurit, qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum, qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum, qui Danielem in lacu leonum mirabiliter pavit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, et omnibus affluenter tribuit, ille, in quem desiderant angeli prospicere, factus homo vult tibi subdi, vult a te enutriri, vult denique, ut filius tuus, sub tua protectione morari.

455. S. Ambros. explicans illa eadem verba: « Pariet tibi filium (hom. 2 de nat. Dom.) » sic loquitur: « Ioseph conceptum filium suscepit quem non genuit; et ideo angelus dixit: Pariet autem filium, et non dixit, pariet tibi filium, sicut Zachariae antea dixerat: Ecce Elisabeth uxor tua pariet tibi filium; quia mulier, quae ex viro concepit, marito suo filium parit, quia magis est ex illo, quam ipsa. Haec autem quae non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo ». Quis quaeso oratione digne prosequi valeat, quam utilis Ioseph Christo Domino fuerit, praesertim in itineribus, sanctissimis suis brachiis saepe illum deferens (Matth. II): « Qui consurgens, accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Ægyptum ». Tunc B. Iosephum devotissime ita coram infante modulatum contemplor (Psal. CXVIII): « Cantabiles mihi erant iustificationes tuae, in loco peregrinationis meae: memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Haec facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi ».

456. Quae verba Iansen. post D. August. Theod. Euthym. Lyranum, et alios sic interpretatur: « Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae: adeo enim ardenter legem tuam dilexi, ut etiam in loco, in quo exulari, et peregrinari cogebar propter hostes me persequentes, iustissima tua praecepta a me decantarentur, ut horum oblectatione exilii, atque peregrinationis meae molestiam lenirem, et condulcorarem ad modum peregrinantium qui ad levandum laboris et afflictionis suae fastidium cantica exhilarantia per viam decantare solent. Nec die tantum studio legis tuae tenebar, sed et nocte memor fui nominis tui Domine, somnum nocturnum memoria tui interrumpens: nocte, id est tentationum tempore, quandoquidem nebulam inferunt, et noctis instar hominibus superveniunt; in hoc sane potissimum necessaria est Dei memoria quae recreat, et bono animo esse iubet. Haec facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi: istud nempe, ut mandata tua

Digitized by Google

pro carminibus mihi essent, utque memoria tui, nec nocturno quidem tempore mentem meam desereret, evenit mihi: eo quod mandata tua omni studio quaesierim et cognoscere, et adimplere ». Deinde ingentes Deo reddens gratias pro beneficiis receptis, praecipue pro extinctione, vel repressione fomitis, et pro confirmatione in gratia, ita humiliter concinebat: « In te confirmatus sum ex utero de ventre matris meae, tu es protector meus, in te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam ».

457. Verum quia in hoc plusquam angelico choro non unius Iosephi cantus tantum, qui sicinnium appellatur, sed B. Virginis simul, qui bicinnium nominatur, insonaret; rogabat Ioseph dulcissimam Sponsam, ut etiam in terra aliena, et in loco peregrinationis dignaretur cantare de canticis Sion (Cant. IV): « Sonet, dicebat ei, vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora ». Rogabat iterum (Cant. VIII): « Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam: » ubi haec Rupertus: « Dilectus dilectae dicit: Quae habitas in hortis. Quibus in hortis habitat dilecta? nisi in amoenitate Scripturarum, in delectatione virtutum pulchre florentium, bene olentium, semper virentium; fac me audire vocem tuam: et statim obedientiam praestans humillima Virgo respondit: Cantabo, et psalmum dicam Domino; continuoque canticum suum divinitus repetebat (Luc. I): Magnificat anima mea Dominum et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo ».

458. Quis coelestes delicias, quis divinas consolationes, quis illustrationes supernas in sanctissimi Iosephi purissimo corde ex B. Deiparae virginali cantico ortas excogitari poterit? Si vetus illa mater Elisabeth exclamavit prophetice ad unicam Mariae salutationem; si exaltavit prae gaudio infans in utero eius, quid ex continua cohabitatione, et allocutione cum Maria, et puero Iesu, Ioseph acceperit divinae consolationis, et illuminationis? Intueor Mariam baiulantem in ulnis speciosum forma prae filiis hominum, quae blandiebatur arridenti, quae condolebat vagienti, et frequenter viro suo Ioseph infantem baiulandum fovendum, osculandumque tradebat; quia tamen amici angeli eos comitantes auscultabant, prae nimio gaudio, et laetitia incredibili elevaverunt vocem suam, ut assolent, iuxta illud (Psal. LXVII): « Praevenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum ». Beatissimam Virginem vocari tympanistriam docet D. Aug. serm. 17 de Nat. Dom.). Virginali autem ac suavi huius tympanistriae, et Iosephi cantu infantulus Iesus mirifice delectabatur, iuxta illud (Psal LXVII): « Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu ».

459. Etenim B. Virgo, et sanctissimus Ioseph non solum cantabant canticum novum, sicut ceterae virgines, de quibus dicitur (Ap. XIV): « Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia, et seniores, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit ». Cuius maximae praerogativae rationem reddunt Divus August. (lib. de virg, c. 27, in med. tom. 6), et D. Thom. (2, 2, q. 152, art. 5, ad 3), sic dicentes: « Virgines sequuntur Agnum quocumque ierit, quia imitantur Christum non solum in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis, et ideo sequuntur Agnum. Canticum autem novum, quod solae virgines cantant, gaudium est, quod habent de integritate carnis servata ». Quod conforme est promissioni divinae (Isa. LVI): « Dabo eis in domo mea, et muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus: nomen dabo eis sempiternum, quod non peribit »: quem locum D. Aug. (lib. de virg., cap. 23 et 24) docet, explanandum esse de his qui se castraverunt propter regnum coelorum. Quod idem docuit Augustinus (lib. 14 contr. Faustum), et D. Ambrosius, et D. Gregorius, et D. Basilius, et alii, quos refert Leo Castrens. (in eundem locum).

460. In Beata autem Virgine, et Ioseph, illa novitas singularissima est, quod virgines illae sequebantur Agnum quocumque iret: Virginem autem, et Iosephum, quia multo prestantiores virgines, Agnus ipse sequebatur illos, et humiliter eis obsequebatur, ut testatur D. Luc. dicens (c. II): « Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis ». Quod et D. Bern. (hom. 1, sup. Missus est), in haec verba observavit: « In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunque ierit; quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae praeit?

461. Ad extremum, non solum Ioseph pater fuit legalis Christi, sed simul etiam spiritualis: Pro quo observandum est, quod Christus Dominus non nascitur in anima, quae virum non habet: ad quod adumbrandum Samaritanae dixit (Ioann. IV): « Voca virum tuum », ut ei concederet aquam vivam. Sed quis, inquis, vir est? virilis profecto animus, quo a peccato discedat, viriliter proponens, nunquam in peccatum se consensurum: si hoc viro careas, licet multa alia bona habeas, vidua es, sine viro es, licet plena populo sis, dicique potest ad te illud (Thren. III): « Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta es quasi vidua domina gentium »: non

Digitized by Google

enim est illi vir, qui eam protegat. Sicut ergo olim curavit Pharao omnes occidere viros, femellas vero reliquit, (Exod. xi), ita curat daemon, ut lacrymae, quas pro peccatis fundis, et reliqua, quae praestas, poenitentiae opera, sine hoc viro sint; quod si hoc fiat, femellae tibi sunt, virum non habes, relinqueris: Christus in te nequaquam nascetur. Si ergo Christum tibi adesse vis, sint tibi Maria et Ioseph: Maria amarum est mare lacrymarum, Ioseph virile propositum omnino a peccato discedendi.

462. De hac spirituali generatione agens D. Bonaventura tom. 2, opusc. de 5 Nativitat. pueri Iesu, c 1 haec praeclara dixit: « Purgato iam intellectu contritionis lavacro, et inflammato, et elevato affectu dilectionis igniculo, castis meditationibus, et devotis cogitationibus, tunc anima devota stimulata novis inspirationibus visitatur, et novo vivendi proposito a Patre luminum, a quo omne donum optimum et datum perfectum, spiritu gratiae foecundatur, et Pater ipse coelestis, divino quodam semine, animam gravidam facit et foecundat. Post hunc conceptum sacratissimum pallet in facie per veram humilitatem, fastidium cibi, et potus concipit: aliquando etiam infirmare, et aegrotare incipit anima, in propriae voluntatis abiectione. Iam paulatim grave et taedium incipit esse, quod foris est, et foris cernitur. O felix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus, et coelestium operationum appetitus! Iam modico gustato spiritu, desipit omnis caro; cum gemitu iam anima cum Maria montana ascendere incipit: post talem conceptum fastidiunt terrena, desiderantur coelestia, et aeterna: iam fugere incipit societatem illorum, qui terrena sapiunt, et appetit familiaritatem eorum, qui coelestia concupiscunt: iam incipit anima cum Maria ministrare Elisabeth, hoc est, illis quos divina gratia amplius per dilectionem inflammat ».

463. B. ergo Ioseph cum ab utero matris suae sanctificatus, Filium Dei conciperet in mente, et eundem deinceps semper spiritualiter in corde fovit; manifestum est non solum patrem Christi legalem, sed eiusdem patrem spiritualem extitisse, ipso Christo Domino dicente: qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, et mater est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

464. Hymnus XXI.

Iosephi virtus et magnus honor.

Epigrammata.

I.

Cui bene Iosephi nota est, laudataque virtus
Summa? *Seni,* o probitas! *huic Deus ipse datus.*

II.

O vere augmentum, Ioseph: quantumque decebat
Te plane tanti nominis altus honor;
Crescere non poteras maior; tibi Sponsa, tonantis
Mater; eratque tibi subditus ipse Deus.

(Carolus Mazzei, Sch. Piar. 1674).

465. **Memento.** — Luc., cap. 2, de Iesu inquit: " Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph ". Et Patribus semper fecit quaestionem, quod Filius Dei voluisset nasci de coniugata, quando nascebatur de Virgine, si virgineus partus astruendus erat, et publicandus, cur requiritur maritus? Voluit equidem Deus Matri Virgini esse maritum, ut adoptionem filii a matris viro quaereret, qui filiorum Dei adoptionem praestabat hominibus. Div. Anselm. in praesenti dicit: " Ut putabatur filius Ioseph. Merito et adoptionis originem ipse accepit, quia per adoptionem efficimur filii Dei ". Sic vult recipere, quod largitur; sic a nobis petit, quae ipse tractat munera effundere. Minus dixi, a nobis enim parva petit, ut praestantissimae suae charitatis dona nobis effundat. Petit aquam putealem, daturus aquam vivam salientem, imo salire facientem in aeternam vitam; petit adoptionem filii hominis, pro filiorum Dei adoptione, quam nobis communicat, ut Div. August. fatur, serm. 64 de verbis Domini: " De suo filius Dei; de nostro filius hominis. Quod minus est, a nobis suscepit, quod plus est, nobis dedit ". Quam longissime superantur humana obsequia muneribus divinis! (Baeza, Comment. moral. in evangel. hist., tom. II, 79).

XXII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE FELICISSIMA S. IOSEPHI MORTE.

Lib. XVIII. De cultu et devot. erga B. V. et S. Ioseph, homilia magna et ultima.

Cum de Divi Iosephi morte nihil ex sacris eloquiis, conciliis, traditionibus, aut antiquorum Patrum concordi doctrina certum habeamus, praeterquam quod fuerit pretiosa in conspectu Domini, et aliunde erubescamus, cum sine lege loquimur, (ut habetur in Authen. de triente, et semisse. §. consideremus, tunc recurrendum est ad Doctorum auctoritatem, ut dixit Gloss. in l. mulier bona, in princip. ff. de iur. dot. et Ang. in l. si idem, in princ. ff. de iurisd. omn. iud.). His autem deficientibus confugiendum est ad prudentes coniecturas, praesumptiones, et indicia, ut docet Alc. (in tr. de praesumpt., reg. 2, praesum. 14); vel, quod idem est, ratio naturalis consulenda est: quia omne quod in

Digitized by Google

ratione consistit, lex merito reputatur, ut tradit Glos. in c. ex eo verbo qua ratione de elect. in 6), unde Iurisconsultus (in l. 16 ff. de legibus iure optimo dixit: « Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem ».

467. Quibus consonat D. Hier. sup. c. 1. ad Gal., ubi de divina agens Scriptura, inquit: » Marcion, et Basilides, et ceterae hereticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum Sanctum sine quo humanum fit Evangelium quod docetur: nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla. non in sermonum foliis, sed in radice rationis »: quod et legimus in c. Marcion. 1, quaest. 1). Ergo quamdiu B. Ioseph apud nos vixerit, et quo tempore e vita discesserit, neque ex Evangelio, aut Concilio, neque ex Ecclesiae decreto, aut ex eiusdem traditione, neque ex sanctorum Patrum unanimi consensu quidquam nobis constet, diversas, in quas Doctores abierunt, sententias referemus, et quam Evangelio, rationi, et prudenti coniecturae conformiorem censuerimus, eligemus.

468. Primo ergo D. Epiphanius putat B. Iosephum paulo post duodecimum aetatis Christi annum e vita migrasse: sic enim docet (haeres. 78, hac ratione motus, quia ab eo tempore, quo Christum 12 annum agentem in templo cum B. Virgine refertur, nulla deinceps mentio fit ipsius, quamvis interdum et discipulorum, et fratrum, et B. Virginis tractetur historia: quod non alia ratione factum iudicat, nisi quia obierat paulo post 12 aetatis Christi annum: cui sententiae adaerere videtur Baronius in vita August.).

469. Alii secundo asserunt, B. Iosephum obiisse tempore praedicationis Salvatoris Christumque Dominum cum discipulorum turba adfuisse, cum D. Ioseph ultimum tradidit spiritum, ut refert Isolanus (4 par., cap. 1, in princ., §. alii).

470. Alii tertio opinantur, B. Iosephum tempore passionis Christi superstitem fuisse, aequanimiterque passum fuisse Ioannem sibi proponi, quando illi Christus in cruce Virginem commendavit, ita docuit Sanctus Cyprianus serm. de pass. Domin.) in his verbis: « Habebat Ioseph in hac Christi dispositione mirabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum, sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph aequanimiter sibi eum in hoc servitio praeponi, quem digniorem se iudicabat: et ideo maxime, quia Magistri electio sic negotium ordinabat ». Idem tenet D. Chrysost. homil. 5, sup. c 1 Matth. dum ait: « Si enim cognovisset eam, et loco habuisset uxoris, quomodo illam Dominus, quasi absque solatio, et nihil penitus habentem discipulo commendasset, iubens illi, ut illam acciperet in suam? » Ubi Glossa sic interpretatur: Argumentum est, quod vivente Ioseph, separata est Virgo ab eo: hic enim exprimitur causa quare Dominus separaverit eam a Iosepho ».

471. Et Divus Ambrosius in tract. de institut. Virginis sup. cap. 23. Lucae) affirmat, fuisse etiam Resurrectionis tempore inter vivos Iosephum, Christumque adorasse, solem, et lunam, et undecim stellas, quando post Resurrectionem Sancta Maria quasi luna, et B. Ioseph quasi sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis prostrati sunt ante eum, ut et ex Divo Augustino supra retulimus, et eiusdem nonnullos reperio recentiores id probantes: tum quia, licet B. Ioseph per verum, et essentiale matrimonium ratum fuerit Virgini datus in adiutorium et solatium, et ut abditissimum Incarnationis mysterium sub illius sanctissimi matrimonii umbra celaretur, passionis tamen Dominicae tempus ita erat Ioseph senio confectus, ut iuvamine alieno potius ipse indigeret, quam ut Virginem adiuvare posset: tum quia eo tempore veritatem Incarnationis mysterii, quod scilicet Christus Dominus, non filius Ioseph, ut putabatur, sed Filius Dei et filius Virginis, ope Spiritus Sancti conceptus fuisset, oportebat declarari, Iosepho manente Virginis Sponso et matrimonii vinculo cum ea coniuncto: tum quia Matth. cap. III satis id indicatur in illis verbis: « Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius, Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? » Quae non obscure insinuant, beatum Iosephum adhuc superstitem esse.

472. Alii gravissimi Doctores, quorum sententiae subscribo, e contra docent B. Iosephum ante passionem Dominicam paulo ante, vel post baptismum et ante nuptias Canae Galileae feliciter in Domino obdormisse: ita tradunt Divus Hieronymus libr. contra Elvid., D. Bern. Senen. tom. 3, serm. de Iosepho, cap. 3, S. Bonaventura de vita Christi, cap. 17, S. Vincentius serm. de S. Ioseph, Gregorius Cedrenus in compend. historiarum, Petrus Nannius in scholiis ad epist. 79, S. Ambrosius, et Gerson de S. Ioseph, Ubertinus lib. de arbore vitae, Petrus Comestor in sua histor, cap. 86, et latissime Isolanus 4 par., cap. 1, Paludanus in 4, dist. 30, qu. 2, nu. 16, concl. 4, Viguerius de mysterio Incarnationis Filii Dei, cap. de Ann. Dominica, §. 9., Canisius lib. 2, de Virgine, cap. 13, paulo post princ., Salmeron tom 10, tr. 41, §. dicit Matri suae, Card. Toletus super cap. 2 Ioannis, annot. 2, et

Digitized by Google

postea super cap. 19, in illa verba: deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua', Franciscus Suarez (tom. 2, in 3 par., q. 29, art. 1 et 2. disput. 7, sect. 1, §. ad primam confirmationem, et sect. 3 in fine', Barradius (tom. 2. lib. 3. super illa verba Ioannis: et erat Mater Iesu ibi', Castro (de hist. Deiparae, cap. 13', et plures alii Neoterici, non contemnendae auctoritatis.

473. Probarique potest optimis coniecturis. Prima, quia cum ex una parte matrimonium inter Virginem, et Iosephum fuerit a Deo principaliter ordinatum propter Christum Dominum, tum ut legitimus putaretur, tum etiam ut erga illum se exhiberet tutorem, nutritium et adiutorem fidelissimum. Ex alia autem parte Christus Dominus trigesimum ingrediens annum a baptismi, et praedicationis tempore, aliam vitae rationem institueret, publice inter peccatores degens, et ex eleemosynis piorum victum quotidianum acciperet, seque ipsum manifestans non esse filium Iosephi, sed Mariae tantum, Spiritus Sancto cum ea cooperante; prudenter satis colligimus, in re dubia, cessante fine ministeriorum Iosephi, et contracti matrimonii, ante nuptias Canae Galileae hac vita functum fuisse.

474. Secunda coniectura, quia in nuptiis Canae Galileae Mater Iesu, et similiter Iesus, et discipuli eius vocati sunt, nulla Iosephi facta mentione'; quod sane factum non fuisset, nisi iam ipse e vita discessisset, quando etiam Christo praedicanti nunciatum fuit Matth. XII': « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te ». Certe cum nulla etiam tunc Iosephi facta fuerit mentio nullam aliam eius rationem crediderim, nisi quia iam obierat, et Virgo in custodiam Filii transierat.

475. Atque ex his plane efficitur, quod cum Christus Dominus usque ad tempus praedicationis eguisset ministerio, et labore Iosephi, ut ei vitae necessaria suppeditaret, falsam esse eorum opinionem, qui anno aetatis Christi 12 putarunt illum obiise. Efficitur etiam, nullam praeseferre veritatem aliorum sententiam opinantium illum mortuum fuisse tempore predicationis Christi, et Apostolos eius interfuisse morti: hoc enim, licet possibile fuerit, nulla tamen apparenti congruentia probant, id ita contigisse; ac tandem quae alii proferunt, opinantes, Iosephum vixisse tempore mortis Christi, mihi plane videntur a ratione aliena; et quidem, quod Glossa illa dixit a nobis supra citata, nimirum Iosephum, cum passionis tempore viveret, divortio separatum a Virgine, mihi omnino execrabile videtur propter egregias rationes, quas Isolanus his verbis congessit 4. par., c. 1:

476. « Non enim rationabile est, imo impium videtur dicere, quod Ioseph libellum repudii dederit B. Virgini, ut lex Moysi iubebat, cum nulla subesset causa, nisi Ioseph mentiri voluisset, quod non facit iustus: praesertim quod coniugium illud omni claruit perfectione, ut supra probatum fuit, sed ad perpetuum spectat matrimonium perpetua cohabitatio, diuturnamque separationem non fert. Consonat ergo rationi mirum in modum, Iosephum viventem a B. Virgine numquam fuisse separatum: charitas etenim numquam excidit, ac eius nexus: at inter Beatam Virginem, et S. Iosephum fuit amor secundum perfectam charitatem: ergo amor ille numquam fuit dissolutus, et per consequens nec coniugium, praesertim nulla auctoritate, nullave necessitate intervenientibus, et adhuc, quia exercitium operum divinae pietatis est conforme legi communi, dirigenti illa opera: sed haec est lex prima matrimonii a divina pietate instituta, inseparabilitas, in vita utriusque coniugis, (Genes. II): Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. Hoc igitur matrimonium numquam fuit separatum. Hinc ait Petrus Palud. (in 4, dist. 30, qu. 2, art. 2): Bonum sacramenti est inseparabilitas: ipsi autem non fuerunt separati usque ad mortem: convincitur ergo Ioseph mortuus quando fuit alteri commendata ». Hactenus ille.

477. Et quidem si B. Ioseph tempore Dominicae passionis adhuc viveret, nec esset absens a Dominica cruce, neque oportuisset Sacram Virginem commendari alieno custodi, praetermisso legitimo marito, neque erat cur eo honore, ac dignitate tam acceptus Deo patriarcha privaretur, et in alium transferretur, nisi gratis fingamus illum seniculum, ac decrepitum nullique ministerio, atque custodiae amplius aptum, sed potius ipsum ulterius custodia, opeque indigere: quod nulla apparenti ratione umquam probare poterunt.

478. Ex eadem quoque radice non caret maxima difficultate, quod Gratianus supra relatus (in d., cap. si enim, 27, q. 2' retulit ex D. Chrysostomo (hom. 5, sup. cap. 1, Matt.', cui respondet Isolanus (loco citato' in haec verba: « Dicitur primo, quod ille textus ubicumque sit, est intelligendus de separatione quantum ad mortem: dico secundo me diligenter quaesisse textum adductum in hom. S. Chrysostomi, et nihil, nec quidem simile comperisse, immo potius adversa et contraria: sic enim habetur in hom. de S. Iosepho: Ille siquidem tam modestus erat, et honestus, tamquam a vitiosa passione liber, ut neque suspicione cogente, vellet in Virginis ire supplicium: ille enim supra legem philosophatur: dimittere enim et oc-

Digitized by Google

culte dimittere, sine dubio erat philosophantis supra legem: quomodo contra legem aliquid admitteret? » Haec ille.

479. Neque aliquid probat locus ille Matth. c. 13: « Nonne omnes apud nos sunt? » quia, ut Christus Dominus tunc diceretur fabri filius, necesse non erat Iosephum tunc temporis fuisse superstitem, cum in communi usu loquendi filius fabri dicatur, cuius pater iamdiu vita functus, fabri munus exercebat: sic ergo contigit Christo Domino; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

480. **Hymnus XXII.**

Ioseph coelestis baiulus.

Epigramma.

O accepte Deo, meritis, sanctissime Ioseph,
Aeterni custos Pignoris unus eras.
Et cum coelestem gereres ad pectora Regem,
Et regeres inter brachia saepe tua.
Coelum non humeris Atlas ita sustulit: in te
Fabula quae fuerat, vera fit Historia.

(P. Camillus Scassellati, Sch. Piar., 1672).

481. **Memento.** — Sapientia 12, aiebat ad Deum: " Et cum magna reverentia disponis nos „. Reverentia non habetur nisi superiori, Deus autem cum natura sit omnium Dominus, non potest creaturae reverentiam habere, tamen in exterioribus effectibus sic se gerit, cum causas hominum disponit, ac moderatur, quasi illos ut superiores revereretur, et metueret illos offendere. Cur hoc nisi ut mundialibus principibus et praelatis imperandi praebeat praeclarum exemplum? Quod enim respectu Dei fieri nequit, id respectu mundialium praefectorum passim accidit, quod nimirum habent subditos sibi longe praestantiores et superiores omni sapientia, omni fortitudine, omni rerum agendarum dexteritate; hos norint duces, et praelati, et illos magna cum reverentia disponant. Ecce vobis Maria et Ioseph accipiunt imperium in Iesum; ait enim Luc. cap. 2. " Et erat subditus illis „. Imperabat quidem Ioseph Iesu, homo Deo, vas figulo, sanctus vir longe sanctiori et sapientiori; conveniant huc universi praelati, et discant a Ioseph ingenuis et praestantioribus subditis imperare. De quo Orig. homil. 10 in Luc. ait: " Puto quod intelligebat Ioseph, quod maior se erat Iesus, qui subiiciebatur sibi, et sciens maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo unusquisque quod saepe melioribus praepositus sit inferior, etc. „. Oculatissimi sint mundiales principes et praelati, videantque quos superiores et praestantiores sibi habeant subiectos, imo pro modestia christiana, quasi sibi superiores reputent universos, quos trepidi moderentur magna cum reverentia. Nec quod necessum sit punire et castigare subditorum errores, ideo obliviscantur praelati reverentiae subditis debitae, sed si puniant, sic castigent peccata, ut immediate post punitionem, quasi sanctissimis exhibeant honorem. (Baeza, Comment. moral. in evangel. hist., tom. II, 511).

XXIII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE RESURRECTIONE S. IOSEPH AD VITAM IMMORTALEM ET GLORIOSAM SECUNDUM ANIMAM ET CORPUS.

Lib. XVIII. De cultu et venerat. erga B. V. ac D. Ioseph, homilia magna et ultima.

SICUT semper eorum execratus sum opinionem, qui putarunt eos, qui cum Christo Domino resurrexerunt, quorum meminit D. Matthaeus (cap. XXVII dicens: « Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt », iterum in mortis fauces incidisse; ita semper illorum libenter amplexatus sum sententiam qui ad vitam immortalem eos resurrexisse constanter affirmant. Hi sunt angelicus doctor S. Thomas sup. cap. 27, Matth., et in 4, dist. 43, q. 1, art. 3, Origenes sup. epist. ad. Rom., cap. 1, Remigius (in cap. 27 Matth., Cardinalis Caietanus in 3, q. 53, art. 3, Iansenius (cap. 143, suae concord. ac multi theologi in 4, dist. 43, q. 1, art. 3, et in 3, dist. 22, ac tandem communiter recentiores: quorum omnium Doctorum assertum multifariam fulcire possumus.

483. Primo, quia qui cum Christo resurrexerunt, suscitati sunt a Deo ad manifestationem, et comprobationem resurrectionis Christi Domini. Igitur cum Christi resurrectio fuerit ad immortalem vitam, iuxta illud Pauli, ad Rom. VI: « Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ultra illi non dominabitur »; consequens est, illos resurrexisse, iterum non morituros: nam si iterum morerentur, similem iudicium omnes de Christo ferrent, iudicantes iterum illum moriturum, sicut et illi, qui cum illo resurrexerunt. Unde egregie D. Thomas in 4, dist. 43, q. 1, art. 3, qu. 1, ad 3, dixit: « Quia ad hoc, ut verum testimonium de vera resurrectione Christi proferent, congruum fuit, quod vere resurgerent, semper in corpore victuri, in coelo cum Christo ascendentes corporaliter. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionem Christi testificandam, quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem novi Testamenti: unde decentius factum est per Patres veteris Testamenti, quam per eos qui iam novo Testamento fundato, decesserunt ».

484. Secundo, quia anima gloriosa secundum legem ordinariam non unitur nisi corpori immortali, ac glorioso; unde quod anima Christi Domini, cum esset beata, uniretur corpori mortali, fuit singulare miraculum; igitur cum animae illorum sanctorum, qui cum Christo resurrexerunt essent iam beatae, prudenter censentur non unitae, nisi corporibus immortalibus; etenim si necesse

Digitized by Google

est concedere speciale miraculum, et exceptionem ab aliqua generali regula, rationabilius est credere, factam tribuendo gloriam illis corporibus ante resurrectionem generalem, quam uniendo animabus beatis corpora corruptibilia et mortalia, statui beatorum minime consentanea, imo violenta.

485. Tertio, quia si illi, qui cum Christo resurrexerunt iterum mortem subierunt, peioris profecto conditionis extitissent, quam si numquam fuissent exsuscitati, cum a sinu Abrahae, ubi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam revocarentur, ut in ea humanis miseriis obnoxii, iterum morituri manerent.

486. Ac tandem, quia, ut adnotavit Iabolenus Iurisconsultus de Principum beneficiis agens (in l. 3, ff. de const. Princ.) : « Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus »; igitur cum beneficium illius resurrectionis fuerit collatum illis a Christo Rege regum, et Domino dominantium, interpretandum est perpetuum fuisse, ac permanens. Inter hos igitur qui cum Christo Domino resurrexerunt ad immortalem vitam, arbitramur cum gravissimis doctoribus fuisse sanctissimum Iosephum.

487. Hi sunt Viguerius Granatensis (de myster. Incarn. fil. Dei, § de annunc. Dom. cap. 20), Fonseca (in vita Christ., cap. 9), Suarez (tom. 2, in 3 p., q. 29, art. 2, disp. 8, sect. 2), Bernardinus Bustensis (in Mar., 4 p., serm. 12), Gratianus (lib. de S. Ios., tit 5), Andreas de Soto (lib. 3, S. Ios. c. 33), ubi refert id praedicasse Paduae S. Bernardinum, atque id eo praedicante, super illum apparuisse fulgentissimam auream crucem. Equidem quod id praedicaverit, minime ambigo, cum ipse (tom. 3, de S. Ios., art. 3, c. 2) haec verba habeat : « Pie quidem credendum est, quod piissimus Filius Iesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem sicut sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die resurrectionis suae, sanctissimum Iosephum suscitaverit; scriptum est enim (Matth. xxvii) : « Multa corpora sanctorum resurrexerunt, » etc. inter quos suscitatos pie credendum est, quod fuerit sanctisssimus iste vir Ioseph ».

488. Quam autem insigni gloria D. Ioseph, in coelesti patria perfruatur, non solum meam sed gravissimorum Doctorum sententiam proferam, qui affirmare audent, in coelesti aula prope Christum Dominum, post Virginem Deiparam, in sublimi gloriae throno collocatum esse, et reliquos omnes essentiali beatitudine antecellere; etenim doctissimus Gerson (serm. de Nativ. Mar., consid. 4, ant. med.) in hunc modum loquitur: « Cuperem mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum, et absconditum a saeculis mysterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem Iesu, Iosephi et Mariae; velle mihi quidem adiacet, sed posse non invenio ac in ipso conatu deficio; unde cum gratia similiter, et gloria naturam non tollat, sed extollat et perficiat, recogitemus pia devotione quod si vinculo quodam naturali obligatio consurgit filii ad patrem, et matris ad sponsum suum, et utriusque, scilicet filii et matris ad fidelissimum, vigilantissimum et sedulum custodem et nutritium Ioseph, qui fuit caput Mariae, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Maria; sicut et Maria suo modo in Filium suum Iesum, iure naturalis maternitatis; quantus destinandus est iustus ipse Ioseph, nunc in gloria et in coelis, qui talis et tantus inventus est hic in miseria, et hic in terris? Profecto si non mentiebatur Iesus, qui ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris ». Haec ille.

489. Deinde Isidorus Isolanus (4 p., c. 2) haec in idem argumentum scripsit : « Ioseph Virginis Sponsus, velut alter Ioseph, gemina donatus stola, scilicet beatitudine animae et corporis, Christum Regem regum ad coelos ascendentem associavit, et primus post Christum Regem regum sedit. Considera, obsecro, dignum veneratione parentem, quantis honoribus ac beneficiis inclytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus praedicantibus, quid ergo de Christo, Deo vero, ex quo omnis bonitas in coelo et in terra nominatur, dicendum erit? »

490. Accedit Bernardinus Bustensis (4 p. sui Mar., serm. 12) dum ait: « Ex quibus patet, quod nullus sanctus in coelo est maior S. Iosepho post Beatam Virginem benedictam » Ac tandem Suarez (3 p., q. 29, a. 1 et 2, disp. 8, sect. 2) ait: « Non existimo esse temerarium, neque improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio »: Haec ille. Quae omnia ea ratione sufficienter stabiliri arbitror quod sicut humanitas Christi Domini eo abundantiorem gratiam et gloriam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo divino, et deinde Beata Virgo, quae proxima fuit Filio; ita prudenter et pie existimamus Sanctum Iosephum, quasi tertio loco in abundantia gratiae et gloriae obtinuisse, quia post Virginem propinquissime attigit Christum, fami-

Digitized by Google

liariusque tractavit, atque singularissimam coniunctionem cum ipso per multos annos habuit.

491. His omnibus addit Isidorus Isolanus 4 p. c. 4 D. Iosephum triplicem aureolam obtinuisse ad similitudinem suae Sponsae; verba eius, licet non pauca, hic apponam: « De aureola virginitatis Ioseph catholici doctores minime nunc haesitant, tunc quia virginem mente, corpore, voto et statu mortuum Ioseph credunt, tum quia primus sequutus est Virginem reginam; tum quia sponsus et sponsa communibus ornatibus circumdari consueverunt. De aureola autem praedicatorum sic argumentamur. Plus est Christum praedicare facto quam verbo; sed Ioseph Christum factis summopere praedicavit, quibus quidem occasionem universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum Deum, verum hominem factum; itidem veri praedicatores desursum illuminantur, suo tempore loquuntur, et ad Deum verum agnoscendum quosque convertere conantur; sed Ioseph ab angelis fuit illuminatus, quibuscum conversabatur, suo tempore de Deo est alloquutus, verba nempe praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere satagentis. Subsistamus hic parumper, et Ioseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur; an non credimus Ioseph innumeris vicibus fuisse exhortatum eos, cum quibus conversabatur, Ægyptios, ut Deum verum colerent? si quando contingeret eos audire, Messiam promissum in lege Iudaeorum advenisse, ut crederent persuasisse? aiebat vero: Deus erit verus et verus homo, et ipse renovatus est mundum, vestra destruet idola, innovabit sacrificia, renovabit leges, mores, vitam, regna et imperium hac tempestate: qui sanctae legis profundiora vero intellectu cognoscunt, Messiae asseverant tempora adesse: quod profecto apud me dubium non est. Vos hortor, o fratres Ægyptii, laetamini, quia pariter vos redimet a potestate tenebrarum: vos quidem ex hominibus illis credentes gratis similes angelis, immo homines in se credentes, Messias tandem donabit aeterna regna coelorum. Verum cum Nazareth Galilaeae habitaret civis et cognitus, ampliora quotidie praedicabat. O quoties benevolos et vere amicos hortabatur, ut quam attentissime faciem, verba, mores Iesu filii sui animadverterent? arbitrabatur enim quod caro illa divinitatis odorem ceteris emitteret sicut sibi. Persuadeo demum mihi ipsi, sicut presentia corporis Christi in Ecclesia, ac Sacramentorum virtute plurimi salvi fiunt, sic et in Nazareth civitate: illis temporibus multi sunt ad fidem conversi conversatione Christi, beatissimae Virginis moribus, meritis quoque ac verbis Ioseph ». Hactenus Isidorus.

492. « De martyrii autem aureola haec pie ut assolet, idem Isidorus Isolanus scripsit: « Ioseph excellens victoria fuit tyrannorum persequentium Christo, ac gladio materiali satagentium illum occidere: qua victoria expresse liquet pro Deo voluntariam mortem non expavisse, propterea de palma martyrii bene meritus dici potest. Adhuc ratione animae, actu convenit palma martyrii, sed Ioseph actu offerens eam, dedit pro Deo quamquam non potuerit tyrannus eam eripere: Ioseph igitur palma martyrii bene meritus ».

493. Quibus omnibus addo quod sicut D. Hieronymus serm. de Assumpt. Deipar. dixit: « Beata Dei Genitrix, et martyr et virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit »: cuius non aliam rationem reddit, nisi quia Simeon prophetice ad eam dixit: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius; » ita similiter cum post Beatam Virginem fuerit amor Iosephi erga Christum ardentissimus, non potuerunt illa verba non acerrime transverberare cor D. Iosephi.

494. Unde quod de antiquiori Iosepho patriarcha, regius Vates cecinit (Psal. CIV: « Ferrum pertransivit animam eius »: ubi Glossa Interlinearis et Lyranus id explicantes, aiunt: « Ferrum, id est, tribulatio durae necessitatis, animam eius pertransiit, ut de Maria dicitur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius »: praestantius id in nostrum Iosephum convenit, cuius penetralia cordis, Simeonis audito vaticinio, doloris anceps gladius confodit. Sicut ergo ob illam rationem beata Virgo martyr vocitatur, propter eamdem, certe proportionaliter, sanctissimus Ioseph Christi martyr merito censeri debet: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

495. **Hymnus XXIII.**

Ioseph ulnis Deum gerit.

Epigramma.

I.

IMMENSAM digitis molem qui sustinet orbis,
Hunc ulnis Puerum tu geris, alme Senex.
O felix pondus, quo confirmata senectus
Robur habet, senii nec grave sentit onus!

II.

Astriferum valido qui tergore sustinet orbem,
Athlantem mendax fabula prisca sile.
Ecce Athlanteo senior qui robore praestat;
Hic ulnis Dominum, qui regit astra, gerit.

(Camillus Scassellati, Sch. Piar., 1672).

496. **Memento.** — Quia Deus Iosepho non revelaverat mysterium Incarnationis, hinc videns Sponsam suam ab obsequiis Elisabethae gravidam

Digitized by Google

redire, coepit angi; et cum esset iustus, *noluit illam* publice *traducere*, sed *dimittere occulte*, ut sic innocentiae suae et famae Virginis consuleret. In quo apparet: 1°. Eius patientia, quod coram Sponsa dissimularet, non exprobraret, non deferret. 2°. Prudentia, dum non temere neque praecipitanter procedit, sed cogitat et deliberat dimittere. 3°. Charitas, dum id facere vult occulte.

Considera: 1°. Interim humilitatem Virginis, quae mysterium adhuc reticet, nec ullam apud Sponsum sui defensionem affert, ut facere tu sine modo et ratione soles. 2°. Confidentiam illius in Deum, a quo sciebat nec se nec Sponsum suum deserendos, et cui per orationem omnia committebat. 3°. Compatiebatur Sponso suo, ob eius sollicitudinem et anxietatem.

Tandem, deficientibus mediis humanis, adsunt divina; adest Angelus qui S. Iosepho[1] scrupulum omnem adimit: *Ne timeas*, docetque mysterium: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est;* denique illum nutritium, et quasi patrem Christi constituit: *Vocabis nomen eius Iesum:* quantum hinc solatium! quanta in Virginem reverentia! etc. (Cuvelhier, Medit. breviss. De Sollicit. S. Ioseph).

XXIV. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE PATRIA, PARENTIBUS, GENERE, NOMINE, STATU ET MORIBUS S. IOSEPH.

Lib. IV. De despons. B. V. ac excell. Spons. eius S. Ioseph, hom. 3.

CONSUEVERUNT non semel divina eloquia vitam, et mores alicuius viri de Scriptura, ab eius patria tractationem exordiri; unde de Tobia aiunt, fuisse ex civitae Nephthali; et de patientissimo Iob, ex terra Hus; ac simili modo de aliis innumeris. Hunc eumdem nos morem sectantes, de vita, et moribus sanctissimi Iosephi acturi, ab eius patria narrationem auspicabimur. Scio, non paucos existimasse, patriam illius fuisse Bethlehem, propter testimonium Iustini martyris, qui in eloquio cum Triphone Iudaeo de Ioseph agens, ait, illum a Nazareth, ubi domicilium habebat, ascendisse in Bethlehem veterem patriam, ut nomen profiteretur.

498. Verum hoc fundamentum futile est, quia Iustinus martyr non appellat Bethlehem antiquam Iosephi patriam quia ex ea fuisset oriundus, sed solum, quia maiores eius inde erant, quos, ibidem ait Iustinus, esse ex tribu Iuda, cuius fortis illud bethlehemiticum oppidum fuisse testatur.

499. Communem ergo Patrum sententiam amplectentes, asserimus, Iosephi patriam fuisse civitatem Nazareth in provincia Galilaeae, quae est regio terrae Palaestinorum, et clauditur ab ortu Syria, ab occasu Phoenicia a septentrione Libano monte, et Tironum finibus, et a meridie Samaria per lineam ductam a Ptolemaidis territorio in Scythopolim. Est autem regio fertilis, et intermedio monte amplissimos habet campos: unde de illa, et de gentium in ea habitantium natura, et indole dixit Ioseph (lib. 3. de bello iud.): « Sunt pugnaces ab infantia Galilaei, et omni tempore plurimi, neque aut formido umquam viros, aut penuria regiones illas occupavit, quoniam totae optimae, et fertiles sunt ».

500. Porro hanc Galilaeam multi duplicem fuisse affirmant, superiorem, et inferiorem: superior a fontibus Iordanis in Genesarethicum lacum descendit, terram Zabulon, et Nephthalim complectens, sicut Matthaeus evangelista ex prophetae Isaiae auctoritate comprobat, sic dicens (Matth IV): « Secessit » de Christo loquitur, in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon et Nephthali, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilaeae gentium ». Per hanc est via publica ab Assyriis in Tyrum ad mare mediterraneum. Cognominatur autem haec a propheta, Galilaea gentium, quia non modica eius pars donata fuit a Salomone Hyram regi Tyri.

501. Inferior reliqua Galilaea est, quae lacui, et Tyberiadi usque in regionis finem meridianum imminet, montem Carmelum complectens; et in hac est civitas Nazareth, quae fuit patria Ioseph, in qua ipse non solum natus, et nutritus fuit, sed etiam habitavit; meritoque S. Ioseph, debuit esse ex patria Nazareth, quae inter alias interpretationes, Custodia, et Separatio interpretatur; cum et Christi infantis, et Mariae virginitatis singularem custodiam habiturus esset; et a Sponsa, licet alioquin matrimonii vinculo cum ea coniunctissimus, quoad thorum tamen separatissimus futurus semper foret.

502. Haec autem civitas Nazareth despecta adeo erat, ut Nathanael, vir insignis, diceret (Ioann. I): « A Nazareth potest aliquid boni esse? » postquam tamen B. Virgo, et Ioseph in ea nati, et Filius Dei in eadem carnem assumens conceptus fuit, omnes totius orbis splendidissimas ac opulentissimas civitates longo intervallo superat.

503. Qui autem fuerunt D. Iosephi parentes, non est concors omnium sententia: nam licet S. Matthaeus disertis verbis affirmet, Ioseph filium esse Iacobi, dicens (Matth. I): « Iacob autem genuit Ioseph », cui minime refragatur Lucas, dum ait: Heli fuisse patrem Iosephi; nam ille patrem naturalem, hic legalem descripsit; quidquid singulariter senserit Ambrosius (super Lucam 3): unde ille, quia de naturali filiatione loquebatur,

Digitized by Google

gignendi verbo usus est: « Iacob autem genuit Ioseph »; Lucas vero, quia de sola legali, contentus fuit dicere; « qui fuit Heli ».

504. Nihilominus tamen, quisquam fuerit hic pater legalis, non parva dissensio reperitur apud doctores: quidam enim contendunt, illum fuisse uterinum fratrem Iacob: docuit primus hanc sententiam Africanus, theologorum non solum antiquissimus, sed etiam pariter disertissimus, in ea epistola, quam scripsit ad Aristidem, et refertur ab Eusebio Caesariensi (lib. 1. hist. cap. 9), in qua Africanus ipse sic dicit: « Uterini erant fratres Heli, et Iacob: Heli absque prole descendente, Iacob illi semen suscitavit, et genuit Ioseph, qui natura filius eius erat, lege vero Heli ». Africanum non modo sequuntur D. Hieronymus, et D. Anselmus (in 1. cap. Matthaei), Theophylactus, et D. Bonavent. (in 3. cap. Lucae), sed etiam ceteri antiquorum Patrum mira consensione illi adstipulati sunt; inter quos est Iustinus philosophus, et martyr (in respons. quaest. ad Orthod. in resp. q. 133); ubi postquam clare dixit, Ioseph duos fratres habuisse, unum videlicet secundum legem, et alterum secundum naturam, pulchre satis in hunc modum subiungit: « Efficit divina gratia, ut cum audiamus Christum filium esse Ioseph, nec tamen ex eo natum secundum naturam, non admiremur; ut enim Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinae legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli; sic visum est Deo ex uxore Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundum naturam ex ipso ». Haec Iustinus: cui sane simul cum aliis Patribus, qui hanc sententiam amplectuntur, magis tribuendum est, quam recentioribus superioris opinionis assertoribus.

505. Tamen, licet haec opinio verior, et firmior sit, aliorum etiam placitum minime despiciendum esse reor, qui putant, patrem legalem Iosephi fuisse naturalem patrem Beatissimae Virginis, qui binonimus fuit, hoc est, duplici nomine, Heli, et Ioachim appellatus. Favent huic sententiae D. August. (lib. 2. q. evang. c. 5), et Philo iudaeus qui (lib. de temp.) testatur, apud Assyrios, et Ægyptios Heli. Heliachim et Ioachim idem esse, solumque differre ut synonima.

506. Confirmat etiam eamdem opinionem, quod iuxta D. Hieronymi doctrinam contra Helvidium, consuevit sacra Scriptura eumdem virum diversis nominibus vocitare, ut socerum Moysis vocat Raguel, et Iethro; et Gedeonem appellat etiam Ierobaal; et patrem Davidis Isai, Iesse et Naas; et principem Apostolorum Petrum, Simonem et Cephas: qui ergo huic opinioni adhaerent, asserunt, quod sicut rex Ioachim, qui fuit in transmigratione Babylonis, dictus est etiam Heliachim; ita etiam pater Virginis Ioachim, alio nomine vocatus est Heliachim, et brevitatis causa Heli, qui propterea a S. Evangelista Luca pater Iosephi nuncupatur, quia socer eius erat.

507. Moris enim est in sacra Scriptura, generos filios nominare, ut aperte constat ex lib. Genesis (c. 37), ubi secundum hebraicam veritatem dicitur, quod omnes filii, et filiae Iacob surrexerunt ad consolandum eum de existimata morte filii sui Ioseph, quod neutiquam intelligi potest de filiabus Iacob naturalibus, cum solum unam haberet, nomine Dinam, sed de uxoribus filiorum suorum, quae a Scriptura filiae vocantur.

508. Porro, quod attinet ad nobilitatem, et generis splendorem nostri Iosephi, satis constat ex sacris litteris, nullum umquam illo illustriorem ex aliqua familia ortum fuisse, Angelo illum vocante (Matth. 1), filium David, et Matthaeo in eius genealogia perplures potentissimos reges commemorante, a quibus eum originem ducere testatur.

509. At licet praeclarum, et illustre sit Iosepho, quod ex Davidica prosapia omnium nobilissima descendat; illud tamen multo illustriorem, et clariorem illum reddit, quod non solum sanguinis, sed et virtutum Davidis legitimus adeo extiterit haeres, ut D. Bernardus (hom. 2 super Missus) dicere non dubitarit: « Vere de domo David, vere ex regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo David, prorsus, inquam, filius David non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: » atque hoc simul dicere voluisse Lucam Evangelistam (c. 1.), vocantem eum de domo David: his enim verbis significavit, non tantum illum esse de domo David propter generis successionem, sed principalius propter virtutum imitationem, quia tales, iuxta phrasim ipsius Davidis, dicuntur esse de una domo, ipso dicente (Psal. LXVII.): « Qui inhabitare facit unius moris, vel, unanimes in domo ».

510. Sed iam de nomine eius dicamus, quod mirum in modum congruit moribus eius: Ioseph enim, quod incrementum interpretatur, egregie concinit vitae illius integritati: quod, ut clarius, ac manifestius fiat, observare oportet ex doctrina Angelici doctoris (3. p. q. 37. art. 2.), nomina ut plurimum hominibus semper imponi, aut ab aliqua proprietate subiecti, quod nomen accipit; aut a tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorum iis, qui in eorum festis nascuntur; aut a cognatione, sicut, cum filio imponitur nomen patris aut alicuius de cognatione eius, sicut propinqui Ioannis

Digitized by Google

Baptistae volebant eum vocare nomine patris sui, Zachariam, non autem Ioannem, quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, sicut patet ex Luca; aut etiam ab eventu, sicut Ioseph vocavit primogenitum suum Manassem, dicens: « Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum »; vel ex aliqua qualitate eius, cui nomen imponitur, sicut in Genesi dicitur, quod, quia ille qui primus egressus est de utero matris, rufus erat, et totum in morem pellis hispidus, vocatum est nomen eius Esau, quod rubeum interpretatur.

511. Nomina etiam imponuntur aliquibus divinitus data: sicut in Genesi dictum est Abrahae: « Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te: » et apud Matthaeum dictum est Petro: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Ex quibus facile colligere licet, Iosephi nomen coelitus fuisse delapsum, qui futurus erat Sponsus Genitricis Dei, et pater legalis Christi: nam his adeo dignitas eius crevit, ut congrue satis ei nomen Iosephi, quod incrementum significat, donaretur.

512. Alia etiam ad idem occurrit ratio, quia, cum alii nubentes virginitate minuantur et expolientur, ipsi tamen e contra accidit: nam Mariam in uxorem accipiens, virginitatis suae augmentum suscepit, dum illam ad imitationem suae Sponsae speciali voto firmavit, et constabilivit. Qui ergo praeter communem matrimonii consuetudinem in matrimonio, quo non solum diminui, sed penitus aboleri virginitas solet, illius augmentum suscepit, merito Ioseph, idest, adauctus, vel additus appellatus est.

513. Atque hinc liceat mihi gradum facere, ut de moribus Iosephi aliquid attingam, non ex meo marte, sed ex mente insignis illius Cancellarii parisiensis, qui rem hanc altius repetens, in hunc modum loquitur (ser. de nat. Virg.): « Sicut decuit, ut Virgo summa puritate niteret, sic decuit, ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret: uterque regali progenie illustris, uterque sanctificationem in utero recipiens; cum Maria plena gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia peccatum mortale quodlibet superante ». Haec ille in concione habita in Concilio Constantiensi.

514. Huic etiam sententiae de sanctificatione in utero adstipulantur Episcopus Christopolitanus (in Cant. Virginis), et doctissimus Echius (in ser. de S. Ioseph); eaque ratio illi suffragatur, quia si Ieremias ad vaticinandum, et praedicandum de Christo, et Ioannes Baptista ad eum baptizandum, et digito commonstrandum sanctificati fuere in utero materno; non est a ratione alienum, ut qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus esset sacratissimum corpus Christi, sanctus esse inciperet ab utero matris suae

515. Nec mirandum, quod D. Iosephum Dei Genitricis Sponsum pie credamus in utero sanctificatum, cum et idem singulare privilegium de aliis permultis Sanctis a gravissimis auctoribus pie creditum fuerit: de Iacobo enim minori id existimarunt Egesippus (lib. 4. comment.), Euseb. Caesarien., Simeon Metaphrast. (in ser. huius Apostoli), et Petr. Episcopus Aquilinus in eius vita: deinde de D. Nicolao et Dominico idipsum quidam asseruerunt, ut auctor est D. Antoninus (3. p. summae, tit. 18, c. 5, §. 6) in haec verba: « Legimus Ieremiam sanctificatum: aliqui hoc etiam credunt de D. Nicolao, qui natus stetit rectus, et de B. Dominico, qui iam in cunis, egrediens lectum, iacebat in terra », immo, et D. Hieronymus sanctam Asellam affirmat in utero matris sanctificatam, id referente Card. Baronio in suo Martyrologio: ac tandem idipsum tradit de S. Georgio Episcopo Svellensi frater Dimaserpi (in apodixi sanct. S. Georgii): de D. etiam Paulo sanctificatum fuisse in utero materno, auctores id asserentes referam, ansam ad id sumentes a verbis D. Pauli Gal. 1: « Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero »; nec obstat, aiunt, quod persequutus fuerit Ecclesiam Dei, quia ipse ait ignorans feci.

516. Immo, ut idem S. Hieronymus super Galat., D. Bernardus epist. 174, Doctor Augustinus epist. 57, et Anastasius Nicaenus in qu. sac. script., tom. 6, bibli. 55, q. 59, rursus non solum in lege gratiae, sed et tempore legis naturae non scriptae, non nullos fuisse sanctificatos referunt non infimi nominis Doctores. Nam de Iacobo nobilis auctor Comestor (66 dist. in Gen.) ait: Creditur in utero santificatum fuisse Iacob, et in collisione infantium praefiguratum quod non esset consensus Christi ad Belial. Et Dionysius Carthusianus, dum verba illa cap. 28: « Ero custos tuus, quocumque perrexeris », explicat: « Magna, inquit, promissio, ex qua sequi videtur, quod Deus in omnibus praeservavit Iacob deinceps a culpa mortali, forsitan et ante, maxime cum credatur sanctificatus in utero ». Et (c. 25) Augustinum in hanc sententiam ducere contendit. In ea ferme est Ambrosius lib. 4 de fide, cap. 4: « Negent, inquit, Iacob sanctum fuisse, priusquam nasceretur, qui fratrem supplantavit in materni adhuc uteri positus arcano ».

517. Ex opinione S. Ephrem in orat. de transfig. Christi, Moyses addi potest: « Sur-

Digitized by Google

sum, inquit, discipulos ducit in montem, et ostendit eis se non esse Eliam, nec Moysem, sed Deum Eliae, et qui sanctificavit Moysem in utero matris: » Samsonem quoque adnumerandum, illa verba suadere quidam putant: « Erit Nazaraeus Dei ab infantia sua, et ex matris utero ».

518 Extat et aliud Iosephi sanctitatis testimonium apud Sanctam Birgittam (lib. 6 Revel., cap. 59), ubi Deipara Maria eidem dixit: « Ioseph nullum verbum non bonum protulit, nec otiosum, nec murmurationis: erat enim patientissimus, diligentissimus in labore, et paupertate, mansuetus iniuriantibus, obedientissimus obsequiis meis, constans contra meam virginitatem impugnatores, fidelissimus testis mirabilium Dei; mortuus carni, et mundo, nonnisi coelestia desiderabat; dicebat, si velit Deus me vivere, ut eius voluntatem videam adimpletam; raro erat in hominum congregatione; solum desiderabat Dei voluntati obedire, ideo eius gloria modo magna est ». Haec ibi.

519. Ceterum quod spectat ad statum eius, licet certa fide teneamus uxoratum fuisse, Evang. dicente (Luc. II): « Ascendit autem et Ioseph, ut profiteretur cum Maria uxore sua praegnante ». Illud tamen apud plerosque in dubium vertitur, an praeter Virginem aliam coniugem habuerit: bigamum enim fuisse, et filios ex prima uxore procreasse, constanter affirmarunt D. Epiphanius haer. 28. Gregorius Nyssenus (or. 2. de resurr.), D. Hilarius (can. 1. in Matth.), Ambrosius (epist. ad Gal. et instit. virg., c. 6), Origenes (13 cap. Matth.), Theophylactus in cap. 23 Matth.), Euthymius (in eumdem c. 20. et 27), Eusebius Caesariensis (lib. 2 hist., c. 1), et Nicephorus Calixtus (lib. etiam 1 hist., c. 3).

520. Alii vero Patres e contra candidius de nostro Iosepho iudicantes, non modo ante coniugium cum Virgine uxoratum, aut filios habuisse abnegant, sed, et integerrimum virginem fuisse, ingenue fatentur; hi sunt D. Hieronymus (lib. contr. Helvid.), D. Augustinus (de Nativ. Dom.), Theodoretus (in epist. ad Galat.), D. Anselmus (in cap. 20 Matth.), Beda (in cap. 2 Ioann.), Rupertus (in cap. 1 Matth.), Hugo Victorinus (in lib. de Mar. coniug.), Petrus Damianus (epist. 11 cap. 3), ac D. Thomas sup. prim. cap. epist. ad Galat.).

521. Atque hanc tantorum Patrum sententiam, reliquorum omnium etsi gravissimorum Doctorum opinioni, uti rationi magis consentaneam omnino praeferendam semper duxi: valde enim decebat, cum ille, qui pascitur inter lilia, frequentissime pasci deberet, et inter Mariam, et Iosephum, et ab eis paterno affectu infantile eius corpus saepissime contrectari, utrumque virginem esse, et angelicis spiritibus puriorem; decebat etiam Sanctum Iosephum maxime liberum, et expeditum esse a filiorum cura, et obligatione illis necessaria providendi, ut ministerium Matri, et Filio inserviendi susciperet, et ut ad eorum protectionem propriam patriam relinqueret, et in longinquam Ægypti plagam proficisceretur: sicut enim dixit Apostolus (I Cor. VII): « Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est »; ita similiter pater, filios habens, necesse est, ut sollicitam eorum curam gerat, et consequenter iuxta Paulinam sententiam divisus erit. Ad id ergo vitandum omnino oportebat Iosephum filiis carere.

522. Scio dicere posse protervos, Iosephum filios genuisse, sed illis iam orbatum esse, cum Beatam Virginem in coniugem accepit: verum in re incerta, et utrinque opinabili, cum pietate magis coniunctum arbitror, non solum castimoniam, sed et virginitatem intemeratae Virginis Sponso tribuere, ut nos infra late comprobabimus.

523. Hymnus XXIV.

Iosephi vita et mors a superis amanda.

QUANTUS es, o Ioseph, cui desponsata Tonantis
Tam miro assensu est filia, Sponsa, Parens!
Cui tanquam Patri paret regnator Olympi,
Nutriturque Puer sumptibus ipse tuis.
Cui comes exilio cum patria limina mutas,
Exulat ut profugus cum Genitrice Deus.
Qui vir primus habes devinctum Numen, ut astra
Fortior Alcides sustinuisse potes.
Dum moreris tandem, tibi Sol et Luna laborant.
Interitumque tuum lumina tanta beant.
Oh vitam! oh mortem! luces has inter amassent
Vivere sic superi, sic potuisse mori.

(Epigrammatum Io. Bapt. Ugolini sac., libri V, Romae, 1675, pag. 122).

524. **Memento.** — Alacriter item propagandae sunt piae Societates honori Sancti Iosephi, Beatae Virginis Sponsi, augendo; eas enim sibi gratas esse non semel declaravit Summus Pontifex Pius Nonus. (Conc. Plen. Baltim. II, ann. 1866).

Quum magna existat devotio hac in regione erga B. Ioseph qui olim in Patronum Novae Franciae electus est, Nos, Archiepiscopus et Episcopi provinciae Ecclesiasticae Quebecensis, humiliter petimus, ut Beatitudo Vestra velit concedere facultatem faciendi commemorationem huius Sancti in officiis Sponsalium Beatissimae Virginis. (Conc. Prov. Quebec. II, ann. 1854).

Digitized by Google

XXV. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE SINGULARI MARTYRII GENERE, FELICI MORTE, GLORIOSA RESURRECTIONE S. IOSEPH, NEC NON DE SOLLICITA EIUS ERGA PIOS SUOS CULTORES CURA ET PROTECTIONE.

Lib. IV. De despons. B. V. ac excell. Spons. eius S. Ioseph, hom. 3.

CETERUM, cum de singulari martyrii genere, ac felici Divi Iosephi morte aliquid dicere polliciti fuerimus, tempus est iam ad id calamum admovendi. Inter alia quidem permulta, quibus Beatissima Virgo, ac dilectissimus eis Sponsus Ioseph persimiles fuere, illud valde singulare reperior, quod uterque non solum virgo, sed et martyr extiterit, non alio carnifice illos excruciante, quam ipso Christo Domino. Mariam torsit acriter Christi passio, Iosephum torsit Christi conceptio. Mariam torsit, videre Christum in cruce pendentem, Iosephum vehementer pressit, videre illum in utero Virginis latitantem. Maria dolet, quod intueatur Christum in ligno mortuum, Ioseph contristatur, quod agnoscat illum intra Sponsae suae viscera vivum. Maria ultra quam dici potest, dolebat, dilecto Filio spoliari, Ioseph aegre ferebat, illam Filio genito gaudere.

526. Zelotypicum amorem depingebant olim antiqui in habitu cuiusdam venatoris, qui canibus circumdatus, praedam insectabatur, ut hoc symbolo significarent, cogitationes zelotypiae phraenesi laborantis, velut rapidos canes esse, qui huc, et illuc vagantes, et odoratu suo praedam, quam non vident, ingenti labore quaeritant. Bene quidem, sed certe, ac diminute veteres illi zelotypiae furorem ac impatientissimam vim descripsere; melius quidem Spiritus Sanctus inferno illam comparans, expressit: unde, cum zelotypicus amor sit, ut ait Salomon (Cant. VIII), « dura sicut infernus aemulatio », non poterat non vehementer, et absque ulla interruptione Iosephi cor transverberari, sicut et infernus summopere torquet, et nec per momentum excruciare cessat.

527. Unde Deus ipse probe agnoscens vim zelotypici doloris virum excruciantis, ad illum mitigandum, et alleviandum, singularem ac inauditam illam zelotypiae legem condidit, qua praecepit, quod si spiritus zelotypicus concitaret virum contra uxorem suam, adduceret eam in templum, ubi sacerdotes certam potionem illi propinarent, qua ebibita, si uxor adultera erat, continuo uterus eius disrumpebatur, si autem fidelis, incolumis manebat.

528. Cum ergo B. Ioseph immani zelotypiae dolore angeretur, neque levamen hoc, quod ei assumere licebat, quaeritaret, Evangelista dicente (Matth. I): « Cum esset iustus, noluit eam traducere ». Consequens est, cor eius gravissimo doloris vulnere fuisse exulceratum: unde sicut Martyres moriendo insigne suae patientiae testimonium exhibuere, ita Ioseph rarae, et eximiae suae tolerantiae, et fortitudinis specimen edidit, cum Sponsae tumentem uterum, et indubitata concepti filii indicia cerneret, nec cum uxore verbum ullum commutaret, nec apud affines quereretur, nec in ius iret, nec ad poenam repeteret coniugem, sed omnes suos aestus intra se, tamquam patientissimus vir, viriliter presserit.

529. Quoniam tamen dissensio est inter Patres, suspicatusne fuerit Ioseph adulterium de Virgine, compellor ostendere, etiamsi ab omni adulterii suspicione longe alienus fuerit, summo nihilominus dolore tunc fuisse confectum, atque adeo, cum de dimittenda Virgine cogitaret, Evangelista dicente (ibid.): « Voluit occulte dimittere eam », cogitationem hanc singulare martyrii genus illi fuisse.

530. Nam in primis, si Ioseph ab Sponsae suae consortio ob eximiam dignitatem Matris Dei se eo indignum arbitrans, sequestrare volebat; et quia fulgor divinitatis Christi in utero eius latentis foras in facie eius irradiabat, ita ut usurpare sibi posset verba illa Esdrae (IV, cap. 10) ad irradiantem vultum expavescentis: « Et factum est, cum loquebar ad eam, facies eius fulgebat subito et species, coruscus fiebat visus eius, ut essem pavens valde ad eam, et cogitarem, quid esset hoc ». Sane hoc idem non potuit non summo moerore Iosephi viscera valde torquere; nam, praeterquam amantem a dilecta sponsa divelli graviter affligere solet, certe cogitatio illa, qua se indignum putabat Sponsum esse Virginis, et eius consortio frui, confusionem quandam internam pariebat, quae velut gladius cor eius confodiebat: ut enim experiuntur viri spirituales, confusio illa, quam in Dei maiestatis praesentia se constituentes, patiuntur, ingentem dolorem eis ingerit.

531. Si autem Ioseph nec de Virgine adulterium iudicavit, neque humilitate ductus indignum se reputans Matrem Dei in Sponsam habere, eam dimittere decreverat; sed, ut alii volunt, anceps, et fluctuans, variis cogitationibus agitabatur, ita ut sensus cum ratione acriter pugnaret: nam sensus virgineum uterum intumescentem videns, adulteram iudicabat; ratio autem raram eius sanctitatem perpendens, longe eius animum ab hac suspicione avocabat; profecto huiusmodi perplexitas, et plusquam civile bellum inter sensum, et rationem non poterat non

Digitized by Google

immaniter viscera Iosephi disrumpere, et excarnificare.

532. Ob quamcumque igitur causam ex praeassignatis voluerit Ioseph uxorem suam Mariam dimittere, cogitatio illa non potuit non esse ei grave martyrii genus. Silentio praetereo ingentes labores, quibus per totum vitae curriculum a tempore desponsationis adeo excruciatus fuit, ut non immerito tota eius vita prolungatum quoddam martyrium censeri debeat.

533. Certe cum ex regia stirpe esset, pauper, ac humili fabri officio usus sit, in Bethlehem profectus infantem Iesum intuitus lacrymantem, et prae nimio frigore algentem, vili praesepio cubantem, ac aëris inclementiae ob incommoditatem loci expositum, summo dolore fuit confectus; eumdem in tenera aetate octavo die sanguinem fundentem cernens, vehementer doluit; Simeonis verba audivit ad Sponsam suam dicentis (Luc. II): « Tuam ipsius animam pertransibit gladius ». In Ægyptum fugam arripuit, ut Christum ab herodiana saevitia liberaret, ubi per septem annos, ut auctor est D. Anselmus (in Matth. cap. II), vitam pauperem inter barbaram, ignotam, et infidelem gentem exul egit.

534. Cum rediit etiam ab Ægypto, audiens filium Herodis multo illo crudeliorem regnare, maximus timor invasit eum, ne quidquam mali contra infantem ille machinaretur: ingentem deinde sustinuit dolorem, cum Iesum in itinere ad Ierusalem amisit, B. Virgine dicente: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te »; ac tandem usque ad mortem, summa egestate, sudore vultus sui, et labore manuum suarum Virginem Matrem, et Filium eius, et se aluit; quae productum quoddam martyrium fuisse nemo sane ambiget.

535 Denique, ut ad felicem Divi Iosephi mortem accedamus, tria praecipue, quae erga illam desiderari possunt nobis commemoranda sunt: primum, quo tempore obierit; secundum, cuius aetatis esset, cum e vita discessit; tertium, an Christus Dominus, et Mater eius morti eius adfuerint, et quae obsequia illi praestiterint.

536. Circa primum, licet D. Ambrosius (lib. de instit. virg. c. 6 et Lucae XXV), et Cyprianus (de pass. Domini), et Arnoldus Abbas (tract. de 7 verb. Domini circa ver. Ecce filius tuus), putaverint, Iosephum tempore mortis Christi superstitem extitisse; cui sententiae consentit D. Augustinus (serm. 81, dum ait, Iosephum Christum adorasse in sua resurrectione: verba eius haec sunt: « Sol, et luna, et undecim stellae Christum adoraverunt, quando post resurrectionem Sancta Maria quasi luna, et Beatus Ioseph velut sol cum undecim stellis, idest, beatis Apostolis, prostrati sunt ante eum ». Verum, cum aliis gravissimis Patribus arbitror D. Iosephum ante tempus mortis Christi obiisse.

537. Ita censent D. Epiphanius, qui post duodecimum Christi annum e vita illum discessisse opinatur; sic enim ait: « Post reditum ab Ægypto, Ioseph non multis annis vixit, permansit octo annis superstes, et in duodecimo anno, ascendentibus illis Hierosolymam, quaesitus est Dominus, quando non reperiebatur in itinere; post hos annos moritur Ioseph; ubi non amplius dicit Evangelista, quod venit pater ipsius, et fratres, sed ecce Mater tua, et fratres tui foris stant; et quando in cruce pendebat, si fuisset Mariae vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni? » Haec ille: cui consentiens Casalius (lib. de arbore vitae) censet, non post multos dies, post inventionem Iesus in templo cum Doctoribus disputantis, vita functum fuisse Iosephum.

538. Sanctus autem Bernardinus (serm. de S. Ioseph) probabiliter credit, illum mortuum fuisse ante Christi baptismum. Cedrinus egregius historiographus (in compend. hist.) tradit, Iosephum usque ad Christi baptismum vitam produxisse; D. autem Bonaventura (de vita Christi c. 17) usque ad finitum eius ieiunium illam protendit: Isidorus (lib. 4 de S. Ioseph) refert quorumdam opinionem existimantium, Iosephum post vocationem Apostolorum obiisse.

539. Ac tandem nobilis auctor, Comestor (c. 38), quamvis sub dubio relinquat, an superstes esset Ioseph tempore nuptiarum in Cana Galilaeae, expresse tamen ait, certum esse, quod in passione Domini mortuus erat. Id, quod apud me certissime persuadet praeiacta ratio a D. Epiphanio, quam etiam acceptant praecitati Doctores: nam si Sponsus Virginis superstes fuisset tempore mortis Christi, minime alteri, quam illi a Filio commendaretur. Fuit autem commendata Ioanni, ut in sua illam acciperet, prout ipse testatur; quis enim dicat, decuisse Matrem Domini alieno custodi magis, quam legitimo marito suo curandam deputari?

540. Accedit, quod mihi omnino incredibile sit, quod si Ioseph tempore mortis Christi viveret, cruci non adfuisset in consortio Virginis, et Ioannis: ardentissimus enim amor, quo Christum Dominum prosequebatur, minime ferret, tempore passionis illum derelinquere: nec potest sane dici adfuisse, cum eius non fiat mentio ab Evangelistis: nam certe, qui aliorum inferioris notae meminerunt, nominatim eos referentes adstitisse, minime silentio praeteriissent Sponsum Virginis, putativum Christi patrem.

Digitized by Google

541. Circa tempus autem determinatum, quo Sanctus hic Patriarcha obierit, inter varia Doctorum supra relata placita, illud mihi magis rationi consentaneum videtur, quod superstes fuerit usque ad baptismum Christi, quando primum se mundo manifestum palam fecit; quia cum Ioseph specialiter a Deo electus, ac deputatus esset ad alendum arte sua fabrili Matrem, et Filium, verosimile est, superstitem fuisse toto tempore, quo Christus Dominus in silentio a communi hominum consuetudine se abstinens vitam egit solitariam; quam tamen constat usque ad annos baptismi perdurasse.

542. Qua vero annorum aetate S Ioseph animam exhalarit, non est una omnium sententia. Nam D. Epiphanius (haer. 78) nonagenarium tradit obiisse; Cedrinus vero (in Compendio hist.), usque ad centesimum decimum annum vixisse scribit.

543. Demum, si pretiosa est mors sanctorum eius, non potuit non pretiosissima, et divinis fulgoribus clarissima esse mors nostri Iosephi, cum Christi, et Mariae veluti solis, ac lunae irradiantibus splendoribus fuerit illustrata, ut in haec carmina cecinit pietas magni illius Cancellarii parisiensis:

Venerat illa dies, quae vitam morte pararet
Perpetuam tibi, iuste Ioseph, David inclyta proles,
Christus adest cum Matre pia, quibus officiose
Servieras: vultu placido solantur euntem.
Ora licet lacrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor; etenim sat credere fas est
Quod patrem Iesu, et Sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum.

544. Quamvis autem apud Patres nihil horum reperiam, quae commemorat Gerson; lego tamen illa, et permulta alia apud Isidorum Insulanum (lib. 1 de S. Ioseph, c. 14, et refert Gratian. lib. 3 de vita S. Ioseph, c. 3); quem scripsit ad Papam Adrianum VI, qui ex historia quadam orientali fide digna refert, Christum Dominum Apostolis suis nonnulla enarrasse de transitu D. Iosephi, quorum haec, quae sequuntur, tamquam commemorabiliora hoc loco duxi recensenda.

545. Primum Ioseph praemonitus fuit ab Angelo de morte sua; deinde Archangelum Michaëlem sibi adesse postulavit, et obtinuit, necnon et angelum custodem alacri vultu eidem comparere, quod similiter impetravit. Praeterea Ioseph alloquutus et Christum Dominum, qui morti eius adfuit, dulcissimis verbis verum Deum illum confitens, et Salvatorem mundi.

546. Retulit etiam Christus, se ad caput lecti Ioseph sedisse cum Maria Matre sua, illum consolantes, et manus eius tenentes, et post mortem, oculos eius propriis manibus clausisse; ac tandem praecepit angelis, ut corpus eius veste induerent: ipse illum benedixit, benedictionem suam pollicitus daturum eis, qui in die obitus S. Iosephi sacrificium Deo in eius honorem obtulissent; addiditque vigesima die Iunii obiisse, et sepulcrum eius iuxta sepulcrum Iacobi patris sui fuisse.

547. Verumtamen est, Bedam (De Locis Sanctis, c. 6) docere, Iosephum sepultum fuisse iuxta Virginis Sponsae suae sepulcrum, quod constat fuisse in valle Iosaphat, qui medius est inter montem Sion, et montem Oliveti; quod idem colligitur expresse ex Divo Hieronymo serm. de Assumpt.

548. Sed liceat mihi, antequam ulterius progrediar, verba illa, quibus verosimile est in ultima illa hora Christum, et Iosephum dulcissime inter se colloquutos fuisse, contemplari: si enim David (Psal. XXII) dicebat: « Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es », putaverim certe, Sanctissimum Iosephum iamiam moribundum Christo Domino dixisse: Mortem non timebo, quoniam tu mecum es, praesentia divinitatis sub tegumento carnis humanae: si enim Simeoni te semel in templo vidisse, et in ulnis suis accepisse, satis fuit, ut laetus diceret, in illa verba erumpens (Luc. 1): « Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum » Mihi non sufficiet, non dicam semel, non dicam centies, non millies, sed quasi sexcenties te aspexisse, in ulnas meas accepisse, in sinu meo fovisse, brachiis meis constrinxisse, dulcia oscula exhibuisse, et usque ad hanc ultimam horam individuum comitem mecum colloquentem, et conversantem semper habuisse; merito sane id mihi sufficiet, ut libens, et alacer moriar.

549. Sed dic mihi, Sanctissime Ioseph, si alii mori volunt, ut cum Deo vivant, quomodo tu cum Deo vivens mori cupis? Paulus quidem emori desideravit, ut Christi praesentia frueretur, cum dixit (Philipp. 1.: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo »; et tu cum Christo habitans, dissolvi cupis, Christi societatem amissurus? Crediderim sane in te duplicem voluntatem inter se duello conflixisse mirando: voluntas quidem non discedendi a Christo, et voluntas divinae voluntati obtemperandi; at cum divina revelatione agnosceres praefixam a Deo tuae vitae periodum iamiam proximam esse, divino te conformans beneplacito voluntas illa prima cessit secundae; et ideo cupiebas ardentius quam Paulus anathema fieri a Christo, ut divinae voluntati perfectissime obsecundares, dicens (Luc. XXII): « Non mea, sed tua fiat voluntas ».

550. Existimaverim etiam, Iosephum tamquam vere humilem Christo dixisse verba

Digitized by Google

illa Davidis Psal. XVIII : « Delicta quis intelligit, propterea Domine, ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo ». Ne differas quaeso veniam, sed « remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam »: praesta mihi Nate Dei, ut « in pace in idipsum dormiam, et requiescam ». His, quid putas quaeso, Christum Dominum dilectissimi sui legalis patris verbis respondisse? Absque patre in hoc mundo natus sum, sed tu paterno affectu, et sollicita clientela, plusquam pater, mihi fuisti: tu Genitricis meae solatium, tu infantilis corporis mei nutritius, tu mihi in terris magni consilii adiutor fidelissimus adfuisti, tu laboriosam in Ægyptum profectionem, et inter idololatras inhabitationem, ac in Nazarethum regressum ardentissimo amore, et vigilantissima cura suscepisti. Cum ergo tot, ac tam innumera obsequia mihi exhibueris, laetus discede, quia ab omni prorsus etiam levissimi peccati macula alienus es, angelicis manibus in sinu Abrahae certo deferendus, ac postea me ab inferis resurgente mecum gloriosus resurrecturus, ut in aeternum feliciter mecum conregnes.

551. Quod si sacra Scriptura ait (Apoc. XIV): « Beati mortui, qui in Domino moriuntur »; non potest non beatissimus extitisse Iosephus, qui non solum in Domino Iesu, ad caput lecti illum consolante, ac in manus eius animam exhalans, dulcissime, ac felicissime obiit.

552. His addo id, quod ex sacra Scriptura colligo: nam sicut constat ex vidua illa Evangelii, quae filium vita functum ex civitate Naim in sepulcrum sequebatur, mos erat apud Hebraeos, parentes filios mortuos usque ad sepulcrum comitandi; verosimilius est, hoc genus obsequii, uxorem, et filios erga parentes exhibuisse: Christum ergo, et Deiparam Mariam Iosephi feretrum comitatos fuisse crediderim, prout prudenter adnotavit Baradius, eaque, quae noster Bernardinus de Busto (t. 1 evang. hist., lib. 6, c. 8) contemplatur, quia rationi consentaneum est ita reipsa contigisse, hoc loco referre non dedignabor. Sic enim ait (lib. 20 de despons. Mariae): « Pie credo, quod dulcis Iesus, et piissima Virgo infirmo Iosepho sollicite inserviebant, et ei fercula propinabant, atque propriis manibus, quando opus erat, eum portabant, et circa lectum stantes ipsum confortabant, dicebatque Ioseph domino Iesu: Nunc laetus moriar, sperans, quod cito venies liberare nos; in transitu autem eius dixit Iesus: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miseriarum valle; et porta hoc bonum novum Sanctis Patribus, quod infra parvum tempus veniam ad vos, et ad coelestia regna perducam. Praecepit autem angelis ipse Dominus: Subvenite Sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam eius. Ad ipsum vero Ioseph de hac vita migrantem ait: Chorus angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere habeas requiem. Anima igitur ipsius cum magno honore in sinu Abrahae ab angelis delata fuit ».

553. O terque, quaterque felix Iosephus, qui certus ac persuasus erat, fore ut brevi ex illo obscuro educeretur carcere, et assumptus in coelum, ibi sempiterno aevo cum beatis omnibus immortali gloria perfrueretur. Etenim spem hanc firmam, et constantem conceperat de dulci alumno suo, quem amantissime nutrierat, et quibuscumque rebus poterat, illi praesto fuerat.

554. Nec sua illum haec fefellit spes. Nam, ut tradunt D. Bernardinus (in serm. de S. Ios. tom. 3) et Gerson (in sua Iosephina), sanctus Ioseph resurrexit gloriosus ad vitam immortalem inter eos, qui cum Christo resurrexerunt. Potuisset Christus Dominus, sicut olim Lazarum, multo ante ad vitam illum revocasse; sed consulto opinor, Iosephi resurrectionem usque ad propriam suam distulisse, ut, qui pariter mortales vixerant, pariter gloriosi et immortales resurgerent.

555. Unde Cancellarius parisiensis (ser. de nativ. Mariae) egregie dixit: « Legimus multa corpora Sanctorum resurrexisse, et venisse in sanctam civitatem, et apparuisse multis; recogitet, oro, pius animus, si iustus Ioseph unus ex illis putandus est, qui apparuerit carissimae Sponsae, qui eam consolatus sit? »

556 Et clarius adhuc Sanctus noster Bernardinus, (id referente illo alio Bernardino, concionem habens Paduae, affirmans, clamabat ad populum: « In anima et corpore Sanctus Ioseph in coelis gloriosus est ». In cuius veritatis testimonium, ut idem auctor scribit, continuo visa fuit crux quasi aurea super caput eius. Et quidem, cum Salomon dixerit (Prov. ult.): « Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus »; merito putaverim, cum Maria solum et Ioseph fuerint domestici Christi, dum vitam mortalem agebant, duplicibus eos fuisse vestitos, veste scilicet gloriosa animae, altera splendida corporis.

557. Quam autem Sanctus noster Patriarcha Ioseph in coelis praepotens sit ad impetrandum quae a nobis enixe postulantur, duo potissimum mihi suadent: alterum, quod si David loquens de Deo ait (Ps. CXLIV): « Voluntatem timentium se faciet ». Multo magis voluntatem amantium illum; unde cum amor Iosephi erga Christum tenerrimus pariter, ac intensissimus fuerit, facile a dilecto suo Iesu quaecumque volet obtinebit.

558. Alterum est, quod reliqui Sancti, etiam Angeli, et Seraphini, deprecatorie postulant a Christo Domino, tamquam servi; Ioseph

Digitized by Google

autem auctoritative quodammodo, tamquam pater illius; cui sane sicut Christus ipse in terris tamquam patri ad nutum obsecundavit, ita in coelis acceptae ab eo beneficientiae non immemor, ad nutum eidem tamquam patri affectu filiali, quem ab infantia concepit, ac perpetuo conservavit, ad nutum in coelis obedit.

559 Ut autem ad preces Divo Iosepho effundendas, ac varia obsequia ei alacriter exhibenda fidelium animi accendantur, operae pretium duxi ex probatis auctoribus nonnulla hoc loco commemorare, quae ad id deservire poterunt. Sanctus Vincentius serm. de Nativ. Dom. refert, pium quemdam mercatorem Valentiae solitum fuisse singulis annis in die natalis Domini, in reverentiam Iesus, Mariae, et Ioseph, ad prandium invitare pauperculam aliquam feminam, infantem filium in brachiis portantem, necnon etiam pauperem senem, qui matrem, et filium comitaretur; hoc sane obsequium gratum adeo fuit Deo, ut ipsi iam moribundo Christus Dominus, Maria, et Ioseph se palam facerent dicentes: Cum hucusque nos gratanter hospitio domi tuae singulis annis susceperis, nos in aeterna tabernacula cum ingenti iubilo perpetuo regnaturum te suscipimus.

560. Narrat etiam Isidorus Insulanus par. 1, cap. 10, quod, cum quidam nobilis vir Venetiis solitus esset preces fundere D. Iosepho, in genua procumbens ante imaginem eius in superficie parietis depictam, accidit, ut gravi grassante morbo, suae spiritualis salutis omnino factus sit immemor, et ad corporis medicamina totus se converteret; at D. Iosephus, paterna commiseratione motus, ei repente comparuit, et a somno spirituali, quo correptus in lecto iacebat, excitans illum, admonuit, ut integram suorum peccatorum confessionem nulla interposita mora faceret; quod continuo praestans infirmus, accepta absolutione, in manibus D. Iosephi animam exhalavit, qui eam ad aeternam haereditatem secum tulit.

561. Tandem Ianus in hist. D. Ios. refert, quod, cum duo fratres ex seraphico Ordine nostri Patris Sancti Francisci navigarent, accidit, ut gravi exhorta procella, navis submergeretur, et triginta, quos vehebat, homines perirent; illi autem tabulam quamdam arripientes, tribus integris diebus, et totidem noctibus per procellosum illud mare pererrantes, D. Iosephi auxilium religiose imploraruntur; quorum preces continuo exaudiens in pulchra iuvenili forma eis apparens, et benevole salutans, corroboravit, et incolumes ad portum duxit; ipsis autem ignorantibus, quisnam ille esset, ab eo enixe petierunt, ut dignaretur id aperire; quibus respondit: Ego sum Sanctus Ioseph, et confestim eos commonefaciens, ut singulis diebus in memoriam septem gravium dolorum, quos ipse pertulit, et totidem gaudiorum, quibus exhilaratus fuit, septies orationem Dominicam, et septies salutationem Angelicam devote recitarent, ab oculis eorum evanuit.

562. Ut nemo tamen ignoret, quinam fuerint ii dolores, et quae illa gaudia, non pigebit ea hic apponere. Primus dolor fuit, cum videns Sponsam praegnantem voluit dimittere. Secundus, cum vidit Christum Dominum infantem in humili stabulo iacere, aëris, et frigoris inclementia oppressum. Tertius in circumcisione, quando gravi eius vulnere percussus Dominus sanguinem fudit. Quartus, cum audivit verba Simeonis in die purificationis ad Mariam Sponsam suam dicentis: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Quintus in fuga ad Ægyptum propter herodianam adversus infantem Iesum persecutionem. Sextus, quando in reditu ex Ægypto in Iudaeam, audivit Archelaum filium Herodis multo illo crudeliorem regnare. Septimus, cum in itinere ad Ierusalem amisit puerum Iesum. At haec de doloribus.

563. Gaudia autem sunt ista. Primum, quando perplexus, videns gravidam Virginem, Angelus divinitus missus, consolatus est eum dicens (Matth. 1): « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Secundum, quando vidit Angelos Christum in praesepio iacentem adorare et divinas laudes ei concinere audivit. Tertium, quando imposuit Christo infanti nomen Iesus, quod ei revelatum fuerat ab Angelo dicente: « Vocabis nomen eius Iesum ». Quartum, cum a Simeone audivit, futurum, ut Christus Dominus auctor esset resurrectionis, et salutis generis humani: « in resurrectionem et salutem multorum ». Quintum, quando in egressu ab Ægypto, vidit idola, cum presentiam Christi ferre non possent, in terram confracta concidere. Sextum, quando admonitus est ab angelo, tempus iam esse, ut cum Matre et Filio in Iudaeam rediret. Septimum, quando invenit Iesum in templo, inter doctores disputantem. Qui pio hoc devotionis genere usus fuerit, addat quaeso sequentes preces:

ANTIPHONA.

Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum.

℣. Ora pro nobis, Beatissime Ioseph.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Digitized by Google

ORATIO.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi quaesumus Domine, meritis adiuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

564. **Hymnus XXV.**
Iosephi labor Deum alit.

IESSAEA de stirpe Pater, cui Numina curae,
Cuius et ingenti pendet ab ore Deus.
Fercula sydereo ponis vigilata Tonanti,
Eque tuo satias pauperiore penu.
Cumque diu noctuque tibi frons fervida sudet,
Irriguo crescunt Numina rore tuo.
Sic epulis dum, magne senex, alis omnia alentem,
Quam tu iure Dei diceris esse Deus.

(Iosephus Silos, Cler. Reg. Musa canicularis, epigram. 42, Romae, 1650).

565. **Memento.** — Matth. 1, repurissima Virgo Maria apparuit in utero habens Filium Dei. Quid ad haec Sponsus ignarus mysterii, videns uterum tumentem uxoris? *Ioseph autem cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Cur non magis tradit eam iudici, imo et carnifici? Cur non magis irascitur? Cur, ut putabatur, laesus, non quaerit satisfactionem, sed magis curat celare offensam, et reddere pro malo bonum? Erat Iesus in utero Mariae, de cuius habitu veniebat, quod Ioseph eam philosophiam ebiberet, qua non solum condonaret iniurias, sed et iniurianti, si quis esset, prospiceret. Ait Div. Chrysostom. homil. 4 in Matth. « Sub lege vivens Ioseph, supra legem philosophatur, siquidem adventante iam gratia, multa sublimioris disciplinae documenta fulgere oportebat. Ut enim sol nondum radiis ostensis, eminus tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat, ita et Christus ex utero Virginis iam iamque progrediens, universo orbi, etiam priusquam oriretur, illuxit. Propterea igitur Ioseph tantam philosophiam mentis ostendit. Neque enim aut in iudicium trahit Sponsam, aut ipse saltem ei manifestum uteri exprobravit tumorem ». Quid pulchrius? Appropinquante sole, licet nondum apparente, eius tamen splendorem et lucem in se exhibet terra: sic de vicino Christo, licet adhuc sub nube virginei uteri, iam fulgent in Ioseph christianae virtutes, quibus efficaciter trahebatur in eam philosophiam, qua pro apparente malo bonum redderet. (Baeza, Comment. Moral. in evangel. hist., tom. IV, 421).

XXVI. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE ARTE FABRILI, QUA USUS EST S. IOSEPH.

Lib. IV. De despons. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 4.

QUAENAM fuerit ars fabrilis, qua usus est Sanctus Ioseph, et an illam exercuerit Christus Dominus, iuxta sanctorum Patrum doctrinam dilucide explicatur.

567. Cum ex sacris monumentis non aliud deduci possit circa officium D. Iosephi, quam fabrilem artem exercuisse; hinc est quod cum ars fabrilis generica vox sit, Patres in varias abierint sententias, quaenam species fabrilis artis illa fuerit: nam D. Hilarius (cap. 14 in Matth.), S. Leander Archiepiscopus hispalensis (de inst. virg., c. 22), S. Anselmus (in c. 13 Matth.), S. Isidorus (in regim. monac., c. 5), et Beda (sup. c. 6 Marci), necnon et S. Petrus Chrysologus (ser. 48), Ioseph fuisse fabrum ferrarium affirmant, cui sane apte concinunt verba illa Isaiae (cap. 54): « Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas; et producentem vas in opus suum »: necnon illa alia eiusdem (cap. 44): « Faber ferrarius lima operatus est, in prunis, et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suae »: quae D. Iosepho satis congruunt. Lima enim laboris continuo se torquebat in prunis; fabrilia opera sua exercebat, cum amore charitatis omnia igniret: ac tandem ictibus, quibus herodianae persecutionis malleus acriter eum concussit, ob Christi defensionem valde oppressus est.

568. Quod si vera est horum Patrum sententia, convenit valde Christo Domino, coadiutorem fuisse Ioseph in ea arte quoniam faber ferrarius tribus utitur ad suam artem, nempe aqua, igne, ac aëre: Christus Dominus venit, ut emolliret ferrea hominum corda; atque ad ea emollienda, usus est aqua baptismi, igne amoris, ac flatu, quo Spiritum Sanctum communicabat. Atque huc tendunt verba D. Hilarii, et Anselmi: nam ille ait: « Fabri erat hic filius, ferrum igne vincentis, omnem saeculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae ». Hic autem in hunc modum loquitur: « Paternae artis opprobria eum lacessunt qui revera filius erat fabri, quem summus fabricator omnium genuerat et qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu Sancto, et igne baptizat, qui et diversi generis vasa fabricata in vasa irae, Spiritus igne molliendo in misericordiae vasa commutat ».

569. Sed et S. Petri Chrysologi aurea verba non praetermittam: « Dicebant, inquit, hic est fabri filius, ut arte vili ars lateret auctoris,

Digitized by Google

et Deitatis nomen fabri nomine absconderetur: Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed praecepto, qui elementorum membra non ingenio, sed iussione compegit, qui massam saeculi non carbone, sed auctoritate conflavit, qui solem non terreno igne, sed supremo calore succendit. Haec ille ».

570. D. vero Ambrosius (sup. cap. 13 Matth.), docet Iosephum peritum fuisse in utraque arte ferraria, et lignaria, et in aliis pluribus. At D. Augustinus (de Nativit. Domini) tradit, Iosephum non absque singulari mysterio fuisse fabrum caementarium, ut qui secundum divinam generationem Filius erat illius, qui ex nihilo mundum fabricaverat, idem secundum generationem humanam filius putaretur, et nominaretur fabri caementarii; maxime, qui pulchram adeo domum, qualis est Ecclesia catholica ab imis fundamentis usque ad lacunaria erat erecturus. Atque his consonant aurea verba, quae idem Sanctus Doctor scripsit serm. 1. infr. oct. Epiph.: sic enim ait: « Ioseph faber in terris pater putabatur Domini Salvatoris, nec ab hoc opere Deus, qui vere est Pater Domini nostri Iesu Christi, excluditur: nam est et ipse faber; ipse enim est artifex, qui huius mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricavit; ipse artifex, qui in nostris moribus praecidit superflua, et opera utilia quaeque conservat ».

571. Sed D. Thomas (sup. c. 13 Matth.) cum communiori, et recentiori sententia, quam etiam tradit historia orientalis, id referente Gratiano (lib. 2), docet Iosephum fuisse fabrum lignarium: quod tribus praecipue non incongruis rationibus stabiliri potest. Prima, quia ad quaerendum victum sibi, et uxori in itinere ad Ægyptum, et dum in ea commoratus est, necnon in reditu in Iudaeam, ars fabrilis lignaria aptior erat, et paucioribus instrumentis, ad eam exercendam indigebat, quam si faber ferrarius, aut caementarius fuisset. Secunda ratio, quia antiquissima consuetudo, et communi Ecclesiae consensu recepta satis confirmat, D. Iosephum fabrum lignarium fuisse dum frequenter manu serram tenentem eum depingit, quam constat lignariae artis instrumentum esse. Tertia ratio, quia si vera est sententia D. Bonaventurae (in med. vit. Chr.), Caietani (ad cap. 6 Marci), et aliorum, Christum Dominum in fabrili officio non semel adiuvisse ac ministrasse legali suo patri Iosepho, congruentius, ac decentius erat, artem illius fuisse lignariam, non ferrariam, aut caementariam, quibus manus et facies necesse est frequentissime spurcari, et maculari.

572. Atque huc etiam facere arbitror locum illum Zachariae (cap. 1 ubi ait: « Levavi oculos meos, et vidi, et ecce quatuor cornua ». Nosse autem desiderans, quae illa significarent responsum accepit: « Haec sunt cornua, quae ventilaverunt Iudam, et Israel »; ne autem animo caderet, aut expavesceret, continuo vidit fabros lignarios: « Ostendit mihi Dominus quatuor fabros »; at confestim iterum interrogans: « Quid isti veniunt facere? » divinum oraculum audivit dicens: « Venerunt isti deterrere ea, ut deiiciant cornua gentium », hoc est, ut tamquam periti fabri serrae instrumento illa per medium scindant: non secus, cum daemon, tamquam pestilentissimus draco expectaret Virgineum partum, ut cornibus potentiae industriae suae illum ventilaret, misit Deus fabrum quemdam nomine Iosephum, qui fortitudine virili ac singulari suae protectionis, ab infamiae nota Matrem liberaret, et desideratum eius partum a morte, quam herodiana saevitia ei inferre moliebatur, eriperet.

573. Cur autem Dominus fabri officio fungi voluerit, mysterio non vacat, significare enim voluit, tum se tamquam supremum architectum missum esse a Patre ad fabricandam et renovandam Ecclesiam catholicam, lignum namque crucis assumens, ferreis certe clavorum instrumentis, secundam arcam Noe, hoc est militantem Ecclesiam construxit, in qua non velut in illa octo animae, ut ait sacra Scriptura, sed innumerae a divino irae inundantis diluvio salvae factae sunt.

574. Unde, sicut aeterna Sapientia semper ante oculos habuit Mariam in aeterna predestinatione, qua disposuit Ecclesiae fabricam, ut et ipsa testatur (Eccl xxiv): « Cum eo eram cuncta componens »; sic eadem Sapientia Patris, Christus Dominus, a primo opere, quod fuit eius incarnatio, cum descendit de coelis in uterum Virginis Matris usque ad ascensionem ad dexteram Patris, semper illam ante oculos habuit, et reparationis fabricam illi communicabat. Ac tandem, sicut archifaber, ut opus suum perficiat, solet alios plures vocare fabros qui ei inserviant, et adiutorium impendant, sic Christus Dominus, supremus Ecclesiae architectus vocavit apostolos, evangelistas, confessores, in aedificationem militantis Ecclesiae, Apostolo dicente (I Cor. 1): « Dei enim sumus adiutores »

575. Verum, cum hoc loco de fabrili arte S. Iosephi sermo inciderit, non possum silentio praeterire, num Christus Dominus illam exercuerit, manuali opere Iosepho ministrando ad lucrandam sustentationem vitae. Permultos vides graves Doctores hanc sententiam sectantes: hi sunt S. Iustinus Martyr (Dial. cum Triph.), ubi ait: « Christus faber esse putabatur; haec enim fabrilia opera, cum inter homines versaretur, aratra et iuga

Digitized by Google

faciebat ». Atque hinc putant nonnulli Christum Dominum ansam sumpsisse, ut, cum praedicaret, sub iugi et aratri symbolo evangelicam legem promulgaret: « Tollite iugum meum super vos »; et: « Nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei ».

576. Card. Baronius tom. 1, dixit, Christum Dominum, iuxta illud, « tractant fabrilia fabri », non semel iugi, et aratri exempla adduxisse, ut constat ex Lucae 4 et Matth. 11. Lyranus etiam (in cap. 6 Marci) ait: « Probabile videtur, quod Christus eamdem Iosephi artem exercuerit, quia non fuit occupatus in doctrina, et miraculis usque ad trigesimum annum; nec verosimile est quod tanto tempore fuerit otiosus ». Deinde Card. Caietanus versans verba illa Marci: « Nonne est hic faber? » haec scripsit: « Habemus, unde satisfiat curiosis quaerentibus, quid fecerit Christus usque ad trigesimum annum; vacabat enim exercitio fabrili ». Idem repetit 3 par. in principio quaest. 40, tuenturque eamdem sententiam Abulensis (13, q. 81), et Carthusianus (Matth. XIII); immo, et D. Bonaventura (in praec. meditat. vit. Christ.), favetque id Sozomenus (lib. 6, cap. 3) de quodam viro christiano referens, qui a quodam idololatra ex opprobrio interrogatus: « Quid facit nunc filius fabri? ipse perlepide respondit: feretrum fabricat vestro Iuliano imperatori ».

577. Sed pace dixerim tantorum Doctorum, licet non arbitrer inconveniens admittere, una, vel altera vice, immo, et pluribus Christum Dominum Iosepho, dum domi propriae solus operaretur, inservisse eique ministrasse, ut qui postea dixit (Matth. XX): « Non veni ministrari, sed ministrare »; nullum etiam incommodum putem, ut sicut Plinius, tamquam eximium favorem famoso illi pictori, Apelles, ab Alexandro exhibitum commemorat, quod non semel ille ad eius officinam diverteret, ut videret eum pingentem; ita Christum Dominum non semel hoc favore Iosephum putativum patrem suum prosequutum fuisse arbitror, ut illum, fabrilem artem exercentem, non solum conspiceret, ut Alexander, sed adiuvaret, eandem cum illo artem exercens ut clare indicant verba D. Marci (cap. VI): « Nonne hic est faber filius Mariae? ».

578. Tamen duo quae a praedictis Doctoribus docentur, minime gentium credam: primum est, Christum Dominum fabrilem artem exercuisse, ut assolent fabri, per alienas aedes cursitando, aut tecta conscendendo, aut simul cum aliis fabris, indecora saepissime confabulantibus, ligna dolasse; haec enim audire, aut his interesse, cum valde dedecerent gravitatem, ac modestiam Christi Domini, longe ab eo sunt releganda. Secundum, quod valde execror in sententia Lyrani, et aliorum illud sane est, quod fabrilem Iosephi artem Christum Dominum exercuisse contendant, ne otiosus tanto tempore extitisset: cum enim Christus Dominus non solum in quantum comprehensor per visionem beatificam, sed in quantum viator per scientiam divinitus ei infusam, altissimum contemplationis gradum semper attingeret, nullo modo dici poterat otiosus, quantumvis ab omni exteriori operatione cessasset. Frustra ergo hi doctores ad removendam otiositatem a Christo Domino, fabrilem putativi patris sui occupationem illi tribuunt.

579. Frustra etiam illam colligit Card. Caietanus ex verbis illis D. Marci (c. VI): « Nonne est hic faber? » Nam, ut D. Augustinus docuit (lib. 2 de cons. Evangel.), « eo Iudaei fabrum credebant esse Christum, quo fabri filium »: non ergo, quia fabrilem artem ex officio exerceret; vel forte Pharisaei, ut contemnerent illum, fabrum appellabant, quasi magis ad illum fabrilis ars quam sacra legis doctrina pertineret.

580. Atque hinc colligo, idque fabrilem artem non parum extollit, quod cum Christus Dominus privatim illam exerceret, certe sicut natura humana non potuit altius evehi, quam ut assumeretur a Verbo divino ad propriam hypostasim; ita non potuit fabrile officium altius conscendere, aut dignius honorari, quam ut Filius Dei, qui fabricatus est auroram et solem, illud exercuerit, divinaeque suae personae hypostatica unione mediate, ut loquuntur theologi, illud copulaverit, quo nihilo excellentius dici potest. Unde, si eo officia, et munera reipublicae pluris habentur, quo digniores primates, ac illustriores, et clariores principes ea exercent, sane fabrile officium in republica christiana omnium honorificentius censeri oportebit, cum illud aeterni Patris Filius assumens, per plures annos exercuerit: licet enim illud per se vile sit, et humile, postquam tamen Christus Dominus aeternus Patris Filius eo functus est, adeo illud extulisse opinor ut nullum quantumcumque honorificum officium illi valeat comparari.

581. Illud tamen quispiam non immerito percontabitur, qua ratione, si Ioseph, ut supra vidimus ex regia Davidis prosapia originem ducebat, vilem, ac humilem fabrilem artem exercebat. Respondeo, id esse manifestum mundi volubilitatis argumentum, ut ex fabro fiat rex, et ex rege faber. De Dionysio rege Siciliae potentissimo, quem terra, et mare pertimescebant, narrat Valerius Maximus (lib. 6), adeo ab ea imperiali dignitate cecidisse, ut magister puerorum factus, eos docens, victum quaereret Corinthiis. Contra vero D. Antoninus (1 par. hist.), et Plutar-

Digitized by Google

cus (in suis Apophteg.) refert, Agathoclem, figuli cuiusdam filium, regnum Siciliae adeptum fuisse, et immane bellum adversus Carthaginenses gessisse.

582. Ecce impletum, quod David (Psal. LXXIV) cecinit: « Hunc humiliat, et hunc exaltat », unde Salomon dixit (Eccles. IV): « Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, et alius natus in regno inopia consumatur », ut contigit Iosepho, qui ex carcere Putiphar, in quem infeliciter fuerat detrusus, eductus fuit, ut Ægypti prorex esset, ad quod alludens Sapiens (c. X) dixit: « In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni »; e contra vero Sedechias, qui filius regis erat, et tamquam rex undecim annis in Ierusalem regnaret, postea captivus doctus est in Babyloniam, ubi ambo oculi ei fuerunt eruti. Ecce reges duos, quorum primus ex captivo rex, alter ex rege captivus prodiit: si ergo tanta in eadem persona status deformitas, ac conditionis inaequalitas accidit; nihil mirandum est, si ex eadem familia alter rex, et alter faber prodeat...

583. **Hymnus XXVI.**

Praeclara Iosephi dignitas et munia.

Te quoque quo memorem, Nutritie, carmine Ioseph,
Qui tantae Prolis diceris esse pater.
Ultima Tu Regi soboles promissa Prophetae,
Linea quo finem posteritatis habet.
Flos hominum: florem quem Numine virga iubente,
Custodem Pueri, Matris et esse iubet.
Felix deposito: nam virginitatis honore
Sponsae servato, fit domus ipsa Dei:
Quemque dedit mundo, Tu consuetudine laetus
Uteris, et gaudes semper adesse tibi.
Secretum coeleste tibi committitur uni;
Dignaturque Tibi Numen habere fidem.
Credita sunt olim Patribus mysteria priscis:
His tamen est tantum scire futura datum.
Non ventura tibi, verum praesentia nosse
Est tibi concessum, et tangere posse manu.
Divino debes Puero Tu quaerere victum,
Tu debes propriam suppeditare domum.
Maximus ille Puer peraget fabrilia tecum;
Ligna Tibi manibus porriget ille suis.
Invideat sorti coelestis Spiritus isti,
Si foret invidiae Spiritus ille capax.

(Laurentius Balbulius, Cler. Reg. Min., Fasciculus carminum, Romae, an. 1678).

584. **Memento.** — O Virgo integerrima et in aeternum benedicta, quae virgini sanctissimo et iusto Ioseph desponsaris, gaude quoniam candido flori, lilium tu candidius, imo candidissimum sociaris, ut habeas qui tibi futuraeque proli tuae sit in obsequium, et integritatis tuae perpetuae testimonium, cum sine viro paritura sis Angelorum Regem et Dominum. (Lanspergius, t. V, p. 174).

XXVII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE EXCELLENTIIS SACERRIMI MATRIMONII INTER B. M. V. ET S. IOSEPH.

Lib. IV. De despons. B. V. ac excell. Spons. eius S. Ioseph, hom. 5.

Sacerrimi matrimonii inter V. Mariam, et Iosephum pulchrae figurae variaque encomia, quae illud longo sanctitatis intervallo reliqua omnia matrimonia superasse, apertissime indicant in illa verba: « Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph ».

286. Sacrosancti matrimonii inter B. Virginem, et Iosephum tropos ac figuras diligenter investigans quatuor praecipuas divina eloquia nobis indicare reperio: quarum primo loco refero arcam illam foederis, super quam duo Cherubim sedebant, et a quibus propitiatorium sustentabatur, et unde responsa dabantur, propitiusque dicebatur esse Deus; alterius autem illorum Cherubim effigies erat masculi, alterius vero feminae, ut Arias Montanus (in suo appar.) observavit.

287. Cherubini isti inter se coniunctissimi, Mariam et Iosephum matrimonii vinculo coniunctos significant, per quos Deus, qui aderat in arca sacrae humanitatis Christi Domini; sic enim illam vocat David (Psal. CXXXI: « Exsurge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae » misericordem, ac propitium se exhibet votis, ac precibus nostris: et sicut a Cherubinis illis arca tenebatur, sic a sacris his coniugibus Iesus in infantia, eorum ulnis sustinebatur et sustentabatur: et sicut illi a propitiatorio numquam se avertentes, mutuo se respiciebant, sic Maria, et Ioseph non solum per peccatum aliquod actuale a Deo umquam se avertentes, sed per multos annos Christum, qui est propitiatio nostra, concomitantes, mutuo amore se respexerunt, ut non immerito dicere potuisset B. Virgo, et Ioseph pariter: « Ego dilecto meo, et ad me conversio eius ».

588. Adumbrat etiam eiusdem sacri matrimonii miram castitatem connubium illud inter Sunamitem et Davidem: nam sicut David non ad libidinem, nec ad prolis generationem accepit in uxorem Sunamitem, unde sacer textus ait: « Et rex non cognovit eam », sic Ioseph, non ex concupiscentia, nec sobolis procreandae amore et desiderio ductus, cum Beata Virgine nupsit; unde alter Evangelista eadem verba, quae de Davide dicta sunt, refert de Ioseph, dicens (Matth. I): « Ioseph autem non cognovit eam »...

589. Ac tandem olim hanc Deus condidit legem, quod si vir quisquam sine liberis obiisset defuncti frater acciperet uxorem eius, ut

Digitized by Google

suscitaret semen fratris sui; unde, ut Divus Damascenus adnotavit, partus, qui nascebatur, licet secundum naturam filius esset naturalis secundi, erat tamen filius legalis primi, qui iam obierat, lege ipsa sic illud disponente, quemadmodum contigit S. Ioseph, qui naturalis erat filius Iacob, legalis vero Heli: cum ergo ipse Sponsus esset, et vir Mariae Virginis, et propter votum perpetuae virginitatis ab eo emissum, ut D. Thomas (3. p., q. 28., art. 3, ad 5 et art. 4, ad 3) docuit, mortuus esset mundo absque liberis, ad eum modum, quo religiosi per votum solemne moriuntur mundo; morte quadam civili, et legali iuxta illud D. Pauli (ad Coloss. 2): « Mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi »: de qua morte intelligit D. Cyrillus (lib. 16, de orat. verba illa: « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius », valdeque litterae consentaneam eam expositionem iudico, nam verba immediate praecedentia erant illa: « Vota mea Domino reddam coram omni populo eius ». Cum ergo continuo subiungit (Psal. CXXV): « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius », non obscure indicat, se loqui de morte spirituali, et civili, quae votum inducit, quae in conspectu Dei pretiosissima est.

590. Erat ergo noster Ioseph per votum perpetuae virginitatis mortuus mundo, pretiosaque hac sanctorum morte obierat absque liberis, ob quod sane meruit, ut Deus vicem fratris supplens, acciperet in Sponsam Mariam, quasi defuncti fratris uxorem, generaretque ex ea filium, cuius solus ipse Deus naturalis, Ioseph vero legalis pater esset, ut his verbis ad hoc mysterium alludens eleganter dixit D. Augustinus: « Gaude Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es ab uxoris concubitu, ut pater dicaris Salvatoris »: atque ad hanc historiam respiciens Ieremias in persona Dei dixit (c. XXIII): « Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen iustum »: sicut enim frater, qui uxorem defuncti ducebat, semen fratris sui suscitabat, ita Deus fratris vicem supplens, mortuo Sponso Virginis per votum virginitatis, absque prole, Deus suscitat ex eius Sponsa sobolem David, et ideo ait: « Suscitabo David germen iustum ». Atque haec est prima huius sacri matrimonii excellentia, quod non homo, sed Deus, non Ioseph, sed Spiritus Sanctus illud consummaverit, ut expresse testantur verba Matthaei (c. 1): « Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto »...

591. Secundam eius excellentiam ex verbis D. Pauli (1 Cor. VII) in hunc modum deprehendo; ille enim ad Corinthios scribens ait: « Volo autem vos sine sollicitudine esse ». Exhortatur ibi eos ad continentiam servandam, ut hac ratione a sollicitudinibus, et curis huius saeculi liberiores essent: unde statim subiungit ibid.): « Qui cum uxore est, solicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est »...

592. Hoc ergo mirum in modum commendat excellentiam sacri huius Iosephini coniugii, quod dum Ioseph uxori placet, et eam diligit, dum sollicitam prolis illius curam gerit, dum familiae suae incumbit, ac victus illius curam gerit, non solum a Deo nec minimam aliquam divisionem sustinet, sed strictiori vinculo magis illi coniungitur. Unde si D. Paulus eapropter laudat mirifice continentis statum, quia nullum orationi, et confabulationi cum Deo impedimentum affert (1 Cor. VII): « Et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi »; eiusdem procul dubio laudis dignum est hoc Iosephi matrimonium, cum non solum orationi obstacula non apponat, sed calcaria potius addat. Nam, dum Ioseph cum uxore et filio eius confabulatur, quid aliud quaeso praestat, aut agit, quam orationi vacat? cum ille vere dicatur orare, qui debite cum Iesu, et Maria loquitur.

593. Ex quo apertissima constat, consortium uxoris, quod aliis ad perfectionis culmen attingendum, obesse solet, Iosephum ad perfectionis fastigium evexisse: nam, ut ait D. Bernardinus (sermo de S. Ioseph): « Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus, quantum existimandum est, Iosephum cum Sacra Virgine profecisse? » Quod si D. Bernardus (serm. pr. de Assumpt.), virtutem loquelae Virginis exaltans, dixit: « Cuius salutationis vox, et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt; quod si parvuli, necdum nati, anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit coelestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata eius frui praesentia meruerint? » Non secus, non potuit anima Iosephi non plerumque devotione liquefieri, dum cum Maria loquebatur; non potuit, non mirifice perfici, et illustrari, cum vocem eius audivit, faciem vidit, et beata eius non solum praesentia, sed et coniugali familiaritate, et amicitia frui meruit.

594. Hinc iam tertiam huius matrimonii excellentiam deducamus, quia, cum bona, quae durante matrimonio coniuges lucrantur, sint utriusque communia, quae in iure bona matrimonialia dici solent; non potuit Ioseph ratione huius matrimonii ditissimus omnino non esse, cum in acquirendis bonis spiritualibus nulla umquam pura creatura feliciorem negotiationem nacta fuerit, quam Beatissima Virgo eius Coniux, Spiritu Sancto

Digitized by Google

dicente (Proverb. XXXI): « Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas ». Unde D. Bernardinus (serm. de laud. Ioseph) dixit: « Cum omnia, quae sunt uxoris, sint viri, credo, quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissima exhibebat ».

595. Accedit ad haec, si amor, et amicitiam communia reddit bona, latino proverbio dicente : « Amicorum omnia communia », cum B. Virgo inter puras creaturas nullam maiore dilectione prosequeretur, quam Sponsum suum ; consequens est, nihil non ei communicasse eorum, quae quoquo modo communicare licebat. Fuisse autem Mariae amorem ardentissimum erga Ioseph, ex eo aperte constat, quod non ignorabat id, quod postea docuit Paulus (ad Ephes. V), amorem inter coniuges debere esse instar amoris Christi erga Ecclesiam, ut sicut Christus nihil carius habebat, quam Ecclesiam, ita nihil carius sit viro, quam uxor, nec uxori, quam vir.

596. Cum ergo Maria, utpote quae perfectissima omnium, coniux fuit, hoc perfectissime observaverit, consequens est, plus quam Martyres, Confessores, Virgines, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ac coelestes Angelorum hierarchias, Iosephum Sponsum suum dilexisse, adeo ut non solum unitate vinculi connubialis, sed et ardentissimi amoris unione spiritus, unum cor, et una anima esset cum eo.

597. Quartam huius matrimonii excellentiam contemplor in eo quod ad ineffabile Incarnationis mysterium celebrandum, unicum nostrae reparationis remedium, mirum in modum deservierit ; sicut enim singulae tres divinae Personae, praeter communem concursum sibi indivisum, speciali ratione Incarnationis opus respexerunt ; Pater enim misit Filium, Filius assumpsit naturam humanam, Spiritus Sanctus formavit eam in utero Virginis ; non dissimiliter in hoc foecundo matrimonio, adest sublimis quaedam Trinitas. Sic enim loquitur Cancellarius parisiensis (de Nat. B. V.) : « Cuperem, ut mihi verba suppeterent, ad explicandam tam venerandam, admirandamque Trinitatem, Iesus, Maria, et Ioseph ».

598. Iesus Filius Dei incarnatur ; Maria Deum incarnatum concipit ; Ioseph vero eius Sponsus illum celat, et usque ad praefinitum tempus sacratissimum hoc arcanum tegit. Quemadmodum enim olim ante sancta sanctorum, ut legimus (Exod. XXVI), iussit Deus apponi velum ex hiacyntho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii, et pulchra varietate contexto, ita ante profundissimum illud Incarnationis mysterium, quod merito Sanctum Sanctorum vocamus, sacrum hoc matrimonium, quasi velum, ex omnium virtutum varietate Spiritus Sancti opere contextum, voluit collocari : itaque haec Trinitas personarum nostram redemptionem operata est ; Iesus, ut auctor salutis ; Maria, ut mediatrix ; Ioseph ut coadiutor.

599. Unde sicut cum bellum initur, victoria non solum tribuitur militibus, qui cum hostibus congressi sunt, sed etiam excubiis, et exploratoribus, qui per abscondita itinera clam milites ac arma introduxere ; ita licet redemptio generis humani, et victoria communis hostis illius, soli Christo, tamquam principali causae debeat adscribi, quia solus in Calvariae palestra cum hoste congressus est (Isai. LXIII) : « Torcular calcavi solus » ; Mariae etiam eatenus debeat attribui, quatenus contulit Christo carnem et sanguinem, pretium nostrae redemptionis ei subministrans ; Iosepho etiam eius Sponso, suo modo partim debet dari, quia fortissimum ipsum ducem diaboli debellatorem, dum infans erat et puer, abscondit, et clam educavit et enutrivit, ut sic grandior effectus, debito tempore fortem illum armatum, principem tenebrarum a suo loco deturbaret, et humanum genus a tyrannica eius servitute liberaret.

600. Hinc licet Isaias de mysterio Incarnationis loquens dixerit (Isai. LX) : « Quis adiuvit Spiritum Domini? » ausim dicere Iosephum, celando Christum Dominum, nutriendo, et educando, coadiutorem Dei extitisse in reparatione generis humani per mysterium Incarnationis, unicum nostrae salutis remedium, celebranda.

601. Est etiam in hac trinitate Iesus, Maria, et Iosephi observandum, quod quemadmodum de SS. Triade Ioannes ait (in sua prima canon. cap. 5) : « Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt », ita tres in terra immensae Dei bonitatis testes sunt omni exceptione maiores, Iesus, Maria, et Ioseph, qui vinculo charitatis unum etiam sunt, unum cor, et anima una ; et quemadmodum in illa coelesti Trinitate quarta non agnoscitur persona eis consubstantialis, ita nec in hac ulla admittitur eis aequalis.

602. His adiungo quintam excellentiam huius sacri connubii : quod nullum umquam extitit, ex quo maiora obsequia Christo, et Virgini, humano generi potiora beneficia profluxerint quam ex isto : propter illud enim genealogiae Christi, et Virginis series nobis innotescit ; propter illud Beata Virgo gravida ab Hebraeorum lapidatione liberatur ; propter illud Iosephus sollicitam curam gessit,

Digitized by Google

ducendi Matrem, et Filium in Ægyptum, ut Christus ab immatura, et crudeli impii Herodis occisione eriperetur; propter illud fabrilis artis exercitio, et Iosephini sudore vultus, sacra illa familia alebatur; propter illud diabolus fuit deceptus, et illusus; propter illud virginitas Mariae magis fuit confirmata et stabilita; ac tandem propter illud, illustrissimum exemplum imitandum castis coniugibus reliquit, ut coniugalem vitam ducentes, angelicae castitatis splendore fulgeant, ut his verbis testatus est Parisiensis cancellarius (serm. de nativ. Mariae): « Cur pura, perfectaque Ioseph pudicitia non praedicetur qui virgo Virginem adiit, atque servavit, quique primus ex masculis in coniugii consortio coluit, et coli post se docuit sanctum, et integrum coelibatum ».

603. Eorum coniugum, qui Mariam et Iosephum, quorum meliora charismata cumulantes, in Christi Ecclesia imitati sunt, non paucos ecclesiasticae historiae produnt, et commemorant. In quorum numero refero Henricum imperatorem, eius nominis II, qui et claudus appellatur, eiusque coniux Cunegundis Augusta, iuvenes licet, et principes, cum genere, tum virtute illustrissimi, quare, cum idem Henricus morti se proximum cerneret, Cunegundem uxorem, et propinquos eius accivit, eosque intuens: « O, recipite (inquit) quam mihi tradidistis virginem vestram ».

604. Praeterea suum in coniugio coelibatum pure conservarunt Valerianus, et Caecilia, insigne par Romanae nobilitatis. Iulianus itidem Antiochenus et Basilissa, non modo religionis, sed et martyrii gloria percelebres. Eamdem virginitatis laudem Eduardus Britannorum rex, et uxor eius Editha, non obscurae sanctitatis coniuges, mirifice coluerunt. Tum praeter Amorem Ægyptium, Eduardus III, anglorum rex, sicut Vandesillus comes Palatinus, qui sub Dagoberto rege floruit: ac demum Emericus Pannonius, Stephani regis filius, non immerito inde laudantur, quod illis tam cara ob Christi amorem continentia fuerit ut veneris nescii, habuerint quidem, sed non attigerint umquam uxores, utpote, cum quibus veluti sororibus, pudicitiae integritatem (tamquam eunuchos evangelicos) intemerate servarunt.

605. His adiungi meretur Alphonsus Aragoniae rex, casti cognomine honoratus, coniux et ipse nobilis, atque fidus uxori, sed qui ad se pertinere putavit apostolicum dictum (I Cor. VII): « Bonum est homini mulierem non tangere; et qui habent uxorem, tamquam non habentes sint ». Neque dissimilis Theophanes fuit, qui, cum ad sponsam nocte nuptiarum ingressus esset, et animi puritatem omni corporeae voluptati anteponeret, tam pium, ac efficacem in thalamo, vel collocutorem se praebuit, ut sponsam continentiae suae sociam et fecerit et retinuerit semper. Eadem integritas in Eghardo, et sanctissimae viduae Birgittae filia Catharina splenduit, coniugium illis tam sancte ineuntibus, ut perpetuam pudicitiam Christo pie oblatam, iuramento confirmarint, ac seorsim tota vita cubarint.

606. Quid porro sanctus, et illustris Galliae comes Elzearius, qui sub Carolo II, Ierusalem Siciliaeque rege clarius est habitus, et cui aeque nobilis, ac pia Dalphina virgo, sponsae loco, contigit in urbe Massiliensi? Non sat illis visum est, virginitatis virtutem in aliis suspicere, sed, et ipsi admirando consilio ducti, quoniam casti ad coniugium accesserant, suae virginitatis florem nulli, praeterquam Iesu Nazareno, offerre, consecrare, servareque voluerunt: itaque sacram aedem adiere, suas Deo preces effudere, et post sanctissimum Christi corpus reverenter acceptum, flexis genibus, iunctis manibus, erectisque ad coelum animis virginitatem suam Deo devoverunt. Eiusdem generis plures alios silentio praetermitto, quos tradunt D. Hieronymus (ep. 45 ad Arm. in ep. ad Rustic.), Paulinus (in ep. 3 ad Appium), atque Palladius (in hist. Lausit.) quorum castissima matrimonia, ac thori immaculati fructus fuerunt partus, ac legitimi filii Iosephi matrimonii cum Maria.

607. Unde sextam huius matrimonii excellentiam, elicio quod in eo non solum virginitas splendeat, sed et foecunditas liberorum variis modis effulgeat; cum, et Christum pepererit, et quotquot matrimonii vinculo copulatos, sacros hos sponsos, Mariam, et Iosephum imitantes, perpetuae virginitatis custodes fuerunt. Atque hinc est Patres miram huius matrimonii excellentiam contemplantes, praeclara multa in eius laudem dixisse.

608. Augustinus enim (lib. I de nupt. et concup.) ait: « Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum; prolem cognoscimus, ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium »; prolem dicit Christum, quia, quamvis Iosephi filius non fuerit, tamen Virginis, quae coniux illius erat, legitimus filius fuit; ob quam rationem non solum a plebe, sed et ab ipsa Virgine filius Ioseph vocabatur, ut non obscure indicant verba illa (Luc. 2): « Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te ». Ait deinde in eo matrimonio inveniri fidem, quia Maria, et Ioseph ad invicem illam inviolatam servarunt, perpetuam virginitatem observantes. Tandem addit, in hoc matrimonio inveniri sacra-

Digitized by Google

mentum, quia nullum divortium »: nam indivisio, et unitas vinculi connubialis, quo Maria, et Ioseph vere erant copulati, unionem Christi cum Ecclesia significabat, quod eapropter merito Augustinus sacramentum vocavit, Apostolo dicente (Ephes. 5): « Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et Ecclesia ».

609. Rupertus item (sup. cap. 1 Matth.), egregie dixit: « Coniugium coeleste non terrenum, unus spiritus, et una fides erat in eis, sola illic carnis corruptio defuerit, etc. ». Congruit sane potiori iure huic matrimonio, quod de suorum parentum coniugio Nazianzenus (orat. 19) dixit: « Sic existimo, si quis ab ultimis terrarum finibus, atque ex universo hominum genere, praestantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum umquam hoc praestantius, aptiusque reperiri potuisset ». Haec ille.

610 Quibus demum addo tria illa verba, quae in officio Sancti Iosephi iuxta pristinum Carmelitarum Breviarium in antiphona ad Magnificat habentur: « Felix matrimonium, fide sacrum, nec prole vacuum, sed flore retento, vice Pater, Virgo parens, cum honore virginali, pura sibi coniugali mutuo subserviunt, et dulcem enutriunt pari voto Filium, quorum ministerio latens mysterio deceptionis inimicum, verum decus, et antiquum perfecit consilium ». Consilium, inquam, Sanctissimae Trinitatis, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

611. Hymnus XXVII.

Angelus Iosepho dubia solvit.

Epigramma.

HAEREBAT Ioseph, utero faciente tumorem,
Quid speculo acciderit Virginis: Astra secat
Aliger extemplo, dubiumque hac voce serenat;
Criminis esse putas, Numinis esse scias.

(Laurent. Balbutius, Cler. Reg. Min., Fasciculus carminum, Romae, 1678).

612. **Memento.** — Foveant parochi, cunctique sacerdotes, in populis cultum et venerationem Sancti Iosephi, quem catholicae Ecclesiae Patronum ven. mem. Pius IX declaravit (S. R. C. 8 Dec. 1870). Si omnibus sanctum et dulce est Christum adorare, et Mariam celebrare, dulce et sanctum quoque erit illum colere, qui Christi pater putabatur, patris officia Christo exhibuit, cuique Christus in terris subditus erat (Luc. II, 51). Eius patrocinium nos celebrare voluit Sancta Mater Ecclesia: omnes igitur ad ipsum confugiant oportet, et religioso cultu illum prosequentes, eximias virtutes imitentur. Filius David iustus et humilis superbiae humanae fastum confundit, et labore manuum suarum, et in sudore vultus sui comedens panem, ac Iesu et Mariae necessaria procurans, omnibus qui in laboribus versantur et fatigantur, exemplum sit et praesidium. Apud homines quidem faber lignarius dicebatur, sed in coelis ineffabili fulget gloria, et validissima sua oratione cunctis eum implorantibus spiritualia et temporalia saluti congruentia a Deo impetrat beneficia.

Inter nostrates praesertim foveri a parochis ac promoveri debet cultus Sancti Iosephi, utpote qui trecentis iam ab hinc annis solemniter a Concilio III Mexicano Patronus Ditionis Mexicanae declaratus est, et speciali concessione et privilegio S. Sedis, imperiali corona, labente saeculo XVIII redimitus. Hac de causa Concilium hoc Antequerense renovat declarationem specialis patronatus S. Patriarchae super hanc nostram patriam; et mandat ut eiusdem festum, uti cetera festa de praecepto observetur die 19 Martii cum obligatione audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus. (Conc. Antequerense, anni 1893).

XXVIII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE CAUSIS OB QUAS DECUIT B. M. VIRGINEM MATRIMONIUM CONTRAHERE, ET S. IOSEPHO IN CONIUGEM DARI.

Lib. IV. De despons. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 6.

PROPOSITUM argumentum ut solita nostra perspicuitate, cui valde semper consulimus, edisseramus, placuit omnes causas, ob quas Beatam Virginem in matrimonium dari oportuit, ad quatuor praecipue capita revocare: quaedam enim tenent se ex parte Virginis, quaedam ex parte nostra, nonnullae etiam ex parte communis hostis generis humani.

614. Divus Ambrosius (init. lib. 2 in Lucam) hanc reddit ex parte Virginis causam, ut honori eius consuleretur; si enim cum nupta filium haberet, certe hebraei Virginem stupratam esse non iudicarent; verba Ambrosii haec sunt: « Desponsata fuit Virgo ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cuius gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris: servatur itaque Sanctae Mariae, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas; oportet enim sanctos ex aliis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur ». Haec Ambrosius, qui (eod. lib.) inquit: « Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris nec putavit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendam ».

615. Ferunt historiographi, quod cum Alexander magnus ad matrem suam Olimpiam scribens in epistolae subscriptione haec verba

Digitized by Google

apposuisset: « Alexander, dei Iovis filius, illa eum increpavit, quod, ut se filium Iovis praedicaret, matrem suam adulteram faceret, gravique infamiae nota illam afficeret. Longe sane aliud fuit ingenium, Christi Domini quam Alexandri, cum ille, ut se honestaret, matrem suam dehonestabat; Christus vero, ne Virginis Matris suae honor minima denigraretur infamia, maluit filium cuiusdam fabri reputari, quam bonam Virginis famam quidquam nocumenti recipere. D. Hieronymus (sup. cap. 1 Matth.) aliam ex parte Virginis scripsit rationem: « Ne tamquam adultera a Iudaeis lapidaretur »...

616. D. Bernardus aliam ingenio, et pietate eius dignam rationem adhibuit, ut scilicet Ioseph testis esset virginitatis Mariae: nemo enim in asserenda castitate tam dignus esse poterat fide, quam qui custos illius erat, et maritus, qui maxime et scire debuit et potuit, quemque credibilius erat, naturali maritorum zelotypia, impudicitiae crimen, ubi non esset suspicaturum, quam ubi esset, defensurum fuisse; ut enim dixit D. Ambrosius lib. 2 in Luc., cap. 1): « Locupletior testis pudoris Mariae adhibetur, qui posset, et delere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum ».

617. Sed nec egregie D. Bernardi verba ad idem silentio praeterire possum: « Dicam quod mihi, immo, quod ante me, Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Sicut enim Thomas dubitando, et palpando constantissimus factus est Dominicae confessor resurrectionis; ita, et Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia Thomae dubitatio, et desponsatio Mariae: poterant quidem similem erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere; sed valde prudenter, et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam, et de Filii resurrectione, citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti, et palpanti, quam Coephae audienti, et credenti; et de Matris continentia facilius Sponso eius custodienti, et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti ».

618. Deinde ex parte Christi simul et Matris ea notissima occurrit ratio, ut Ioseph utrique esset adiumento, atque custodia, et Sacrae illius Familiae in temporalibus administrator; unde ad ipsum, tamquam caput, « vir enim caput est mulieris », ut ait Apostolus, et non ad Mariam Deus mandata sua misit: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Accipe Puerum, et Matrem eius, et fuge in Ægyptum ». Deinde cum reversurus esset ex Ægypto: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Accipe Puerum, et Matrem eius, et vade in terram Israel ».

619. Ut tamen hanc rationem illustremus, in memoriam oportebit revocare verba illa Isaiae (c. XI): « Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet ». Sane virga illa, Virgo Maria est, ut (in Comm. ill. loc.) observavit D. Hieronymus, ex qua instar floris Christus ascendit, qui de seipso dixit (Cant. II): « Ego flos campi, et lilium convallium ». Sicut autem numquam flos ascendit e virga foliis nuda, prius enim virga foliis adumbratur, et honestatur, quam flos ascendat; ita Maria prius viri umbra, et ornamento decorari debuit, quam Christus in ea nasceretur; ut sic et Virginis solaminis umbram, et fructui illius instar folii a persecutionis grandine protectionem suam exhiberet.

620. Est etiam alia omnium notissima ratio, cuius meminit Angelicus Doctor (3 p., q. 29, art. 1) ex parte Christi, ne, si Mater eius innupta fuisset, ipse tamquam spurius, et illegitimus reputaretur; ex quo aliud poterat pullulare manifestum incommodum, ut Messias esse minime crederetur. Si enim leviora quaedam ei obiiciebant ad id negandum, quanto magis hoc ei opposuissent, cum certum esset, Messiam non ex illicito concubitu fore nasciturum? unde D. Ambrosius (lib. 2 in Luc.) dixit! « Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persequuti? » desponsata ergo fuit Virgo non solum, ut Matris famae, sed et Filii honori pariter consuleretur.

621. His addo aliam rationem ex parte Christi, ut matrimonium, quod tamquam unum ex septem sacramentis Ecclesiae Christus instituerat, ipse honoraret; id quod praestitit, efficiens, ne careret optimo, atque excellentissimo omnium fructu, qualis erat ipse Iesus, mundi vita. Licet enim conceptus non fuerit ex usu matrimonii, sed ex virtute Spiritus Sancti, tamen quia ex Virgine coniugata Iosepho natus est, certe inter fructus illius castissimi coniugii merito computatur, ex quo matrimonium summum honorem suscepit; unde D. Ambrosius (in Lucam) dixit: « Mariam simul fuisse Virginem, et nuptam, ut in eius persona virginitas simul, et matrimonium honoraretur ».

622. Ex parte nostra multiplex occurrit ratio. Prima, ne per virginitatis electionem nuptias damnare, aut despicere videretur; et ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Secunda, ut non solum virgines, et viduae, sed et nu-

Digitized by Google

ptae haberent Deiparam Mariam tamquam speculum, et magisterium recte, et sancte vivendi, ab eaque discerent, quomodo se gerere debeant erga viros suos, tam fidelitate, quam obedientia, et aliis similibus; tum, ut per virum ordo genealogiae Virginis texeretur; unde D. Ambrosius (sup. Luc.) ait: « Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi ». Viri autem persona quaeritur, quae in senatu, et reliquis curiis civitatum generis asserat dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit. Tertia ratio sumitur ex Chrysostomo (super Ioann. III), quoniam fideles sumus filii Ecclesiae, quae quidem sponsa est Christi, secundum illud testimonium quod dedit Ioannes de illo dicens (Ioann. III): « Qui habet sponsam, sponsus est, » et Os. II.: « Sponsabo te mihi in fidem, » et Apoc. XIX.: « Demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius preparavit se »; eadem, quae hic dicitur uxor, appellatur sponsa. Igitur, ne filii adoptivi, qui sumus nos, aliquid amplius, vel melius in nostra regeneratione, aut nativitate haberemus, quam filius naturalis, si nos ex sponsata nasceremur, et ille non; ideo etiam, « ut per omnia similis fratribus esset », ex matre desponsata nasci voluit, ad cuius similitudinem nostram etiam deberet esse nativitas.

623. Hinc D. Petrus Chrysologus serm. 146 non solum ait Virginem figurare sponsam Christi Ecclesiam, sed et Iosephum adumbrare eius sponsum Christum, ex quibus tamquam ex patre, et matre nascimur, et educamur omnes fideles; aurea verba illius sunt haec: « Non apices, non literae, non syllabae, non verbum, non nomina, non personae in evangelio divinis vacua sunt figuris. Sponsa quaeritur, ut iam tunc Ecclesia Christi sponsa signetur, iuxta illud Oseae prophetae (cap. II): Sponsabo te mihi iustitia, iudicio, misericordia, et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide; hinc Ioannes ait: Qui habet sponsam, sponsus est, et vere sponsa, quae virginali partu novam Christi regignit infantiam; procurator Ioseph sponsus, ut iste in illo Ioseph Christi figuram impleat passionis. Ioseph prophetalibus somnis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit invidiam; Ioseph missus in lacum mortis vivus emergit e lacu, Christus mortis sepulcro datus, vivus resurgit a sepulcro; Ioseph venumdatus est, pretio taxatus est Christus; Ioseph traducitur ad Ægyptum, ad Ægyptum fugatur Christus; Ioseph esurientibus populis panem copiose subministrat, Christus coeli pane manentes orbe toto saturat nationes: sic lucet, cur Ioseph iste coelestis sponsi typum praetulerit, portaverit imaginem, ambulaverit in figuram ».

624. Denique ultimam subiungo rationem, ut doceret nos, non posse Christum nasci in anima orbata viro. Vir, et sponsus animae Christus est, secundum illud Pauli (II Cor. XI): « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo ». Vir autem dicitur a virore. Christus autem est, qui virorem, ac vigorem nostris animabus per suam gratiam confert; igitur anima, quae hoc viro orbata fuerit, nec concipere optimos bonorum operum foetus poterit, ipso dicente (Ioann. XV): « Sine me nihil potestis facere ».

625. Mollis, et effeminata est anima, quae non habet hunc virum, nempe Christum in se, carnisque fragilitate potius obnoxia, quam Deo: id autem volebat Pharao, ut viri interirent, feminae viverent, sic daemon hunc virum vult perire, et suffocari in nostris animabus, qui, et spiritui robur conferebat, et animae tenebat imperium, ut carni fragili usurpante sceptrum, fragilia omnia, et debilia opera nostra, ac nullius roboris sint; et adimpleatur in nobis maledictio illa contra Ægyptum (Isai. III): « Mulieres dominatae sunt eis », idest, effeminatae operationes.

626. Ex parte tandem daemonis, infestissimi hostis generis humani, hanc tradidit rationem Sanctissimus ille Martyr Ignatius (in epist. ad Eph.): « Ut scilicet partus Virginis diabolo celaretur »...

627. Fuisse autem hoc modo delusum daemonem non obscure docuit D. Bernardus (homil. 2 super Missus), dum ait, quod sicut diabolus feminam prius decepit, et per illam virum; sic oportuit eumdem hostem a Virgine occulte decipi, et illudi, et postea a Christo virorum fortissimo palam debellari, ut hac arte multiformis proditoris artem falleret...

628. Unde Rupertus (lib. II de vict. Verbi) ingeniose dixit: « Desponsatio Virginis diabolum fefellit, et cunctos satellites eius, ut nescirent sacramentum, cuius sciendi modum non erat tempus »: et Origenes (sup. Matth.) ait: « Quae fuit causa, ut esset desponsata Maria Iosepho? nisi quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam nulla penitus inveniret? »

629. Hymnus XXVIII.

Ioseph castissimum, Dei vigilem atque custodem adprecamur.

Dive, cui summi soboles Tonantis,
Conditor quamvis opifexque rerum,
Non recusavit veluti parenti
Subditus esse:
Nuptias almae merito puellae
Numen enixae, superantis omnes,
Quotquot intacti niveo refulgent
Flore pudoris:
Tu Deo natum refoves Puellum
In lebusaeo veneratus antro,

Digitized by Google

Iussus Ægypti modo per calentes
Ducere terras,
Barbaros inter profugum penates
A Palaestini rabie tyranni,
Et modo exactis reducem periclis
Cautus avitis
Sedibus reddis: Solymaque in aede
Anxius quaerens Puerum stupentes
Mox sophos inter reperis, futurae
Omina lucis.
Pignoris magni vigil usque custos,
O vir admirande, tuum (precamur)
Sumat exemplum sibi quisque vitae
In genus omne.
Nesciens virtus thalami, aut iugalis
Castitas iustum, pietasque mores
Ornet, ac functos utinam beato
Fine labores.
Audiat per Te Pater haec supernus,
Et Patri aequalis Genitus precantes,
Atque idem spirans ab utroque Numen
Mutuus ardor.

(Angelus Maria Finelli, Carmina, Romae 1836).

630. **Memento.** — Colant Beatum Ioseph, fidelem Sanctissimae Familiae custodem, singularem virginum, familiarum nec non moribundorum patronum. (Conc. Prov. Pragens. ann. 1860).

XXIX. — Sermo Ioannis de Carthagena.

ITEM DE MATRIMONIO B. M. V. CUM S. IOSEPHO, ET DE SUBLIMI DIGNITATE EX HOC MATRIMONIO SANCTO IOSEPH COLLATA.

Lib. IV, De despons. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 7.

INTER alia pleraque, quae apprime desiderantur in matrimonio, ut felix, faustumque sit; illud persaepe tam apud sacra, quam prophana eloquia lego, ut inter coniuges quoad fieri possit, aequalitas sit generis, divitiarum, bonae indolis, et reliquorum bonorum, tam naturae, quam eorum, quae fortunae vulgus vocitat...

632. Cum igitur sacerrimum hoc matrimonium inter Mariam, et Iosephum altissimo Dei consilio initum fuerit, nemo sanae mentis ambiget, praecipuam aequalitatis coniugum conditionem minime in eo desiderari; aequalitatis, inquam, non mathematicae, sed moralis, et cum quadam proportione; ad eum certe modum, quo in cythara reperitur, cuius altera fidium, quae prima vulgo dicitur, acutiorem habet sonum, secunda vero, vel tertia depressiorem, et multo minus acutum, cum tali tamen proportione, ut ex utroque concentus resultet suavissimus; non dissimiliter, licet B. Virgo prima sit in sanctitate, ut Matrem Dei decebat, Ioseph quidem ea polluit, quae talem eum redderet, qualem esse oportebat, qui in Sponsam ipsam Dei Genetricem esset habiturus, nec enim fas est cogitare, ut qui Adae, ut nuper dicebam, adiutorium dedit simile sibi, B. Virgini illud negaverit.

633. Unde S. noster Bernardinus (tom. 3, ser. de S. Ioseph) dixit: « Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione, coniugii scilicet, uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi et virtutum operatione simillimam? Unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, ut esset adiutorium simile Virgini ». Hanc similitudinem aliter in hunc modum explicare placet. Solent coniuges in mutui amoris argumentum vestes eiusdem coloris induere, ita ut, si femina viridi ornetur veste, si crocea, aut purpurea, vir etiam eodem vestimenti colore incedat; illud tamen inter utrumque coniugem interesse consuevit, quod feminae multo pretiosiora donantur ornamenta, quam viro; sericae enim illius vestes plerumque intexuntur auro, manus pretiosis ornantur annulis, et collum aurea torque fulgentibus gemmis distincta, quae tamen minime viri gestare consueverunt: ad eumdem modum opinor Deum optimum maximum, postquam exornaverat B. Virginem inaestimabilibus omnium virtutum ornamentis, multisque decoraverat coelestium charismatum margaritis, qualia nulli umquam concessit, eiusdem tamen coloris vestibus voluit Iosephum dilectissimum eius Sponsum indui, ut debita inter coniuges similitudo, ac morum sympathia minime in his sacris Sponsis desideraretur.

634. Quare si rem altius contemplemur, ambo fuerunt ab aeterno prae omnibus Sanctis ad duplicem celsissimam omnium dignitatem electi; illa in Matrem Christi naturalem, hic in eiusdem patrem legalem; ambo in utero matris sanctificati, ut magnus ille Cancellarius parisiensis (ser. de Nat. Virg. et infra in sua Iosephina) testatur; ambo nomine coelitus delapso insigniti; ambo variis figuris adumbrati; ambo in ministerium Verbi incarnati assumpti: Maria, ut carnis substantiam daret, Ioseph, ut eamdem aleret, et nutriret; ambo primi qui votum virginitatis emiserunt, et in matrimonio caelibatum coluerunt; ambo, qui in terris Verbum humana carne indutum videntes, coelestis mannae dulcedinem primi degustarunt; ambo, qui angelici concentus, natale Christi celebrantis, et pastorum ac regum felicis adventus testes omni exceptione maiores fuere; ambo media nocte solem orientem aspexerunt, quod mirabilius sane fuit, quam stellas in meridie prospicere; ambo Christi parentes nuncu-

Digitized by Google

pati, beatissima Virgine id testante: « Pater tuus, et ego, dolentes, quaerebamus te ». Ambo ab omni lethalis peccati labe longe alieni, ut tradidit D. Augustinus; ambo propter infantem Christum ab herodiana saevitia custodiendum, varios labores exilii, et paupertatis perpessi; ambo Christi nutritii, virgo lacte ex ubere de coelo pleno, Ioseph labore manuum suarum, et sudore vultus sui; ambo in Christi infantia, pueritia, et iuventute, individui eius comites, domestici, ac dilectissimi familiares; ambo millies Christum amplexati, et totidem exosculati; ambo suae mortis divina revelatione praescii; ambo anima et corpore gloriosi cum Christo conregnant.

635. Verum, ut mira, quae intercessit inter hos sacros sponsos, Mariam, et Iosephum, similitudo clarius innotescat, ea, in quibus illa splendidissimis fulgoribus enituit, latius, ac fusius edisseramus. In primis quidem, sicut sacri Evangelistae pauca de Virgine enarrantes, plurima eius encomia unico verbo concluserunt, Matrem Dei illam appellantes: « De qua natus est Iesus », ita iidem perpauca de Iosephi vita, et moribus commemorantes, permulta in eius laudem edixere, sponsum Virginis illum vocitantes: « Ioseph autem vir eius », et alibi: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae ».

636. Hunc evangelicum morem imitatus D. Gregorius Nazianzenus (orat. 11 de laud. Gorg.), cum probare niteretur, qualis vir fuisset Gorgoniae coniux, dixit: « Vultis uno verbo, virum describam? vir erat Gorgoniae: nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit »; ad eumdem certe modum videntur se nobiscum gessisse sacri Evangelistae, dum volentes miram Iosephi sanctitatem nobis indicare, ac innumeras eius laudes brevi sermonis eloquiis comprehendere, dixerunt: « Ioseph autem vir eius »; quasi dicerent: vultis uno verbo Iosephum describamus? vir erat Deiparae Mariae, in quo sane paene infinita praeconia delitescunt.

637. Fuit enim vir, « qui timuit Dominum, et in mandatis eius voluit nimis (Psal. CXI); vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit (Psal. I); vir, qui evacuaverat omnia, quae parvulorum sunt (I Cor. I); vir, qui viriliter egit, et confortavit cor suum, et Dominum sustinuit (Psal. XXVI); vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo (Iob. I); vir pretiosior auro; vir ex omni plebe electus, sapiens, et timens Deum, veritatem amans, odiens munera, et avaritiam »; qualem non dicam de mille, sed ex universo mundi coetu unum reperit Deus, quem Genitricis suae in clarissimum Sponsum, et in fidelissimum consortem daret.

638. In eo etiam Mariam, et Iosephum apud sacros Evangelistas persimiles esse reperio, quod quoties Mariae meminerunt, Iosephum oblivioni minime tradidere, et e contra, cum Iosephum nominant, Mariam silentio non praetereunt. D. Gregorius (lib. moral.) narrat (idque testor ab his, qui plerumque id experti sunt, me accepisse) narrat, inquam, duabus cytharis, eodem prorsus modo aptatis, ac temperatis, si cytharaedus fides unius pulset, continuo alteram, nemine illam tangente, resonare; tanta est vis similitudinis, et sympathiae earum: non dissimiliter Mariam, et Iosephum velut duas animatas cytharas contemplor, perfecte admodum temperatas, sibique invicem adeo bene concinnentes, ut in sacro Evangelio sonante voce Mariae, continuo resonet vox Iosephi, et e contra: « Ioseph noli timere accipere Mariam »: et « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae ». Iterum: « Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph ». Ecce Evangelista vix Mariam sine Iosepho, aut Iosephum sine Maria nominat: haec enim velut amoris correlativa, instar cortinarum tabernaculi, se invicem trahebant.

639. Iussit olim Deus (Exod. XXVI) fieri tabernaculum ex perpolitis quibusdam cortinis taliter inter se cohaerentibus contextum, atque compactum, ut qui ad se traheret unam cortinam, necessario etiam alteram sibi colligatam attraheret: non secus divinae maiestati placuit, plenitudine temporum adveniente, Filio suo carne induto, protectionis mirabile quoddam tabernaculum ex cortinis Mariae et Iosephi taliter inter se amoris, et matrimonii vinculo invicem connexis, construere, ut, quo pergit unus coniugum, pergat et alter; et cum tristatur unus, tristetur et alter, et cum hilarescit unus exhilarescat et alter, immo, cum nominatur unus, continuo nominetur, et resonet alter.

640. Sed iam aliam expendamus egregiam similitudinem inter Mariam et Iosephum: quemadmodum B. Virgo meruit esse Mater Dei, ut passim testantur Patres, et sancta tradit Ecclesia in verbis illius orationis: « Ut dignum Filio tuo habitaculum effici mereretur »; ad eumdem modum Beatus Ioseph meruit Sponsum esse Genitricis Dei. Quod, ne meo marte configere videar, Salomonis testimonio comprobabo (Eccl. XXVI): « Pars bona mulier bona in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis »: ecce Salomonem aperte dicentem, in praemium bonorum operum dari viro mulierem bonam; ex quo non inepte inferam, perfectissima omnium fuisse merita Iosephi, quibus in partem praemii, optimam, ac perfectissimam omnium mulierem Mariam sibi in coniugem dari promeruit.

Digitized by Google

641. Ut tamen maior esset inter hos sacros coniuges similitudo, ac mira sympathia, iisdem sane virtutum meritis, humilitatis scilicet, et virginitatis, quibus beatissima Virgo Matris Dei dignitatem sibi comparavit, ut verba ab ea in annunciatione prolata satis indicant: « Ecce ancilla Domini »: vide humilitatem: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » ecce virginitatem; iisdem sane Beatus Ioseph Deiparae Mariae excellentissimam Sponsi dignitatem obtinuit.

642. In quo plane videtur mihi, tamquam legitimum filium Davidis, patrem suum fuisse imitatum; nam, ut refert sacra historia, sub duplici conditione David filiam regis Saulis in uxorem accepit, prima, ut caput gigantis Goliath praecideret; secunda, ut centum Philisthaeos circumcideret: aliis duobus procul dubio similibus operibus meruit Ioseph Mariam Matrem Dei sibi in coniugem dari. Primum humilitatis, quam exhibuit, cum, eo sponsalitio indignum se reputans, velut alter David dixit: « Quis ego sum, aut quae est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? » ut fiam (inquam) tantae Virginis Sponsus? qua humilitate superbiam, caput omnium vitiorum, viriliter praecidit. Secundum fuit castitatis, dum virginitatem, qua omnes carnis illecebras, ac venereos motus spirituali circumcisione funditus resecavit, adeo coluit, ut primus omnium virorum illam Deo voveret.

643. In cuius figuram (lib. I Paralip., c. xxv) lego, quod quando sacerdotes locaverunt arcam Dei in templo, missae fuerunt sortes inter cantores, cuinam incumberet, tamquam primo cantori, curam habere hymnorum, et cantionum, quibus colenda erat arca; cecidit autem sors super quemdam virum nomine Iosephum. Certe in coelesti curia ingens est numerus cantorum, qui coram sacra illa arca humanitatis Christi, in qua manna divinitatis delitescit, incessanter concinunt canticum illum novum Apocalypsis (c. v) quod solum virgines canere norunt: haec autem felicissima sors super Iosephum cecidit, ut ipse quasi virginitatis vexillifer, primas ferret inter omnes, et virginum virorum ipse esset coriphaeus, sicut et feminarum Sponsa eius primiceria erat, et vexillifera.

644. Hinc crediderim, quod sicut zelus virginitatis Mariam in annunciatione turbavit, ut ait S. Lucas (c. I): « Turbata est in sermone eius », quia se concepturam, et parituram audivit; ita idem virginitatis ardentissimus zelus, quam Ioseph in se, et in Sponsa sua mirum in modum vigere avidissime desiderabat, adeo turbavit eum, ut de dimittenda uxore secum ipse altercaretur ».

645. His omnibus adiiciam, Mariam, et Iosephum inter se persimiles fuisse, in eo, quod in Christi infantis educatione, ac in eius custodia, et protectione vigilantissimam curam plusquam paterno affectu adhibuerunt: quod non obscure significasse arbitror Spiritum Sanctum, cum B. Virginem frequenter (in l. cant. xii). Columbam nuncupat: « Veni columba mea, Oculi tui columbarum ». Quamvis enim permultae aliae columba nobiliores, ac generosiores reperiantur aves, nomine tamen columbae B. Virginem frequenter cohonestat, alludens, tum ad eximiam columbae foecunditatem, quae adeo in B. Virgine viguit, ut Deum ipsum humana carne indutum tamquam uterinum foetum, ac ventris sui fructum nobis produxerit; tum, ut pariter significaret, quod licet aquilae, accipitres, milvi, pavones, et reliquae aves filiorum curam inter se hac ratione dividunt, ut feminae maneant in nidis ad eos fovendos, masculi vero cibum foris quaerant, et deferant, inter columbas vero, praeter hoc officium id speciale habet masculus, ut ipse etiam persaepe in nidulo instar matris pullos confoveat, et calefaciat: non dissimiliter B. Ioseph, tamquam maritus Marianae columbae, et columbinae Mariae magnam sollicitudinem ac sedulam curam in Christi infantis educatione adhibuit; algentem calefaciebat, lacrymantem laetificabat; inter brachia dormitantem, ne quispiam a somno excitaret, diligenter curabat, et alia id genus opera in consortio Virginis in Christi infantis obsequium factitabat.

646. Ad haec silentio non praeteribo aliam egregiam inter hos sacros sponsos similitudinem non longe ab ea diversam, cuius in Canticis meminit sponsa, cum dixit (Cant. ii): « Dilectus meus mihi, et ego illi ». Adeo enim ambo se dilexerunt, ut ad invicem ornamentum, et corona alter alterius facti fuerunt. Mariam quidem aureum diadema, gloriosamque Iosephi coronam extitisse satis utique probant verba Proverbiorum (c. xii): « Mulier diligens, corona est viro suo »; e contra vero Iosephum, splendidam coronam, pretiosumque ornamentum Virgini fuisse, non obscure indicant verba illa, quae prudenter protulit uxor sapientis Philonis, quae dum in coetu plurium feminarum adesset, ab eis interrogata, cur non instar reliquorum, aureis monilibus, ac pretiosis vestibus accessisset ornata, respondit sapienter: « Satis uxori magnus ornatus viri sui virtus »: ex quo sane non parum eximia Iosephi sanctitas commendatur, quae tanta fuit, ut ornamentum potuerit esse illius, quae sole vestitur ut amictu, corona stellarum redimitur, et luna, tamquam calceamento utitur, prout se illam vidisse Ioannes testatur (c. xii): « Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius; et in capite eius corona stellarum duodecim ».

Digitized by Google

647. Ex his itaque sic iam praelibatis haud difficile erit coniicere, quam miram hi sacri coniuges Maria, et Ioseph cum debita proportione aequalitatem habuerint, sibique bene consentientes extiterint. Ut tamen illud magis adhuc illustremus, placet in medium producere, quae Bio Pianerius, inter celebres Graeciae philosophos annumeratus, paucis perstrinxit, ut doceret ea, quae utrumque coniugem decent.

Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti.
Quis dives? qui nihil cupit. Quis pauper? avarus.
Quae dos matronae pulcherrima? vita pudica.
Quae casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.
Quod stulti proprium? non posse, et velle nocere.

648. Haec, quam mirifice fulgeant in his sacris sponsis Maria, et Iosepho, non erit difficile brevi sermone demonstrare. Si enim huius vitae summa felicitas censetur animae pax, atque tranquillitas, scilicet, « mens, quae sibi conscia recti »; ecce Virginem tanta animi pace fruentem, ut a proprio marito, a quo non conceperat, gravida inveniri non pertimesceret, nec in eius conspectu, quopiam turbationis motu fluctuaret; quia ut dixit Ecclesiasticus (Eccli. XXII): « Loramentum ligneum colligatum in fundamento aedificii non dissolvetur; sic, et cor confirmatum in cogitatione consilii ». Si deinde dives est, qui nihil cupit; ecce Ioseph, tametsi ex regia prosapia ortus, « qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniae thesauris ». Quod si item pudicitia, ac verecundia, praecipua uxoris dos est: « Quae dos matronae pulcherrima? vita pudica »; procul dubio cum dote Mariae, nulla quantumcumque copiosissima dos valet comparari, cum ab angelo sub viri specie benevole salutata, prae mirabili sua virginea pudicitia, et verecundia, continuo erubesceret, et turbaretur. Si praeterea illa castitate insignis iudicatur, « de qua mentiri fama veretur »; quis castissimam omnium Mariam non fateatur, quae et virginitatem adeo coluit, ut nec dignitatem Matris Dei sibi a Deo oblatam admitteret, quousque illam ob id minime fore violandam, angelico didicisset eloquio.

649. Unde Ioseph, id attestante Chrysostomo (super Matth.), tam magnam de Mariana castitate opinionem conceperat, ut gravidam illam animadvertens et non ab ipso, nihil certe mali de ea suspicans, potius sibi persuaderet, Virginem posse parere, quam Mariam peccare. Tandem si prudentiae viri non leve argumentum est, « cum possit, nolle nocere »; nostri Iosephi inaudita prudentia mirum in modum se ostentavit, quippe cum posset uxorem ob intumescentem uterum molestare, prudenter tamen, ac sancte ab accusatione se abstinuit, Evangelista dicente (c. x): « Cum esset iustus, noluit eam traducere ».

650. Illud etiam prudentiam D. Iosephi mirum in modum commendat, quod memor illius sententiae Tobiae (c. XII): « Sacramentum regis abscondere bonum est ». Nec non alterius ex Isaia dicente (c. XXIV): « Secretum meum mihi: secretum meum mihi ». Mirabile illud Incarnationis Verbi Dei arcanum, quod sibi creditum erat, mira prudentia celavit. Revelatum quidem fuit hoc sacrum mysterium Apostolis, ut illud evulgarent, iuxta illud (Matth X): « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta ». Iosepho autem manifestatum fuit, non ut ipse illud manifestaret, sed ut sub silentii tegmine illud absconderet, quod maiorem praesefert difficultatem, Ecclesiastico dicente (Eccli. XIX): « A facie verbi parturit fatuus, tamquam genitus partus infantis »: quasi diceret, similem parturientis angustiae esse dolorem fatui, qui habens creditum sibi secretum, nemini illud revelat; at Ioseph noster, tamquam singulari prudentia conspicuus, hanc fatui difficultatem strenue adeo superavit, ut per quamplures annos nec minimum ab ore eius decideret verbum, quo tantum sacramentum cuipiam aperiret, adeo secreti tenacissimus custos fuit...

651. Tandem, ut ad id unde sum nonnihil digressus, regrediar, ac finem dicendi faciam; si ut ait Ecclesiasticus (Eccli. XXVI): « Mulieris bonae beatus vir »; non solum terque, quaterque, et millies beatus, sed et beatissimus censeri debet noster Ioseph, cum non solum mulierem bonam, sed omnium optimam nactus fuerit Quod si, ut Salomon testatur (Prov. XIX): « A Domino uxor prudens »; eximium profecto donum Iosepho datum fuit, cum Mariam prudentissimam omnium virginum in uxorem accepit, et quam in domum suam ducens merito usurpare sibi posset illud Sapientis (VIII): « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium »; quod in aeternum nobis praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

652. Hymnus XXIX.

Ioseph aeterno cum Patre certat.

Epigramma.

ÆTEREO cum Patre, Senex ter Maxime, certas:
Numinis ille Parens, Numinis ipse Parens.
Ætereum at superas Patrem: nam paupere censu
Ipse Deum pascis, vestis et ipse Deum.

Digitized by Google

Nempe tuae vigilant curaeque manusque; labore
Vescunturque tuo Numina, pane tuo.
Hinc bene, qui vere Pater est, ceu nomina tantum
Patris habet, nomen cui Patris, ille Pater.

(Ioseph Silos, Cler. Reg., epigram. 43 ex Musa Caniculari).

653. **Memento.** — O altitudo divitiarum sapientiae Dei! O profunditas iudiciorum eius! O quam investigabile consilium tuum, Deus, quod in hoc mundo, cum tui foret arbitrii ubi, quando, et e quibus velles nasci, elegisti parentes pauperes, qui manuum te suarum labore nutrirent, manibusque operando victui suo pariter et tuo necessaria conquirerent. Sed quibus laudibus extollam nescio virum illum dignissimum, virum unum ex millies millibus propterea electum, Ioseph loquor, qui tibi Salvatori suo panem manibus operando lucraretur, qui Virgini tuae Matri, utpote testis et custos eius virginitatis, tanquam vir et Sponsus vitae necessaria provideret. Itaque tui parentes manibus operabantur: Sanctus quidem Ioseph nutritius pater et faber lignarius in sua arte: Mater vero tua texendo, nendo suendoque, victum quaerebant. Et quid tu interea, o Puer suavissime? Quid parentibus operantibus faciebas, amantissime Iesu? Quid, suavissime Virginis nate, agebas? Num otiosus fuisti? Non fuisti otiosus, sed utrique parenti, quae per aetatem licebant, Puer optimus inserviendo necessaria afferebas. Quid enim prohibet de te cogitare, quod ad honestissima quaeque Matri inservieris? puta, aquam, ligna, aliaque eiusmodi apportando porrigendove: aquam quoque manibus eius infundendo ut pietate et compassione plenus, parentum tuorum laborem cooperando inserviendoque allevares? Nec temeritatis aut superbiae fuerit, piissime Iesu, quod tui parentes, a te, Deo videlicet universorum, haec obsequia acceperint, sed potius obedientiae, ad quam intus illuminati ac moti sapiebant, quod voluisti sic agere, ut impleres omnem iustitiam: quare eorum humilitas quoque non parum proficiens inde merebatur, quod obedientes tuae dispositioni huiusmodi admittebant. (Lanspergius, t. v, p. 186).

XXX. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE SUBLIMI DIGNITATE ET SANCTITATE ET GLORIA S. IOSEPH SUPER OMNES SANCTOS, DEIPARA EXCEPTA.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 8.

Si in Ecclesia catholica plerique sanctorum eo speciali nomine coli, et honorari merentur, quod se peculiari ratione Sanctissimae Deiparae Mariae devoverunt, ut Sanctus Lucas, qui religionis, ac pietatis zelo ductus, varias imagines depinxit adamussim illam referentes; pariterque Mariana arcana copiosius, quam reliqui evangelistae descripsit Sanctus Dionysius qui ab Athenis, ut coelestem eius vultum intueretur, multo labore longissimum iter confecit; Sanctus Cyrillus, qui contra impios haereticos in Matris Dei nomen debacchantes, honorificentissimam hanc Dei Genitricis nomenclaturam in concilio Ephesino acerrime defendit: Sanctus Ioannes Damascenus, qui pro singulari amore, quo Virginem prosequebatur, varia, eaque egregia eius praeconia nobis scripta reliquit; in quorum Beata Virgo praemium abscissam inique manum benevole ei restituit: Sanctus Ildephonsus, qui ab helvidianae haeresis Marianam virginitatem abnegantis impudentissimis calumniis sapientissime vindicavit: Sanctus Anselmus, et D. Bernardus, qui in eius laudibus decantandis assidui praecones fuerunt; ac tandem Sanctus Ioannes Evangelista prius omnibus illis divino Christi oraculo adoptivus Virginis Filius institutus, qui, eo id attestante, « accepit eam in sua »: si, inquam, hi omnes Sancti, eo quod speciali ratione se, suasque lucubrationes Virgini consecrarunt, digni sunt, ut speciali etiam cultu fideles eos venerentur; quantus quaeso honor Beatissimo Iosepho deferri debet, qui matrimonii pariter, et amoris vinculo Virgini coniunctissimus fuit?

655. Sane quaecumque excogitavero encomia, minora erunt, quam Deiparae Sponsi celsissima dignitas meretur; adnitar tamen, Deo auspice, ex hac tanta dignitate, velut ex principio, excellentiam sanctitatis Divi Iosephi super reliquos Sanctos, tamquam piam, ac valde probabilem conclusionem deducere, imitans in hoc D. Paulum, qui, sicut ex dignitate, et nomine Filii Dei, excellentiam eius super omnes Angelos intulit: « Tanto, inquit (Hebr. 1), melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit ». Ad eumdem modum licebit mihi philosophari, tanto Iosephum aliis sanctiorem, quanto differentius prae aliis nomen, ac honorificentissimum « Sponsi Dei Genitricis, et patris Christi » titulum obtinuit.

656. Divina namque providentia non consuevit inanes titulos, et rebus vacua nomina donare, sed quibus insignes titulos confert, insignem etiam idoneitatem impertitur. Unde, si imperator Valentinianus (lib. 2, c. de Crimine sacril.) dixit, « disputare de principali iudice non oportet »: sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit imperator; quanto magis execrandum sacrilegium esset suspicari, Deum optimum Maximum, qui Sponsi Genitricis suae dignitatem Iosepho donavit, idoneitatem ad eamdem non contulisse?

657. Hinc doctor Thomas (3 par., qu. 27, art. 4) inquit: « Quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei ». Et D. Augustinus plenitudinem gratiae super omnes Sanctos donatam Virgini ex eo col-

Digitized by Google

ligit, quod ad dignitatem Matris Dei evecta fuerit; sic enim ait: « Inde novimus, tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum meruit concipere, ac parere ». Quod si ad sacra monumenta mentis aciem parumper convertamus, id a Deo ita factitatum fuisse, ut pro dignitate muneris sufficientiam praestaret, facile comperiemus. Elegit Moysen, hominem agrestem, in ducem populi sui, et contulit ei sapientiam, ac potentiam tantam, ut diceret ei (Exod. VII): « Ego te constitui Deum Pharaonis ».

658. Davidem « accepit de post foetantes », et ex tugurio pastorum illum educens, unxit in regem, et caput plebis suae fecit, deditque illi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra (II Reg. VII). Ioannem Baptistam, quem in Christi Praecursorem elegit, tanto retro tempore, antequam id munus exerceret, eum disposuit, ac praeparavit, ut in materno utero latentem sanctificaret. Piscatores etiam vocans, ut apostolica dignitate eos donaret, omnem sufficientiam ad apostolatus munus recte obeundum illis impertivit, Apostolo dicente (II Cor. III): « Idoneos nos fecit ministros novi testamenti ». Ac tandem Sanctissimam Deiparam Mariam pro dignitate tanti muneris magna coelestium charismatum copia locupletavit, ut ipsa testatur (Luc. I): « Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius ».

659. Cum ergo Beatus Ioseph electus fuerir a Deo ad insignem illam Sponsi Dei Genitricis, et Christi patris dignitatem; nemo sanae mentis inficiabitur, omnem sufficientiam, et idoneitatem ad illa munia exercenda necessariam divinitus ei fuisse collatam; unde, sicut Deus optimam omnium feminarum elegit in Matrem, ita optimum omnium virorum decebat eligere in eius Sponsum; quare rectius Deus nostro Iosepho, quam rex Pharao Patriarchae Iosepho dicere potuisset (Gen. XLI): « Numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero? » Sane, si ad vasa Domini deferenda iubebantur sacerdotes mundari (Is. LII): « Mundamini, qui fertis vasa Domini ». Dubium non est, quin Deus eam munditiem, et sanctitatem, quae ad purissimum vas Mariae, in quo manna divinitatis servandum erat, digne possidendum, opus esset Iosepho eius Sponso infudisse. Si enim quando arca Dei missa fuit in possessionem Aminadab (ut habetur I Reg. VII), Eleazarum filium eius sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini, vel ut Hebraei legunt, praeparaverunt, seu disposuerunt; consequens est, Deum maiorem curam adhibuisse in sanctificando, praeparando, ac disponendo Iosepho, cui decreverat Marianam arcam, in qua Filius Dei claudendus erat, ut loquitur Ecclesia « ventris sub arca clausus est », custodiendam tradere.

660. Et quidem, si, ut sacra Geneseos narrat historia (Gen. V), ad terreni paradisi custodiam praefecit Deus Cherubim; rationi consonum erat, ut ad custodiendum coeleste Mariae paradisum, sic enim illam vocat Sponsus: « Emissiones tuae, sicut paradisus » praeficeret non Cherubim, sed ardentissimum Seraphinum, Iosephum scilicet seraphici amoris flammis exustum.

661. Quod, si etiam sacra commemorant eloquia, Deum, cum septuaginta elegerat seniores, ut Moysis coadiutores essent in plebis regimine, de spiritu eius plurimum eis contulisset (Num. XI): « Auferam de spiritu tuo, et tradam eis »: oportebat enim, ut qui Moysis in munere consortes erant, pariter in spiritu ad recte illud gerendum communicarent; certe, cum B. Ioseph electus fuerit in consortem, et Sponsum Deiparae Mariae ad paternum munus obeundum erga Christi Domini personam, sub humana carne latentem, par erat rationi, ut, sicut cum B. Virgine in hoc paterno munere et officio communicabat, ita et de spiritu, et gratia, ac singulari illius sanctimonia prae omnibus sanctis participaret.

662. Accedit ad haec id, quod mirum in modum effert D. Iosephum, nimirum, quod postquam Socrates, id referente Xenophonte (de Socrate), dixerat: « Uxores virorum suorum moribus conformari debere; subdit: norma omnis coniugis est vir ». Quam sententiam videntur firmare verba ipsius Dei dicentis (Gen. II): « Faciamus ei adiutorium simile sibi ». Non dixit, se facere velle virum similem uxori, sed e contra, uxorem similem viro. Sane, si ita res se haberet inter hos sacros coniuges, ut Ioseph esset norma coniugis suae, nihil excellentius de illo dici posset, quam tantam fuisse suorum morum probitatem, ut ad eorum normam Mariani mores, ac vita adaptarentur. Verum licet aliter sese res habeat in hoc matrimonio Mariae cum Iosepho, quia in eo coniux fuit norma viri sui, satis utique eximiam Iosephi sanctitatem commendat, quod probatissimos mores, ac integerrimam almae Virginis vitam sibi imitandam proponeret, per quam, et suae vitae rationem, et proprios mores adamussim regulabat.

663. Si enim Deipara Maria tanta praecelluit sanctitate, ut Beatus Petr. Damian. (Serm. de Assumpt.) dixerit: « Maria singulorum, et omnium titulos antecedit. Attende Seraphim, et videbis, quidquid maius est, minus Virgine est ». Et Andreas Cretensis (Serm. de dorm. Virg.): « Excepto Deo, est omnibus altior, o sancta, et sanctis sanctior,

Digitized by Google

et omnis sanctitatis sanctissime thesaure ». Doctor Hieronymus (Ser. de Assumpt. Virg.): « Hortum deliciarum, in quo consita sunt omnia florum genera, et odoramenta virtutum ». Ac tandem D. Anselmus : « Decuit, ut ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi »; non potuit D. Ioseph, qui per suae uxoris sanctitatem, tamquam per normam, per triginta annos, quibus in consortio eius vixit, vitam suam accuratissime regulavit, prout Sponsum Dei Genitricis decebat, non, inquam, potuit prae omnibus Sanctis coelestibus charismatibus multisque virtutum meritis cumulatissimus non esse.

664. Sed iam secundam coniecturam, ex qua eximiam D. Iosephi sanctitatem super omnes Sanctos deprehendere licet, subiiciamus : hanc existimaverim esse ardentissimum amorem Deiparae Mariae erga ipsum. Cum enim ipsa probe agnosceret coniugis strictam obligationem, ut virum suum diligat, certissimum est, illam perfectissime implevisse, atque adeo omnes feminas, quae in amore suorum virorum exarserunt, ac stupenda suae dilectionis argumenta exhibuerunt, longo intervallo superasse.

665. Certe dicente Apostolo Coloss. III) : « Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam »; ibidem etiam non obscure indicavit, uxores diligere debere viros suos, sicut Ecclesia Christum ; quam similitudinem in eo sitam esse reor, ut, sicut Christus, excepto Deo, nihil ardentius amavit, quam Ecclesiam, ita alter coniux nihil praeter Deum magis diligat, quam suum consortem. Amavit igitur B. Virgo, huius legis observantissima, B. Iosephum plusquam Patriarchas, et Prophetas, Martyres, et Apostolos, ac universos Angelos ; unde D. Bernardinus (t. 3, serm. de S. Ioseph) ait : « Quia revera Virgo, quanta erat unitas matrimonii in spirituali amore, agnoscebat et sciebat, Iosephum sibi a Spiritu Sancto datum in Sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem, et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine divinissimam prolem Dei, ideo credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat; amplius, cum omnia quae sunt uxoris, sint viri, credo, quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei exhibebat ». Haec ille.

666. Ad haec, cum vir, et uxor per vinculum connubii, ac mutui amoris non minus fiant unum cor, et una voluntas, quam per usum ipsius matrimonii unum corpus, et una caro, iuxta illud (Gen. II) : « Erunt duo in carne una » : non potuit spiritualis illa unitas animorum perfectissima non fuisse in B. Virgine et Iosepho : nam si Gorgonia, D. Gregorii Nazianzeni soror, adeo unum cum viro suo se esse fatebatur, ut eapropter ex parte tantum se baptizatam putaret, quod eius maritus nondum esset baptizatus, quem veluti dimidiam sui partem esse censebat; sic enim loquitur D. Greg. « Porro cum unum hoc ad omnia accedere cuperet, ut maritus quoque perficeretur, ut sic corpore consecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueretur, hoc quoque impetravit » : ad eumdem certe modum Deipara Virgo adeo unum cum viro suo Ioseph se esse putabat, ut quamvis perfectissima esset, imperfectam quodammodo se existimaret, si dimidia eius pars, nempe Ioseph eius coniux, imperfectus esset.

667. Unde non dubitaverim, Deiparam Mariam excellentissimam perfectionem super omnes Sanctos illi impetrasse : non enim amor illius erga virum suum sterilis fuit, sed foecundissimus : unde D. Bernardinus (tom. 3, serm. de S. Ioseph) dixit : « Cum Virgo tot, et tanta peccatoribus impetret sceleratis, quanta putas impetraverit Iosepho Sponso? » Equidem si unum ex efficacissimis mediis ad obtinenda a Deo varia gratiae dona intercessio Virginis esse creditur, ut experientia ipsa satis exploratum est; non potuit Sanctissimus Ioseph Virgini dilectissimus illius interventione non eximiam super reliquos sanctitatis perfectionem obtinuisse; maxime cum Deipara Maria nullius umquam hominis in virtute progressum, ac sanctitatis incrementum, ardentius, quam viri sui, ut optimam uxorem decebat, concupisceret.

668. Tertiam iam addo coniecturam, unde excellentiam sanctitatis D. Iosephi arguere possimus, amicitiam scilicet, et familiaritatem quam habuit cum Deipara Maria legitima Sponsa sua. Profecto D. Paulus ratione huius familiaritatis, et consortii dixit (I Cor. VII) : « Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem ». His similia sunt verba D. Petri (epist. I, c. III), dum ait : « Mulieres subditae sint viris suis, ut, et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant ».

669. Ita Romae contigit Siginio per Theodoram, et Valeriano per Caeciliam, cuius consilio, et exemplo, et sacri baptismatis lavacrum recepit, et pro Christo sanguinem profudit : unde tam acute, quam eleganter dixit D. Thomas (sup. I Col. 7) : « Infidelitas est culpa tenacior ; virilitas, sexus robustior ; sanctificare, actus difficilior : et tamen cum esset mulier, emollivit robustum, mundavit immundum, et sic sanctificavit

Digitized by Google

infidelem virum ». Innumeraque alia his similia extant exempla. Nam Domitilla convertit Flavium Clementem sponsum suum; Theodolinda Longobardorum regina, cui D. Gregorius inscripsit dialogum de moribus, bis nupta, Eucharium, et Algilalfum ad veram Christi religionem revocavit, et lupinam eorum crudelitatem in agninam mansuetudinem commutavit. Theodoretus etiam, id referente Cassiodoro (Hist. trip., l. 9, c. 31), sanis consiliis Eudoxiae imperatoris Theodosii mariti illius sanctitatem adscribit: ac tandem textus (in l. Eum qui, c. de Episcopis, et clericis), ait: « Uxores interdum viros meliores efficiunt », ubi Baldus subiungit: « Bona mulier facit bonum virum ».

670. Sed melius illo D. Chrysostomus hom. 9: « Nihil potentius muliere bona ad instruendum, et informandum virum quodcumque voluerit ». Si ergo tanta esse noscitur uxoris efficacitas, et energia, ad viri sui mores verbo, et exemplo componendos, evidens est. maximam omnium habuisse B. Virginis familiaritatem ad recte informandum virum suum, non quidem infidelem, ut illi, sed sanctum iam, et iustum, ut Evangelista testatur (Matth. 1): « Cum esset iustus, noluit eam traducere ».

671. Quod si B. Virgo tam erat potens opere, et sermone, ut eius salutationis vox exultare, ac tripudiare fecerit in gaudio Ioannem Baptistam maternis visceribus clausum, adeo ut infantis anima prae amoris ardore liquefacta fuerit, ut Maria locuta est; quantum quaeso putamus spiritualis gaudii, et virtutis incrementum ex conversatione Virginis suscepisse Iosephum, qui et Deiparae Mariae vocem audire, et faciem videre, exemplo accendi, ac beata illius non solum praesentia, sed etiam coniugali familiaritate, et amicitia frui meruit? Hinc S. Bernardinus tom. 3, serm. de S. Ioseph) pie dixit: « Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis, nihil sunt, saepe tamen proficimus; quantum existimandum est, Iosephum cum sacra Virgine profecisse? »

672. Porro, quartam coniecturam, unde excellentissima D. Iosephi sanctitas, super reliquos omnes innotescere possit, adnectamus: haec est multiplex, immo continua occasio perfectissime exercendi activae, et contemplativae vitae munera, ex quorum ferventiori exercitatione maior sanctitatis perfectio dependet. Et quidem. quod attinet ad vitam activam, ille, Christum infantem ita protexit, et enutrivit, ut quod de Deo dicitur iustum protegente (Psal. xc), « Scapulis suis obumbravit tibi, et sub pennis eius sperabis », merito de Iosepho dici possit respectu Dei, quem ipse scapulis suis infantem obumbravit, et sub pennis suae protectionis benevole suscepit.

673. Deinde, cum omnes Iosephus externas operationes, ac labores fabrilis artis ad Christi Domini infantiam, pueritiam et iuventutem per triginta annos nutriendam, ac sustentandam dirigeret, non potuit vita eius activa, excepta Virgine, non omnium fuisse perfectissima; unde si Iob dicebat (c. xxxi): « Si comedi buccellam, et non comedit ex ea pauper »: melius sane Ioseph dicere potuisset: si comedi buccellam, et Iesus non comedit ex ea: quare nemini, excepta Deipara, tam proprie, quam Iosepho, potuit Christus dicere (Matth. xxv): « Esurivi, et dedisti mihi manducare: sitivi, et dedisti mihi bibere ».

674. Quod si potum aquae frigidae pauperi porrigere, opus adeo ille sibi pergratum fatetur, ut in eius praemium vitam aeternam polliceatur (Matth. x): « Qui dederit calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam »; non potuerunt non gratissima esse Christo Domino opera vitae activae, quae immediate circa eius humanitatem noster Ioseph exercuit; unde officium D. Iosephi, quo sacra Carmelitarum religio olim ex approbatione Sedis Apostolicae utebatur, recensens praemia, quibus adhuc in hac vita superstes Ioseph coepit a Christo ob praedicta obsequia remunerari, pie satis dicebat:

Nunc ad Ioseph tamquam Patrem,
Nunc ad Sanctam repsit Matrem,
Per virgineas cervices,
Gratas alternando vices:

ubi speciali observatione dignam arbitror vocem illam « repsit », quae gressum serpentis redolet, qui pavimento adhaerens, et quasi cum eo se constringens, graditur; non secus salutifer ille serpens, Christus Dominus, ab antiquo illo aeneo serpente significatus, per cuius non solum tactum, sed et aspectum sanabantur infirmi, quasi manibus, et pedibus infans repebat super Iosephi dilectissimi sui nutritii cervices, ut gratissima vitae activae opera erga ipsum exercita, etiam in hac vita, legali suo patri rependeret.

675. Ex his externis operibus facile erit gradum facere ad interna vitae contemplativae opera, ad quorum exercitationem nemo profecto inter mortales, Beata Virgine excepta, opportuniorem occasionem nactus umquam fuit: nam si Salomon ait (Proverb. vi): « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? », certe cum Ioseph ignem, idest, Christum, « Deus enim ignis consumens est » (Hebr. xii), sinu suo portaverit, immo millies contrectaverit, expoliarit, vestiverit, amplexatus, et exosculatus fuerit, consequens

Digitized by Google

erat, flammis amoris illius vehementissime ardescere.

676. Virgilius ementite narrat de Didone, quod cum cupidinem falsi amoris Deum sub Ascanii figura amplexaretur, amoris flammis exustus remansit; verissime Iosepho nostro id persaepe contigisse arbitror, ut verum pulchri amoris Deum humana carne indutum brachiis suis amplexans, et sinu suo dulcissime confovens, ardentissimis amoris flammis ultra quam dici possit, exureretur.

677. Plerosque sacra eloquia commemorant, qui contemplativae vitae non segnes cultores fuerunt: hi praecipui sunt Ahraham, quem Deus de Mesopotamia egredi praecepit, quia a Dei contemplatione animum eius avocabat; Iacobus, qui in mirabilem extasim raptus, vidit scalam altera extremitate terram, altera coelum tangentem; Samuel, quem Deus dormientem ad se vocabat; David, qui dicebat (Psal. CXVIII): « Septies in die laudem dixi tibi » divinorumque arcanorum assiduus scrutator fuit; Diva Magdalena, quae secus pedes Domini in genua procumbens, optimam contemplationis partem elegit; Ioannes, qui supra pectus Domini requiescens, coelestia contemplabatur arcana; Paulus, qui usque ad tertium coelum raptus, audivit quae non licet homini loqui; ac tandem Apostoli, ac reliqui pii viri, qui a Christo edocti, perseverantes erant in oratione: hos omnes Sanctus Ioseph tanto contemplativae vitae praestantia antecelluit, quanto prae his ad eius exercitia ex visibili Christi, et Mariae exemplo, et continua triginta annorum praesentia ardentius accendebatur, et ad ferventissimos amoris actus eliciendos, potentique eorumdem auxilio frequentius iuvabatur; maxime quod, ut refert D. Petrus Chrysologus (serm. 15), Ioseph pariter cum Maria nocturno tempore, quasi monasticam vitam agerent, consurgere consueverunt ad preces Christo Domino effundendas, quem medium inter se sacri illi coniuges constituebant.

678. Sicut enim nos orantes, imaginem Christi nobis adhibemus; ita illi ipsum Christum Dominum, qui figura erat substantiae Patris, et imago bonitatis illius, adorandum sibi proponebant, et tamquam in radiantem solem iustitiae semper aspiciebant: quod si sol, tametsi distans sit a terra, aurum in visceribus illius, et margaritas in conchiliis virtute radiorum suorum procreat: quanto putamus in Mariam. et Iosephum adeo proximum iustitiae solem liberaliorem extitisse? Crediderim sane coelestium charismatum margaritas, ac divini amoris aurum superabundantius, quam omnibus illis magnificentissime donasse.

679. Certe, si D. Athanasius, id referente Gratiano (lib. 3, cap. 4), contemplabatur porticum bethlehemiticum, velut sacerrimum templum, ubi praesepe erat altare; infans Deus humana carne indutus, Sanctissimum Sacramentum; sacerdos Ioseph; cantores angeli; aeternus Pater episcopus; Maria thronus, ac sedes episcopalis; licebit mihi simili modo contemplari domicilium illud, in quo Iesus, Maria et Ioseph habitabant, non solum velut domum orationis, sed ut coelestem aulam. Nam, si coelum a celando dicitur, quia coelestes opes celat: merito domuncula illa coelum meretur appellari, quae summum Incarnationis mysterium tegebat, et utriusque coniugis virginitatem celabat.

680. Quod si in coelo Beatissima habitat Trinitas, adest et in hac coelesti domuncula sacrosancta illa trinitas, Iesus, Maria, et Ioseph; sic enim loquitur magnus ille Cancellarius parisiensis (Serm. de Nat. Virg.): « Cuperem, ut mihi verba suppeterent ad explicandum tantum mysterium, tam admirandam, venerandamque trinitatem, Iesus, Maria et Ioseph ». Maria quidem refert Patrem, cum integra manens, eundem in tempore conceperit, ac peperit, quem ille ab aeterno genuit; Iesus ipsamet Verbi divini persona est; Ioseph autem Spiritus Sancti personam repraesentat, quia sicut ille amor est Patris, et Filii, Sponsum animarum, ac Paracletus, et consolator; ita Beatus Ioseph Matrem, et Prolem ardentissime amabat, Deiparae Virginis Sponsus, ac totius illius Sacrae Familiae solatium, et gaudium erat: ac tandem si in coelesti illa beatorum aula cuncti illius coelicolae clara Dei visione fruuntur; non secus Maria, et Ioseph clara humanitatis Christi intuitione continuo laetabantur. Cum ergo Beatus Ioseph in consortio Virginis vitae activae, et contemplativae perfectissimum gradum attigerit, nemo mihi audaciae adscribat, si perfectissimum omnium Sanctorum, una B. Virgine excepta, illum praedicem.

681. Ex his omnibus aliam efficacem rationem elicio huic argumento valde consentaneam, quia ministerium Iosephi, tam in ratione sponsi, quam adoptivi patris Christi fuit summe coniunctum cum ipsamet Christi persona, adeo quidem, ut proximius, quam omnis alia dignitas ad Dei Matris sublimissimam dignitatem accessisse videatur. Licet enim ministerium apostolatus in ordine gratiae gratum facientis, ut theologorum more loquar, supremum in Ecclesia dignitatis fastigium attingat, D. Paulo dicente (1. Cor. XII): « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos »; in ordine tamen gratiae unionis hypostaticae, qui ex suo genere perfectior est illo, et in quo primum locum obtinet humanitas Christi, quae immediate

Digitized by Google

unita esse noscitur personae Verbi; secundum Beata Virgo quae carne Verbum indutum genuit, et peperit; tertium locum tenuit Beatissimus Ioseph, cui de alendo, nutriendo, educando et protegendo Deum hominem specialis cura, nemini umquam data, divinitus fuit commissa; et forte hoc D. Matthaeus Evangelista (c. 1) significare voluit in eo ordine, quem servavit, quando post Iesum, et Mariam, tertio loco Iosephum nominavit, indicans in hoc, quod sicut in hac nominatione tertium locum obtinet Ioseph, eumdem etiam in gratia, et sanctitate teneat.

682. Cum ergo Sanctus Ioseph in hoc excellentissimo unionis hypostaticae ordine infimum gradum teneat, et infimum supremi excedat supremum infimi, ut infimus Seraphinorum excedit supremum Cherubinorum; consequens est, ut non solum ministerium Iosephi apostolorum ministerium, sed et gratia tanto muneri debita illorum gratiam longe superet: et merito quidem, quia illorum munus, seu ministerium ordinabatur ad corpus mysticum Ecclesiae tuendum; ministerium autem Ioseph immediate versabatur circa corpus naturale Christi nutriendum, fovendum, et protegendum...

683. D. Chrysostomus, qui (homil. 27, oper. imperf.) praeposuit Apostolis Ioannem Baptistam, ipse (in homil. 4) sic per Matthaeum testatur, Iosephum non esse inferiorem Ioanne Baptista, sic enim ait: « Sicut Christus existens in utero, Ioannem per matrem sanctificavit; ita profecto eandem summam quandam gratiam Iosepho donavit, qui illius difficillimi negotii pondus, tam forti, ac prudenti animo sustineret; ac propterea tantam ostendit mentis philosophiam ».

684. Tandem nobis adversari putant verba Christi Domini dicentis (Matth. 1): « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista ». Sed neque locus hic quidquam obest: nam illa Glossa praetermissa, quae illud explicat, quod nullus fuit maior austeritate ab infantia sua; omissa etiam aliorum expositione qui dicunt, sensum verborum illorum esse, ut nullus Ioanne Baptista fuerit maior in opinione hominum, cum Messias fuerit reputatus; his, inquam, interpretationibus explosis, D. Hilarius (can. 11), et D. Augustinus (l. quaest. vet. ac novi test. quaest. n. 26), interpretantur illa de maioritate, et excellentia in dono prophetiae. Verba Hilarii sunt haec: « Ex natis mulierum nullus maior Propheta surrexit ». His similia sunt alia D. Augustini dicentis: « Nullus Propheta, Dominus ait, maior Ioanne surrexit inter natos mulierum ». Praefatumque sensum germanum esse, constat aperte ex Lucae (c. VII), ubi Christus dixit: « Maior inter natos mulierum Propheta, Ioanne Baptista nemo est ».

685. Ex his omnibus infero, magis vere, ut opinor, quam audacter, excepta B. Virgine, D. Iosephum, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita et gloria in triumphanti omnes Sanctos praecellere: sicut enim sacri hi coniuges dignitate et paterno munere erga Christum et mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dum vitam mortalem agerent, ita ad aeternam felicitatem translati, beatitudine, et gloria propinquissimos esse decebat. Unde Cancellarius parisiensis (Ser. de Nat. Virg.) tam pie, quam prudenter dixit: « Quantus existimandus est iustus Ioseph in gloria, et in coelis, qui talis ac tantus inventus est in miseria et in terris? profecto, cum dicat Christus: ubi sum ego, illic et minister meus erit; ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris »: ibidem etiam in hunc modum cecinit (eod. serm. consid. 3):

Felix illa dies, toto celeberrima mundo,
Sacra docens laeta, quae scandit ad aethera Virgo
Mater, et angelicos cives supervolat omnes,
Huc tibi, virgo Ioseph, Iesus, et tua Sponsa
Propinquum, credere fas, statuunt solium.

Equidem cum Christus Dominus dixerit (Matth. x): « Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet »; certe Ioseph, qui Christum Dominum supremum omnium Prophetarum millies in domum suam suscepit, non potuit non eius praemium omnium Sanctorum esse supremum.

686. Verum, ut rem hanc pro modulo nostro nonnihil elucidemus, placet D. Bernardum (sup. missus est) imitari: nam sicut ille contemplatur divinas personas de humani generis salute sollicitas, de Incarnationis remedio exequendo inter se sermonem iniisse; ita et ego appropinquante tempore, quo Sancti Iosephi merita remuneranda erant, contemplor Patrem, et Filium, instar Tobiae iunioris, et senioris, de praemio illi conferendo inter sese collocutos fuisse. Sacra refert historia, patrem Tobiae, post reditum filii, illum ad se accersisse, ut de mercede Angelo Raphaeli danda, quem hominem esse putabant, pro labore itineris, quod cum ipso filio confecerat, inter se confabularentur: « Quid, inquit senior Tobia, possumus dare viro isti, qui venit tecum? » respondit filius: « Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti su-

Digitized by Google

mus: quid illi ad haec poterimus dignum dare? ».

687. Non dissimiliter, aeternum Patrem Christo Domino dixisse contemplor: Quid retribuemus, Fili, iusto huic viro Iosepho, cui ego te, tanquam patri, in terris tradidi? Filius respondit: Quam mercedem, Pater, dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ab eo per triginta annorum curriculum in me collatis? Ipse, antequam nascerer, me comitatus est; deinde iam natum me duxit, et reduxit Nazareth, in Bethlehem, inde in Ierusalem, a Ierusalem in Galilaeam; postea ab angelo admonitus, ut a devoratione immanissimi illius piscis (Herodem crudelem intelligo) me eriperet, in Ægypti longinquam regionem duxit, ubi labore artis fabrilis, et sudore vultus sui, et matrem, et prolem alebat; deinde ex Ægypto in Nazareth me reduxit; ipse peregrinationis meae fidelissimus extitit comes; ipse mihi esurienti cibum, sitienti potum porrigebat; ipse, cum hospes essem, me suscipiebat, cum nudus, me induebat; ac tandem, quandiu vixit, officio, et amore semper amantissimus mihi pater extitit.

688. His tantis obsequiis a Filio enarratis id putaverim respondisse Patrem: In coelesti hac nostra curia duo honoratiora sunt loca, unus dexterae tuae, alter sinistrae: tu nosti bene, naturali tuae Matri, ac legali tuo Patri ab aeterno illa fuisse praeparata; dexteram Mater, sinistram Pater accipiat.

689. Hinc, inter alias rationes, ob quas Christus Dominus matri filiorum Zebedaei ab eo postulanti, ut sederent filii eius, unus ad dexteram, et alter ad sinistram in regno suo, respondit Matth. xx: « Nescitis, quid petatis, etc. sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo »; eam nostro argumento valde consentaneam, minimeque contemnendam putaverim, quod iam ab aeterno loca illa dexterae, et sinistrae, immutabili Dei decreto, Mariae et Iosepho a Deo Patre destinata erant, qui cum Filio et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

690. **Hymnus XXX.**

Ioseph nova lux!
Sponsus et virgo Christique pater.

REGUM progenies, Isacidum decus,
Festo te celebrent carmine coniuges,
Certatimque ferant candida virgines
Sponso lilia virgini.
Tu Iosephe, novi lux nova foederis,
Tu custos sociae Virginis integer,
Tu sanctae thalamo coniugis abstinens,
Tu Christi tamen es Pater.
Alto progeniem quam bene creditam
Servas consilio, depositum Dei!
Tecum pervigiles coelituum Pater
Curas iuraque dividit.
Artus invalidum tu Puerum foves,
Infantique Deo pabula sufficis;
Et formata Dei te sine, de tuis
Crescunt membra laboribus.
Sint qui mille tubis undique personent,
Adventasse Deum, qui populos regat:
Tu commissa tibi non violabili
Velas Sacra silentio.
Sit laus summa Patri, summoque Filio,
Sit par alme tibi gloria, Spiritus,
Qui foecunda facis viscera Virginis,
Illabens utero Deus.

(Sanctolius Victorinus, Hymni Sacri).

691. **Memento.** — Aspice mentis oculis Infantem pulcherrimum iacentem in praesepio inter animalia. Vide fluentes lacrymulas, quibus tuas compuncti cordis admisce. Vide eius paupertatem, patientiam, humilitatem, etc.; aspice suavissimam Matrem, etc., aspice Sponsum Iosephum summa reverentia, fide, amore Parvulum adorantes, etc. Audi quid loquantur Maria, Ioseph, Angeli, Pastores; quid clament stabulum, praesepe, fenum et tanta paupertas; audi tenerrimos vagitus Pueruli, et ora ut intus tibi loqui dignetur, et quae audieris facere propone (Cuvelhier, Medit. breviss.).

XXXI. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE SANCTITATE S. IOSEPH SUPER CHOROS ANGELORUM ET ANTIQUOS PATRIARCHAS. VIR IUSTUS.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 9.

QUANTO magis coelestia contemplor charismata, quibus eximia Christi Domini magnificentia legitimum Genitricis suae Sponsum, legalemque suum patrem, Iosephum locupletavit, tanto in maiorem admirationem rapior, vehementiusque in eam propendeo sententiam, ut illum, Deipara Maria excepta, cunctis coelicolis praeponendum pie, et religiose censeam.

693. Ut rem tamen altius repetamus, in primis eum praefero primo nostro parenti: si enim illum constituit Deus caput omnium gentium, Iosephum certe constituit caput illius Sacrae Familiae, ubi Christum, et Mariam subditos sibi habebat: corpus capitis primi parentis genus humanum est, cuius plurima membra peccatis scatent; corpus autem mysticum, cuius caput constitutus fuit Ioseph, Iesus et Maria erat: ex huius ergo corporis excellentia coniice maiorem dignitatem capitis illius.

694. Deus olim Evam multis animi dotibus decoratam, in uxorem primo parenti tribuit: « Faciamus ei adiutorium simile sibi »; at excellentiorem aliam feminam,

Digitized by Google

immo omnium feminarum decus, et ornamentum, Mariam scilicet, futuram sui Filii Matrem, Iosepho in coniugem dedit; cuius dos copiosa adeo fuit, ut longe superaret ingentem illam dotem antiqui Patriarchae Iosephi sponsae datam; nam si illa, ut tradit Sixtus Senensis (lib. 2. Bibl.), secum in dotem tulit centum millia talenta auri, quibus, iuxta veriorem computationem, respondent sex ducatorum, aut scutorum milliones; Beata tamen Virgo non caduca auri, et argenti bona, sed coelestia gratiae munera et virtutum pretiosissimas margaritas in dotem tulit, quarum omnium vir eius Ioseph mirum in modum particeps fuit.

695. Si etiam Adamo potestatem concessit Altissimus, ut animantibus nomina imponeret; sane auctoritas, quam Iosepho contulit imponendi nomen « Iesu » Filio suo, « vocabis nomen eius Iesum », longo intervallo potestatem illam antecellit.

696. Quod, si ad priscos tam legis naturae, quam scriptae patriarchas mentis aciem convertimus, longe illis nostrum Iosephum feliciorem iudicabimus. Fateor, illos Christo consanguineitate fuisse coniunctos; sed Ioseph coniunctior multo, cum propinquior sanguine esset illius Genitrici. Patres illi Christum Dominum videre desiderarunt, sed solam eius umbram aspexerunt; « Omnia in figuris contingebant eis », ait Paulus (1. Cor. x). Unde cum Christus dixit (Ioan. VIII): « Abraham exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est » de visione prophetica locutus est, qua adventum Christi a longe praeadoravit.

697. Potentissimi etiam reges Verbum divinum humana carne indutum propriis oculis intueri ardentissime cupientes, minime obtinuerunt, Christo Domino dicente (Luc. x): « Multi reges desideraverunt videre, quae vos videtis, et non viderunt »; at Iosephus vidit eumdem recens natum, vidit infantem, vidit puerum, vidit iuvenem, immo, et per triginta annos manus eius contrectaverunt Verbum vitae, ut D. Ioannis verbis utar, sub humanae carnis mole delitescens.

698. Moyses, narrat sacra historia, quod, tametsi Deo familiarissimus, cum ab eo postulavit, ut vultum suum sibi manifestare vellet, solum obtinuit a tergo illum sub quadam apparenti humana specie prospicere (Exod. XXXIII): « Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris »; at Iosepho non a tergo solum illum videre, sed et vultum intueri, exosculari, et alitorem omnium alere fuit concessum, adeo ut illi eidem, de quo cecinit regius Vates (Psal. CIII): « Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore »: et rursus (Psal. CXLIV): « Et tu das illis escam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione ». Illi, inquam, eidem Ioseph manum suam aperiret, ut paterno munere fungens, alimentum omnium Creatori persaepe porrigeret.

699. Antiqui prophetae variis revelationibus fuerunt illustrati; at sublimiores, quam illi vigilantes, noster Ioseph dormiens accepit, cum frequenter, ut sacri Evangelistae testantur, Angeli ei divina sacramenta in sommis reserantes apparuerint. Quid plura? excessit, ut paucis dicam, cunctos antiquos Patres: nam, ut confinium, et orizon utriusque legis, veteris, et novae, instar sponsae (Cant. VII) omnia poma vetera, et nova servavit dilecto suo, matrimonium veteris, et virginitatem novae legis in unum coniungens, atque copulans.

700. Denique si cum Apostolis Iosephum conferas, in multis eos praecelluisse reperies; nam si ipsi gentibus Christum praedicarunt, Ioseph non pauca de Christi infantia eis indicasse creditur; si illi, nutritii fidelium fuerunt: « Quibus lacte opus erat, non solido cibo », ut dicebat Apostolus (Heb. v), Ioseph ipsius Christi nutritius fuit, pariterque educator, si ipsi singularem curam adhibuere, ut Christus cresceret in cordibus eorum, quibus D. Petrus (2 Petri II) dicebat: « Quasi geniti infantes, lac concupiscite »; certe Ioseph magnam sollicitudinem, sedulamque curam adhibuit, ut Christus, quem fabrili suo labore, ac sudore vultus sui alebat, in seipso in dies cresceret, sanguinemque aggregaret, quem in redemptionis nostrae pretium in ara crucis effunderet.

701. Ceterum, cum iam mortales homines, Deipara excepta, Iosepho inferiores ostenderimus, reliquum est, ostendamus ab eodem angelicos spiritus longe praecelli; quod, ut facilius praestemus, oportebit in memoriam revocare, Divum Dionysium (de coel. hier.), et Divum Gregorium (hom. 34 in evangelia), novem coelestium spirituum choros distinguere, quos illi vocant Angelos, Archangelos, Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Thronos, Cherubinos, et Seraphinos.

702. Officium quidem angelorum, hominum est custodia; at Iosepho excellentior alia custodia demandata fuit, quam istis, cum non hominis solum, sed Christi Domini, Dei pariter, et hominis, ac Matris suae, fidelissimus custos fuerit.

703. Archangeli reddunt divina oracula, et magni momenti negotia nuntiant, ut Michael, et Uriel, et Raphael, ille missus ad Danielem, alter ad Esdram, hic ad Tobiam; revera Ioseph Archangeli munus perfectissime exercuit, cum tribus regibus Magis, ne redirent ad Herodem, sed per aliam

Digitized by Google

viam iter suum facerent ex divino, quod acceperat, oraculo, eis nuntiavit, ut satis indicant verba Matth. c. II. : « Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam ».

704. Si angelicae deinde virtutes miracula magna operantur, ut contigit tempore Iosue (c. x , ubi ministerio coelestis cuiusdam virtutis angelicae, ad Iosue petitionem sol cursum suum cohibuit; mirabilius sane fuit, quod Ioseph solem ipsum iustitiae Christum Deum, et hominem, quandoque sistere, quandoque movere fecit, illo semper ad nutum ei obediente, ut clare satis indicant verba Lucae c. II. : « Et erat subditus illis ».

705. Potestatum munus est executrices esse divinae omnipotentiae, ut constat, ex 4 Reg. XIX , ubi sacra narrat historia, unum ex Potestatibus simul occidisse centum octoginta millia Assyriorum; id munus excellentius Iosephum exercuisse reperio, cum Christum in Ægyptum introducens, infantis virtute mirabili, omnia idola corruere fecit, dicente Isaia (c. XIX: « Ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti).

706. Quod si Principatus regiminis habent curam, inferioresque sedula diligentia gubernant; illud proculdubio omnem tam humanum, quam angelicum Principatum longe superat, quod Ioseph regimen habuit Matris, et prolis, Christi scilicet, et Mariae, quos tamquam tutor illius Sacrae Familiae gubernabat, et eorum singularem prudentiam, ac sollicitam curam regebat.

707. Rursus, si ad Dominationes pertinet supra Principatus dominari; excellentius sane, ac sublimius dominationis genus fuit, Iosephum tamquam virum Mariae super eam dominari, quae regina erat omnium Principatuum, ac vera ipsius Dei Mater; unde Cancellarius parisiensis (serm. de nat. Virg.) hoc dominii genus admirans, in haec verba prorumpit: « O miranda prorsus, Ioseph, sublimitas tua, o dignitas incomparabilis, quod Mater Dei, regina coeli, et Domina mundi appellare te Dominum non indignum putaverit ».

708. Throni angelici id muneris habent, ut sedes sint Dei, in quibus ipse requiescit: bone Deus, nulla umquam creatura, sola Deipara excepta, perfectius Iosepho, divinae maiestatis sedes et thronus fuisse reperitur, cum Iesum infantem millies in sinu suo foverit, milliesque ille inter eius brachia vigilans, et dormiens requieverit, et super eius pectus, tamquam super molle cervical, caput suum reclinaverit! unde apte satis accommodari possunt Christo Domino inter Iosephi brachia requiescenti verba illa (Deuter. XXXIII): « Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet ».

709. Ad haec, si Cherubim, scientia pleni, sublimium rerum sacramenta scrutantur; Ioseph quidem altissimum Incarnationis arcanum, ipsis etiam Cherubinis non satis perspectum, singulari Dei lumine illustratus agnovit, perplures eius circumstantias percalluit, ac Mariani pectoris secreta, quod archivium erat arcanorum Dei, limpidissima cognitione penetravit.

710. Tandem, si Seraphini divinam bonitatem, cuius dilectionis flammis exardescunt, manifestant; quis mihi inficiabitur, sanctissimum Iosephum ipsi seraphici amoris perenni fonti valde proximum, et ipsi divino igni propinquissimum, ipsique charitati per essentiam summe coniunctum, quia « Deus charitas est », divini amoris flammis, ultra quam dici possit, non exarsisse? maxime quod cum Christus dixerit (Luc. XII): « Ignem », scilicet amoris, « veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? » sane cum subiectam materiam Iosephini cordis perfecte dispositam invenerit, non potuit non magnus divini amoris ignis ardenter adeo in eo accendi, ut seraphicum amorem superasse mihi non difficile persuaserim.

711. Cum autem omne datum optimum de sursum sit, descendens a Patre luminum, ut (Iacobi c. I) verbis utar, non aliam tot donorum, ac coelestium munerum causam quaerendam esse reor, quam liberalem, ac copiosam benedictionem, qua Iosephum Pater misericordiarum benedixit; cuius magnam foecunditatem, ut clarius agnoscamus, placet Isaac Patriarchae benedictionem, quam dedit filio suo Iacob, necnon et alias, quas ipse Iacob iam iam moribundus filiis suis impertivit, in memoriam revocare, easque Iosepho nostro adaptare.

712. Isaac quidem, ut sacra Geneseos narrat historia (Gen. XXVII), in hunc modum filio suo Iacob benedixit: « Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti, et vini, et serviant tibi populi, et adorent te tribus ». Huius benedictionis quis non videat altius, et sublimius participem fuisse Iosephum, cum loco materialis roris, qui facile evanescit, ei datus fuerit in custodiam ros ille incorruptibilis, quem antiqui Patres desiderantes clamabant (Isai. XLV): « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum »; loco autem pinguis terrae, frumentum, et vinum producentis, data fuerit ei Mariana illa terra, foecunda quidem adeo, ut germinarit « Frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » (Zach. IX).

Digitized by Google

713. Venio ad benedictiones, quas ipse Iacob natis suis impertivit. Ad Iudam dixit, non esse auferendum sceptrum de Iuda, et ducem de femore eius: quod sane in domo Iosephi impletum fuit, cum de ventre Sponsae illius Christus Dominus, christiani populi dux, egressus fuerit in salutem populi sui. « Lavavit », inquit deinde (Gen. XLIX), « in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum »; id etiam singulari modo contigit Iosepho, qui infanti Iesu sanguinem in circumcisione effundenti compatiens, lacrymarum profluvio animam suam inundavit.

714. Zabuloni insuper dixit, habitaturum in littore maris, et in statione navium perventurum usque ad Sidonem: Mariam sponsam Iosephi, « Mare » interpretari docet Divus Hieronymus (de nom. Hebr.): iuxta hoc ergo mare, in quod confluxerant omnium gratiarum flumina, per triginta annos habitavit Ioseph, et in consortio illius tandem ad mortem pervenit, per Sidonem « insidias » significantem apte praenotatam; cum nusquam daemon maiores, quam in hora mortis illas paret.

715. Ad Issachar autem Iacob se convertens (Gen. XLIX): « Inter medios terminos habitaturum » dixit, et humerum suum ad portandum onera suppositurum; id quoque ad unguem, immo excellentius impletum intueor in Ioseph, qui et inter terminos veteris et novae legis vixit, et inter illos alios coelestes totius sanctitatis terminos, ac fines Iesum, et Mariam, vitam egit: nec enim excogitari potest perfectior filius, quam Iesus, nec excellentior sponsa, quam Deipara Maria. Humerum item ad gravia onera portanda Iosephum supposuisse, nemo sanae mentis ambiget, qui varia itinera ob Christi defensionem suscepta, tam profectionis in Ægyptum, quam reditus inde in Ierusalem, non ignoraverit.

716. Post haec filio Dan hanc benedictionem Iacob dedit, quae haec duo praecipue continet; primum, quod faceret hostem suum cadere retro, secundum quod expectaret salutare Dei: nihil certe horum desideratur in Iosepho, cum communem humani generis hostem per matrimonium cum Beata Virgine, celata diabolo eius integritate, fefellerit, et quasi cadentem retrorsum irriserit; praeterea expectavit salutare Israel, sed aliter, quam ille cum Sponsa sua salutem, et Salvatorem mundi mox pariendum certo sciret, quod ei solum fuit concessum, qui solus meruit in Sponsum Virgini dari.

717. Rursus ad filium suum Gad respiciens, hanc illi dedit benedictionem: « Gad accinctus, praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum »: sane D. Ioseph angelico oraculo monitus, ut fugeret in Ægyptum, continuo accinxit se, et Herodem mortem infantis Iesus machinantem delusit; benedictio ergo Gad apte convenit Iosepho.

718. Iam ad Aser Iacob sermonem dirigens, inquit (Gen. XLIX): « Aser, pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus »: certe cum pane Ioseph nullus quantumcumque pretiosissimus panis valet comparari: Maria fuit, « quae quasi navis institoris de longe portans panem suum » (Proverb. XXXI), coelestem illum panem nobis praestitit, qui dixit Ioan. VI: « Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi »: hic panis datus fuit Iosepho, ut custodiret illum filiis, non canibus: quia, ut Veritas ipsa dixit (Matth. XV): « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus »: unde, cum rabidus ille canis Herodes hunc panem devorare concupisceret, Ioseph abscondit illum ab eo, et in longinquam Ægypti regionem transportavit.

719. Ad Nephtalim deinde verba faciens, in hunc modum benedixit (Gen. XLIX): « Nephtali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis ». Si solent parentes, et nutritii infantibus dulcia verba loqui, persaepe repetentes: mi rex, mi princeps; id non semel Iosephum factitasse crediderim, mellifluis verbis Iesum infantem demulcendo, at non falso, sed veracissime ei dicebat: mi princeps, mi rex, cum revera Rex esset regum, et Dominus dominantium.

720. Ad Iosephum vero orationem convertens Iacob longiorem, et cumulatiorem benedictionem ei impertivit, quae nostro argumento mirum in modum congruit, cum antiquus ille patriarca Sponsi Virginis Iosephi figuram praesetulerit: in primis ait illi (Gen. XLIX): « Filius accrescens Ioseph »: egregie nomen hoc, quod « incrementum » significat, nostro Iosepho convenire perhibetur, cum tantopere creverit, quod, ut nuper ostendimus, et homines, et angelos sanctitate longe antecelluerit. Deinde subiungit Iacob ibid.: « Deus patris tui erit adiutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvae »: hanc benedictionem noster Ioseph sublimius, quam ille nactus fuit, dum in Sponsam suam Virginem accipiens, cuius sacer venter virginitatis liliis vallatus Iesum peperit, et cuius ubera divino nectare de coelo plena eumdem infantem lactaverunt.

721. Hae sane nostro Iosepho fuerunt benedictiones uberum, et vulvae, necnon et abyssi iacentis deorsum, cum abyssus latentis deitatis sub humana carne, pueri in abiectissimo praesepii loco iacentis coelestibus

Digitized by Google

benedictionibus Iosephum frequenter impleverit.

722. Huc etiam facit mosaica benedictio, qua in hunc modum antiquum illum patriarcham Iosephum cohonestatum fuisse legimus (Deut. XXXIII): « Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph »; haec benedictio plenius super caput nostri Iosephi cecidit, cum per multos annos cum Maria, pulcherrima omnium feminarum, dilectissima sibi Sponsa cohabitans, non solum corporis, sed et mentis virginitatem adeo custodierit, ut nec minima libidinis cogitatiuncula animum eius pulsaret. Fuit igitur Ioseph rubus ardens incombustus, de quo licebit dicere cum Moyse (Exod. III): « Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus? » Cecidit quoque haec benedictio rubi super Ioseph, dum Maria eius Sponsa maternitatem ita cum virginitate copulavit, ut Ecclesia catholica a Spiritu Sancto edocta, ei canat: « Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem ».

723. Tandem ultimum colophonem imponens Iacob benedictionibus suis, ad Beniamin dixit (Gen. XLIX): « Beniamin, lupus rapax, mane comedit praedam, et vespere dividet spolia: » profecto Beatus Ioseph honestiorem, quam Beniamin victus quaeritandi rationem elegit: nam consiliis patris sui David (Psal. CXXVII) dicentis: « Quia labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit », innitens, fabrilis artis exercitio, summo mane surgens alimenta quaerebat, et velut sui laboris spolia inter Iesum, et Mariam, ad eorum sustentationem iuste, sobrie, et sancte dividebat.

724. Ad haec, ut paucis multa dicam, cum sacer evangelista Matthaeus divino spiritu afflatus, probe agnosceret, ineffabilia esse Iosephi encomia, nec plurima volumina ad ea digne decantanda sufficere posse, volens, quasi per compendium, ea describere, his duobus verbis illa complectitur, « Virum iustum » illum vocans: « Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, noluit eam traducere »; potuisset quidem evangelista, coniugem, seu maritum Mariae illum vocitasse; at consulto dixit, « vir eius », ut maritum simul, et virum esse indicaret: non enim omnes mariti viri sunt; nam, ut Diogenes dicebat, « homines permulti, viri perpauci ». Unde ipse in foro hominibus pleno, ardentem facem in manu dum portaret, et quasi aliquid quaeritaret, hac et illac cursitaret, a multis interrogatus, quid quaereret? respondit: « Homines; tamen non invenio, quia hi, quos video, cum more bestiarum vivant, inter bruta animantia connumerari merentur »; idem etiam, cum agnovisset optimum Lacedaemonum regimen, et reipublicae eorum praeclaram institutionem, dicebat: « Solae Lacenae viros pariunt »: quam egregiam sententiam Deus ipse per Isaiam (c. LIX) praemiserat, dicens: « Vidi, quia non est vir ».

725. Ad haec, « vir » (ut docet D. Gregorius « a virtute » dicitur, prout idem est « fortis », quod vir; et ideo ubi nostra Vulgata vertit: « Confortare, et esto robustus »: hebraicum originale legit: « Confortare, et esto vir ». Ut ergo evangelista Iosephi excellentiam commendaret, « virum » vocat illum, et non « maritum », licet alioqui legitimus coniux eius esset. « Iustum » deinde eundem praedicat, « Cum esset iustus », in quo mira latent Iosephi praeconia: Aristoteles (5. Eth.), Macrobius (in somn. Scip.), et S. Thomas (2. 2 q. 58), iustitiam bifariam accipi docuere; primo pro virtute speciali iustitiae, cuius munus est, reddere unicuique quod suum est; secundo pro rectitudine animi, quae ex omni virtutum aggregatione coalescit; et in hoc sensu dixit (Matth. I): « Cum esset iustus, noluit eam traducere ».

726. Sacra eloquia, ut in plurimum, commendant specialem aliquam virtutem in sanctis, quae in eis magis effulsit: simplicitatem animi in Noe, obedientiam in Abraham, patientiam in Iob, orationem in Iosue, fortitudinem in Samson, castitatem in Ioseph, mansuetudinem in David, constantiam in Machabaeis, fidem in Petro, amorem in Ioanne, vitam contemplativam in Magdalena, activam in Martha; ac tandem de singulis confessoribus canit Ecclesia: « Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi »; quia singuli speciali aliqua virtute floruerunt: at cum noster Ioseph omni virtutum genere praefulgeret, a iustitia, et rectitudine animi, quae omnes illas complectitur, illum laudat evangelista dicens (Matth. I): « Ioseph vir eius, cum esset iustus.

727. Certe vulgari sermone idem pollet « iustum », quod « aequale », quae acceptio iustitiae satis consentanea esse perhibetur, cum proprium illius sit, facere aequalitatem rei ad rem; unde, cum illud dicatur alteri aequale, quod nec plus, nec minus illo habet; nihil aliud erit esse iustum, quam ita regulae rationis, ac divinae legi adaequari, ut nec per defectum, nec per excessum ab ea deflectat.

728. Quia igitur Divus Ioseph divinae voluntati obsequentissimus semper extitit, et divinae legis regulae toto tempore vitae suae adamussim se conformavit, ideo etiam merito evangelista illum « iustum » vocavit.

729. Illud discrimen interest inter eum,

Digitized by Google

qui iustis calceis instar nobilium, et eum, qui amplis, et lassis instar rusticorum incedit, quod ille, si minimus scrupulus calceos subintret, anxiatur, et premitur; ille vero, cuius calcei lati sunt, etiamsi terra, aut palea ingrediatur, nec minimo dolore afficitur; non secus vir iustus, quia arctam habet conscientiam, quicumque etiam venialis peccati scrupulus illum angit; peccator vero, qui latam illam habet, etiamsi terreni affectus, graviaque peccata illam subintrent, nihili illa facit.

730. Erat igitur noster Ioseph vir iustus adeo, ut nihil terrenum in mundissimum eius animum ingrederetur, sed in dies in iustitia magis, ac magis crescebat, ne a nomine Iosephi, quod incrementum significat, degeneraret; quod si quidpiam levissimi pulveris subintrabat, confestim illum excutiebat. Unde adamussim ad illud Apoc. XII) respiciens: « Qui iustus est, iustificetur adhuc », in eo semper singularissimam curam impendebat, ut ad anteriora se extendens, continuum virtutum incrementum susciperet, quod proprium est viri perfecti..

731. Tandem id mihi palam facit eximiam D. Iosephi iustitiam, et sanctitatem, quod, cum navis aliqua pretiosissimis mercibus plena, in altum tendit mare, quaeri solet assecurator, immo multi, quia unus solus id praestare non potest; ita cum Maria esset quasi « navis institoris, de longe portans panem suum », coelestium charismatum mercibus onusta, ac variis gratiarum praerogativis locupletissima, solus Ioseph inventus est, qui pretiosissimas eius honoris et famae merces assecuraret, quod tamquam divinis muneribus ditissimus, perfecte adeo praestitit, ut etiam Sponsam, quam numquam tetigerat, gravidam observans, eius honori consulens, minime accusaret, dicente Matth. 1): « Cum esset iustus, noluit eam traducere.

732. Quid plura? hoc unum eius iustitiam super omnium sanctitatem mirum in modum extollit, quod rationi consentaneum putaverim, si Christus naturalem aliquem humanum patrem, ut revera potuisset, habiturus esset in terris, non alium elegisse, quam Iosephum, quem in patrem legalem elegit, atque adeo eisdem divinis charismatibus illum exornasse, quibus naturalem patrem cumulasset; maxime cum recte Dominus agnosceret, non minori paterno affectu Iosephum illum fore prosecuturum, quam si naturalis eius pater in terris exstitisset. « Iustum » igitur per anthonomasiam illum fecit, qui « iustus » est per essentiam, Iesus, filius Mariae, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen...

733. Hymnus XXXI.

Ioseph maximis exornatus honoribus.

Gaude, Ioseph, fili David
Quem tam magno decoravit
Deus privilegio.
2. Ut sis suae Matris custos,
Consignatus inter iustos,
Certo Dei nuntio.
3. Matri custos es donatus,
Tu de regum stirpe natus
Simul et pontificum.
4. Ioseph, Iesu nutricius,
Davidque consanguineus,
Hoc genus magnificum.
5. Magnus honor Ioseph datur
Cum Mariae desponsatur
Genitrici gratiae,
6. Virginitatem tenuit,
Per ipsam clarus, claruit
In virtutum acie.
7. Ioseph iustus visione
Nec non allocutione
Solatur angelica.
8. Cui Christus obedivit,
Unde Ioseph acquisivit
Magna dona coelica.
9. Ioseph iuste, Ioseph pie,
Ioseph, defensor Mariae
Atque dux coelestis viae,
Impetres, ut omni die
Vivamus christianiter.
10. Et a malo protegamur,
Et hinc ire mereamur,
Ubi luce contamur
Atque Dei perfruamur
Facie perenniter.

(Cfr. Dreves, Analecta Hymnica Medii aevi, t. VIII, p. 157).

734. **Memento.** — Considera, quomodo Iesum quaerant SS. Coniuges: 1. Dolentes, sciebant enim qualem amisissent. 2. Diligenter et sollicite, nihil omittendo quo eum reperirent. 3. Constanter toto triduo, donec eum invenerint. 4. Addebant sine dubio ardentes preces ad Deum Patrem, etc. Atque hisce modis tu, si contingat Iesum perdere, require.

Considera, ubi quaesierint: 1. *Inter cognatos et notos*, sed frustra; nam qui dilectissimam Matrem reliquerat, non adhaerebat cognatis: nos saepe, qui parentes reliquimus, patimur nos nescio qua saecularium familiaritate abduci. 2. *Regressi sunt Ierosolymam*, visionem pacis, credentes quod *in pace locus eius*, etc. 3. Tandem in templo, ubi eum invenerunt, etc. (Cuvelhier, Medit. breviss.).

Digitized by Google

LIBER II.

I. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE VERBIS « VOLUIT EAM DIMITTERE » QUAE HUMILITATEM S. IOSEPH IN PRAESENTIA MYSTERII PRAEGNATIONIS B. M. V. CONFIRMANT, ET NULLAM SINISTRAM SUSPICIONEM IMPORTANT.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius D. Ioseph, hom. 10.

Scio quidem gravissimos quosdam Patres in eam abiisse sententiam, ut putarent, Iosephum vere dubitasse de Virginis castitate, immo, et iudicasse adulterii ream esse, valdeque excruciatum fuisse, quod illam sic intueretur gravidam, quam certissime sciebat se, ne mente quidem attigisse; fuisse tamen magnae iustitiae opus patienter illatam sibi iniuriam tulisse absque revelatione et accusatione...

736. Alii Patres in oppositam e diametro sententiam abeuntes, docuerunt, B. Iosephum agnovisse altissimum Incarnationis mysterium, idque significasse evangelistam, cum dixit (Matth. I): « Inventa est habens de Spiritu Sancto »; inventa, exponit D. Hieronymus, « a Ioseph qui licentia pene maritali omnia noverat uxoris arcana »; aiunt ergo illum, prae singulari sua modestia, ac humilitate, Matris Dei consortio indignum se iudicantem, statuisse in animo suo illam dimittere, memorem illius, quod dictum est Moysi (Exod. III): « Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est ».

737. Certe Petrus simili humilitatis spiritu ductus, illam protulit vocem (Luc. V): « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum »; quibus etiam consonant verba illa humilia D. Ioannis Baptistae (Ioann. I): « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti »; atque in huius figuram dicitur de David (II Reg. VI): « Timuit introducere arcam Dei in domum suam »; prae magna enim sua humilitate dicebat: « Quomodo ingreditur ad me arca Dei? »

738. Amplexatus est hanc sententiam in primis Origenes (in Matth. c. I), dum ait: « Iustus erat Ioseph, et illa Virgo immaculata erat; sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat: ergo humilians se ante tantam, et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere ». Haec ille.

739. Cuius persimilia lego apud D. Basilium (hom. 25, tom. I) dicentem: « Inventa est gravida de Spiritu Sancto; ambo invenit Ioseph, et conceptionem, et causam, quod de Spiritu Sancto; quapropter timens eiusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam dimittere voluit; non ausus publicare, quomodo res ipsius haberent; cum autem esset iustus, assecutus est mysteriorum revelationem; nam, dum haec ipsa animo versaret, angelus Domini apparuit ipsi per somnium dicens: Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam; nec illud cogita, quod suspicionibus absurdis obumbrabis peccatum: iustus enim appellatus es; non est viri iusti iniquitates silentio contegere; ne timeas, accipere Mariam coniugem tuam; ostendit, quod non moleste tulit, neque fastidivit, sed timuit

Digitized by Google

ipsam, veluti Spiritu Sancto repletam »; et in illa verba angeli (Matth. 1): « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam », idem Sanctus Doctor ostendit, quod Virginem Ioseph non sit abominatus, nec moleste tulerit, sed quod eam metuerit, ut Spiritu Sancto plenam. Haec ille.

740. Quibus non possum egregia D. Bernardi verba, etsi permulta, non subiungere: ait enim: « Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc, non meam, sed Patrum sententiam; propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellabat dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum: propter quod et Centurio a domo sua illum prohibebat, cum diceret: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; ita ergo et Ioseph indignum, et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali, et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem: videbat, et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne, et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit Centurio praesentiae maiestatem; exhorruit nimirum et Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem, et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris, quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias et Sanctam Elisabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem, et reverentia? ait namque: unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam; sed quare occulte, et non palam? ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio, quid enim vir iustus responderet populo durae cervicis, populo non credenti, et contradicenti? si diceret quod sentiebat, quod de illius impuritate comprobaverat, nonne mox increduli, et crudeles Iudaei subsannarent illum, lapidarent illam? quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt, etiam miraculis corruscanti? Merito ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam ».

741. Hanc eamdem opinionem sequutus Cancellarius parisiensis (tom. 1, in epist., quam de instit. fest. D. Iosephi scripsit) ait Dei parentem, antequam ad Elisabetham invisendam abiret, stupendum Incarnationis mysterium carissimo Sponso aperuisse; obstupuisse vero, ut par erat, Iosephum et de coniuge dimittenda, quod illius convictu esset indignus, cogitasse. Et Viguerius (in theolog. institut., cap. 20, § 9) tradit. sanctitatis splendorem effulgentem post Christi conceptionem in integerrimae Virginis vultu in admirationem Iosephum rapuisse; et paulo post tamquam indignum ab eius consortio se voluisse sequestrare.

742. Tandem horum Patrum sententiae subscribunt alii gravissimi doctores: Theophylactus (in locum hunc Matth.), Richardus de S. Victore (ib.), Ekius (ibid.), et Salmeron (tom. 2, tract. 3), favetque illi insigne testimonium ex revelatione sanctae Birgittae (lib. 7, cap. 25) facta, cuius verba sunt haec: « Postquam consensi nuncio Dei, Ioseph videns uterum meum virtute Spiritus Sancti intumescere, expavit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta prophetarum praenunciantium, Filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali servire Matri, donec angelus in somnis praecepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare...

743. Inter extremas has sententias supra comprobatas, ego mediam viam probabiliorem existimo; nimirum, B. Iosephum, cum uxorem praegnantem vidisset, non existimasse quidquam mali de B. Virgine, sed nec quidquam boni, sed summa perplexitate cruciatum, viriliter suspendisse iudicium, illud Ecclesiastici (cap. xx) in memoriam revocans: « Deprime cor tuum, et suscipe verba intellectus, et ne festines in tempore obductionis ». Non desunt gravissimi Patres, qui huic sententiae adhaereant...

744. **Hymnus I.**

Ad Iosephi gaudia salutatio.

Gaude, Ioseph, Fili David,
Deus quod dignificavit
Te regali prosapia,
Orta qua fuit Maria.
2. Gaude, tibi non negatum,
Quod Ioanni est collatum,
Intra matris suae ventrem
Sanctam esse suam mentem.
3. Gaude, virginali flore,
Quo nitebas ac decore
Omnium virtutum clare,
Fac, mi Iosephi, te amare.
4. Gaude, Deus quod probavit
Dignum te et demonstravit
Cui Mariam copularet
Virginem qui et servaret.
5. Gaude, quod te reputasti
Ut indignum, recusasti
Cum Regina angelorum
Copulae subire thorum.
6. Gaude, tibi quod illuxit
Angelus qui et induxit
Te accipere coniugem
Mariam semper Virginem.
7. Gaude, cui famulatum
Et in Bethlehem ducatum

Digitized by Google

Praestitisti mente pia,
Ubi peperit Maria.
8. Gaude, cultu quod latriae
Primitus regem gloriae
Adorasti, solotenus
Pro nobis missum coelitus.
9. Gaude, Deum quod laudantes
Gloriam audis cantantes
Angelorum exercitus,
Quod nobis natus est Christus.
10. Gaude, totis quod medullis
Amas Iesulum, quem ulnis
Eius quam saepius stringis
Dans oscula et maxillis.
11. Gaude, quod tu pater Christi
Dignus dici meruisti,
Eo quod eras nutritor
Matris eius atque tutor.
12. Gaude, annis quod ter denis
Virtutibus cum his plenis
Vixeras hic, cum patribus
Dormis, illis praesentibus.
13. De hac vita feliciter
Coronandus sublimiter
Perge, o Ioseph, Deo care,
Sis dux meus hoc per mare.

(Orat. ms. Ambergense anni 1476. Cfr. Dreves, Analecta Hymnica medii aevi, t. XV, p. 213, n. 190).

745. **Memento.** — O Virgo omnium reverendissima, quis moeror virgineum maternumque Cor tuum obsedit cum ex Ierosolyma rediens, non habuisti tecum, neque cum Ioseph reperisti Iesum Filium tuum? Amiseras lumen oculorum tuorum, amiseras in quo habebas omnia, nec ubi quaerendus esset sciebas. Quamobrem anxia eras Mater pro Filio: siquidem modica eius absentia, longa tibi nimis videbatur (Lanspergius, V, 188).

II. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE NOMENCLATURA PATRIS CHRISTI S. IOSEPH DEBITA, ET DE MAGNITUDINE HUIUS DIGNITATIS.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius S. Ioseph, hom. 11.

QUAMVIS sacra pagina nos doceat. Christum Dominum virtute Spiritus Sancti, absque virili opera ex purissimis Mariae sanguinibus conceptum fuisse, ut aperte indicavit Angelus Iosepho dicens (Matth. 1): « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est »; eadem tamen Iosephum « patrem Christi » fuisse appellatum, apertissime nobis testatum reliquit, quia non solum ait, sic vocatum ab his, qui Incarnationis arcanum ignorabant, dum dicebant (Matth. XIII): « Nonne hic filius fabri est? » sed et a sacro evangelista Luca (c. 11) qui divino Spiritu afflatus dixit: « Erant pater, et mater eius mirantes super his, quae dicebantur »; immo et iterum: « Cum inducerent puerum Iesum parentes eius »; Beatissimaque Virgo, ac omnium evangelistarum sapientissima « patris » nomine pleno ore eum cohonestavit, cum dixit: « pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te », veracissime potuisset dicere: Sponsus meus, et ego; vel, nutritius tuus, et ego: his tamen omissis non dixit: nisi « pater tuus et ego », ut nos omnes alliceret ad honorandum Beatissimum Iosephum sub hoc celeberrimo titulo « patris Christi », qui adeo excelsus est, ut quandam praeseferat auctoritatem supra Christum, quo nihil sublimius dici potest.

747. Cum ergo nomina divini Spiritus nutu imposita consonent rebus; non potest patris Christi nomen Iosepho divinitus per os Mariae impositum non adamussim ei congruere. Et quidem in primis « Christi pater » apte convenit vocitari, quia ut docuit D. Augustinus (lib. 2. de consensu evang., c. 1), ipse Christum Dominum in Filium adoptavit, et paterna omnia officia quae patres exhibere solent, diligentissime Iesu praestitit; verba D. Augustini haec sunt: « Nec enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia illum non genuerat; quandoquidem recte pater illius esse potuit, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset »; cui sane adoptioni Christus consentiens, visus est, plane in patrem suum legalem illum elegisse.

748. Unde quemadmodum qui solum per electionem, et non iure sanguinis ad regiam dignitatem ascendit, non minus a cunctis rex vocitatur, nec minor obedientia, et honor ei defertur, quam si ex paterna haereditate regnum obtinuisset; ita quidem licet, ut observavit D. Damascenus (or. 13), Ioseph natura pater Iesu non extiterit, tamen, quia ex Christi electione in patrem suum ipse eum assumpsit, iure quidem honorificum adoptivi patris Iesu nomen sibi vindicat, et velut patri obedientia et honor illi debetur. Et quidem non parum Iosephum commendat, quod ille, cuius filii adoptivi sunt martyres, confessores, apostoli, et omnes sancti, ipse Iosephi adoptivus filius esse voluerit.

749. Deinde Bernardus (serm. 1, super Missus) vocat D. Iosephum « nutritium Christi »; nihil autem frequentius apud infantes, quam nutritium nutricis virum patrem suum compellare; tanto autem magis nomen hoc « patris » ei convenit, quanto exactius, ac diligentius nutritii munus erga Iesum exercuit, ac sedulam eius curam gessit; hinc D. Chrysostomus (hom. 4, in Matth.) eleganter dixit: « Non quia ex Spiritu Sancto est, idcirco te a ministerio tantae aestimes desponsationis extraneum; nam, etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod est proprium patris, quodque nihil laedit Vir-

Digitized by Google

ginis dignitatem, hoc tibi facile concedo: quamquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum, et sollicitudinem ostendis parentis ».

750. Ad haec: si pupilli tutores suos merito « patres » vocare consuevere; plane hoc etiam nomine Ioseph pater Christi vocari meretur, ut auctor est Rupertus (de div. offic. c. 19), qui versans illa verba: « Iacob autem genuit Ioseph », postquam totam illam generationum seriem scalae Iacob comparaverat, ait, supremum scalae gradum, cui Dominus innixus erat, fuisse Iosephum; et interrogans, quomodo ergo nitebatur? respondet, « utique tamquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic Beato Iosepho, infantulo pater optimus, cuius solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur »...

751. Quod si ad custodiam nostram Deus spiritus angelicos destinavit; sane, cum loco Angeli custodis, qui Christo nullus fuit assignatus, quia ipse potius erat custos Angelorum, eos, qui non ceciderunt a casu praeservans; cum, inquam, S. Ioseph in Christi custodem fuerit divinitus ordinatus; non dubito, quin ipsos etiam angelicos custodes longe praecelluerit. Quod si de Angelis ait David (Ps. XC): « Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis »; Ioseph in via ad Ægyptum, et in via ex Ægypto ad propriam patriam, Christum infantem custodivit, et velut alter Raphaël Tobiam iuniorem incolumem ad propriam domum reduxit, immo et ab immatura morte, quam herodiana tyrannis ei inferre moliebatur, diligenter eripuit.

752. Et si de eisdem Angelis ait idem regius Vates (ibid.): « In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum »; quis, quaeso, in dubium revocabit, hunc sacrum custodem, tamquam Christi nutritium, per lutea illa Ægypti itinera manibus et brachiis illum amplexantem, tamquam divinum atlantem non semel eum portasse: « Qui tribus digitis appendit omnem molem terrae? » unde D. Bernardus (serm. 34, in cant.) dixit: « Arbitror, et Ioseph virum Mariae super genua frequenter puero arrisisse ».

753. Hanc autem sedulam custodiam, quam Beatissimus Ioseph habuit Iesu et Mariae, non obscure adumbratam reperio in illo antiquo paradiso, in quo constituit Dominus primum hominem principem rerum omnium, cui commisit custodiam paradisi, et maxime ligni vitae, et fontis illius perennis, ex quo irrigatur orbis. Lignum vitae Christus est; fons perennis et signatus, ex quo aqua vitae processit, Sanctissima est Dei Genitrix; Ioseph praepositus est a Domino, ut custodiret paradisum, et fabrili arte operaretur, atque labore suo Dei Filium, et Matrem aleret.

754. Praeterea alio etiam titulo noster Ioseph patris Iesu nomen meretur, quia patrinus eius fuit; est autem manifestum, patrinum « patrem » appellari, immo quamdam spiritualis paternitatis dignitatem contrahere: Ioseph enim in circumcisione Christi, quae tunc instar baptismi erat, patrinum eius fuisse non obscure constat: quia, ut D. Hieronymus (test. 4, opus. p. 1) ait, minister fuit illius circumcisionis; vel, si non fuit, ex divino tamen oraculo nomen « Iesus » illi imposuit, ut docent D. Bernard. (serm. 1, de circum.), et Ephrem Syrus (orat. de Trans. Dom.) ex illo: « Pariet filium, et vocabis nomen eius Iesum ». In quo etsi obiter id dicam, magna etiam latet nostri Iosephi laus: nam si Adami grandis dignitas esse censetur, quod nomina animantibus imposuerit: « quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius »; absque ulla comparatione maior erit Iosephi dignitas, quod nomen imposuerit non creaturae, sed creatori, tamquam proprium Dei.

755. Refert regius Vates, quod Deus stellas numeret, et eis nomen imponat (Ps. CXLVI): « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat »: aliquid tamen isto excellentius Deus ipse Iosepho communicavit, dum non stellis, sed ei, qui numerat stellarum multitudinem; non astris, sed ei, qui nomen illis imposuit, ipse nomen imponat.

756. Quod, si deinde Naaman Syrus, ut legimus (IV. Reg.), vocabatur « pater » a famulis suis, quia patronus, et gubernator illius familiae esset: « Pater, etsi rem grandem tibi dixisset propheta, certe facere debuisses »; hoc etiam titulo et ratione merito Beatissimus Ioseph dignus est « patris Iesu » nomine donari, cum Marianae illius familiae caput, rector, et gubernator esset, adeo ut recte ei conveniant davidica illa verba (Ps. CIV): « Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae »; in cuius figura Ezechiel c. x regnum Dei videns in curru, tria praecipue notavit: Thronum, Principem, et Cherubinum currum gubernantem: thronus erat Maria; princeps Iesus; ductor et gubernator Ioseph.

757. Extant tamen, praeter hos omnes titulos, duo alii potiores, ob quos praecipue B. Iosephum Christi patrem merito vocari debere arbitror. Primus est, quem nemo ignorat, nam maritus uxoris, quae ex priori matrimonio liberos procreaverat, ipse quidem, licet eos non genuerit, filios vocat, et ipsi vicissim patrem illum compellant; si hoc ergo ita se habet, ut experientia notissimum est, potiori iure Ioseph pater Iesu nuncupari debet, et Iesus filius Iosephi dici; nam filii uxoris ex primo matrimonio geniti alium hu-

Digitized by Google

manum patrem habuerunt; et cum illi nati fuere, maritus secundus cum eorum matre adhuc matrimonium non contraxerat; in praesenti tamen mysterio, nec Christus aliquem humanum naturalem patrem habuit, neque extra coniugium Mariae cum Ioseph iam celebratum, natus nec conceptus fuit Christus. Est ergo magis cum ratione consentaneum, Iosephum patrem Christi appellari, quam secundum illum maritum, ut eleganter adnotavit S. Epiphan. (haer. 78).

758. Secundus titulus, et omnium potissimus, ob quem Beatissimus Ioseph Christi pater cognominari debet, in omnium ore versatur, scilicet, quia iure matrimonii corpus B. Virginis erat ipsius Iosephi; Apostolo dicente (I Cor. VII): « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir »: unde necesse erat, Iosephum patrem Christi esse non generatione sua, sed generatione Mariae uxoris suae, operante Spiritu Sancto, qui vices Iosephi quodammodo gessit...

759. Scio D. Lucam c. I Davidem vocasse patrem Christi, dum ait: « Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius »; huius tamen nominis encomium a longe ei competebat, quatenus Christus ex prosapia eius longa generationum serie intermedia, descendebat; qua etiam ratione multi scelerati homines eiusdem genealogiae Christi patres dici possent; at noster Ioseph, quantum seclusa naturali generatione excogitari potest, verus Christi pater, et omnium proximior extitit, cum revera pariter maritus, et consanguineus Mariae esset, quae vera Christi Genitrix erat.

760. Sane, si Christum Dominum non parum Ioannem honorasse existimamus, dum in lectulo crucis iacens, filium Mariae illum constituit dicens Matri (Ioann. XIX): « Ecce filius tuus »: ego sane tanto maiorem arbitror praestitisse Iosepho favorem, dum in patrem suum illum elegit; ut elegisse testantur verba Virginis (Luc. II): « Ecce pater tuus, et ego », quanto paternitas propter superioritatem, quam importat, filiatione praestat, et quanto Christus Mariam praecellit.

761. Unde non dubito, quin sicut Elisabeth exclamans, dicebat (Luc. I): « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » sic et noster Ioseph diceret: unde hoc mihi, ut Mater Domini mei uxor mea sit? unde tantum mihi honor, ut eius Sponsus sim, cuius Deus Filius est?

762. Deinde ad dignitatem patris pertinet subditum sibi habere filium: quid autem gloriosius, quam quod Ioseph, mortalis homo, Iesum verum Deum sibi subditum, atque ad nutum obedientem sub potestate sua habuerit, ut clare indicant verba D. Lucae (c. II): « Et erat subditus illis? »

763. Semel docet sacra Scriptura (Iosue X) retrocessisse horologium solis undecim lineis ad imperium regis Ezechiae; semel etiam tradit, Iosue soli imperasse, ut cursum suum cohiberet, et non ultra moveretur: « Obediente Deo voci hominis », ut ait sacer textus; semel etiam Ioannes Baptista sibi subditum habuit Christum in Iordane, dum illum, insigne humilitatis exemplum nobis praebentem, baptizavit; in quo superioris munus erga illum exercuit; at Ioseph Soli iustitiae non semel, sed millies imperavit; puero Iesu legem statuit, quando domo consisteret, quando ab ea egressurus esset; et ut alter Iosue ei dicebat: ne movearis, nunc pedem fige, nunc propera: et ille patris sui Iosephi observantissimus promptissime ei obediebat, et vestigia eius sequebatur, cum alioquin esset ille, de quo Ioannes Apoc. I dicit: « Et sequuntur Agnum, quocumque ierit ».

764. Hoc sane inauditum superioritatis genus omnem tam humanam, quam angelicam auctoritatem transcendere haud difficile erit comprobare. Certe Christo Domino, tamquam supremo omnium creaturarum monarchae, omnia oportet esse subiecta, et voluntati eius efficaci, velint, nolint, obedire debent...

765. Si igitur cuncta tam coelestia, quam terrestria, et quae in infernis sunt, Christo Domino obediunt, et Christus obedit Iosepho; consequens est, omnia obedientiae Iosephi subesse, et potestatem ac auctoritatem eius, omnem, non dicam terrenam solum, sed et coelestem potestatem longo intervallo antecedere.

766. Recte ergo et eleganter dixit insignis ille Cancellarius parisiensis serm. de nat. Virg.: « Haec subiectio sicut inaestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho; quid enim sublimius, quam quod ei, qui in femore scriptum habet: Rex Regum, et Dominus Dominantium »: ei, « cuius nomen est: Deus fortis, Pater futuri saeculi »: ei, qui, « Dominus exercituum vocatur »; ac tandem ei, « qui dicit: Mihi curvabitur omne genu », Ioseph unus patris auctoritate imperet; et ille filiali subiectione ei subsit, et obediat, ac dicat: « Pater, fiat voluntas tua »: quod nos aeterno Patri orantes dicere ipse docuit in oratione dominica?

767. Ad haec, cum officio paterno quid magis coniunctum, quam alere filium, et maxime in infantia, et pueritia, cum filius propria industria victum sibi comparare non potest? Sane inaestimabilis est Iosephi laus, ut ei, de quo ait David (Ps. CXLIV): « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione »; ille manum suam aperuerit, porrigens ei potum, et cibum; et illi, de quo

Digitized by Google

idem (ibid.) testatur, omnia alere animantia: « Tu das illis escam in tempore opportuno »; ipse per multos annos fabrilis artis labore acquisitam escam exhibuerit, et necessaria ad victum, et vestitum subministraverit? unde nulli melius, quam Iosepho, Christum dicturum arbitror in die iudicii, quod ipse pollicitus est (Matth. xxv): « Esurivi, et dedisti mihi manducare; sitivi, et dedisti mihi bibere; nudus eram, et cooperuisti me ».

768. Immo, si rem altius contemplemur, cum Christus Dominus ex alimento, quo utebatur, maiorem in dies sanguinis quantitatem acquisierit; sane, cum pretiosus ille sanguis pretium fuerit inaestimabile nostrae redemptionis, opus est etiam concedamus, Iosephum auctori salutis nostrae materiam subministrasse sudore vultus sui, labore manuum suarum acquisitam, ad conficiendum pretium pro reparatione generis humani aeterno Patri in ara crucis exsolvendum. Unde eo modo quo purae creaturae concedi potest, crediderim Iosephum, et Mariam Christi fuisse in redemptione generis humani praestantissimos coadiutores, et consequenter ipsis maiori obligationis vinculo, quam reliquis omnibus sanctis, totum genus humanum devinctum esse.

769. Ac tandem, quod longe reliqua omnia superat, ex hoc paterno Iosephi munere erga Christum colligitur eximius, ac ardentissimus illius erga eundem amor, cum revera filii ex gratia non minus, quam ex natura, procreati diligantur, ut docuit D. Ambrosius (lib. 1, de off, c. 7) dicens: « Non enim vos minus diligo, quos in evangelio genui, quam si in coniugio suscepissem; non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia ». Haec omnia adeo celeberrimum toti orbi reddunt nostrum Iosephum, ut in eius laudibus decantandis impares etiam angelicos spiritus esse putem, ut qui patris Christi dignitatem omnino comprehendere non valeant; unde quae Christus dixit verba (Matth. xi): « Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare »; non solum de Patre aeterno, sed et de Iosepho, patre eius putativo, satis verificari autumo

770. Quare, sicut olim quidam orator, ut auctor est Sabellicus, postquam multis encomiis Philippum Macaedonum regem ad coelum usque extulisset, ultimum colophonem orationi suae praebens, dixit: « Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum »: sic ego, gloriosissime Ioseph, cum laudes tuas digne depromere non valeam, hoc unum, quod paene infinita in se complectitur, dixisse sufficiat, filium te habuisse Deum.

771. Quare si Paulus gloriabatur dicens (Actor. xvii): « Ipsius enim et genus sumus »; sane Deus ipse veracissime dicere potest de Iosepho Patre suo legali, et Matris suae consanguineo: « Ipsius enim et genus sumus ». Tum vero si, Salomone id attestante (Prov. x, 13, 15): « Filius sapiens laetificat patrem »; quanta Iosephi laetitia, quamque ingens laus erit filius infinite sapiens, « in quo », ut Apostolus inquit (Coloss. 1), « sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei »? Sane, cum filii sapientia sit plane infinita; non potest, non Iosephi patris eius gloria quandam dignitatis infinitatem inde mutuare. Fateatur ergo tam humana, quam angelica facundia, eius in laudibus decantandis omnino se imparem esse, et quas verbis digne prosequi non potest, religioso silentio veneretur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

772. **Hymnus II.**

Pia ad Ioseph precatio.

Ioseph, virgo castissime,
Sponse Matris dignissime,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

2. Cunctipotentem Dominum
Portas Mariae Filium
Qui non habet initium,
Te habuit nutritium.

3. Coelum replet laetitia
Per te constrictus fascia,
Quem ponis in praesepio,
Patris manet in gremio.

4. Ex illo semper genitus
Tuus putatur Filius,
Universum qui condidit,
Se tibi sponte subdidit.

5. Hunc nobis pasci profuit,
A morte nos eripuit,
Pro nobis ipse mortuus,
Et nos per illum vivimus.

6. Ioseph, nutritor gloriae,
In hac valle miseriae
Fac nos per tua merita
Satiari in patria.

7. Sit laus Patri et Filio,
Ex tua Sponsa Genito,
Sanctoque cum Spiramine
In sempiterno tempore.

(Brev. ms. Romanum saec. 15; Cfr. Dreves, t. XIX, 165).

773. **Memento.** — O aeterna sapientia Patris, Christe Iesu, qui amore ingenti Patris tui honorem zelans, Puer adhuc duodennis magistros peritosque Legis aedificare, sapientiamque tuam illos experiri voluisti. Interrogabas eos, eisdemque respondebas, quo scientiam illis absque illorum rubore infunderes. Propterea enim solus per hoc triduum mansisti in Ierusalem. Sed quid hoc triduo, o Puer mansuetissime, edebas? Quis interim tibi ministravit? Quo denique ibas cubatum? Pauper certe eras et ignotus, nec pro teipso aliquando te usum comperimus potestate divina, qua tibi miraculo, aut aliter quam consuetudine humana provideres. Superest igitur, ut cogitem te hoc triduo mendi-

Digitized by Google

casse, quo reficereris, quoniam neque pecuniam, neque aliud tibi proprium possidebas. In omnibus nos, piissime magister, docere voluisti, et verbo et exemplo, quam contemnendus sit mundus, quam relinquenda omnia, quanta denique fiducia in te sperandum. Porro Mater tua cum te invenerat, cum tu quoque illi admiranti, in his quae erant Patris tui, te esse oportere, responderas, quid fecisti? Descendebas cum iisdem parentibus, et eras subditus illis: iterum docens me quomodo esse debeam humilis et mitis corde. Eras illis subditus, participando eorum labori, sollicitudini et paupertati. O obedientiam stupendam et admirabilem, quod relicta voluntate propria omnino bona, utpote quae Patris voluntati erat consentanea, subiecisti te parentum voluntati, obsequio, et filialis obedientiae officio sancto (Lanspergius, V, 189).

III. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE COMPARATIONE S. IOSEPH CUM ANTIQUO PATRIARCHA IOSEPHO.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius D. Ioseph, hom. 12.

Non paucos scriptores in eo hallucinari animadverto quod paucissima de Beato Iosepho expresse sacros evangelistas edixisse autument; quod mihi e contra eos factitasse videtur, cum praecipua capita omnium, quae de B. Iosepho nostrae cognitioni subesse iure desiderari possent, diserte tetigerint. Nam, si nomen ignoras, Iosephum vocatum dicunt: « Iacob autem genuit Ioseph »; si genus, et prosapiam, ecce aperte inquiunt, ex regali progenie ortum « de domo David », et angelico ore « filius David » vocitatur: si morum eius conditionem, et vitae rationem cupis tibi innotescere, minime illam silentio praetereunt, sed compendiosam potius quandam de moribus, et vita illius, ut aiunt, informationem evangelica auctoritate contestatam tibi reliquerunt, Matthaeo dicente: « Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam traducere »; si deinde statum eius nosse desideras, cum Maria iidem uxoratum tradunt: « Ioseph, virum Mariae ».

775. Quod si adhuc arcanas eius cogitationes tibi patefieri, et reserari postulas, illas etiam manifestant, dum aiunt: « haec autem eo cogitante », Quid plura? non solum quae in vigilia, sed quae ipsi dormienti, et somnianti acciderunt, palam tibi aperiunt, dicentes: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph ».

776. Haec omnia adamussim praefigurata reperio in patriarcha illo Ioseph, quem Beatissimi nostri Iosephi, Virginis Sponsi, typum gessisse unanimis est Patrum sententia: et quamvis non ignorem, D. Bernardum (serm. de Ann.), et alios praesentis collationis inter hos duos Iosephos egregium argumentum perlepide et eleganter prosequutos fuisse, quae illi tamen praeteriere, nostrum erit adiungere, ne actum agere videamur.

777. Et quidem, si a nomine exordiamur, eodem uterque gaudet, quod « augmentum », seu « incrementum » significat, ut multi volunt; ad quod videtur allusisse Iacob, cum filio suo Iosepho dixit (Gen. XLIX): « Filius accrescens »; quod in nostrum Iosephum satis convenire noscitur; tum quia cum alii sponsi virginitate minuantur, ipse per matrimonium cum Maria, virginitatis et aliarum virtutum singulare incrementum suscepit; tum etiam quia, sicut antiquus ille patriarcha sic appellatus fuit, quia ad illud honoris augmentum perventurus erat, ut totius Ægypti prorex, et secundus a rege futurus esset; sic noster Ioseph ad tanti honoris culmen ascendit, ut et Christi pater nominaretur, et Dei Genitricis verus maritus esset, quod non solum imperialem, sed, et apostolicam dignitatem longe antecellere arbitror, ut suo loco demonstravi.

778. Sed nec silentio praeteribo, quod « Ioseph » hebraice, si credimus illius idiomatis peritis, « pulchram arborem » significat, quod et Iosepho mirifice congruit, cum sub protectionis eius umbraculo melius, ac securius, quam animantia sub Danielis arboris umbra, Iesus et Maria acquieverint, et a rapacibus herodiani accipitris unguibus sua protectione ipse eos liberaverit.

779. Alii tamen ex hebraeo contendunt significare « filium fructiferum », vel « crescentem iuxta fontem », vel « iuxta oculum »: unde Pagninus vertit, ut « Ioseph » idem sit, quod « ramus fructificans iuxta fontem », vel « iuxta oculum »; quod et nostro Iosepho recte consentit; nam infans ille, quem ipse amplexabatur, eius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, ac permulta virtutum opera exercebat, omnium bonorum fons erat uberrimus. Bene ergo iuxta fontem crevisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum; iuxta oculos enim Christi versabatur, quem ipse, ut pupillam oculorum suorum diligebat. O felicem arborem, tali irrigatam fonte, ad maximum incrementum pervenisse, quis quaeso ambiget?

780. Quod si Moyses antiqui Iosephi historiam referens, honorifico « iusti » cognomine patriarcham illum cohonestavit, idem sane cognomen evangelista nostro Iosepho tribuit: « Ioseph autem, cum esset iustus ». Immo observaverim quatuor insignes Iose-

Digitized by Google

phos divina eloquia commemorasse; Iosephum proregem Ægypti; Ioseph ab Arimathea, qui Christi sepulturae operam dedit; Iosephum Barsabam, super quem ad apostolatum missae sunt sortes; et Iosephum Virginis Sponsum, quos etiam omnes « iustos » cognominant; nam Sapiens (cap. x) loquens de patriarcha Ioseph ait: « Haec venditum iustum non dereliquit ». De Ioseph ab Arimathea Lucas (cap. XXIII) ait: « Vir, nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, et iustus », De Ioseph Barsaba Lucas (Act. 1) scribit: « Ioseph, qui cognominatus est iustus ». Ac tandem idem evangelista (Matth. 1) de nostro Ioseph sermonem instituens, ait: « Cum esset iustus, noluit eam traducere ».

781. At nostri Ioseph iustitia tantum illorum iustitiam, quantum et dignitas antecelluit; maxime, si absque letali crimine, ut certissime credo, et docet D. Augustinus l. 6. de nat. et gr.), vitam transegit, et fomitis peccati ardor in eo penitus fuit extinctus, ut tradit Isidorus (in sua sum.), et in ventre materno fuit sanctificatus, ut docent Cancellarius parisiensis (ser. de nat. Virg. et in Ioseph.), et Episcopus Christopolitanus (super Magnificat), quibus moderni non pauci consentiunt; immo eruditus noster Bernardinus de Busto (in mar., 4. p., ser. 12), postquam retulerat opinionem cuiusdam dicentis, divinitus praeservatum fuisse ab originali culpa, non audiens illum damnare, ait: « Utrum autem Ioseph ab originali macula praeservatus fuerit, ipse Deus novit, qui talem in patrem sibi putativum, et gubernatorem suae humanitatis, et dilectissimae Matris suae coniugem super omnes homines elegit ».

782. Si patriarcha Ioseph nobilitate conspicuus fuit, quippe qui ex illustrissima Abrahae familia originem ducebat, eiusdem etiam nobilitatis non solum particeps esse noscitur noster Ioseph, ut testatur D. Matthaeus, Virginis genealogiam texens, cui alterum caput apposuit patriarcham Abrahamum, et alterum regem David: « filii David, filii Abraham », sed in gentilitiae claritatis genere tanto veterem illum Iosephum praecelluit, quanto Christo sanguine propinquior fuit; qui tamquam fons totius nobilitatis maiorem splendorem in genus suum effudit, quam ab illo susceperit; ex quo apertissime constat, nullum virum generis nobilitate Iosepho clariorem umquam extitisse; unde D. Bernardus (hom. 2, super Missus est) ait: « Vere de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo David, prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem, tamquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum, cui cito committeret secretissimum, atque sacratissimum sui cordis arcanum; cuique, tamquam alteri David, incerta, et occulta sapientiae suae manifestavit ». His non parum consentanea tradit D. Antoninus (4 par. Theol., tit. 15, c. 8), ubi versans illa verba, « De domo David », inquit: « Dicitur Ioseph de domo David, non tantum propter successionem in genere, sed principalius propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur esse de una domo, iuxta illud Psalmistae: « Qui habitare facit unius moris in domo ».

783. Adde etiam, quod qui futurus erat nutritius regis coelestis, par erat, ut esset regia nobilitate conspicuus, iuxta illud Isaiae Prophetae (c. XLVIII): « Erunt reges nutritii tui », hoc est, Maria, et Ioseph, ex regia Davidis prosapia originem ducentes.

784. Quod si ad morum probitatem antiqui illius Iosephi mentis aciem convertas, miram quandam sympathiam, et armoniam inter illum, et nostrum Ioseph reperies; ut enim dixit D. Bernardus: « Memento magni illius quondam patriarchae venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, et gratiam ». Ille quidem et sanctitatem, et castitatem suam mirifice ostentavit, cum dominae suae blanditiis provocatus non solum non consensit, sed ut casum penitus praecaveret, pallium in manus illius relinquens, effugit. Sed, si hoc tibi magnum castimoniae, et sanctitatis argumentum videtur, ecce maius praestitit noster Ioseph: nam ille compescuit se, ne accederet ad uxorem alienam, hic vero, ne propriam agnosceret, se cohibuit; ille quidem castus fuit, at noster Ioseph, quam castus, quia virgo? ille castitate praestitit, hic virginitate praefulsit...

785. Communi consensu scholastici doctores docent, Iosephum perpetuam virginitatem custodisse; quorum sententiae omnino adhaerendum esse censeo; maxime quod B. Petrus Damianus disertis verbis dicit: « hanc esse Ecclesiae fidem »; quam propterea variis doctorum testimoniis, et solidissimis rationibus confirmabo. Et quidem in primis deceptionem eorum, qui oppositae sententiae subscripsere, D. Hieronymus, sacrarum Scripturarum diligentissimus scrutator, his verbis luculenter aperit, quibus et Ioseph filios adimit, et simul causam erroris ostendit; sic enim ait: « Quidam, fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et a quadam alia muliercula confin-

Digitized by Google

gentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus, materterae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi minoris, et Ioseph, et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos; fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat ».

786. Recte ergo laudatus doctor Hieronymus ait, sacram Scripturam id demonstrare, cum non semel speciali propinquitate coniunctos « fratres » vocare soleat, ut constat ex Genesi XIII, ubi Loth, et Abraham dicuntur « fratres », cum tamen constet (ex cap. XI), Loth fuisse nepotem Abraham: et similiter (cap. XXIX) Iacob, et Laban dicuntur « fratres »; extantque alia pleraque exempla, quorum neminere Augustinus (lib, II, de Civ. Dei, cap. 19), Epiphanius (haer. 30), Origenes, (sup. 13. Matth.).

787. Recte etiam D. Hieronymus dixit, deliramenta apocryphorum sequi oppositum opinantes; tum quia Origenes (sup. c. 13 Matth.) testatur, opinionem illam liberos Iosepho adscribentem ortam fuisse ex quodam evangelio Hebraeorum Petro, aut Iacobo adscripto, cuius tamen Seleucium haereticum legitimum eius auctorem extitisse, tradit Innocentius primus (ad c. 7) et Augustinus (lib. I, de fide, con. Man., c. 38): tum etiam quia, cum in evangelica historia assignentur expresse parentes fratrum Domini, manifestum est, Iosephum non fuisse parentem illorum; Iacobus enim minor, qui « frater Domini » vocatur, « Iacobus Alphaei » dicitur apud Matthaeum, Marcum, et Lucam, in quibus locis alter etiam Iacobus maior, qui et « frater Domini » appellatur, dicitur « Iacobus Zebedaei »; sic autem dicuntur, quia ille erat filius Alphaei, iste Zebedaei; iuxta phrasim enim Scripturae filius a patre cognominari solet, ut constat (I Machab.), ubi dicitur, « Alexander Philippi », quia parens eius Philippus erat.

788. Unde Venerabilis Beda haec perpendens (in cap. VI Marc.) ab haereticis autumat in Patribus scriptam sententiam de filiis Ioseph; Patres enim non ignorabant, Matthaeum, nominare Iacobum filium Alphaei; unde ergo somniare potuerunt esse filium Iosephi? Exstat item aliud insigne testimonium eiusdem D. Hieronymi (lib. contra Helvid.), Iosephi virginitatem adstruentis; scribens enim contra Helvidium haereticum ait: « Tu dicis Mariam Virginem non permansisse? ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur; si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non describitur, Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus (subintellige, consummans matrimonium), relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari ».

789. Accedit ad haec D. Augustinus (ser. 15. de nat. Dom.): « Habe, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, gaude, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ». Venerabilis Beda in cap. II Ioan. de Iosephi virginitate, tamquam de re indubitata loquens, ait: « Absque ullius scrupulo quaestionis scire, et confiteri oportet, non tantum Dei Genitricem, sed et beatissimum castitatis eius testem, atque custodem Ioseph, absque omni prorsus actione coniugali mansisse semper immunem ». Rupertus (lib. 2, in Cant.) versans illa verba: « Pascitur inter lilia », ait: « Quaenam sunt lilia, nisi amicus dilecti, Ioseph, et ego dilecta, cui dicit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias? vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima ».

790. Sed, quod cuncta omnia supradicta longe superat, B. Damianus (in epistola ad Nicol. Pont.) tradit his verbis, veritatem hanc esse de fide: « Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit Mater, Ecclesiae fides est, ut fuerit virgo et is qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur, et hoc, cum adhuc parvulus vagiret in cunis; a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnet in coelis? » Sed et his insuper, tam pie, quam sapienter superaddunt D. Augustinus (ut habetur 27, q. 2, tit. 15, c. 23), Angelicus Doctor (3 p. q. 38, art. 4), D. Antonin, (4 p. Theol.), et Cancellarius parisiensis (in annot. sup. ep., ad Gal. cap. 1, et ser., de nat. Mar., consid., 3), Iosephum non solum perpetuam virginitatem coluisse, sed eandem nuncupato voto in consortio Virginis Deo consecrasse, quod et docuit Abdias Babylonicus, qui tempore apostolorum vixit, in vita SS Simonis, et Iudae.

791. Nec desunt rationes moraliter evidentes, eandem Iosephi virginitatem stabilientes: nam si Christus in cruce moriturus, Matrem suam Virginem iam in aetate provecta nonnisi virgini Ioanni commendare voluit; quomodo eam in iuvenili, ac tenera aetate Ioseph commendasset, nisi ille virgo esset? Unde Cancellarius parisiensis (in sua Ioseph.) dixit: « Corrupto numquid fuerat socianda puella quae grandaeva fuit soli commissa

Digitized by Google

Ioanni?» Item quia, si Christus Dominus adeo virginitatis amatorem se exhibuit, ut non contentus virginitatem servare, voluerit de Virgine nasci, virgineo lacte nutriri, virgineo sinu foveri, praecursorem virginem habere, a virgine Martha ministrari et hospitio recipi, in sepulcro virgineo, « in quo nondum quisquam positus fuerat », sepeliri, ac tandem in coelesti patria virgineis choris septus incedere, « Qui sequuntur Agnum, quocumque ierit »; quis sibi persuadeat, eum, « qui pascitur inter lilia », Iosephum elegisse in patrem suum adoptivum, et Matris suae sponsum, et custodem, nisi virgo esset?

792. Deinde, nam si D. Caecilia virgo legitur Valeriano sponso donum virginitatis impetrasse a Deo, et ad illam vovendam persuasisse; indevotae sanae mentis est, non sibi persuadere, simile quidpiam Beatissimam Deiparam Sanctissimo viro suo Iosepho praestitisse. Item, quia Ioseph electus fuit a Deo, ut vices Patris coelestis gereret in terris; congruebat ergo. ut sicut de illo Beata Agnes dixit: « Cuius Pater feminam nescit: « ita nec Ioseph feminam umquam agnovisset; maxime quod cum ipsi incumberet immediatissime, et familiarissime Christi humanitatem contrectare, mirum in modum decebat, plusquam angelica puritate vigere...

793. Sed iam ad desponsationem Iosephi, statum eius indicantem, in qua persimilis fuit antiquo illi patriarchae, pergamus. Vincentius (in suo spec. hist.) refert, Aseneth filiam magni sacerdotis Heliopoli pulcherrimam suae aetatis feminam, et castitatis amantissimam dixisse, neminem, nisi alicui deorum illam in uxorem fore dandam; unde in arce fortissima se conclusit, ubi cum aliis virginibus vitam honeste degebat. Accidit autem, ut Iosepho prorege Ægypti iam creato, illac eunte, Aseneth ex fenestra quadam arcis illum prospiciens, eius modestissimae, ac pudicissimae pulchritudinis amore capta, in sponsum illum acceperit Ad eundem modum B. Virgo omnium feminarum pulcherrima, quae nonnisi Deum immortalem in sponsum habere proposuerat, et ideo ob virginitatis amorem in templo cum aliis virginibus conclusa, vitam traducebat, ex divino instinctu Iosephi modestia, ac virginali pudore allecta, illum in Sponsum suum libenter accepit.

794. Quod si Aseneth, si dictionario hebraeo complutensi credimus. significat « ignem distillantem; recte id Deiparae Mariae congruit, quae in Sponsum suum divini amoris ignem distillans, minimam etiam libidinis scintillam penitus extinxit. Et, ut in omnibus mira effulgeat similitudo, atque proportio. sicut Ioseph ille patriarcha, eodem auctore id commemorante, firmo proposito decreverat, se numquam nupturum, unde Zenobiae, et aliarum illustrium feminarum importunis precibus reluctanti ac invicto animo obstiterat, iussu tamen regis Pharaonis uxorem duxit; sic Beatus noster Ioseph, quamvis, tamquam virginitatis cultor, firmum propositum apud se statuisset, numquam nubendi, divino tamen imperio subaudiens, Dei Genitricem Mariam in Sponsam, et uxorem libens accepit...

795. Quia ergo variis cogitationum aculeis praecordia nostri Iosephi pungebantur, dum gravidam cogitabat Sponsam, quam numquam tetigerat; ideo Matthaeus (c. 1.) ait: « Haec autem eo cogitante, apparuit ei angelus Domini »; ut enim testatur S. Birgitta, id referente doctissimo Gratiano (in vita S. Ioseph), B. Virgo ex sola compassione doloris Sponsum eius excruciantis, tanto angore fuit confecta, ut Deus ad illam solandam archangelum mitteret Gabrielem, qui certiorem illam faceret, se iam divinitus destinatum esse, ut incarnati Verbi arcanum Iosepho aperiret, et conceptam tristitiam in summam laetitiam ad maiorem illius gloriam converteret. Qui trinus, et unus regnat in saecula saeculorum. Amen.

796. Hymnus III.

Ad Christum, ut nos Iosephi precibus adiuvet.

CHRISTE, lux siderum, splendor sanctorum
Lumen de lumine, Verbum de Deo,
Patre progrediens, mundo refulgens.
2. Agnus, qui pro tuis per te salvandis
Natus de Virgine, rex, Dei agne,
Vincula tu mortis moriens solvis.
3. Virgineus totus Virginis natus,
Virgini es sponsus, virginum custos,
Matri dans celebrem Ioseph custodem.
4. Nos eius precibus perennes fletus
Dones evadere, rex pie Christe,
Cuius das hodie festis ovare.
5. Nutritor Domini tu Iesu Christi,
Ioseph, egregiae Sponsus Mariae,
Sed testis Virginis et piae Matris.
6. Gaudia tu Matris Unici Patris
Corde simul gestans, pro nobis orans
Sis Matrem Virginem eiusque Prolem.
7. Laus Deo sit Patri, laus Patris Proli,
Laus Sancto Flamini Patris ac Nati,
Laus Trino et Uni perenni. Amen.

(Brev. ms. Aquileg. saec. 15; cfr. Dreves, Analecta Hymnica Medii aevi, t. IV, p. 163.

797. **Memento.** — Benedico teque adoro, piisime Iesu, pro peregrinatione laboriosa in Ægyptum. pro incolatu inter idololatras, pro exilio denique septenni propter me perpesso, quo Matrem tuam Mariam ac Ioseph nutritium multa sollicitudine, moestitia, et compassione fatigari voluisti (Lanspergius, t. V, p. 186.

Digitized by Google

IV. — Sermo Ioannis de Carthagena.

ITEM DE COMPARATIONE S. IOSEPH CUM ANTIQUO PATRIARCHA IOSEPHO.

Lib. IV, De Desponsat. B. V. ac excell. Sponsi eius D. Ioseph, hom. 13.

UTRIUSQUE Iosephi ad invicem comparationem, adeo locupletem, atque uberem venam esse comperio, ut quo diligentius cogitationis ligone eam effodio, tanto maiora D. Iosephi praeconia mihi detegantur. Et quidem, ut a donis naturae ad munera gratiae nostra assurgat oratio, a corporea eius pulchritudine placet exordiri; sicut enim antiquus ille patriarcha Ioseph pulcher adeo erat, ut sacra Genesis (XXXIX, 40) dicat: « Erat Ioseph pulchra facie, et decorus aspectu »: unde, ut refert Nicolaus de Lyra (sup. c. XLIX Gen.), quoties feminae nobiles Iosephum praeterire per medias vias audiebant, confestim ad pulchritudinem eius per cancellos, et fenestras intuendam properabant: quod non parum ex eo confirmari autumo, quod Iacob cum Iosephum ad ei impertiendam ultimam benedictionem accersivit, postquam dixerat: « Ioseph decorus aspectu », continuo subiunxit: « filiae discurrerunt super murum »; vel, ut alii vertunt, teste Lyrano, « filiae discurrerunt propter aspectum »; non secus noster Ioseph tanta pulchritudine effulsit, ut Christo Domino, qui speciosus erat prae filiis hominum, vultu similem fuisse, praeter Gersonem (in sua Iosephina), historia orientalis tradat, ut refert Gratianus (lib. 2, c. 4, in vita S. Ioseph), adducens verba Christi in revelatione quadam dicentis: « Ego eram similis Ioseph in omnibus »; unde crediderim Christum Dominum non solum putatum esse filium Ioseph, ut tradunt evangelistae, quia Maria Mater eius nupta erat Iosepho, sed et quia vultu ei persimilis erat; sic enim magis virgineus partus celabatur diabolo, dum similitudo vultus inter Iesum, et Ioseph ansam ei praebebat ad iudicandum, illum filium eius esse.

790. Deinde quemadmodum, ut sacer textus (Genes. c. XXXVII) ait, Ioseph prae cunctis fratribus a patre suo Iacob dilectum fuisse: « Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos »; sic et Iosephum arbitror, plus a Deo dilectum fuisse, quam reliquos omnes, ut maioris huius dilectionis aperta indicia, et manifesta argumenta attestantur; nimirum excellentiora gratiarum charismata prae ceteris a Deo ei collata, quorum sane haec, quae sequuntur, principem locum tenere arbitror. Sicut enim Iacob in signum ardentioris amoris erga Ioseph fecit ei tunicam polymitam; sic Deus nostro Iosepho polymitam tunicam aptavit, hoc est, spiritualem vestem talarem a capite usque ad talos omnium virtutum coloribus decoratam; ibi charitas ceteris ardentior, ibi pudicitia rara, ibi tolerantia invincibilis, ibi modestia omnibus grata, ibi comitas omnium animos concilians.

800. Unde sicut olim, cum summus sacerdos in sancta sanctorum introire debebat, et arcam illam testamenti concomitari, iussione divina praecipiebatur, ut pretiosam vestem indueret, in qua orbis, et eius perfectiones descriptae apparebant; sic sane, quia Ioseph non semel in anno, ut summus sacerdos, ingressurus erat ad Sancta Sanctorum, hoc est, ad Christum Dominum, quem frequentissime, cum infans erat, manibus contrectabat; et quia pariter concomitari debebat mysticam illam arcam, Beatam scilicet Virginem, ideo oportebat, ut ad haec tam excelsa munera obeunda polymitam vestem omnium virtutum varietate ornatam indueret.

801. Quod si rex Pharao honoris gratia induit antiquum illum patriarcham Iosephum veste byssina, et candida, qua per publicas vias incedebat (Gen. XLI): « Vestivitque eum stola byssina », castitatem eius significans, quae tanto in eo praecelluit, quanto ab hera sua importunius sollicitatus, et instantius ad libidinem stimulatus fuit... Ad eundem modum Deus candidam, ac byssinam castitatis vestem Iosephum nostrum induit, cum multis tamen pressuris coniunctam.

802. Haec autem non solum veteris illius Iosephi castitatem, sed et angelicam longo intervallo excessit puritatem; Ioseph enim ille antiquus tandem filios ex matrimonio procreavit, at noster Ioseph castius vixit nuptus, quam ante nuptias, nec filiorum generationi ullo tempore vacavit. Ille quidem, ut castitatem servaret, oportuit ut fugam arriperet, pallium suum in manu feminae relinquens; Ioseph autem noster convescens, et cohabitans per multos annos cum Maria, pulcherrima omnium feminarum, caste adeo vixit, ut nec ulla unquam libidinis cogitatio illum impeteret, prout Sponsum Dei Genitricis decebat, quae puritatis speculum erat.

803. Angelicam etiam virginitatem Iosephina virginitas multis nominibus superavit; tum quod illa naturalis erat, haec ex gratia; illa necessaria, haec libera et voluntaria; illa absque merito, haec multiplici merito cumulata; illa tandem in solo spiritu, haec vero in spiritu, et corpore: et sicut de illo Iosepho dicitur in Genesi c. XLIV: « Sedit in forti arcus eius »; quasi diceret: ita fortem, ac invincibilem, cum variis tribulationibus premebatur, extitisse, ut instar optimi

Digitized by Google

arcus, quamvis flecteretur, non tamen frangeretur; ad eundem certe modum noster Ioseph variis laboribus tam animi, quam corporis ob suspicionem gravidae uxoris, et longo in Ægyptum itinere ob herodianam persecutionem confectus, et excruciatus, nunquam tamen animo adversis eventibus succubuit, sed omnes has difficultates constanter superavit.

804. Sicut etiam in signum amoris, et benevolentiae rex Pharao antiquo illi patriarchae Iosepho torquem auream ex collo eius appendit; alia sane multo pretiosiori collum nostri Iosephi Christus Dominus cinxit, dum infans, brachiis suis collum eius circumdans, ab eo, tamquam pretiosissimus agnus Dei, pendebat, sed et alia etiam torque, ac inaestimabili catena ex variis virtutibus contexta animum eius exornavit.

805. Quatuor Iosephos non semel dixi in sacra commemorari historia: primum, patriarcham Iosephum proregem Ægypti; secundum Iosephum ab Arimathea; tertium, discipulum Christi, qui cognominabatur Barsabas; quartum, Iosephum Sponsum Mariae; in quibus sane observavi, quatuor praecipue virtutes cardinales mirifice effulsisse. In patriarcha illo prudentia adeo viguit, ut teste Carthario (lib. de Imag.), Ægyptii deum Serapin appellarent; supra cuius caput modium, quo frumentum mensuratur, apponebant, ut singularem eius prudentiam, ac providentiam, qua, tempore ingruentis famis, quae totam Ægypti terram occupabat, frumentum per varias partes distribui iubebat, significarent. In Ioseph ab Arimathaea fortitudo valde emicuit, cum, Christi discipulis timore perterritis, « petiit audacter corpus Iesu » sibi a Pilato donari. In Iosepho vero Barsaba iustitia adeo se ostentavit, ut cognomento « iustus » diceretur.

806. Temperantia in nostro Iosepho splenduit; sed et prudentia non defuit in servando Christo Domino, « qui frumentum erat electorum », et futurus panis ad cibandam Ecclesiam; immo, quasi audierit illud Christi Domini (Matth. XV): « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus, agnoscens famem venturam, panem hunc coelestem, panem, inquam, filiorum, ab illius rabidissimi canis voracissimis faucibus diligentissime custodivit. Fortitudine etiam claruit, siquidem Herodem regem, infantem Iesum occidere tentantem, vicit, et praedam quasi e manibus eius eripuit. Iustitiam tandem in eo profundas radices fecisse satis testatur evangelica historia, dum ait (Matth. I): « Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam traducere ». Ex his ergo variis virtutibus, charitatis auro velut ornamento micantibus, torques nostri Iosephi texebatur.

807. Commemorat deinde sacer textus de antiquo illo patriarcha Ioseph, portasse frequenter virgam, de qua D. Paulus (Hebr. XI) loquens de Iacob dixit: « Adoravit fastigium virgae eius »; quem locum explicat ille alius Isaiae (c. XI): « Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet »; ecce virgam, Mariam Virginem; ecce florem ex virga pullulantem, Christum Dominum; Ioseph ergo nostér secum ferebat et virgam, et florem Dei Matrem, dum Filium cum Matre in Ægyptum ducebat, et in domum reducebat.

808. Ad haec, si Iosepho illi datus fuit annulus a rege, in quo regia eius imago erat sculpta; alium similiter pretiosiorem annulum, et pulchriori imagine insculptum Iosepho nostro contulit Deus, Christum scilicet Dominum per annuli symbolum egregie significatum; nam sicut extrema circuli in annulo coniunguntur in una eademque gemma, in qua miro artificio regium sigillum adest; sic in Christo duae illae naturae, humana et divina copulatae fuerunt in una eademque pretiosa petra, Paulo dicente (I Cor. X): « Petra autem erat Christus »; hoc est, in eadem persona Verbi, quae sigillum est, et ut ait Apostolus (Hebr. XLVIII): « Imago bonitatis illius, et figura substantiae eius »; hunc ergo annulum posuit Deus in manu Ioseph, ut illum custodiret, et signaculo eius, quas vellet litteras, obsignaret; in quo mira effulget Iosephi auctoritas, et potentia.

809. Ad haec, quemadmodum Iacob adeo liberalis extitit erga filium suum Ioseph, ut ei diceret (Genes. XLVIII): « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo »: cuius quidem meminit D. Ioannes (c. IV) cum dixit: « Iuxta praedium, quod dedit Iacob filio suo »; addens: « Erat autem ibi fons »: supra cuius lapidem requievit lassus Iesus: « Sedebat sic supra fontem »; non secus Deus Optimus Maximus nostrum Iosephum prae ceteris adeo locupletavit, ut sacrum illud praedium B. Virginis, terram sanctam, et immaculatam, quam in gladio, et arcu crucis a peccati, et corruptionis legibus, mortis auctore valde recalcitrante, et reluctante, immunem servaverat, liberaliter donavit, purumque fontem eidem contulit, fontem, inquam, illum signatum, in quo non solum sedit, sed et requievit; immo, et ex eo fluxit, ac per nativitatem emanavit ad nostram omnium sitim extinguendam, ut ipse testatus est, cum dicebat (Ioan. XXVII): « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ».

810. Deinde de antiquo illo Iosepho sacra commemorat historia, somnium suum parentibus, et fratribus in hunc modum enarrasse (Gen. XXXVII): « Putabam, nos ligare

Digitized by Google

manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum ». Quid manipuli isti adumbrabant, nisi homines? quis vero dubitat, ex grano illo divino, seminato in sanctissimo agro virginei uteri consurgere manipulum, nempe Christum, cum quo nemo est conferendus? Merito autem Ioseph potest appellare hunc manipulum suum, quoniam quamvis iuxta carnem Filius Dei non fuerit filius Ioseph, quia Spiritu Sancto cooperante, ex illibata Virgine conceptus, et natus est; ceterum, quia manipulus ille fructus erat sacrosantae illius, ac virgineae terrae Marianae, consequenter et manipulus ille erat illius.

811. Hic ergo solus manipulus stetit, quoniam numquam per peccatum cecidit, et hunc unum Iosephi manipulum omnes fideles adorant. Veracissime ergo usurpare sibi potest noster Ioseph antiqui illius verba (ibid.): « Putabam vestros manipulos adorare manipulum meum ».

812. Quod si antiquus ille patriarcha fratribus suis his verbis somnium aliud retulit: « Vidi per somnium, quasi solem, lunam, et stellas duodecim adorare me »; id sane praenotabat, futurum esse aliquando, ut pater, mater, et fratres eius ditioni eius subiicerentur, ut reipsa postea contigit, cum in proregem totius Ægypti a Pharaone creatus fuit. Id quam apte Iosepho conveniat, nemo est qui non videat: nam in primis sol iustitiae Christus, ut S. Lucas testatur (c. II), « subditus erat illis »; unde cum Christo Domino, tamquam Filio Dei naturali, cuncta obediant; obediunt angeli facti « omnes administratorii spiritus propter eos, qui haereditatem capiunt salutis »; obediunt astra coelestia: « Stellae coeli vocatae sunt, et dixerunt: adsumus »; obedit sol, planetarum princeps, cum tempore Iosue celerem cursum suum cohibens, in medio coeli stetit; obediunt ventorum turbines, ut testatur Matthaeus (c. VIII): « Quis est iste, quia venti, et mare obediunt ei? »; mare non semel obedivit eidem, dum tempestate ingruente tumentes fluctus suos compescuit, et fluxibilem aquam suam, tamquam solidum pavimentum exhibuit, ut super illud velut supra firmam terram, deambularet Iesus.

813. Quid plura? Mors ipsa, quae super omnes mortales latissimum habet dominium, ei ad nutum saepe obedivit, dum mortuos, quos deglutierat, ad vitam revocatos ad imperium eius restituit; ac tandem tartareae potestates, velint, nolint, ei obsecundant, et, ut ait D. Paulus (Philipp. II), in nomine eius genuflectunt; immo et ea quae non sunt, voci eius subaudiunt: « Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt ».

814. Cum, inquam, Christo Domino cuncta subiiciantur, non parum excellentiam Iosephi commendat, quod sol ipse iustitiae, cui omnia obediunt, ipsi obedientiam praestiterit; sed, et luna etiam, B. scilicet Virgo, quam pulchram ut lunam appellarunt angeli, eidem promptissime obtemperabat: si enim, id referente sacra Genesis historia (c. XVIII), Sara Abraham virum suum dominum vocabat, et tamquam domino suo obediebat; crediderim merito B. Virginem longe obsequentiorem Sara ergo Iosephum se exhibuisse, et illi tanquam capiti, ac domino suo se subiecisse: ac tandem, si sol, et luna, Iesus, et Maria, obediant ei, haud difficile erit credere, stellas, hoc est, pios illos viros, qui illis adhaerebant, dignitatem Iosephi suspicientes, eidem etiam obtemperasse.

815. Deinde, si de antiquo illo patriarcha Ioseph sacra eloquia (Gen. XXXIX) dicunt: « Invenit Ioseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum »; haec eadem sane satis superque noscuntur ad nostrum Iosephum mirifice pertinere: si enim ille antiquus Ioseph invenit gratiam coram Pharaone Ægypti rege, hic invenit eam coram Christo, coeli, et terrae potentissimo imperatore: et si gratia, quam ille sibi conciliavit, eo pervenit, ut Pharaone iubente alta praeconis voce per publicas civitatis vias « pater » legalis « Pharaonis », et universae patriae acclamaretur, ut tradit D. Hieron. (super cap. XLI. Genes.), et favent verba ipsius Iosephi dicentis: « Deus fecit me, quasi patrem Pharaonis »; sane gratia, quam invenit Ioseph coram Christo Domino, eo accessit, ut non voce unius praeconis, velut ille, sed tot, quot sunt in Ecclesia divini Verbi praeconum publicis acclamationibus, ac singulari Ecclesiae catholicae iubilo, « Pater Christi » frequenter vocitetur, iuxta verba B. Virginis hoc honorifico nomine illum compellantis (Luc. II): « Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te ».

816. Et si de antiquo illo Iosepho addit sacer textus, quod ministrabat regi, et creditam sibi domum gubernabat; nemo sanae mentis ambigere potest, Iosephum regi Christo in infantia, pueritia, iuventute millies ei ministrasse, ac de propria substantia, et sudore vultus sui illum nutrisse, et aluisse, sacramque illam familiam non ex aliis, quam ex Iesu, et Maria compactam, summa prudentia gubernasse.

817. Ac tandem, si patriarcha ille Ioseph ob fraternam persecutionem in Ægyptum exulavit, etiam noster Ioseph ob herodianam in Christum persecutionem compulsus fuit in Ægyptum exul abire: et sicut ille arcana non pauca sibi, et aliis profutura in somniis

Digitized by Google

agnovit, unde fratres dicebant (Gen. XXXVII): « Ecce somniator venit »; ita et noster Ioseph divinitus illustratus perplura arcana angelico ministerio in somnis sibi reserata accepit, evangelio dicente, non semel ei apparuisse angelum Domini in somnis, ut mysterium incarnationis, integritatem Mariani thalami, ac profectionem Christi in Ægyptum, et reditum in Iudaeam aperiret.

818. Porro, si hucusque placuit, fratres carissimi, ea, quibus uterque Ioseph similes fuere, brevi eloquio percurrisse, non displicebit, ni fallor, nonnulla, in quibus eorum dissimilitudo, et antipathia nostrum Iosephum celebriorem reddunt, breviori sermone auscultare. Moyses narrat, veterem illum Iosephum fratres suos accusasse de crimine pessimo, ut verbis eius utar; quodnam autem genus peccati hoc fuerit, quidam putant fuisse, contra naturam, ut refert glossa; alii melius, ut ibidem dicitur, opinantur, peccatum pessimum appellasse peccatum odii, quo fratres ex Rachele nati alios ex Lia genitos prosequebantur, obiicientes illis, filios ancillae esse, non dominae.

819. Verum quidquid de hoc sit, quamvis demus, iustam fuisse illius Iosephi accusationem, iustitia tamen nostri Iosephi in eo clarius emicuit, quod, cum venter Virginis intumescens, illum ad eam tamquam adulteram accusandam impelleret, ab ea tamen accusatione penitus se abstinuit, evangelista dicente (Matth. 1): « Ioseph, cum esset iustus, noluit eam traducere ». Itaque si iustus fuit ille Ioseph accusans, iustior sane noster, non accusans; si iustus ille, fratres traducens, iustior noster, non traducens; si iustus ille, patris punitioni germanos tradens, iustior hic a iudicis punitione uxorem praeliberans.

820. Idem etiam Moyses commemorat, quod licet dominus, cuius famulus erat patriarcha ille Ioseph, cuncta bona sua voluntati eius subdidisset, uxorem tamen sibi reservarat, quam minime potestati eius dederat; unde Ioseph ipse dixit dominae suae (Gen. XXXIX): « Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, praeter te, quae uxor eius es »; at cum nostro Iosepho magnificentius se gessit Deus, cum dilectam Sponsam suam, Beatissimam Virginem, Filii sui Genitricem, sub Iosephi protectione, ac dominio tanquam veram eius uxorem constituerit.

821. Sed quid mirum, si inter ea, quae Iosephi potestati Dominus subdebat, Sponsam suam etiam subderet, qui Filium suum naturalem, Christum Dominum e patria Iosephi potestate exemptum minime esse voluit, sed illi potius obedientem, ac subditum, ut non semel ex evangelica lectione retulimus, « subditus erat illis? » His ergo pariter cum Christo sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

822. **Hymnus IV.**

Ioseph coelestis panis nutritor.

O gloriose Domini
Sponse Matris Altissimi,
Quem totus orbis non capit,
In tuis ulnis iacuit.
2. Cui tota coeli curia
Famulatur, per saecula,
Hic infans factus parvulus
Tibi subest humillimus.
3. Beate Patris munere
Sacro ditatus coelitus,
Qui Angelorum pabulum
Nutrivisti humanitus.
4. Ioseph, nutritor gloriae
In hac valle miseriae,
Fac nos per tua merita
Salutari in patria.
5. Sit laus Patri cum Filio
Ex tua Sponsa genito,
Sanctoque cum Spiramine
In sempiterno tempore.

(Brev. Roman. ms. saec. 15; cfr. Dreves, Analecta Hymnica Medii aevi, t. XII, p. 142).

823. **Memento.** — O S. Ioseph, qui in suavissimo Christi Iesu, et dulcissimae Sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi, o S. Pater, cum Iesu et Maria, tunc potissimum quando mors vitae meae finem imponet, illudque, quod unice peto, solatium mihi impetra, ut in iisdem SS. Iesu et Mariae brachiis expirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Iesu, Maria et Ioseph, ut post huius vitae metam, vivam vobiscum vitam laetam in coeli palatio. Amen. (Veni mecum pior. Sacerd.).

V. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE PRAESENTATIONE CHRISTI DOMINI IN TEMPLO PER B. M. V. ET S. IOSEPH.

Lib. VIII, De purific. B. V. et praesent. Christi Domini, hom. 10.

Cum audio, « Tulerunt illum in Ierusalem », urbanitas qua Beata Virgo dilectissimum suum Sponsum Ioseph prosequebatur, apertissime mihi detegitur. Nam cum ipsa brachiis suis portaret Filium suum, ut tradunt Irenaeus (lib. 3, lib. 8), et Athanasius (de comm. essent. Pat. et Fil. et Spir.), sufficienter dixisset Evangelista: « Tulit Filium suum »: at non dixit, nisi « tulerunt », ut istius mirabilis oblationis participem illum fecisse Bea-

Digitized by Google

tam Virginem universo orbi palam faceret, ac Mariam tamquam veram eius uxorem omnia sua bona communia cum illo habere voluisse commonstraret. Sed et mihi cum Divo Bernardo Serm. de Pur putare licet Christum Dominum in hoc itinere partim portatum a Maria, partim a Iosepho; « portatur », inquit, « a parentibus, et a senibus expectatur »: nihil enim boni credenda est Beata Virgo umquam habuisse, cuius virum suum Iosephum participem non faceret. Quod adeo verum est, ut cum Matris honorifico nomine ipsa gauderet, glorioso patris Christi nomine Iosephum cohonestare non dubitarit, dicens Luc. II: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ».

825. Melius quidem Maria, quam Paulus dicere potuisset illud Act. XXVI: « Opto apud Deum, et in modico, et in magno te fieri talem, qualis et ego sum ». Hinc discant uxores viros suos honorare, et quidquid bonum familiae regimen parit, non sibi solis arrogare, sed viris etiam suis illud deferre. Egreditur Beata Virgo Iosepho Sponso suo associata ex bethlehemitico oppido, et tamquam par coniugum castissimum mutuo amore se redamantes, Ierosolymam properant. Laeta tunc calcabatur tellus, ridebat coelum, aspirabant dulces aurae, cuncta vernabant, Creatoris sui baiulae omnes creaturae applaudebant. Bone Deus! quanto verius, et aptius Claudianus (lib. 2 de raptu, et lib. de nuptiis Parad. et Caeledinae) nunc cecinisset:

Qua properat, veris sequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medioque patent convexa sereno:
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit, et dulci violas ferrugine pingit,
Prosequitur volucer late comitatus euntem.

826. Itaque sacri isti coniuges Maria, et Ioseph magna Angelorum caterva stipati, ut parentes Dei decebat, coeleste pignus deferebant, ut in templum illud inferrent ac praesentarent....

827. Ad extremum, ut ad Christi Domini praesentationem sermonem convertam, in ea sane perplures virtutes effulgent, ac permulta etiam vitia ad nostram institutionem aperte damnantur. Fides adstruitur, dum sub infantili corpore immensa Dei maiestas delitescere, firmiter a multis ibi adstantibus creditur. Spes nostra erigitur, dum per illum in coelis praesentari speramus, qui se in terris pro nobis praesentari voluit. Charitas accenditur, dum prae nimio amore nos redimendi seipsum nunc in pretium pro nobis offert in templo, offerendum postea cruento sacrificio in cruce. Humilitas in eo maxime elucet, cum vendi se permittit a sacerdote hebraeo, quinque siclis, vendendus postea a Iuda triginta argenteis. Obedientia enitet in custodia et observantia divinae legis, a qua alioquin erat exemptus. Religio et cultus divinus in oblatione primogeniti, et avium, quae lege praescribebantur, necnon in templi frequentatione mirifice splendet. Abstinentia in ieiuniis Annae commendatur; virginitas in Christo et Maria se ostentat; matrimonium sanctum in Ioseph repraesentatur; viduitas inculpabilis in Anna docetur; immaculatum sacerdotium, et prophetiae donum in Simeone venerari monemur. Hic rursus superbia et arrogantia confunditur, quando parentes puritatis fontes purificandi adveniunt. Libido compescitur in sacris his coniugibus, cui illi numquam vacarunt, et ad non vacandum speciali se obstrinxerant voto. Ira retunditur in Christo agno vendito et taciturno. Impatientia exploditur in Maria patienter ferente, quod a Simeone audivit, « tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Cui sit honor, etc.

828. **Hymnus V.**

Iosephi canamus laudes.

Sanctum Christi nutritorem
Veneremur ob honorem
Talis ministerii,
2. Huic Maria desponsatur,
Ne diabolo prodatur
Ratio mysterii.
3. Sponsa Gabrielis ore
Salutata novo more
Verbum verbo concipit.
4. Vir sacratus intellectam
Rem non habet hanc suspectam,
Nec furore desipit.
5. Puritatem sed Mariae
Nec oblitus prophetiae
Dictis facta comparat;
6. Isaias concepturam
Filiumque parituram
Virginem praedixerat.
7. Ioseph ergo, Deo plenus,
Tempus, locum, vitam, genus
Suae pensat Virginis.
8. Scit arcanum esse signum
Nec ministrum putat dignum
Se divini germinis.
9. Ob hoc secum meditatur,
Ut clam Sponsa dimittatur,
Virgo rea ne tradatur;
Sed nocte per Angelum
10. Imperatur coniux duci,
Ut vir dux sit Christo duci,
Et lucernae novae luci,
Regem regat parvulum.
11. Circumcisi vulgat nomen,
Annae Simeonis omen
Audit, parvum praebet fomen,
Herodi tendens exulat.
12. Ex Ægypto postquam rediit,
Nazareth alumnum credit,
Dum rex impius decedit,
Innoxios qui iugulat.

Digitized by Google

13. Templo quaerit iterum
Cum Maria tenerum
Duodennem Puerum.
14. Domum Iesus ducitur,
Pater eius dicitur
Faber, cui subditur.
15. Non est igitur delirum
Non est cassum, non est mirum,
Si per omnem mundi gyrum
Virginem Mariae virum
Laus attollat populi.
16. Sed tu, regis nostri rector,
Pastor pius et refector,
Noster dux sis et protector,
Ex Ægypto saeculi.
17. Sanctum, Christe, per papatem
Nostram rege pravitatem,
Mentis aufer caecitatem,
Cordis confer puritatem,
Carnis sanctimoniam.
18. Nobis post sacramentalem
Pastum, pastor, aeternalem
Da, pro quibus temporalem
Per alumnum virginalem
Capis alimoniam.

(Missal. Monac. saec. 15; cfr. Dreves, Analecta Hymnica Medii Aevi, t. IX, p. 192).

829. **Memento.** — TRIPLEX OBEDIENTIA IN FUGA IN ÆGYPTUM. — I. *Obedientia Pueri Iesu:* Qui, etsi ut Deus sciret omnia et cognosceret voluntatem Patris, etc., tamen tacuit et a Iosepho regi se sinit: ita tu, etsi tibi prudens videaris, sine tamen te ab aliis regi....

II. *Obedientiam B. Matris:* Credit Iosepho, nec aegre fert Angelum sibi id immediate non manifestasse. Sic tu, etsi Superior tibi aliquid per alios aut scripto significet.....

III. *Obedientia S. Iosephi:* 1. Quia retulit S. Matri rem adeo difficilem. Tu, ob respectus humanos, quid non detrectas? 2. Nil Angelo contradixit, etsi videret totum onus sibi incumbere; nec de mora constabat: " Esto ibi usque dum dicam tibi ". Sic tu age, curam omnem Superiori relinquens, paratus immorari et immori. (Cuvelhier, Medit. breviss.).

VI. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE FUGA IESU MARIAE IOSEFHI IN ÆGYPTUM.

Lib. IX, De fuga Christi Domini Mariae et Iosephi in Ægyptum, hom. 1, 2, 3.

FELIX Ægypte, « habitabunt apud te profugi mei, esto latibulum a facie vastatoris ». Bene profugos suos vocat Propheta Iesum, Mariam, et Ioseph dilectissimos eius parentes cum pullo nido relicto avolantes, et fugientes, et petit ab Ægypto ut sit eorum latibulum a facie Herodis vastatoris (Is. XVI): « Absconde fugientes, et vagos ne prodas ». Fugientes, et vagi erant Puer Iesus, et parentes eius fugientes ab ira tyranni, et vagi per vias Ægypti quaerentes locum, ubi se absconderent ab ira furoris eius, qui sanguinem agni immaculati sitiebat, et pullum columbae immaculatae capere, perdere, et occidere nitebatur: propterea fugiebant, ideo vagi erant, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, quaerentes quis illos egentes, et vagos induceret in domum suam, absconderet, ac non proderet crudeli tyranno. Clamabat etiam in spiritu idem Propheta Isaias (cap. XXI): « Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri: cum panibus occurrite fugienti: a facie enim gladiorum fugerunt »; ubi Septuaginta legunt: « Occurrite fugientibus propter multitudinem occisorum »...

831. Nulli dubium esse potest, quin labore itineris Beata Virgo, et Ioseph esurirent, ac lassi essent, nec non et divinus infans iam ex tunc fatigatus ab itinere etiam esuriret atque sitiret. Merito ergo clamat Sanctus Propheta ad viros qui illis in locis morabantur, ut occurrerent egenis, vagisque ac fugientibus, afferentes eis panes ad comedendum, et aquas ad bibendum, ut vel modicum refocillati ac recreati celerius in Ægyptum se reciperent: a facie enim gladiorum Herodis fugiebant, et a multitudine innocentium parvulorum, qui propter Christum trucidabantur. (*Homil. 1*).

832. Dubium est, quare cum Deipara sanctior esset Ioseph, voluit Dominus angelicam revelationem in somnis fieri Iosepho, et non ei; maxime quod causa illa magis ad eam spectare videbatur, quae Mater erat Christi, quam ad Ioseph, a quo minime ille genitus fuerat? Respondeo, quod quia Ioseph tamquam vir, et verus maritus Sacratissimae Virginis caput illius erat, Apostolo dicente (I Cor. XIV): « Vir caput est mulieris », immo caput erat totius illius Sacrae Familiae instar praelatus, subditos sibi habens Christum et Mariam, hinc est quod angelica revelatio fit illi, non eius uxori. Quo non obscure docemur documentum magni momenti, omnibus indiscriminatim omnino observandum, nimirum tam negotia, quam munera non immediate ad feminas, sed ad earum viros deferenda esse: unde Moyses Barcefas (in hist. Gen.) ait, ipsum etiam Deum non immediate promulgasse legem de non edendo fructum ligni vetiti Ævae, sed Adamo « Æva », inquit, « didicit ab Adamo praeceptum de non edendo cibum »; quod et confirmat hic auctor testimonio S. Ephrem Syri volentis uxorem adeo viro suo subditam esse debere, ut et legem Dei de ore eius accipiat. Certe si cum Æva suasa fuit a serpente comedere de ligno vetito, id prius communicasset cum viro suo, forsitan neuter illorum divinum transgressus fuisset praeceptum. Hanc doctrinam videtur mihi adamussim observasse rex Abimelech, cum solo lumine

Digitized by Google

rationis illustratus dixit Sarae (Gen. XX): « Ecce dedi fratri tuo », hoc est Abrahae, viro tuo, dixerat enim illa sororem illius esse, « mille argenteos: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt ». Ecce rex non porrexit munus ipsi Sarae, licet alioquin illud ad eam pertineret, in cuius gratiam dabatur, sed Abrahae illius marito, ut qui probe agnosceret nullum munus uxori alienae conferendum esse, quod per manus viri eius non transiret. Hoc et rationi consonum, et Deo gratum est. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen. (*Homil. 2*).

833. Circumstantias praesentis mysterii prosequens, qualitatem Angeli qui in somnis apparuit Iosepho, fugam in Ægyptum illum monentis, minime silentio praeterire licet. Origenes (homilia 3, in diversos), Angelum illum Gabrielem fuisse scribit, cui totum incarnati Verbi negotium divinitus fuerat commissum: verba eius sunt haec: « Qualis Angelus ille annunciare venit, qui ad Zachariam in templo locutus est, ipse et nunc per somnium ostendit se Ioseph, Sanctus Angelus Gabriel appellatus, quod interpretatur «fortitudo Dei». Illius namque Incarnationis sacramentum commendatum habebat, qui veniebat ad debellandas potestates aëreas. Iste etiam Angelus ad eos bene vigilantes pastores venit, et Domini generationem iisdem annunciavit ». De modo autem, quo Angelus in somnis apparuit Iosepho, et cum eo locutus fuerit, multi cum Barradio (in Comm. hui. loci) existimant non apparuisse in persona propria aëreo corpore indutum, nec voce quae auditu corporis percipi posset cum Iosepho locutum, haec enim apparitio vigilantium est; visus ergo est, et locutus Angelus cum Iosepho dormiente per species phantasiae impressas, quae Angelum, et praesentem, et loquentem repraesentabant: huiusmodi autem visio dormientium est, et dormienti Iosepho conveniebat. Certissime vero cognovit tum Dei illam esse revelationem, tum quid significaret: etenim cum Deus ut alicuius rei cognitionem tribuat, somnium immittit, id ita agit, ut in certissimam homo revelationis reique cognitionem adducatur...

834 Ceterum antequam ad alia quae mihi commemoranda sunt, gradum faciam, non possum non mirari pariter, et commendare perfectissimam Sponsi Virginis obedientiam, qui cum primum agnovit angelicum oraculum de fuga in Ægyptum arripienda, continuo ait D. Matthaeus (c. II): « Consurgens accepit Puerum, et Matrem eius nocte, et secessit in Ægyptum ». Super quae verba D. Chrysostomus ait: « In re obscura, et perplexa nihil locutus est, nihil interrogavit, sed ad nutum obedivit, tentationes omnes cum gaudio sustinens: ecce promptam Iosephi obedientiam, nulla interposita mora, antequam dies illucescat, ipsa etiam nocte, ne quispiam fugam observaret, viam aggreditur ».

835. Ecce caecam, quam Sancti Patres vocitant obedientiam: non sciscitatur, quomodo si Deus est, fugit ab hoste; quomodo si alios e faucibus diaboli eripere venit, potentiae Herodis non resistit; non obmurmurat, nec conqueritur de difficultate itineris, de importuno noctis tempore, de inopinato et improviso profectu, de inopia ad expensas necessario faciendas, maxime in regione barbara, et inculta: his omnibus difficultatibus, et aliis, quas longum esset recensere, viriliter superatis, in omnibus parendum esse Deo constanter elegit: instar Abrahae, qui divino praecepto obaudiens de mactando filio suo, a quo multam posteritatem se habiturum ei pollicitus fuerat Deus, mane consurgens ad iter se accinxit; nec non instar Moysis, cui cum multa dura, ac difficilia Dominus imperasset, nimirum ut superbissimum Pharaonem tamquam potestatem habens alloqueretur, ut potenter ei resisteret, acriter ei minaretur, multisque plagis nuntiaret opprimendum, nisi divinae iussioni obtemperaret, nihil ea moleste tulit, nec amara illa, aut acerba iudicavit, ut ait David (Ps. CIV), « et non exacerbavit omnes sermones suos ». Etenim sicut mollis cera quocumque manus illam dilataverit, aut extenderit, eo sequitur, absque omni prorsus reluctatione; sic Sanctus Ioseph quocumque manus Domini illum ducebat, eo confestim pergebat.

836. Huius velocitatis in obediendo eam causam arbitror, quod cum fuga illa esset ad praecavendam Christi necem, quam herodiana saevitia moliebatur, et ipse ardentissime Christum Dominum amaret, inde fuit ut facile, ac prompte, tam arduam, ac difficilem itineris in Ægyptum provinciam susciperet. Unde videntur mihi obedientia, et amor in Iosepho instar alarum duarum; nam sicut istae volucres volare faciunt, ita obedientia, et in infantem singularis benevolentia, et amor ad divinum mandatum sine mora exsequendum illum impulerunt; et sicut etiam navis expansis velis, si prospero flatu feratur per pelagus, impediri minime potest quin celeriter currat, et quodammodo volet; sic Ioseph virtutibus illis velut quibusdam velis Spiritus Sancti vento commotis, fieri non potuit quin curreret, et volaret ad perficiendum divinum mandatum. Sane Sanctissimus Ioseph exacte adeo divinae iussioni in omnibus semper obsecutus est, ut nemo melius quam ille adimplevisse mihi videatur illud (Deut. VI): « Erunt verba haec in corde tuo, ut mediteris in eis sedens in domo tua, et ambulans

Digitized by Google

in itinere, dormiens, atque consurgens »; cum re vera non solum vigilans divinum praeceptum exsecutioni mandaverit, sed et dormiens exsequendum acceptaverit, Evangelista dicente, quod Angelus Domini in somnis apparuit ei, et quod continuo ipse surgens eadem nocte pergere coepit. In quo egregium nobis obedientiae documentum exhibuit: non enim est subditorum, causas indagare iussionis maiorum, sed simpliciter obedire...

837. Secundum, quod verum obedientem vehementer impellit ad obtemperandum etiam in rebus difficillimis, illud est quod sinit se a Domino regi, et Spiritu eius agi, atque ideo facile sibi persuasum habet quamcumque mutationem, etiamsi in peius sibi videatur abiri, profuturam sibi fore; ad quod significandum congrue satis regius Vates ad Psalmum illum (Ps. XXII): « Dominus regit me », hunc apposuit titulum, « pro his qui commutabuntur », quasi diceret, scopus est huius Psalmi eos consolari qui importunam et ingratam mutationem ex uno loco ad alium passi fuerint.

838. Hi namque perpendere debent mutationem hanc persimilem esse illi, quam praestat bonus ac prudens pastor, qui cum gregem in fastigio montis alacriter pascentem videt, observans tamen herbam illam esse nocivam, iactu fundae et baculi compellit gregem ad vallem descendere, ac dulce sibi pabulum deserere. Hac cogitatione munitus Sanctus Ioseph continuo divino praecepto obtemperavit, ac difficilem illam in Ægyptum mutationem eadem nocte sustinere coepit, Evangelista dicente (cap. II): « Qui consurgens accepit Puerum, et Matrem eius nocte, et secessit in Ægyptum »; quae verba licet adeo clara, et perspicua sint, quidam tamen doctores secuti Episcopum Abulensem (in cap. II Matth.), existimant quod Ioseph non discessit in Ægyptum illa eadem nocte, in qua ei Angelus apparuit, idque nonnullis rationibus nituntur comprobare: quarum prima est, quia Ioseph, sicut ille inquit, indigebat aliquibus, quae prius erant praeparanda pro Matre, et Puero, maxime cum via esset longissima et laboriosissima, propter quae Ioseph non poterat subito eadem nocte se praeparare et secedere. Secunda ratio est, quod Ioseph discedebat in Ægyptum, ut ibi maneret per longum tempus, cum Angelus ei dixisset: « Fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi ». Unde oportebat, quod disponeret aliqua de necessariis quae afferre secum potuisset in vitae suae solatium et auxilium pro illo tempore.

839. Tertia ratio: quia licet Ioseph, et Virgo essent pauperes, aliquid tamen habebant: unde cum recederent de terra et patria sua, nescientes quando iterum redituri essent, opus erat quod aliquantulum disponerent de rebus suis eo modo quo possent, ut saltem non omnino perirent.

840. Quarta: quia oportebat famae consulere, nec insalutatis vicinis et cognatis fugam capere: « dixit enim Apostolus (ad Rom. XII): « Oportet providere bona non solum coram Deo, sed coram hominibus ». Verum oppositam sententiam, quam sequitur Card. Caietanus (super Matth.), non modo probabiliorem putamus, sed etiam Angeli dictis magis multo consentaneam, nimirum quod eadem nocte, cum evigilavit a somno Ioseph, exsequutus est quod monuit Angelus.

841. Ita etiam docet Titelmanus, necnon et Cornelius Iansenius, qui in hunc modum loquitur: « Neque paruit tantum Angelico oraculo, sed et nocte omnibus relictis fugit, cum fugere simpliciter iussus fuisset, hac in re diligentiam parendi oraculo praeseferens, suoque exemplo nos docens, cum de voluntate Domini constat, omnem rationis industriam ac vires omnes intendendas esse, ut quod probari Domino cognoverimus, commodissime perficiamus ». Et quidem non parum infirmat Abulensis et aliorum sententiam illa eadem quam ipsi verbis Evangelistae adhibent expositionem, ut significent, non quidem quod Ioseph eadem ipsa nocte recesserit, sed quod postquam nonnullas moras sustinuerit, aliqua alia nocte paucis interiectis profectus fuerit: quia praeterquam haec Tostati expositio litterae minus congruit, non est sane credendum de Ioseph, qui vir erat Sanctissimus et prudentissimus, velle fugam differre cum manifesto periculo Immaculati Agni, quem cruentus lupus avidissime quaerebat: cum enim ex verbis Simeonis et Annae iam rumor de illo inciperet dilatari; certe si Ioseph in rerum domesticarum dispositione tunc occuparetur, multo magis rumor excresceret, cum dispositio illa omnino clanculum fieri non posset. Verosimilius ergo est omnium bonorum suorum iacturam voluisse potius sustinere, quam cum periculo infantis fugam differre.

842. Unde sapienter idem Cornel. Iansenius (in sua concordia, cap. XI) dixit: « Hic iam et paupertas parentum Christi satis notari potest. Nam ante fugam sarcinae diu colligendae erant, aut debitores adeundi, aut facultates disponendae, sed omnibus si quae erant posthabitis, id unum agebant, ut divino obedirent mandato ». Nec propterea fama eius et uxoris iacturam aliquam sustinuit: quia cum omnem mali suspicionem Sanctissimae Deiparae et Iosephi vita immaculata singularisque Dei providentia repelleret, facile vicini existimare possent ad aliquod negotium necessarium, quod dilationem non patiebatur discessisse. Dicamus ergo, quod

Digitized by Google

sicut olim Abraham audito divino praecepto nocte consurgens secum tulit puerum Isaac, ita Sanctus Ioseph cum primum agnovit divinum mandatum de fuga in Ægyptum, protinus eadem nocte absque ulla mora perrexit in Ægyptum, adducens secum Matrem et Puerum Iesum, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. (*Homil. 3*).

843. **Hymnus VI.**

Iosephinae vitae praeconium.

IUCUNDARE plebs fidelis,
Cuius Pater est in coelis,
Ioseph voce Gabrielis
Allocutus saepius.

2. Ortus stirpe prophetali,
Dignus fuit laude tali,
Iunctus Matri Virginali
Verus David Filius.

3. Sanctus est sanctificatus,
Dum Mariae sociatus
Pro virtute coelibatus
Deum prolem habuit.

4. Evangelio testante
Iustus actu fuit ante,
Qui Maria iam praegnante
Ab hac ire voluit.

5. Pater Iesu nominandus,
A quo Puer baiulandus,
Angelo certificandus,
Dignus constat omnibus.

6. Nolens Sponsam accusare
Cogitansque occultare,
Monebatur acceptare
Eam dignam moribus.

7. Virginem hanc permansisse,
Sicut Virginem duxisse,
Virginemque concepisse
Foetam Sancto Spiritu.

8. Tunc accipiens Mariam
Duxit pius pie piam,
Parituram iuxta viam
Bethlehem in exitu.

9. Rege coeli ibi nato,
Diversorio locato,
In praesepi reclinato
Ioseph semper adfuit;

10. Iesu nomen imponebat,
Forsan et circumcidebat
Sponsus, sanguinumque flebat,
Quantum Adam meruit.

11. Cumque Magi advenissent
Muneraque detulissent,
Et admoniti abissent,
Dedit haec pauperibus.

12. In Purificatione
Prophetante Simeone
Humili cum oblatione
Venit cum turturibus.

13. Ut lateret cum parente
Iesus rege saeviente,
Ioseph, angelo monente,
In Ægyptum abiit.

14. Septem tempora mutantur,
Dum ibidem conversantur,
Tres, qui unum computantur,
Hincque quivis rediit.

15. Ioseph gentis firmamentum,
Populi stabilimentum,
Lustrat vetus Testamentum
Ut lucerna splendida.

16. Erat sumens coeli gustus,
Morans cum Maria iustus,
Quae est rubus incombustus
Castitate florida.

17. Scandens Iesus cum parente
Die festo imminente,
Est inventus a dolente
Disputans post triduum.

18. Virum iustum deposcamus,
Ut cum hoc inveniamus,
Quem offensum formidamus,
Dominum mellifluum.

(Missal. ms. Harlem. saec. 15; cfr. Anal. Bolland. VI, 398).

844. **Memento.** — S. Ioseph, Virginis Mariae Sponsus ac custos, ab Angelo monitus, obedire non cunctabatur, sed statim surgens festinabat exsequi mandata Dei, et absque mora proficiscebatur, quocumque Domini voluntas ipsum vocabat. Ita et tu, Sacerdos, non tardes illuc pergere, quo te vocationis et dignitatis tuae officia arcessunt. Nec minus in omnibus viis tuis, in quolibet eventu, humiliter adora divinam Providentiam, quae attingit a fine usque ad finem fortiter (Sap. 8), et disponit omnia suaviter. Adora Providentiam quae Christi Nutritium, una cum Virgine Maria, modo huc, modo illuc per vias mirabiliores quam duriores deduxit. Summa animi demissione adora Providentiam, quae non solum arenam maris (Eccl. 1), et pluviae guttas, et dies saeculi dinumeravit: *sed et capilli capitis* tui (Luc. 12. 7.) omnes numerati sunt. S. Ioseph, faber inops et pauper, semper habuit, unde Sacram Familiam suam aleret. Quapropter inanes abiice curas, et Deo committe res tuas. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo (Prov. 3) et ne innitaris prudentiae tuae. In omnibus viis tuis cogita illum; et ipse diriget gressus tuos. Time Deum, et recede a malo. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. (Scutum fidei, 5 Ian.).

VII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

QUOD S. IOSEPH FUIT CUSTOS CHRISTI DOMINI ET SINGULARE PRAESIDIUM B. M. V.

Lib. IX, De fuga Christi Domini Mariae et Iosephi in Ægyptum, hom. 4.

ADEST igitur singulis hominibus a nativitate sua angelus bonus, et angelus malus; solus tamen Christus Dominus angelo custode, caruit, ut docuit D. Thomas (1. p., quaest. 113, a. 4, ad 1), quia eius humanitas gubernabatur et custodiebatur a Verbo divino cui erat unita; et ideo angelo custode non indigebat. Angelus etiam nequam, seu daemon, nullus ei destinatus, quia excellentiam, et dignitatem suae personae dedecebat illum sibi adesse. Cum

Digitized by Google

ergo utroque hoc angelo careret, divina providentia loco angeli custodis adhibuit illi B. Iosephum, qui in infantia sua illum custodiret; diabolica vero malitia, loco angeli mali, praestitit ei impium Herodem, qui illum persequeretur, et mortem illi machinaretur..

846. Sed non solum Infanti, sed et Matri singulare praesidium extitit Sanctus Ioseph, praecipue tamen in laborioso hoc itinere, cum sudore vultus sui, et fabrili arte alimenta ei ministrabat, et in exilio eam consolabatur, itinerisque molestias quoad poterat ab ea vel propulsabat, vel alleviabat: unde B. Virgo fatetur bene sibi fuisse sub umbra sui Sponsi (Cant. II): « Sub umbra eius quem desideraveram sedi ». Pro cuius loci intelligentia suppono, duplicem Sponsum habuisse B. Virginem, divinum unum, alterum humanum: divino fuit sponsata per fidem, et charitatem; humano per vinculum matrimonii. Illud autem non parum humani Sponsi excellentiam commendat, quod verba quae B. Virgo de divino Sponso pronuntiaverat, humano divinum aemulanti adamussim etiam conveniant.

847. Certe Sponsus cum eximiam Mariae pulchritudinem laudasset, tanto excellentiorem esse affirmans, quanto pulchritudo lilii spinarum pulchritudine maior esse noscitur (Cant. II): « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias »; ipsa par pari rependens, divino Sponso dixit: « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filias. Sub umbra illius quem desideraveram sedi ». Haec autem eadem verba in Sanctum Iosephum humanum eius Sponsum egregie quadrant. Etenim cum B. Bernardus (ser. 48. in Cantica) quaereret, cur omissis melioribus, arboris huius mediocris ligni adducta sit comparatio? numquid cedro Libani, cypresso, et similibus pulcherrimis arboribus non poterat illum comparare? Respondet, merito Sponsam eius desiderasse umbram, de quo refrigerium et refectionem pariter esset acceptura; illas sublimes ac proceras arbores praeteriit, quia infructiferae erant, ex malo autem fructum dulcissimum delibare poterat.

848. Philo, Episcopus Carpatius affirmat, per arborem fructum ferentem iustum designari, iuxta illud Davidis (Psal. I): « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo ». Cum ergo S. Ioseph iustus esset, ut ait D. Lucas, « cum esset iustus, noluit eam traducere », apte satis per arborem fructiferam Beata Virgo illum significavit, a quo et refrigerium et fructum alimenti quotidie percipiebat. Verum cum multae aliae arbores fructiferae malo pulchriores inveniantur, vacare non potest mysterio, Sponsam malo potius Sponsum suum comparasse quam alteri. Philo illud detegit, quod arbor ista coniugalis amoris symbolum extiterit, ut testantur Philistratus, Nicandrus, Theocritus, Catullus, Propertius, Virgilius, et alii poetae, fingentes amores natos sub malo, et sub eadem arbore lusitare et amantes malis se petere: quibus consonat, tum quod in somnio visa poma fruitionem pollicentur, ut delirant Artimedorus, et Statius: tum quod mumismate Dionis filia tanquam fructum amoris malum tenens proponitur, ut late prosequitur Eustachius (l. 8. Odysseae), Pierius (lib. 54. Hiero.), et Valerianus.

849. Cum igitur B. Virgo tot fructus, quot adminicula S. Ioseph ei impendebat, esset ab eo perceptura, merito comparavit illum arbori, a cuius umbra refrigerium, et a cuius fructu refectionem habitura esset. Deinde subiungit Philo, malo fuisse comparatum sponsum: quia arbor haec variis mysticis significationibus scatet. Equidem antiqui ad delineandum virum vitae probitate conspicuum, Herculem depingebant, ut auctor est D. Gregorius Nazianzenus (2. contra Iulianam), cui tribuebant praeclara gesta ac heroica facinora sua, tria poma manu tenentem, quae symbolum erant temperantiae, quia solo mali fructu temperantissimi homines vesci assueverant. Per illa autem tria poma veteres illi Graeci tres praecipue virtutes designari volebant, quibus totidem vitia coercerentur: mansuetudinem, ne ira excandesceret; liberalitatem, ne avaritia vinceretur; continentiam, ne carnis illecebris, et voluptatibus languesceret. Cum ergo S. Ioseph amore coniugali, mansuetudine, liberalitate, et continentia insignis valde esset, merito B. Virgo malo arbori, quae omnium istorum umbram praesefert, illum comparavit.

850. Coniugalis amor maxime in illo enituit, nam alii viri uxores suas amantes venereo amore frequenter alliciuntur; Ioseph autem castissimo amore Virginem prosequebatur: alii amore concupiscentiae, qui voluptatem quaerit, consortem suam amant; Ioseph amore amicitiae, qui non amantis, sed amati bonum respicit, ardenter diligebat. Mansuetudo deinde in eo mirifice praefulsit, cum zelotypicum furorem Sponsa sua ab eo intacta praegnante, ita cohibuit, ut ab eius accusatione se abstineret, Evangelista dicente (Matth. II): « Noluit eam traducere ». Liberalitas tandem, et animi magnificentia ei non defuit, quia licet ad faciendum magnos sumptus facultas ei non suppeteret, quae tamen labore manuum suarum quaeritabat, ea omnia in Matris, et Prolis subsidium convertebat, ob quae merito Christus Dominus

Digitized by Google

ei dicere poterat quod David Deo (Ps. XXII) : « In te proiectus sum ex utero matris meae » : nec non et Maria laetanter intonare (Gen. II) : « Sub umbra eius quem desideravam sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo » ; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

851. **Hymnus VII.**

De Iosepho Patriarcha Sancto laudes.

PATRIARCHA quam laudandus,
Ioseph, vir iustissime,
Cui traditur servandus
Filius altissimae
Maiestatis, nuncupandus
Virginis mundissimae.

2. Quis fidelior vocari
Potest inter homines,
Cui dantur conservari
Tam thesauri nobiles,
Per quos habent reparari
Coeli regni exules.

3. O Ioseph, noli timere,
Mariam accipere,
Sic te voluit monere
Nuntius a sidere,
Gaudet filium habere
Dei casto viscere.

4. Cum iam Puer educatur,
Magis adventantibus
Ferus Herodes turbatur
Minitans Infantibus,
Sed te monens sic affatur
Magis remeantibus:

5. Nocte surgens tolle Christum
Matremque velociter,
Pergens fuge in Ægyptum,
Ibi siste iugiter,
Nec reducas, sed edictum
Praestolare firmiter.

6. Cum destinatis ad caedem
Innocentum millibus
Mortem sumit in mercedem
Rex Herodes invidus,
Iterumque Gabrielem
Mandat Pater coelicus.

7. Tolle Puerum et Matrem,
Sic te monet Gabriel,
Herodes recepit acrem
Necem, terram Israel
Tene, dat securitatem
Universi arbiter.

8. Quam fideliter servare
Matrem atque Filium
Studens paves repedare
Pristinum ad solium,
Sed Nazareth habitare
Moneris per Angelum.

9. Tua festa collaudantes,
Pater Ioseph, visita,
In te Christum adorantes
Placa prece sincera,
Ne nos iugiter peccantes
Mergat in tartarea.

(Brev. SS. Trinitatis in Alpibus ann. 1455 ; cfr. Dreves, Analecta Hymnica medii aevi, tom. XXII, p. 149).

852. **Memento.** — Maria et Ioseph tunc primum reversi sunt in civitatem suam Nazareth, postquam in templo Hierosolymitano perfecissent " omnia secundum legem Domini „. Idipsum tibi documento habe, Sacerdos! et peracto Missae sacrificio non statim e templo discede, nec continuo domum revertere ad negotia tua domestica vel ad res minoris momenti; sed tunc primum revertere, postquam in templo perfeceris omnia secundum legem Ecclesiae. Postquam debitum tempus dederis gratiarum actioni pro quotidiano Angelorum Pane; postquam Deum-Hominem in corde tuo realiter praesentem aliquamdiu supplex adoraveris; postquam Salvatori tuo sedulam vitae emendationem promiseris, et ab illo gratiae auxilium tibi tuisque proximis necessarium petieris: tunc demum ad domestica tua reverti poteris, quae quidem oportet facere, sed illa non omittere. (Scutum fidei, 4 Ian.).

VIII. — Sermo Ioannis de Carthagena.

RATIONES ET UTILITATES ELECTIONIS S. IOSEPHI IN MARIAE SPONSUM ET IN NUTRITIUM ET CUSTODEM CHRISTI DOMINI.

Lib. IX, De fuga Christi Domini Mariae et Iosephi in Ægyptum, hom. 7.

QUAMVIS omnipotentia deitatis, quae sub humana infantilis corpusculi substantia latebat, facili negotio potuisset Christus Dominus et ab Herodiana saevitia se eripere, et ab adversi temporis inclementia in itinere ad Ægyptum se protegere: placuit tamen ei, cui facile est honestare pauperem in oculis eius, humilem Iosephum ita exaltare, ut eum non solum in suae Genitricis Sponsum, sed et in suae infantiae nutritium, ac protectorem eligeret. Unde verba illa (I Regum c. XIII) apte satis in Divum Iosephum convenire mihi videntur: « Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum ». Licet enim secundum sensum litteralem verba haec dixerit Samuel de Davide, quem loco Saulis Dominus in regem elegerat; in sensu tamen mystico, aut accommodatitio, ut moris est apud Patres, congrue ei quadrant: maxime, quod non semel sacra Scriptura multa de filiis praedicit sub nomine suorum parentum, ut clare constat (in Gen. XLIX) : ibi enim Iacob futura vaticinans, inquit; « Dan quoque iudicabit » ; quod in Samsone impletum fuit, et in libro Psalmorum frequenter videmus, loquente Deo cum Davide, sermonem dirigi ad Christum eius Filium.

854. Similiter igitur Samuel illa verba proferens de Davide, eadem quoque retulit ad Iosephum ipsius Davidis filium, quem Dominus sibi quaesiturus erat non ad regnandum super Israel, sed quod excellentius

Digitized by Google

multo est, ad imperandum, et dominandum super Creatorem totius orbis, ut divus Lucas (c. xi) testatur: « Subditus erat illis », hoc est Mariae, et Iosepho. Unde D. Bernardus (ser. 2. sup. Missus est) de Iosepho loquens, inquit: « Quem tamquam alterum David Dominus invenit iuxta cor suum, cui tuto committeret sacratissimum sui cordis arcanum »; hoc autem arcanum Verbum divinum erat sub infantili carne delitescens, quod cum innumeris aliis sacramentis Iosepho Dominus credidit, ut melius, quam David, verba illa sibi usurpare potuisset (Ps. L): « Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi ». Atque hinc est, quod, ut observavit Divus Bernardus (praec. loc.), et Angelus vocavit Ioseph filium David: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam », et D. Lucas dixit esse « de domo David »: quae non absque mysterio censeri debent dicta.

855. Vocatur enim « filius David », ac de eius domo, non solum, quia ab eo secundum originem sanguinis descenderet, sed quia ab eius honestis moribus minime degeneraret. In eo tamen praecipue ei persimilis fuit, tum quia, sicut David singularem curam habuit honorandi, et protegendi mysticam illam arcam veteris Testamenti, ita et Ioseph singularem curam adhibuit in custodienda, honoranda, et protegenda Beata Virgine, mystica novi Testamenti arca per veterem illam praefigurata: tum etiam quia sicut David mansuetudine clarus fuit (Ps. CXXXI): « Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius »; ita et Ioseph mansuetudinis virtute mirifice praefulsit.

856. Etenim, sicut (I Reg. cap. XXVI) legimus, cum rex David facili negotio vindictam sumere potuisset de Saule, quem dormientem invenit, iram suam tamen coercens, omnino ab eius percussione se abstinuit: « Vivit Dominus », inquit, « quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in praelium descendens perierit: propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini »; ita Sacratissimus Iosephus, quamvis praegnantem videret Sponsam, quam nunquam tetigerat, ac proinde potuisset illam accusare, prudenti tamen mansuetudine ductus ab huiusmodi accusatione se abstinuit. Evangelista Luca dicente: « Cum esset iustus, noluit eam traducere »; sed antea rei curam fidenter in Deum iactavit. Nec fefellit eum illa mansuetudo, neque haec fiducia: siquidem continuo Angelus Domini apparuit ei dicens (Matth. I): « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ».

857. Quam igitur apte proposita verba in hunc tantum virum conveniant, latius explicemus (I Reg. XIII): « Quaesivit sibi Dominus virum iuxta cor suum »; expendamus primum verbum illud, « quaesivit ». Sedula cura, ac diligenti studio quaesivit Dominus Iosephum: hanc enim vim habet verbum hebraeum, « hicches », quo utitur originale; in quo sensu Salomon illud etiam accepit (Cantic. III) in persona Sponsae, dicens: « Quaesivi quem diligit anima mea »; cuius indefatigabilem curam in quaerendo dilectum, illud manifestum indicium extitit, quod circuivit civitatem, ac per vicos, et plateas illum quaeritabat, et quoscumque in via offendebat, de illo statim interrogabat. Vigilantiore certe studio, ac diligentiore cura quaerebat Dominus inter filios Israel virum aptum in Sponsum Mariae, virginitatis eius custodem, ac suae infantiae nutritium, et in periculis defensorem; nullum tamen ad haec tanta munera praestanda Iosepho aptiorem invenit.

858. Unde quemadmodum D. Chrysostomus (hom. de David et Gol. sapienter dixit: « Quaerendo iudicari Deum singulos homines cum diversos attigisset, examinasset cunctos, plurimosque praevidisset, e quorum numero eligeret regem, invenit tandem David, cuius meritum transire non potuit »; ita similiter exploraus Deus merita singulorum mortalium, cum omnia illa praeteriisset, utpote insufficientia ad munera sponsi, et nutritii suscipienda, meritum tamen Sanctissimi Iosephi praeterire non potuit, quin eum his tantis officiis praeficeret.

859. Accidit quidem D. Iosepho, quod in senatu regio non semel contingit: refertur regi catalogus eorum, qui vacante aliqua dignitate aptiores censentur ad eius functionem, et multis ex his qui nominantur, praetermissis, cum pervenitur ad eum quem rex digniorem praeconceperat, continuo ipse quasi meritum illius praeterire non valens, calamo scribit in margine: Huic conferatur haec dignitas. Ad eumdem certe modum inter plures viros sanctitate conspicuos, qui menti divinae obiiciebantur, nullum digniorem inveniens, quem in patrem suae infantiae adoptivum et protectorem acciperet, quam Beatum Iosephum, eius meritum praeterire non potuit, sed illum ad id munus elegit, meliusque de illo, quam de David patre suo dicere potuisset (Act. XIII): « Inveni David, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas ».

860. Sicut enim iuxta parabolam Christi Domini, mulier illa quaesivit diligenter margaritam pretiosam per omnes sui domicilii angulos, ac tandem inter stercus illam invenit, ubi minus inventuram putabat; cui persimile est, quod vere contingit Samueli,

Digitized by Google

cum inter filios Isai quaerens quem Deus sibi elegerat in regem, omnes praeteriret, tandem elegit Davidem oves pascentem in agro; ita quidem, cum omnes illos patriarchas, et reges Abraham, et Davidem, quos D. Matthaeus in exordio suae historiae commemorat, Dominus praetermisisset, tandem inter stercus tot scelestorum hominum, et mulierum, quae in genealogia illa narrantur, invenit gemmam pretiosam, hoc est, iustum Iosephum, cuius meritum praeterire non potens illum elegit, ut Matri suae esset Sponsus, et sibi nutritius, et custos.

861. Observandum tamen est, quod ubi nostra vulgata legit: « Quaesivit Dominus », Septuaginta Interpretes transtulerunt de futuro: « Quaeret Dominus sibi virum », ut hinc clarius intelligeretur, quod quantumvis Deus non solum in praeteritis hominibus, sed in futuris quempiam quaerat, Iosepho parem nullum inveniet. Atque hinc patebit solutio ad eam difficultatem: Quare Deus, cum a principio potuisset per Angelum, quem misit ad eius Sponsam, divinae prolis in utero Virginis concipiendae certiorem illum reddere, voluit animam illius acerbo zelotypiae dolore conficere? Respondet egregie Rupertus (lib. I., in Matth., cap 1): « Ut manifestum fieret, tam sanctis angelis, quam nobis hominibus, de seipso, quod esset iustus, et talis, quod digne sic deberet appellari »: quasi dicat: ne in hac electione, quam Dominus fecit, videretur cuipiam personarum acceptator; sed iuste potius Iosephum, in patrem suum legalem, et custodem elegisse: ideo ingenti illo zelotypico dolore illum probavit, ut instar auri in medio fornacis accensae, valor virtutis eius in omnium oculis clarius effulgeret, manifesteque cunctis eximia eius sanctitas innotesceret, qui gravidam videns Sponsam, non conqueretur de illa, non increparet, non accusaret, non traduceret, non lapidandam tentaret, iuxta legem (Deut. xxii). Unde sicut de Iob, ita et de Iosepho dicere licet: « In his omnibus non peccavit Ioseph labiis suis ».

862. Hanc praeexcellentem Iosephi sanctitatem ex maiore coniunctione, quam habuit cum Iesu, sapienter colligit Rupertus (praecit. loc.), memor illius scalae, quam vidit Iacob, in cuius vertice aderat Dominus innixus, et per cuius gradus ascendebant, et descendebant angeli. Sancti, qui angelicam vitam agunt, ex propriis suis operibus meritoriis gradus conficiunt, per quos ad Dominum ascendant. Unde quanto excellentiora esse perhibentur eorum merita, tanto illi sunt in altiori gradu scalae, et ex consequenti propinquiores Deo. Rupertus ergo putat Iosephum constitutum esse in primo illo gradu, cui insidebat Deus. « Supremus, inquit, gradus scalae, cui Dominus innixus est, iste est Beatus Ioseph, vir Mariae, de qua Iesus, qui vocatur Christus, natus est ».

863. Recte ait: « cui Dominus innixus est », cum et in itinere ad Ægyptum, et in reditu in Iudaeam, Iosephi adiutorio et protectioni inniteretur, qui Matrem, et prolem summo studio custodiebat, et eorum commodis, quoad poterat, sedula diligentia consulebat. Idque plane indicant verba illa: « Quaesivit Dominus sibi »; ac si diceret: quaesivit illum in commodum proprium, ut explicuere D. Augustinus (lib. 16. De Civit. Dei, cap. 16), et Procopius (in I Reg. xv). Illud enim latum interest discrimen inter Beatum Iosephum, et reliquos omnes viros sanctos, quod licet omnes quaesierit Dominus, ut illos ad se traheret, quia ut dixit Christus Dominus (Ioann. vi): « Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum »; tamen alios Sanctos quaesivit ad eorum utilitatem, illorum bono dumtaxat prospiciens, Iosephum autem non solum propter hoc, sed quaesivit illum sibi, hoc est, propriae utilitati consulens, ut ab eo protegeretur, et nutriretur, et integritatis suae Matris vigilantissimus custos esset. Ut enim sapienter dixit D. Augustinus (de Sanct. Virg., cap. 4): « Desponsata est Maria viro iusto, non violenter virginitatem ablaturo, sed potius contra violentos custodituro ».

864. Vel aliter dicamus: « Quaesivit Dominus sibi ». Tota Beatissima Trinitas quaesivit Iosephum sibi; Pater illum quaesivit, ut nutriendum traderet ei Filium suum: Filius eum quaesivit in patrem suum legalem, ac Matris suae Sponsum, et ut honori Virginis, et nobilitati suae consuleret; Spiritus Sanctus tandem illum quaesivit sibi, hoc est, ut per illum maiorem honorem, et nominis sui gloriam apud homines sibi conciliaret. Etenim, si rem altius perpendamus, vox haec « Spiritus Sanctus » nusquam audita fuit, quousque Iosephus Virginem in Sponsam accepit: adveniente namque Angelo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, insonuit vox haec (Luc. 1): « Spiritus Sanctus », cum ad eam dixit: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi »; ad Iosephum vero, ut timorem ab eo depelleret, ait (Luc. 11): « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Ab hoc igitur duplici tempore insonare coepit in auribus hominum praeclara illa vox: « Spiritus Sanctus ». Audita quidem fuit olim non semel appellatio haec: « Spiritus Dei », et illa: « Spiritus Domini »; nusquam tamen in veteri Testamento vox « Spiritus Sanctus » insonuisse reperietur.

Digitized by Google

865. Merito vero post Iosephum virum Mariae Spiritus Dei « Sanctus » nominatur: quia, ut recte adnotavit Rupertus (lib. I in Matth., cap. 1): « Maxime ex hoc opere claruit hic Spiritus Domini, quia vere Sanctus sit ». Sanctum idem est, quod mundum, seu sine terra; nullum autem matrimonium mundius excogitari potest, quam quod Spiritus Sanctus fecit inter Iosephum, et Mariam, cum ambo virgines ex voto, et virginitatis cultores semper fuerint: proles etiam nulla mundior concipi potest, quam quae ex hoc prodiit matrimonio, et quam absque viri opera intacta Mater, et Virgo semper manens, ipso Spiritu Sancto cooperante, concepit, et peperit. Ac tandem, quid purius, ac sanctius, non solum creatus, sed nec increatus intellectus apprehendere valuit quam stupendum Incarnationis mysterium in utero Sponsae Iosephi celebratum? Quod quia maximum omnium fuit ardentis divini amoris indicium, merito Spiritui Sancto attribuitur, qui solus non solum essentialiter, ut reliquae personae divinae, sed personaliter amor esse perhibetur. Cum igitur hoc tantum opus fons fuerit, et origo omnis sanctitatis, merito ab hoc tempore Spiritus Dei, Spiritus Sanctus nuncupari coepit (Luc. 1): « Spiritus Sanctus superveniet in te ».

866. Quid plura? « quaesivit Dominus sibi »: explicemus, si placet, locum hunc per illum (Psal. LXXXIII): « Exaltavi electum de plebe mea », in Hebraeo verbum illud « Rum », ut adnotant periti illius linguae, significat exaltate aliquem ad separandum illum sibi a reliquis; unde Paraphrastes chaldaeus vertit: « secrevi », alludens ad communem omnium consuetudinem, qui ea quae sibi seligunt, secernunt, et separant ab aliis tamquam sibi propria. Ad hunc ergo modum Dominus selegit sibi Iosephum, secrevit, et separavit illum a reliquis, tamquam propriam sui possessionem. Unde recte illi congruit, quod de patre eius legimus (Eccli. XLVII): « Sicut adeps separatur a carne, sic David a filiis Israel ». Non pauca D. Iosephi encomia in his verbis latent: nam in primis sacrificium adipis in eo reliqua superabat, quod in his partim Deo, partim ministris dabatur; in sacrificio autem adipis totum in Dei honorem comburebatur, ut habetur Levit. III): « Omnis adeps Domini erit perpetuo in generationibus ». Unde nec minimam eius partem volebat Deus auferri, sed totum sibi reservari: « Nec adipem omnino comedetis »: quasi diceret: haec buccella digna solummodo est regio ore meo: nemo audeat quidpiam illius sibi usurpare.

867. Hinc igitur facile erit deprehendere, quam longo sanctitatis intervallo D. Ioseph reliquos viros sanctos antecellat. Illi sane sacrificia Deo fuere, quorum sibi partem tulit Deus per gratiam, partim tamen prius daemon tulerat per peccatum originale; et dum mortalem vitam agebant, caro et sanguis adversus spiritum pugnantes, quandoque victores, quandoque victi prodibant; at Ioseph tamquam adeps sacrificium fuit adipis, totus Deo consecratus, totus mente, et corpore Deo deditus, totus ardenti Dei amore combustus. Tradit Galenus (lib. 2, de Natur. facult.), pinguedinem seu adipem, licet ex sanguine originem trahat, sanguinis tamen expertem esse, « exsanguis est cum generetur ex sanguine ». Merito sane Ioseph adeps esse iudicatur inter reliquos sanctos: siquidem quamvis ex sanguine omnium illorum regum, et patriarcharum, qui in genealogia eius commemorantur, originem trahat; exsanguis tamen prodiit, qui numquam acquievit carni et sanguini, nec eius oblectamentis.

868. Quod et sacer Evangelista tacite indicasse mihi videtur: nam cum illorum regum, ac patriarcharum narrationem texens diceret (Matth. 1): « Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob », etc. accedens tamen ad Ioseph, a generationis nomine, quod opus carnis et sanguinis est, continuo se abstinuit, non dixit « Ioseph genuit », quia totus erat adeps, et consequenter exsanguis, sed nominans Iosephum, solum subiunxit: « virum Mariae, de qua natus est Iesus », sic enim omnibus innotescit tum eximia puritas Iosephi; tum immaculata Christi conceptio, qui non virum Mariae genitorem, sed eam solum ab Spiritu Sancto foecundatam Genitricem habuisset.

869. Sed perge iam reliqua verba explicare: « virum iuxta cor suum ». Vir, ut cum Ambrosio omnes Latini testantur, dicitur a vi, seu « virtute », unde hominem praestantem et excellentem, « virum » nuncupamus: in quo sensu Terentius (in Adelph.) dixit: « abi, virum te iudico »: similiter etiam eum, qui fortitudine, et viribus pollet, virum appellare solemus. Cum ergo Divus Ioseph tanta virtute, et potentia viguerit, ut supra Omnipotentem dominaretur eo dominio, quod superiorem decet super inferiores, ut Evangelista dixit: « subditus erat illis »; non solum vir, sed centumvir nuncupari meretur.

870. Huius dominii non infirmum argumentum fuisse censeo, quod Angelus potestatem ei dedit imponendi nomen nascituro Infanti: « vocabis nomen eius Iesum »; ut enim D. Chrysostomus (de conv. sanct. Pauli, tom. 3) adnotavit: « Nominum impositio dominium testatur. Ac olim, talem fuisse morem, quod servorum nomina mutanda sint legimus ». Quare inter alios actus do-

Digitized by Google

minii, quos exercuit Adam, cum illum constituit Deus dominum omnium animantium, impositio fuit nominum (Gen. II): Omne, quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius ».

871. Olim etiam, ut nuper dicebam ex Chrysostomo, mos increbuit apud veteres, ut si quae illi emerent mancipia, in signum dominii nomina nova imponerent illis. Cum ergo Divo Iosepho divinitus collata potestas fuerit imponendi nomen Christo Domino, et nomen « Iesus », quod imposuit, novum esset, consequens est dominium super eumdem Iesum habuisse, quale superiori competit erga subditum. Vide impletum, quod inquit D. Paulus (ad Philipp. II): « Qui cum in forma Dei esset »: ecce summam libertatem; « exinanivit semetipsum, formam servi accipiens »: ecce servitutem ad quam se demisit, et per quam tamquam Dominum respiciebat Deum in coelis regnantem, et Iosephum in terra degentem, qui caput erat illius Sacratissimae Familiae, subditos sibi habens Iesum, et Mariam.

872. Sed quid in hoc moror, cum evidentius aliud argumentum habeamus, unde clare liquet Iosephum insignem virum fuisse, cum pater Christi esse meruerit? Sic enim illum vocavit Beata Virgo (Lucae II): « Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te ». Certe Deus alios vocat, et quaerit qui moribus pueri erant, ut faciat illos viros; Iosephum vero non sic, sed iam divina gratia virum factum, illum quaesivit sibi in patrem; idque significant haec verba: « Quaesivit Dominus sibi virum »; quasi dicat: non ut faceret virum, quia iam vir factus erat, sed ut faceret patrem.

873. Neque quidquam imminuit hanc excellentissimam patris nomenclaturam, quod D. Lucas dicat (Lucae III): « Putabatur filius Ioseph »: quia licet revera Christum Dominum non genuerit, pleno tamen ore ab Evangelista pater eius vocatur, et non falsus, sed verus pater censeri debet: nam, ut acute dixit Sanctus Augustinus (lib. 2. de consensu Evang. cap. 24): « Nasci etiam eis filius potuit sine ullo complexu carnali »; quod qua ratione intelligendum sit, in hunc modum explico: Lumine rationis notissimum est, non solum illum vere dici iuvisse, ut res fiat, qui partim rei produxit substantiam, sed et eum qui iuvit, ut res congruo, et debito modo fieret; licet ergo Divus Ioseph generationis substantiae corporis Christi particeps non fuerit, quia tamen iuxta divinum decretum generatio illa executioni congruo, et debito modo mandari non poterat absque Iosepho, qui sponsalitio suo Matris et Prolis honorem protegeret, ne alioquin filium Virgo pariens, adultera, et ille spurius putaretur, merito Ioseph censeri debet multum iuvisse ad Christi generationem. Bene ergo D. Augustinus (ubi sup.) dixit: « Nasci etiam eis filius potuit sine ullo complexu carnali ».

874. Atque hinc intelligetis verba illa, quae in ore omnium versantur (Isaiae XLV): « Rorate coeli desuper, et nubes pluant Iustum ». Sane unam dumtaxat nubem, Mariam scilicet, videbatur dicendum produxisse Christum, quia illa sola absque viri opera illum genuit; consulto tamen plures nubes dicuntur Iustum pluisse, quia Maria, et Ioseph parentes illius erant; aliter vero, et aliter instar nubium quae non solum rorem pluunt, sed et solem cooperiunt, Maria Christum generando, nubes fuit rorem producens, Ioseph Christum celans nubes fuit, iustitiae Solem tegens. Sane si Maria omnibus innotesceret Virgo pariens, nubes clara esset Sole iustitiae illam irradiante (Apocal. XII): « Mulier amicta sole ». Quia tamen oportebat tunc mysterium generationis Christi celari, altera nube opus fuit, nempe Iosepho, qui sponsalitio suo tantum mysterium tegeret, propter hoc enim vulgus existimabat utriusque prolem esse. Atque in hoc sensu apte satis explicanda veniunt verba illa Virginis (Cant. I): « Quia decoloravit me sol ». Etenim, cum Soli iustitiae placeret in ea occultus delitescere, prius decoloravit illam, ut ita loquar, colore uxoratae feminae. Ambae igitur hae nubes, licet diversimode, pluerunt Iustum: Maria substantiam rei producendo; Ioseph, ut congruo, et debito modo, hoc est, ut clam, et latenter id fieret, mirifice iuvando.

875. Liceat mihi rem tantam celebri exemplo illustrare: in memoriam quaeso revocate, quod, ut vetus et vulgaris traditio narrat, cum olim insigne quoddam templum piorum divitum expensis a fundamentis erectum fuisset, illo eodem die, quo dedicationis illius festum agebatur, in eminentiore loco super ianuas eius haec aureis litteris exarata inscriptio apparuit: « Sophia me fecit »: cuius rei novitate multi permoti, diligenter exquirentes: quaenam haec esset Sophia? invenerunt feminam quamdam pauperculam esse: quae interrogata, quid ad aedificium illius templi ipsa impendisset? respondit: Cum boves defatigati, et famelici veniebant, onera portantes pro aedificatione templi, ego foeni fasciculos eis porrigebam ut pascerent, ne viribus deficerent ad inserviendum eius aedificationi.

876. Nunc ad rem nostram haec convertentes, Ecclesia catholica sumptuosum templum est, quod per Evangelistas, Doctores, et Apostolos aedificatum fuit, Divo Paulo dicente (II Cor. XII): « Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Evangelistas et Doctores, in aedificationem corporis Christi »; quamvis

Digitized by Google

tamen inter hos aedificatores non connumerentur Maria, et Ioseph, illa tamen plusquam aureis litteris, quia evangelicis exarata inscriptio apparet in capite libri (Matth. I): « Iacob genuit Ioseph virum Mariae ». Ut hinc intelligamus, Christi parentes praecipuos Ecclesiae catholicae templi aedificatores fuisse, qui bovem illum, seu vitulum Christum Dominum gravissima laborum onera pro eius aedificatione portantem, per multos annos aluerunt, ac sustentarunt.

877. Sed impensius nostro argumento inservientes, indubitatum est per templum corpus Christi designari, ipso dicente (Ioan. II): « Solvite templum hoc; hoc autem dicebat de templo corporis sui ». Ad huius templi aedificationem expensis magni momenti non inficior concurrisse antiquos illos Christi progenitores, Patriarchas suis lacrymis, sacerdotes victimis, Prophetas vaticiniis, et revelationibus, ac indiscriminatim omnes ardentissimis desideriis; at Ioseph sublimius, et excellentius ad id cooperatus est: aluit enim sudore vultus sui, et labore manuum suarum, non boves, ut, Sophia, sed foecundam vitulam Mariam, ex cuius sanguine exstruendum erat sacrum illud Christi Domini templum, iuxta illud Apostoli (ad Gal. IV): « Misit Deus Filium suum factum ex muliere ». Unde si Sophia, quia bobus templi aedificationi inservientibus pabulum dabat, meruit aedificatrix illius inscribi: « Sophia me fecit », potiore iure Ioseph Virginem alens, quae templum corporis Christi aedificavit, aedificator illius, ac pater Christi appellari meretur.

878. Adeo autem placuit illi Iosephum patrem habere, ut licet alioquin ab eo originem non traheret, tam similis illi in facie prodire voluit, ac si ab eo genitus fuisset. Id quod haec duo docili ingenio facile suadent. Tum quod cum Deus intenderet ad celandum eo tempore Incarnationis secretissimum arcanum, Iosephum putari Christi genitorem, et accommodatissimum sane medium ad id esset, similem vultu reddere Iesum Iosepho, cum huiusmodi similitudo, quae inter patrem et filium frequens esse contingit, non leve argumentum censeri soleat hunc esse filium huius patris: et ex alia parte, ut dixit D. Paulus (ad Hebr. II): « Debuit per omnia fratribus assimilari »; credendus est divino consilio in hoc assimilatus, ut vultus eius similis esset ei qui eius pater a plebe putabatur. Tum etiam quia philosophi naturales docent, experientiaque non semel compertum est, foetum persimilem concipi illi rei, quam mater dum concipit, impense cogitat; Beata autem Virgo, certum est, quod tempore conceptionis Christi, in Iosephi cogitationem non leviter incidit, cum dixit (Luc. X): « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » evidens enim est, tunc locutam fuisse de viro suo Ioseph, non de alieno; igitur cum Christum concipiens, de Iosepho attente cogitaret, naturale erat similem vultu Iosepho filium parere.

879. Tandem, si ut aliis placet, vir a « vincendo » dicitur, nemo sanae mentis inficias mihi ibit, merito Iosephum virum nominari, qui gravissima zelotypiae tribulatione acerrime oppugnatus, adeo viriliter illam devicit, ut praemia divinitus promissa vincenti cumulatius, quam dici possit susciperet: « Vincenti » ait Deus (Apocal. XVII), « dabo manna absconditum, et calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit ». Manna istud, quod Deus pollicetur daturus, Christus Dominus est, ut Divus Ambrosius exponit (in comm. hui. loc.); at non sicut ceteris, illud collatum est Iosepho: aliis datum est, cum omnibus patuit, et apud eos miraculis et doctrina praefulsit; at Iosepho datum cum manna erat absconditum et ignotum sub infantili aetate latens. Tunc datus est enim ei calculus candidus, hoc est, lapis abscissus de monte sine manibus, quem Apostolus (ad Ephes. II) vocavit, « lapidem angularem, qui facit utraque unum ».

880. Datum denique fuit Iosepho nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit, cum dictum est illi: Vocabis nomen eius Iesum, cuius sane nominis miram virtutem nemo melius percalluit, quam Ioseph: quia si Adamus perfectissime cognoscebat nomina, quae singulis animantibus imponebat; quis quaeso, tam mentis inops est qui dicat, Iosephum ignorasse nomen Iesu quod ex divina revelatione mentem eius irradiante Christo imposuit? Rursus (Apocal. cap. II) hoc praemium promissum est vincenti: « Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam ». Hanc stellam D. Ambrosius (ibid.) Christum interpretatur, de quo Balaam (Numer. XXIV): « Orietur stella ex Iacob ». Fateor, hanc stellam omnibus innotuisse, omnesque eius lucis ac splendoris participes effici potuisse; hoc tamen fuit, quando in universum orbem radios suae lucis dispersit, iuxta illud (Ioann. I): « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Iosepho autem data fuit haec stella matutina, hoc est, matutino suae infantiae tempore, cum infantilibus pannis, velut nube a Iosepho involvebatur.

881. Deinde (Apocal. III) dicitur: « Qui vicerit, vestietur vestimentis albis ». Hoc etiam praemio donatus fuit Ioseph. Nam sicut in monte Thabor ex splendore vultus Christi ad vestes eius magnus candor effluxit, divo Matthaeo dicente (c. XVII): « Resplen-

Digitized by Google

duit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix »; ita ex splendore illius matutinae stellae, Iosephum e proximo incessanter irradiantis, eximius castitatis candor in eum emanavit. Item Ioannes subiungit (Apoc. c. III): « Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei ». Sane in praemium victoriae immanis illius zelotypicae tribulationis, Ioseph meruit firmissimam columnam fieri, cui niteretur Maria, quae vivum templum summi Dei erat. Etenim maritus si talis est, qualis esse debet, columna oportet sit uxoris, ut Aeneae uxor eius dixit, id referente Virgilio (II Aeneid.):

In te omnis domus inclinata recumbit.

882. His tandem omnibus praemiis accessit ultimum, et supremum (Apoc. cap. III): « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius ». Hoc sane licet commune praemium sit omni vincenti promissum, illud peculiare arbitror obtinuisse Iosephum, quod sicut Christus Dominus, in quantum homo, potioribus Patris bonis fruitur, ita et Iosephus reliquos omnes, Sponsa eius excepta, quae tamquam Regina adstitit a dextris eius, longo intervallo coelestibus gloriae muneribus antecellat. Hoc autem tam praeexcellens praemium non aliunde certe meruit, nisi quia vir erat secundum cor Dei, ut ultima verba indicant loci, quem explanamus: « Virum iuxta cor suum ».

883. Quorum verborum expositionem, ut altius repetamus, supponendum est, quod licet in Deo, quia spiritus est, nulla sit membrorum distinctio, metaphorica tamen quadam proportione ab homine sumpta, in quo praecipue effulget diversa membrorum compago, diversitatem membrorum ei assignamus. D. Paulus (I Cor. XI) dixit: « Caput vero Christi Deus »; Isaias (c. LIII): « Brachium Domini cui revelatum est? » idest, Filius Dei cui manifestatus est?; David (Psalm. CXLIII): « Emitte manum tuam de alto », idest, Filium carne indutum. Ad eundem ergo modum apte satis dicimus, quod sicut Deus per Verbum suum, velut per linguam loquitur quaecumque dicit, ita per Spiritum Sanctum tamquam per ipsius Dei cor diligit quaecumque amore prosequitur. Unde quemadmodum in homine cor est sedes amoris unientis amantem cum re amata, ita Spiritus Sanctus ex vi suae productionis est amor, et vinculum, et, ut ita loquar, nexus Patris, et Filii.

884. Cum ergo Spiritus Sanctus sit cor Dei, certe dum Ioseph dicitur esse vir iuxta cor divinum, « Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum »; perinde fuit, ac si diceretur, quaesivit virum conformem Spiritui Sancto, et si ita fas est loqui, quamdam quodammodo simpathiam cum illo habentem. Quod ne absque fundamento dicere videar, attendite primum, quod sicut Spiritus Sanctus in illa Trinitate coelesti tertia persona est secundum originem, ita in terrestri hac trinitate Iesu, Mariae, et Iosephi, ipse tertium sibi vindicat locum secundum ordinem dignitatis; et sicut Spiritus Sanctus instar cordis fons est, et scaturigo vitae, ac omnium vitalium spirituum, quibus corpus fovetur, et vivit, ita Ioseph nutriens, et alens Puerum Iesum vitae eius principium se exhibuit, et omnium spirituum vitalium, qui per varias eius corporis arterias diffundebantur.

885. Item, si Spiritus Sanctus Sponsus fuit Virginis, eius virginitatem numquam laedens, Ioseph Sponsus eius fuit castissimus Mariam nunquam contingens: et si Spiritus Sanctus Mariam divino spiramine foecundavit, ac prolem in ea produxit, Ioseph multis beneficiis eam cumulavit, ac foetum illius nutrivit. Quid plura? si Spiritus Sanctus Mariam obumbravit (Luc. I): « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi »; etiam Ioseph subventionis suae umbra illam mirifice protexit, et honoris pallio cooperuit. Deinde si illa noscuntur Spiritus Sancti munera, quae catholica canit Ecclesia:

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium,

etiam Ioseph infanti Iesu haec praestitit. Lacrymas effundebat infans,

Vagit infans, inter arcta
Conditus praesepia.

Ioseph lacrymas eius abstergebat: ecce Ioseph in fletu solatium. In medio laboriosi itineris in Ægyptum millies in sinu suo illum fovens, requiem ei dabat: ecce Ioseph in labore requies. Denique cum aestu ardenti, qualis valde vigebat in Ægypto, infans premeretur, flabello ad calorem temperandum utens, dulcem ei praebebat auram: ecce Ioseph in aestu temperies.

886. Ad haec: sicut Spiritus Sanctus paedagogus fuit Christi, a quo ducebatur quocumque ibat; unde D. Matthaeus (cap. IV) ait: « Ductus est Iesus a Spiritu in desertum »; ita et Ioseph, quasi infantiae Christi educator, et paedagogus in quemcumque locum iturus erat, illum deferebat, atque ducebat. Detulit in Ægyptum, detulit in Iudaeam, duxit in templum, et reduxit in domum suam (Luc. II): « Et descendit cum illis ». Unde sicut olim poetae finxerunt, quod dum Bacchus filius Iovis per orbem peregrinaretur, semper aderat ei, tamquam paedagogus, Sylenus vir senex, et sapiens: sic,

Digitized by Google

dum Filius aeterni Patris per Iovem recte adumbrati, qui « Iuvans pater » interpretatur, tempore suae infantiae et pueritiae, terram nostram incoluit, sapientissimus Ioseph, non aetate, sed sapientia senex, educator, nutritius, custos ac individuus fuit pueri Iesu in peregrinatione aegyptiaca, et alibi saepe comes.

887. Verum ad extremum illud restat nobis diligenter explorandum, quam recte in Sanctissimum Iosephum cordis proprietates conveniant, quamque egregie cordis munera erga Christum ipse praestiterit.

888. Et quidem in primis, si cor, ut docet D. Isidorus (lib. Ethymol.) dicitur a cura; quis nos videat id egregie Iosepho convenire, qui in educatione Christi Domini sollicitam adeo curam gessit, ut praeterquam locum, in quo nasceretur, diligenter quaesivit, et nato mille obsequiis ei inservivit, etiam a Iudaea in Aegyptum clam illum transtulit, ne inter bethlehemiticos infantes nefarii Herodis gladio confoderetur. Deinde Herodem mortuum divinitus intelligens, longi itineris labore, eumdem ad patriam reduxit. In templum praeterea Ierosolymitanum duodennem secum illum tulit, et perditum, vehementi dolore quaerens, in templo invenit.

889. Secundo, si cor iuxta se pulmonem habet in illud exufflantem, ne excessivo calore accendatur; Ioseph quidem iuxta se Iesum habuit, qui ventilabro divinae suae gratiae omnem libidinis ardorem in eo penitus extinxit. Unde in illo mihi videtur impletum illud (Iob. XXXIV): « Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum et flatum ad se trahet ».

890. Tertio, cor est in continuo motu, aut enim constringitur, aut dilatatur, quod iustis frequenter accidit: per amorem namque, fatetur D. Paulus (II ad Cor. VI), cor eius dilatari: « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est »: et (Ecclesiast. cap. II) iustum hortatur, cor per timorem constringere et humiliare: « Deprime cor tuum, et sustine », quae duo mirifice enituerunt in Iosepho, praecipue tamen cum in mediis angustiis, visa uxore praegnante a se omnino intacta, depressit cor suum per dolorem, sed mox dilatavit illud per spem, in Altissimo illam reponens, ac divinae providentiae se totum committens.

891. Quarto, Aristoteles (lib. 2, de Anim.) affirmat, quod licet animalia habeant cor in medio corporis, humanum tamen cor declinat ad sinistram, ut pars illa, quae naturaliter est frigidior, ab eius calore foveatur. Non dissimiliter Sanctus Ioseph, ut qui non ignoraret veram amicitiam in sinistra adversitatis probari, videns Infantem Iesum, et Matrem eius in sinistra paupertatis, et adversitatis ex Herodiana persecutione ortae constitutos, in eam miseriae sinistram ad eos sublevandos impensius propendit. Quod si Avicennam consulamus (libro de dif. spir. et an.), cor duplicem habet ventriculum, dextrum, et sinistrum: in illo plus est de sanguine, quam de spiritu; e contra vero in sinistro plus est de spiritu, quam de sanguine; quo non obscure significari arbitror spirituales alios duos ventriculos cordi nostro inesse, dextrum nempe, amorem in prosperitate, sinistrum vero, amorem in adversitate; inter quos amores illud interest persimile discrimen, quod amor in prosperitate plus habet de sanguine, quam de spiritu, quia magis quaerit lucrum proprium, quam alienum; amor vero in adversitate impensus, plus habet de spiritu, quam de sanguine, quia non quaerit quae sua sunt, sed quae amici. Cum igitur Beatus Ioseph in sinistra adversitatis Herodianae persecutionis ardentiorem ac ferventiorem amorem erga Matrem, et Prolem multiplici officio plane ostenderit, aperte relinquitur amorem eius purissimum fuisse, et ab omni carne et sanguine defaecatum.

892. Quinto, anatomici affirmant in corde duas reperiri concavitates, persimiles his quae in auribus videmus, quae propterea cordis auriculae dicuntur; has ita veloces ad audiendum habuit Sanctus Ioseph, ut Dei vocem per Angelum in somnis ei loquentem non vigilans, sed dormiens audierit, et continuo e lecto summa velocitate surrexit, ut sacer Evangelista Lucas testatur (cap. II), in quo cordis sui ingenuitatem non obscure significavit, cum Galenus de corvo agens dicat, virtutem boni cordis agnosci per velocem seu celerem actionem

893. Addo his omnibus miranda quaedam portenta, quae de corde celebres auctores commemorant. Plinius (in Paphlagonia) asserit, bina corda multis perdicibus inesse; e contra vero ibidem refert, quod Caesare bis sacrificante, cor in victima eius nullum repertum fuit. Duo quidem sceleratorum hominum extrema genera in sacris Scripturis lego; quosdam duo corda habentes Eccles. II): « Veh duplici corde, « de quibus David »: In corde, et corde locuti sunt »; alios, uno etiam corde carentes, quibus convenit illud Oseae (c. VII): « Ephraim columba seducta, non habens cor »: non sic, non sic noster Ioseph, qui inter haec extrema medium virtutis tenens, nec duplex cor admisit, cum simplex, et rectus esset, Evangelista dicente, « cum esset iustus »: nec uno illo corde caruit, quod enixe sibi dari postulabat David, dicens (Psal. L): « Cor mundum crea in me Deus ».

894. Plutarchus (in Parallelis) auctor est, Hermogenem, et Leonidam hirsuto corde

Digitized by Google

repertos fuisse, quod et Plinius (libro II, nat. hist. cap. 37) de Aristomene Menetio etiam affirmat, quod singulare prodigium fortitudinis, et magnanimitatis eorum praesagium fuisse perhibetur. Animo certe hirsuto praeditum fuisse Beatum Iosephum nemo diffitebitur, qui noverit, tum immanissimum zelotypiae amoris hostem viriliter superasse, omnes in se insurgentes vindictae motus imperiose coercendo; tum qui non ignorarit adversus tyranni Herodis potentiam pugnasse, et illum devicisse, dum praedam Infantis Iesu, quem trucidare anxie curabat, plusquam virili animo ab eius oculis abduxit, in remotissimam regionem illum transferens.

895. Denique illud silentio non praeteribo, quod Pierius (lib. 3, c. IV) refert, olim cor hominis faucibus appensum boni viri os designasse, qui quod in corde gerit, hoc ex ore profert. Id certe non arbitror in Iosepho desiderari, quia cum cor eius in Iesu, et Mariae amorem arderet, quid ni flammae ardentes per os eius prodirent, cum cordi amantis nihil gratius sit, quam amoris indicia per linguam proferre?

896. Atque ex his omnibus facile colligo in laudem pariter Divi Iosephi, et in confusionem nostram, quam multum intersit inter cor nostrum, et cor illius; Iosephi cor divina erat sciens, humana nesciens (Ier. XXIV): « Da eis cor, ut sciant me »: cor Iosephi amplum per spem (Psal. LXVIII): « Deus cordis mei, et spes mea Deus in aeternum »: cor Iosephi divinae voluntati obedire paratissimum (Ps LVI): « Paratum cor meum Deus, paratum cor meum »: cor Iosephi diligenti cura custoditum, iuxta illud (Prov. IV): « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit »: cor Iosephi in camino tribulationis probatum (Psal. XVI): « Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas »: cor Iosephi in gravi illa pressura constitutum, divinitus consolatum (Ps. LX): « Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me »: cor Iosephi flammis divini amoris exustum (Ps. XXXVIII): « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis »: cor Iosephi liquefactum per compassionem (Psal. XXI): « Factum est cor meum, tanquam cera liquescens in medio ventris mei »: cor Iosephi munditiae amantissimum (Prover. XXII): « Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem »: cor Iosephi a peccatis alienum (Eccles. III): « Sapiens cor, et intelligibile abstinebit se a peccatis ».

897. E contra vero, proh dolor, cor vestrum perversis cogitationibus est plenum: « Cor tuum meditabitur perversa »: cor vestrum multiplici malitiae labe inquinatum (Psal. XLIX): « Cor tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos »: cor vestrum superbia intumescens instar regia Nabuchodonosor (Iudith I): « Exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et elevatum est cor eius »: cor vestrum prae libidine lasciviens III Reg. I: « Depravatum est cor eius per luxuriam »: cor vestrum absque rectitudine erga Deum Psal. LXXVII: « Cor autem eorum non erat rectum cum eo »: cor vestrum per odium, et rixas divisum (Oseae X): « Divisum est cor eorum, nunc interibunt ». divisum quidem a proximo, divisum a Deo; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

898. **Hymnus VIII.**

Ad Ioseph castitatis coelestem patronum.

Scriptores evangelici
Narrant, quod generatio
Christi, rectoris coelici
Sic erat ab initio:
2. Ex Abraham progenie
Patrum genus describitur
Et per David ex semine
Ad Ioseph usque ducitur.
3. Quam magna commendatio
Viri iusti cognoscitur,
Carnalis nam successio
Patrum post hunc concluditur.
4. Divinum per oraculum
Senex accepit Virginem:
Intacta per mysterium
Deum concepit Hominem.
5. O quam altum consilium,
Absconsus Christus venerat,
Plebs putat fabri filium
Hunc, quem Virgo pepererat.
6. Sic per successum temporum
Crescit honesta castitas,
Absque contactu corporum
Christum parit virginitas.
7. Custos Mariae Virginis,
O sancte Ioseph, propera,
In nobis rore flaminis
Aestum carnis refrigera.
8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
Nos cum tuo nutricio
Fac frui coeli gaudio.

(Diurn. ms. Brigitin, saec. 15; cfr. Dreves, Analecta Hymnica medii aevi, tom. XXIII, pag. 209).

899. **Memento** — O mi Iesu! o dulcis refectio animarum nostrarum! voluisti a parentibus tuis post varias itinerum molestias in civitate Nazareth educari et nutriri, ut tandem aliquando Eucharistiae Sacramentum instituere, ac cunctos fideles per universum orbem sacratissima tua Carne et Sanguine pretioso enutrire posses. Est omnino, cur admiremur inenarrabilem hanc tuam in nos bonitatem et misericordiam. Quis nostrum adeo indurati cordis esse possit, ut te non laudet, non glorificet, non diligat? Saltem ego nunc sincerissime cupio te digne laudare, et ex toto corde diligere te, o Iesu Nazarene, qui omni possibili amore

Digitized by Google

dignissimus es. Accende, obsecro, dilectionis tuae flammas in praecordiis meis, ut te super omnia creata diligam, et tui amore cuncta vocationis meae munia libenter obeam, alacriterque perficiam. Fac, ut praepositorum meorum voluntati tam promptam ac coecam praestem obedientiam, qualem exhibuit Nutritius tuus Ioseph, qui ab Angelo monitus, sine cunctatione surrexit, illucque festinavit, quo coelitus fuerat evocatus. Adiuva me, bone Iesu! ut quocumque vocaveris me ore superiorum meorum, illico surgam et voci tuae morem geram sine querela, sine oblocutione, sine murmuratione. (Scutum fidei, Vigil. Epiph.).

IX. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE IPSA COMMORATIONE IESU MARIAE IOSEPHI IN ÆGYPTO, ET DE REDITU IN IUDAEAM.

Lib. IX, De fuga Christi Domini Mariae et Iosephi in Ægyptum, hom. 9.

CERTISSIMUM est, et absque ulla controversia Beatum Iosephum cum Sacra illa Familia tamdiu in Ægypto habitasse, quamdiu de reditu in Iudaeam non fuit admonitus divinitus, iuxta illud quod Angelus ei praedixerat (Matth. II): « Esto ibi usque dum dicam tibi »; in quo mirabile patientiae et longanimitatis in tribulationibus exhibetur documentum, nimirum, ut tamdiu nobis placeat affligi, et tribulari, quamdiu divinae voluntati placuerit. Ille clamat: quousque haec mihi molesta tentatio durabit? « usque dum dicam tibi »: Usquequo tot iniurias mihi latas sustinebo? « usque dum dicam tibi »: Usquequo hanc honoris, et pecuniae iacturam patiar? « usque dum dicam tibi »: Usquequo in hac lite a iudicibus iniuste vexabor? « usque dum dicam tibi »...

901. Misericors Deus moestis rebus quaedam etiam iucunda permiscuit: quod certe in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexuit. Iob multis divitiis affluebat, postmodum tamen in tantam egestatem venit, ut testa saniem corporis in sterquilinio iacens raderet. Abraham oraculum acceperat divinum filios eius multiplicandos sicut stellas coeli, postea tamen filium suum Isaac, qui sibi promissus fuerat futurus in gentem magnam, iugulare praecipitur a Domino: Iacob benedictionem, et primogenituram accepit a patre, sed continuo fugere compellitur a facie fratris sui mortem illi machinantis: Ezechias rex insignem victoriae palmam contra Sennacherib reportavit, coelitus ibidem misso Angelo qui centum octuaginta mille hostium interemit; et cum prospero hoc eventu gauderet, ecce incidit in gravissimum morbum, ita ut ad portas mortis appropinquaret: Ioseph in domo patris prae omnibus filiis diligebatur ab eo, sed a fratribus per invidiam Ismaelitis venditus est: David a feminis applauditur ob expugnatum gigantem Goliath, sed a Saule mortis insidiae illi parantur.

902. Sed quid moror in his commemorandis cum similem gaudii et doloris vicissitudinem in Sanctissimo Iosepho Deiparae Sponso, immo et in Christo Domino cernamus, ut ait D. Ioann. Chrysostomus homil. 8 in Matth.? Videndo quippe S. Ioseph gravidam sponsam, in conturbationem incidit maximam, atque in horribilem quemdam cogitationum tumultum: acerba illum de puella adulterii suspicio mordebat; sed adfuit repente Angelus, suspicionem solvens malignam, et timorem hunc prorsus extinguens. Deinde videns Puerum natum, maxima exultatione repletus est; sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, ipse rex fureret, et ad necem Puerum quaereret: sed et hunc moerorem alia rursus laetitia subsecuta est, apparitio videlicet stellae, et Magorum adoratio. Post hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterumque formido: Quaerit, inquit, Herodes animam pueri, et fugere Christo Domino necesse est, et in longinquam, hominis instar infirmi et imbecillis, transire regionem...

903. Porro impleto iam tempore quo Angelus monuerat Iosephum, ne ab Ægypto recederet, quousque ipse de reditu in Iudaeam iterum illum moneret, « Esto ibi usque dum dicam tibi »: superatis iam multis difficultatibus, varios expertus casus, ac pene innumera discrimina rerum, monitus est ab Angelo ut Matrem, et Prolem eius iterum reduceret in Iudaeam...

904. Mortuis igitur impio Herode, et eius consiliariis, rediit Sacra illa Familia in Iudaeam, ut testatur D Matthaeus (c. II): « Accepit Puerum, et Matrem eius, et venit in terram Israel ». Petrus Galatinus (lib. 8 de arc. fid. in Thalm. inv., cap. 4) docet: « praedictum ab antiquis Iudaeis fuisse, quod Messias in Ægypto revocaretur »; quod probat ex eo quod legitur (Ps. LXXX): « Vineam de Ægypto transtulisti », et ex interpretatione Rabbi Mosis Hadarsan (qui scribens in Gen. per vitem Messiam interpretatur, « et haec vitis Channa, id est, bene praeparata et ordinata est rex, scilicet Messias ex Ægypto transferendus »...

905. Ad extremum illud dicere non parcam, quare Sanctus Ioseph, regnante Archelao, recusaverit in Iudaeam ire (Matth. II): « Audiens autem, quod Archelaus regnavit in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo

Digitized by Google

ire ». Respondet Theophylactus (super c. II Matth.), « timuisse illo ire propter Archelaum, ut qui non esset melior patre suo »: scribit enim Iosephus lib. 17, ant., c. 10 : « Illum in principatus sui exordio modeste se habuisse, et populo blanditum esse, unde et ipsius sibi favorem conciliaverat; tandem vero ferocior redditus, cum de morte Matthiae, et aliorum cum eo ab Herode interemptorum maxima quaestio fieret, petentibus Iudaeorum iuvenibus mortis illorum vindictam, armatorum cohortem instituit, a quibus in die festo azymorum caesi sunt Iudaeorum circiter tria millia, aliis fugientibus »: capite autem 11 ait, quod, « hinc favor populi ab illo averti coepit, et aversantibus illum Iudaeis, etiam et cognatis, apud Caesarem, eiusque insolentiam deferentibus, iudicio Senatus anno sui regni nono apud Viennam Galliorum urbem exilio relegatus vitam finivit ». Hinc fit ut rumore crudelitatis Archelai percitus Ioseph, timuerit in Iudaeam venire, hoc est, in loca Hierosolymae, aut Bethlehem viciniora.

906. Quod si rursus inquiras, cur etiam S. Ioseph non timuerit Archelaum proficiscens in Galilaeam: « secessit in partes Galilaeae? » Respondet Divus Thomas Aquinas, Hierosolymae fuisse regiam sedem, ibi vero commoratum esse Archelaum; iuniorem autem ipso Herodem Antipam tunc Galilaeam rexisse, qui ut sese in Iudaeorum gratiam insinuaret, fratremque Archelaum regno expelleret, mitiorem se et humaniorem suis Galilaeis praebuerit, unde fieret, ut tutiorem se Iosephus in Galilaea putaret. Quod si quis deinde obiiciat, singulis annis perductum fuisse puerum in Ierusalem, nec ei tamen damnum, et periculum aliquod ab Archelao accessisse? Respondet Augustinus, quod simul cum puerorum turba latuerit, et paucis hic diebus moratus sit. Denique, quod, ut scribit Iosephus lib. 17, antiquit., cap. 12 et 13 Archelaus brevi post seditionem illam, quam diximus, Romam venerit, res autem Iudaeorum per Romanos regerentur; unde non erat Archelai timenda tyrannis, ut occideret Christum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

907. **Hymnus IX.**

Ioseph virgo singularis.

Ave, felix altor
Panis Angelorum,
Ioseph, virgo, Sponse
Reginae coelorum.
2. Sumis tuam Sponsam
Magno cum tremore,
Quam praecognovisti
Matrem Christi fore.
3. Solvens offers Deo
Deum, iura legis,
Fers, alis, cum ipso
In Ægyptum fugis.
4. Monstra te esse patrem
Paternali cura,
Dum pro nata prole
Tanta suffers dura.
5. Solvis iura carnis
Plenus Dei dono,
Hinc gaudes in coelis
Fruens summo bono.
6. Virgo singularis,
Iustus vocitaris,
Nos labe pollutos
Iustos fac et castos.
7. Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Quem tu nutrivisti
Dominus virtutum.
8. Sit laus Trinitati,
Salus atque virtus,
Compar unitati
Honor, laus et decus.

(Cfr. Dreves. Analecta Hymnica Medii aevi, t. XII, p. 141).

908. **Memento.** — Igitur, praeter quotidiana devotionis exercitia in honorem S. Iosephi, quae summopere commendamus, volumus, ut, quantum fieri poterit, in praecipuis saltem ecclesiis, earum rectores mensem Martium honori sancti Patriarchae, peculiari pietatis exercitatione, consecrare curent: quod sane pietatis opus " salutare maximeque laudabile „ merito vocatur a SS. D. N. Leone XIII. Ubi vero id institui non facile queat, optandum saltem ut, ante diem eius festum, in templo cuiusque oppidi principe, supplicatio in triduum fiat. Mense autem Octobri, in recitatione Rosarii, oratio ad S. Iosephum, quae incipit: " Ad te beate Ioseph „, adiungatur. (Conc. Plen. Amer. Lat., art. 386).

X. — Sermo Ioannis de Carthagena.

DE VERBIS " ECCE PATER TUUS ET EGO DOLENTES QUAEREBAMUS TE „, ETC.

Lib. X, De B. V. amittente et inveniente Iesum in templo, hom. 10.

Humilitatem etiam Beatae Virginis in illis verbis agnoscit Divus Augustinus (serm. 63, de div., c. 11), dum prius nominat Iosephum, quam seipsam: verba tanti patris haec sunt: « Non est praetermittenda, fratres, maxime propter disciplinam sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis Mariae. Christum peperat, Angelus ad eam venerat, et dixerat ei: Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen eius, Iesum; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altissimi, erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis, praeferebat, ut diceret: ego, et pater tuus: sed, pater tuus,

Digitized by Google

inquit, et ego: non attendit sui uteri dignitatem; sed attendit ordinem coniugalem. Non enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset, Pater tuus, inquit, et ego, quia caput mulieris vir ». Haec ille.

910. Detegitur deinde in illis verbis insignis prudentia Virginis, dum noluit illa verba proferri a Iosepho, sed a se sola; et cum illa protulit, honoris gratia, vocat Ioseph « patrem », intellige putativum, cum vere non fuisset pater: nam non ipse, sed sola Maria, tanquam vera Christi Mater libere, ac iure suo materno utens, ausa est Christum interrogare: « Fili, quid fecisti nobis sic? » Detegitur etiam in his verbis, quod in Deiparae commendationem non parum cecidit acerbitas doloris, quem ob Christi absentiam sustinuit, quia verba illa non solum fuere admirantis, sed et dolentis, nec enim rogat, cur id fecerit, aut cur cum doctoribus disputaverit? sed, cur ita se habuerit, ut parentibus insciis tam ingentem dolorem eis incusserit? adverbium etiam illud « sic » magnitudinem illius doloris aperte indicat: sicut et Ioannis cap. III ingentem amorem redolent verba illa: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret...

911. Ceterum, iam ad responsum Christi, quod his verbis praebuit, orationem convertamus: « Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? » Verba haec increpatoria minime esse, ut contendunt haeretici, tum ex Sanctorum Patrum, et aliorum doctorum probata sententia, tum ratione ex historia ipsa evangelica deprompta apertissime commonstrabo...

912. Deinde haec eadem verba: « Quid est, quod me quaerebatis? » non esse arguentis, sed mysterium explanantis, ex eo liquido constat, quia nulla causa aderat increpandi Virginem: quomodo enim reprehenderet, quod et rite, et tanto cum ipsius amore fiebat? Nec vero similes loquendi phrases desunt in Scriptura: ex quibus, omissis aliis, duas eiusdem Christi, in medium proferamus. Prima sit illa: cum conversus ad discipulos Ioannis seipsum sequentes, inquit Ioann. V: « Quid quaeritis? » numquid reprehendit illos, quod eum quaererent, minime, immo tam gratum id habuit, ut eos ad hospitium suum invitarit. Idem penitus hic accidisse, effectus ipse demonstrat: nam sicut ibi discipulos Ioannis amanter suscipit, ita hic non minore cum amoris sui declaratione, cum iis, quos reprehendere dicitur, « descendit Nazareth, et erat subditus illis ». Sed addamus aliud exemplum: nam et illa verba eiusdem Iesu ad Magdalenam Ioann. XX: « Mulier, quid ploras? quid quaeris? » idem plane probant: amoris enim potius, et benevolentiae, quam reprehensionis haec signa sunt. O quam facile spiritus haereticus calumniis inhians hic, non unam, sed et alteram Christum calumniandi reperiet occasionem. Cur enim interrogat, quod optime noverat?...

913. Ad extremum, plures aliae rationes occurrunt, quas silentio praeterire non patiar, ut luce ipsa meridiana clarius pateat, verba Christi nullam Virginis reprehensionem continere. Quid enim, vel reprehendat, vel obiurget Mariam, et Iosephum laude dignissimos, qui non modo praesentis, sed absentis etiam, ac potissimum amissi pueri rationem, et curam singularem habuere, quemadmodum ab ipsis iniuncti a Deo muneris ratio flagitabat? Tunc vero reprehensione illi merito digni fuissent, si in officio suo torpentes, maleque securi, omnem quaerendi curam, et finem, dolendi affectum eo tempore abiecissent, nihilque de amisso tanto thesauro fuissent solliciti, quem certe summe et amare, et diligentissime custodire, omnibusque mundi rebus longe anteferre debebant. Adde, quod Christi verba rite perpensa eosdem parentes excusent, omnique culpa liberent, quum aperte declarent, id, quod factum erat, non ipsorum negligentia, sed divinae providentiae dispositione, ac officii sui ratione sic exigente, quam certe sine culpa ignorabant contigisse, quandoquidem se ipse Messiam voluerit insolito nunc modo exhibere. Praeterea non erat Christus tam ingratus, vel inhumanus, ut maternam simul, et paternam Mariae, et Ioseph erga se charitatem, gravemque sollicitudinem sperneret, ac repudiaret; sed procul dubio, etiam absens, quaerentes, laborantes, et dolentes illos haud sine pio quodam compassionis affectu saepe respexit, eosque suo nomine afflictos singulari est gratia prosecutus...

914. Denique, iam solum restat, ut expositioni illorum verborum: « Ipsi non intellexerunt ea, quae locutus est Dominus ad eos », calamum admoveamus. Quidam moderniores volunt, verba illa per synecdochen intelligenda esse, accipiendo partem pro toto; ut scilicet pluraliter dicatur de multis, quod in aliquo tantum accidit, sicut dicuntur latrones blasphemasse Christum, quamvis bonus latro non blasphemaret; sic autumant, dici ab Evangelista, « ipsi non intellexerunt », quia Ioseph, quae dicebantur, non intellexit. Alii affirmant, verba illa non esse referenda ad Virginem, et ad Ioseph, sed ad auditores illos, de quibus paulo ante D. Lucas dixerat, « quod stupebant super prudentia, et responsis eius »: quos, ait, non intellexisse quae dicta fuerant Virgini, et Iosepho a Christo Domino. Alii interpretantur, quod licet re-

Digitized by Google

vera Beata Virgo, et Ioseph non intellexerint verba illa Christi Domini; id tamen non fuit ex ignorantia, aut ex defectu cognitionis supernaturalium mysteriorum, sed quia, vel vehementi sollicitudine inauditi, novi, et inopinati spectaculi admiratione perculsi; vel certe exuberanti laetitia, et gaudio, ob inventam margaritam, absorti, ad verba, quae Christus protulit, non attenderunt.

915. Alii cum Euthymio super cap. II Luc. verbum « non intellexerunt » putant, nihil aliud significare, quam quod intellexerint, quod templum, rem Patris sui appellasset. Rupertus vero cum aliis lib. 2 in cant. diversam omnino viam ingrediens, in principio duo supputat Mariae tempora: unum tacendi, dum Christus in terris docebat, alterum loquendi post Christi ascensionem in coelo. Hoc supposito, docet Rupertus, quod Beata Virgo, instar aliorum, pro ignorante se gesserit, agnitumque mysterium celaverit, ut suo tempore illud manifestaret: hoc enim eodem modo Christus dicitur ignorare diem iudicii; non quia illum non agnoscat, sed quia non agnoscat ad detegendum: potestque haec expositio non leviter confirmari ex verbis D. Bernardi hom. 4 sup. Missus, qui loquens de eximia Virginis scientia, docet, illam per Angelum, priusquam ab ullo homine traditum esset Evangelium, omnia accepisse: « Ne Mater Dei a consiliis filii videretur amota, et eorum, quae in terris tam probe gererentur, remansisset ignara ».

916. Ego vero aliorum doctorum expositionem sequens, arbitror, B. Virginem, et Iosephum plane intellexisse, Christum Dominum locutum fuisse de Patre suo aeterno, cuius negotia dicebat se agere oportere; nec enim id post Angelos, post pastores, post Magos, post Simeonem, post Annam, poterant ignorare Christi parentes: sed mysterium nimirum verbi non intellexerunt, quae essent negotia illa Patris ipsius, quae vocabat: ut homines primum doceret, deinde pro illis moreretur. Itaque dicuntur, non intellexisse Christi verba, quia non satis comprehenderunt, quaenam essent res illae ad aeternum Patrem pertinentes, in quibus Christum occupari; et propter eas parentes suos relinquere oportuerat; vel etiam, quia non intellexerunt, an significare voluerit Christus appropinquasse iam tempus manifestandi seipsum mundo, et inchoandi humanam redemptionem, ut notavit Iansenius ad cap. II, conc.

917. Sed posset quispiam merito interrogare: ut quid ergo Christus Dominus verba illa protulit, quae alioquin praecognoverat, nec a circumstantibus, neque a Iosepho, neque ab ipsa Beata Virgine fore intelligenda? « Ipsi non intellexerunt quae locutus est ad eos ». Spiritus Sanctus enim dicit Eccli. XXXII: « Ubi non est auditus, ne effundas sermonem ». Supervacanea ne verba proferre potuit sapientia Patris? minime certe. Illud ergo sacrum arcanum arbitror in illis verbis latere, quod per illa docere voluit Christus Dominus divini verbi praecones, ac evangelicae doctrinae magistros, nefas esse nolle proponere sublimia mysteria auditoribus, praetextu incapacitatis eorum, tum quia inter multos forsan unus adest, qui illa percipere valeat: tum quia, quae nunc auditores non percipiunt, postea tractu temporis percipere valent, maxime si eadem sibi repetantur: quemadmodum enim bonus agricola furculum inserit arbori, et grana frumenti seminat, licet non statim colligat fructus, sed aliquamdiu expectet, certe sperans, se illum collecturum: ad eundem modum seminavit Christus verbum suum, quod est semen Dei, in cordibus hominum; et quamvis multi illud non conservarint in agro cordis sui, de Beata tamen Virgine audis Luc. II: « Et Mater eius conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo ». Non ergo in vanum Christi lingua illa protulit verba, cum et Beata Virgo illa conservarit, et perfecte postea agnoverit, ac Ecclesiae catholicae ad illa scrutanda, et ex eis varia documenta eruenda proposuerit, prout Sancti Patres a me citati illa sapienter eruerunt.

918. **Hymnus X.**

Ioseph ex Ægypto redeunti laudes.

EXULTET aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Dum refert solis orbita
Ioseph sacra solemnia.

2. Cui Herode mortuo,
Ecce, apparet illico
In somnis verbis Angelus
Ipsum praemonens dulcibus.

3. Surge, accipe Puerum
Et Matrem eius clanculum
Et cum ipso Emmanuel
Ad terram perge Israel.

4. Qui consurrexit citius,
Pergit quo dixit Angelus,
Quia quaerentes puerum
Iam intraverunt Erebum.

5. Huius a culpae nexibus
Eruat piis precibus
Qui pro tonantis gloria
Eius canimus hymnia.

(H. Campen.; cfr. Dreves t. XXIII, p. 208).

919. **Memento.** — Considera, Sacerdos, admirandam et ineffabilem Iesu Christi benignitatem, qui velut agnus tenellus e stabuli praesepio ad altare deportari se passus est, tamquam holocaustum pro nobis peccatoribus immolandum. Iam tum Christus, ut summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, seipsum pro nobis, et nos secum

Digitized by Google

in templo praesentavit Patri suo. Vide Iesum, Puerum amabilem, modo in ulnis Mariae Virginis, modo in brachiis Ioseph Nutritii sui. — O pondus dulce! onus leve! — Hominum manibus gestari se sinit Dominus in cuius manu (Iob XII) anima omnis viventis. Parentum brachiis defertur in Ierusalem, qui appendit tribus digitis molem terrae: portans omnia verbo virtutis suae.

Parentes tulerunt Iesum in Ierusalem amore tenerr mo et ingenti gaudio. Illuc tulerunt summum novi Testamenti Pontificem, gestantes eum in ulnis suis, maximaque providentes cura, ne casu quodam inopinato laederetur infans Deus. — Pari cura et sollicitudine attende. Minister eiusdem summi Sacerdotis! pari laetitia, similique charitatis ardore, defer inaestimabilem hunc thesaurum in manu tua et in corde tuo, diligentissime prospiciens, ne forte offendas aut indigne tractes eum. Cave, ne quid inveniatur in te, quod purissimis summi huius Pontificis oculis displiceat. — Formidabilis omnino Sacerdotum est dignitas, quibus in dies conceditur, eumdem Iesum ad aram offerre, manibusque contingere, quem olim Maria et Ioseph eximia religione in templo praesentarunt. (Scutum fidei, 2 Ian.).

XI. — Sermo Bernardini de Busto.

AN B. VIRGO POTUERIT DESPONSARI. - DE POSSIBILITATE DEQUE VERITATE ET UTILITATE DESPONSATIONIS B. V. M. CUM S. IOSEPH.

Mariale, pars IV, sermo 12, De benedictae Virginis Mariae desponsatione.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto Matth. I. In desponsatione Beatissimae Virginis Mariae impleta est prophetia Isaiae (c. LXII): « Gaudebit sponsus super sponsam ». Magna etenim et indicibilis fuit Ioseph consolatio, quando sibi divino nutu et voluntate tam praestantissima atque dignissima Virgo fuit coniugio copulata. Licet enim magnam excellentiam et sanguinis generositatem recepisset a parentibus, maiorem tamen nobilitatem, et pretiosius donum recepit a Deo sibi talem uxorem tribuente, iuxta illud (Proverb. XIX): « Domus et divitiae dantur a parentibus: a Domino autem uxor prudens ». In eo etiam verificatum fuit illud (Proverb. XVIII): « Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, et hauriet iucunditatem a Domino ». Et illud (Eccli. XV): « Beatus vir, qui habitat cum muliere sensata », et (seq. cap.): « Mulieris bonae beatus vir, pars enim bona, mulier bona ». Et XXVI eiusd. lib. dicitur: « Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata ». Et potest intelligi de muliere hac dignissima, quam sortitus est Ioseph in suo sacratissimo connubio; de quo tria mysteria contemplabimur. Primum dicetur veritatis, secundum temporalitatis, tertium vero causalitatis.

921. Pro expeditione huius partis quaeritur: Utrum Beata Virgo potuerit desponsari? - Et primo videtur quod non, ipsa enim fecerat votum continentiae, unde Augustinus in lib. de Sancta Virginitate inquit: « Annuncianti Angelo, Maria respondit: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profecto non diceret, nisi se Virginem Deo antevenisset ». Et Glossa super illud Luc. I: « Virum non cognosco » ait: « Ecce tangit quod ipsa voverat castitatem ». Nam dicunt quidam Doctores contemplativi, quod Virgo benedicta legens illud (Is. VII): « Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium »; non existimans se esse illam, amore ipsius virginis devovit virginitatem, ut posset illius effici ancilla et pedissequa, putans eam non recepturam ancillas nisi virgines. Cum ergo dicat Hieronymus super primam Epistolam Pauli ad Timoth. (c. V): « Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est » (Transumptive, 27 dist., c. voventibus); videtur quod cum bona conscientia post tale votum non potuerit desponsari, per tale etenim votum erat obligata ad continendum; sponsalia autem obligant ad matrimonium, et matrimonium tempore debito ad solvendum debitum: ergo si obligavit se ad sponsalia, venit contra votum suum. - Item, si sic, obligata fuisset ad opposita. - Item aut consensit in carnalem copulam, aut non. Si sic, ergo primam fidem irritam fecit; si non, consensit in carnalem copulam: ergo nullum fuit matrimonium, quia finis matrimonii est, ut soboles procreetur (l. fi. Codic. de ind. vid. tol., et cap. omne, 27, q. 2). Procreatio autem fit per copulam, cessante ergo fine, et iis quae sunt ad finem matrimonii, cessabit matrimonium; quia finis dat esse (l. 3. Sciendum ff. ad exiben.), et denominatio fit a fine (l. stipulatio, § opus, ff. de nov. op. nunc.). - Item conditio adiecta, quae est contra substantiam matrimonii; impedit ne matrimonium fiat; verbi gratia, contraham tecum si procures mihi venena sterilitatis: procuratio enim sterilitatis est contra substantiam matrimonii; quia interimit bonum prolis: ergo impedit matrimonium (cap. fi. de condit. appos., et cap. solet., et cap. aliquando, 32, q. 2.). Sicut ergo si diceretur: contraham tecum sub hac conditione, ut numquam me cognoscas, non videtur esse matrimonium (d. cap. fi.), ita nec erit matrimonium cum conditio continentiae est adiecta: ergo videtur quod nulla fuit desponsatio, ex qua nullum videtur potuisse sequi matrimonium. - Item, posito quod potuerit desponsari, non tamen fuit congruum. Scriptum est enim (Sap. I: « Spiritus Sanctus

Digitized by Google

disciplinae effugiet fictum », ergo in ista summa Spiritus Sancti operatione nulla debuit esse fictio; ergo Beatissima Virgo prompta se gerere non debuit, quae Virgo semper manere voluit. – Item, matrimonium primo institutum fuit in officium causa prolis, et postea in remedium causa vitandae fornicationis, ut dicit Apostolus (I ad Cor. VII ubi ait: « Unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem vitandam ». Sed propter neutram istarum causarum congruebat esse matrimonium in Beata Virgine: ergo videtur quod inutilis fuerit ista desponsatio.

922. Sed his argumentis non obstantibus in contrarium est veritas. Unde Albertus super Missus est, cap. 38 inquit: « Dicimus quod ista desponsatio, et possibilis fuit et utilis quia licet Beata Virgo fecisset votum, et habuisset firmum propositum continentiae, poterat tamen consentire in matrimonialem societatem, facta tamen divinitus inspiratione utrique de altero, scilicet Virgini et Ioseph, quod vellet virgo manere, et sic consensit in societatem maritalem, et non in copulam carnalem absolute. Et quod videtur dicere Augustinus quod consensit in copulam carnalem, intelligendum est non absolute, sed sub conditione scilicet, si Deus sic vellet ». Haec ille. In omni enim actu semper subintelligitur haec conditio, rebus sic stantibus, hoc est, aliter Deo non disponente (ut dicit Glossa. in l. quod servus, ff. de condi. ob cau., et bonus est textus cum theorica Bar. in l. item queritur, §. qui impleto. ff. loca.).

923. Sed pro maiori praedictorum declaratione est sciendum secundum sententiam Petri Lombardi (in 4, dist. 30, cap. 2) et Gratiani (in cap. Beata Maria, alias § sed quaeritur. 27, quaest. 2.) quod Beata Virgo ante desponsationem fecerat votum mentale castitâtis, et proposuerat se illud servare; sed non expresserat ore; et similiter voverat Ioseph; non absolute tamen voverant, sed sub conditione, scilicet, nisi Deus aliter vellet, ut ait Augustinus (in lib. de nuptiis); postea vero ex divina inspiratione uterque consensit sponsalibus, et matrimonio; fuit enim inter eos verum matrimonium, ut determinant Canonistae (in c. quidam, et c. ex publico, de conver. coniu.). Et idem dicit Magister (in 4, dist. 29), et quod declaratur secundum Richardum (in 4. disp. 30, art. 2, q. 2) et Thomam (in 3 p. sum., quaest. 29, art. 2), quod matrimonium dicitur esse verum quando suam perfectionem attingit Duplex autem est perfectio rei, prima quidem perfectio in ipsa forma rei consistit, ex qua speciem sortitur: secunda autem perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili coniunctione animorum, per quam unus coniugum fidem alteri servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda et educanda.

924. Quantum ergo ad primam perfectionem, omnino fuit verum matrimonium inter Virginem, et Ioseph, quia cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat (l. ff. nuptias, ff. de regu. iur., et cap. ex his omnibus. 27, q. 2), uterque consensit in copulam coniugalem, non autem in copulam carnalem, nisi ut supra dictum est, sub conditione, si Deo placeret. Nam ad primam perfectionem matrimonii, ut inquit Richardus (ubi sup.) non requiritur consensus ad copulam carnalem nisi implicite, et sub conditione, scilicet si alter coniux eam exegerit: et si Deus debitum reddendi non relaxaverit, et hoc modo Beata Virgo in copulam carnalem consensit, nec in hoc periculo se exposuit, nec suo voto in aliquo derogavit, quia Divina inspiratione certificata fuit, quod Ioseph numquam ab ea exigeret carnalem copulam; et si exigeret Deus eam a debito reddendi absolveret, ut inquit Augustinus (ubi sup.), ubi etiam inquit quod postquam Beata Virgo genuit Filium, simul cum viro virginitatis votum labiis expressit; et uterque in virginitate permansit, quae verba recitat Magister (in 4, dist. 30), et Gratianus (in cap. 1, cum igitur, 27, q. 2.

925. Quantum vero ad secundam perfectionem matrimonii, scilicet, de generanda, et educanda prole; dicendum quod quoad primum, scilicet ad actum generativum prolis, non fuit hoc matrimonium consummatum. Unde Ambrosius (sup. Luc.) inquit: « Non te moveat quod Scriptura Mariam coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio sed coniugii testificatio et nuptiarum celebratio declaratur ». Et Augustinus (in lib. de nuptiis, quem refert Gratianus in c. institutum, §. Item Aug., 27, quaest. 2.) ait de Maria et Ioseph: « Coniuges fuerunt mente, non carne, sicut et parentes. Ex quo datur intelligi, quod sicut Ioseph pater Domini dictus est, non effectu geniturae, sed officio, et cura providendi, sic et coniux Matris eius appellatus est, non coniugii effectu, sed ministratione necessariorum, et individuo mentis affectu ». Haec ille. Et in hoc sensu etiam loquitur Hieronymus super illud (Matth. 1: « Genuit virum Mariae », dicens: « Cum virum audieris suspicio tibi non subeatur, nuptiarum scilicet consummatarum per concubitum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores ». Haec ille (transumptive in cap. genuit, 27 q. 2). Aug. quoque ubi sup.) ait: « Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec cogniturus erat ».

926. Quantum vero ad perfectionem edu-

Digitized by Google

candae prolis fuit verum matrimonium, ut dicit Augustinus ubi sup. et in cap. institutum, §. iuxta hanc, 27, q. 2, et Magister in 1, di. 30, ubi etiam inquit: « Perfectum matrimonium fuit non in significatione; quia matrimonium, consummatum perfectius unionem Christi, et Ecclesiae significat, sed ex his quae comitantur coniugium scilicet ex fide, prole et sacramento ». Quae tria inter Christi parentes fuisse asserit Augustinus (in lib. de nupt., et in c. omne, 27, q. 2, et dict. cap. institutum. Magister autem Petrus Lombardus (in 4 sententiarum, di. 26, dicit de matrimonio Beatae Virginis: « Tanto sanctius et perfectius fuit, quanto carnali pollutione immunius fuit ».

927. Non obstat modo dictum Hieronymi, sup. allegatum, de contrahente matrimonium post votum continentiae, qui peccat; quia respondet Richardus et Thomas in 4,di. 30),quod illud intelligitur de illo qui absolute vovit servare castitatem. Quod Mater Dei non fecit antequam Ioseph desponsaretur, ut sup. declaratum est; nec etiam fecisse praesumitur, quia quod fecerit votum, istud est facti, facta autem non praesumuntur, nisi probentur (l. in bello, § factae, ff. de capti. et post. li. re).

928. Non obstat etiam quod dictum est de conditione adiecta contra substantiam matrimonii quae impedit matrimonium, quia intelligitur quando posita fuit absolute, non autem quando posita est sub conditione, sicut in casu nostro. Nam Virgo Maria contrahens cum Ioseph intendebat tacite hanc conditionem, scilicet, de non copulando carnaliter, nisi aliter Deus disponeret. Vel dicendum secundum Albertum ubi supr. quod illud quod dicunt iura, de conditione adiecta matrimonio, intelligitur de conditione inhonesta, (c. fi. de cond. app.).

929. Conditio autem licita, et honesta non impedit matrimonium. Unde non est simile de voto continentiae, et de procuratione sterilitatis, et similibus; cum etiam coniuges post carnalem copulam, possint votum continentiae emittere, et si emiserint, tenentur observare habetur tit. de convers. coniu., cap. ad Apostolicam. Et clarius respondendo dico, quod si quis post votum simplex continentiae matrimonium contrahat, licet peccet, tamen tenet matrimonium, c. meminimus, et c. consuluit, et c. rursus, tit. qui cleri. vel vo., et 17, distinct. c. si vir, et 27, q. 2, c. nos novimus, et ca. porrectum, de regu.. Beata autem Virgo non peccavit, quia hoc ex divina permissione, et inspiratione fecit. Facit ad hoc l. Gracous, C. ad l. Iul. de adulter., ubi habetur, quod illud, quod fit lege permittente, poenam non meretur. et l. iuste possidet, ff. de acquir. poss., ubi dicitur: « Iuste possidet, qui auctoritate pretoris possidet ». Beata enim Virgo, quae Dei voluntate impellente nupsit, etiam eius instigatione prius votum virginitatis fecit. Unde Bern. super « Missus est », (homilia 2), inquit: « Deus dedit Virgini partum, qui ei iam ante, et virginitatis inspiraverat votum »; et (homilia 3), iterum dicit alloquens ipsam Benedictam Virginem: « Sermo Dei vivus, et efficax ante tibi factus est magister quam filius; tuam prius instruxit mentem, quam indueret carnem; Christo ergo te devoves exhibere Virginem; et nescis quod ipsi te exhiberi oporteat etiam Matrem ». Haec ille.

930. Ex quibus omnibus patet quod ista desponsatio fuit possibilis, fuit etiam utilis ad multa; ut ait Albertus ibidem.: « Primo ut matrimonium bonum, ostendatur; secundo ut domina omnium bonorum nullo bono privetur; tertio ut hostis fallatur; quarto ut testis castitatis habeatur; quinto ut origo dominae per coniugem suum describatur; quia non consuevit Scriptura feminas genealogizare; sexto ut ab infamia servetur; septimo ut poena caveatur; octavo ut a Christo persecutio tollatur; nono ut filius Dei comprobetur, scilicet ex testimonio Ioseph, cui dixit Angelus: Matth. 1: «Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est »: decimo ut Domino serviatur; undecimo ut spirituale matrimonium significetur; duodecimo ut parentes spirituales ostendantur; tredecimo ut humilitas virginitati coniungatur; decimoquarto ut occasio incuriae de fama virginibus tollatur; decimoquinto ut humilitas, et charitas Filii Dei ostendatur, qui potius voluit filius fabri reputari, quam Matrem infirmari; decimosexto, ut matris dignitas humilitati societur, ut quanto maior sit, humiliet se in omnibus, ut sit Mater Dei, et uxor fabri ». Haec Albert. Sed de his utilitatibus hic brevius pertranseo, quia de ipsis tamquam de causis desponsationis Beatae Virginis, in tertia parte huius sermonis clarius dicemus.

931. Ad aliud autem quod supra obiectum est de simulatione, ibidem respondet Albertus sic: « Dicimus quod est simulatio deceptionis ut in hypocritis: et est simulatio humiliationis, qua quis non vult magnus, vel humilis praedicari sed vilis reputari. Primam simulationem effugit Spiritus Sanctus: in habente autem secundam inhabitat, ut habetur (Is. LXVI ubi ait Dominus: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem etc. ». Quod vero obiicitur quod causa matrimonii debet esse proles, vel causa vitandae fornicationis; respondet idem Albertus sic: « Dicimus quod hoc intelligendum est de matrimonio per copulam carnalem consummando, istius autem ma-

Digitized by Google

trimonii causae fuerunt, quae supradictae sunt ». Haec ille. Et sic non obstant aliqua in contrarium adducta.

932. Hymnus XI.

Mariae cum Iosepho coniugii causae.

MARIA cur coniugio
Viri iuncta describitur,
Causarum trium ratio
A sanctis ad hoc traditur:
2. Christus venit absconditus
Ut Satanam deciperet,
Et sic partus incognitus
Virginis rite fieret.
3. Ut plebis ab infamia
Mater regis eximia
Servetur eo melius,
Fit Ioseph eius socius.
4. Ut haec viri solatium
Haberet, ubi pergeret,
Et ad Sponsae obsequium
Promptus se Sponsum faceret.
5. Quem Angelus edocuit,
Divo monstrans oraculo,
Quocumque ire debuit
Cum Matre vel cum Parvulo.
6. Qui monitis obediens
Fit testis fidelissimus,
Ad laborandum patiens
Obsequio promptissimus.
7. Gloria tibi, Domine.

(Diurn. ms. Brigittin. saec. 15; BB. Arosien. Lunden. saec. 16).

933. **Memento.** — Beato Ioseph, dignissimo Dei Genitricis Sponso, Iesu Christi Domini nostri Nutricio, praestantissimo Ecclesiae Catholicae Patrono, benedictio, laus et gloria.

Amen, amen, Ioseph celebrent agmina coelitum, Ioseph cuncti resonent christiadum chori. Sancte Ioseph, adesto Christi Vicario, Ecclesiam defende, ora pro nobis. (Conc. Prov. Valentin., ann. 1889, p. 73).

XII. — Sermo Bernardini de Busto.

CUIUS AETATIS FUERIT BEATA VIRGO CUM DESPONSATA FUIT. — DE AETATE S. IOSEPH TEMPORE DESPONSATIONIS; DE SUBLIMI EIUS DIGNITATE ET EXIMIA SANCTITATE.

Mariale, p. IV, Sermo 12, De benedictae Virginis Mariae desponsatione.

QUAERITUR pro expeditione huius partis, in qua aetate Beata Virgo erat, quando contraxit cum Ioseph et quando concepit Dominum? Et respondent quidam Doctores, inter quos est Beatus Augustinus in lib. de mirabilibus Sacrae Scripturae et Franc. de Mairo, super Missus est), sequens Augustinum; quod videtur fuisse duodecim annorum, et haec opinio potest sic probari. — Omnia facta sunt rite circa hoc sanctum matrimonium a Spiritu Sancto ordinatum. Ergo aetas legitima est servata, et in ea factum fuit. Aetas autem legitima ad contrahendum matrimonium est duodecim annorum in puella, (l. qua aetate, ff. de testam., et inst. de nupt., in prin. ubi gl., et l. minorem, ff. de ritu nup.. et c. continebatur etc., attestationes extra de desp. imp.). — Item, cum mirabilia sint quae Deo immediate operante fiunt, quanto aliquid est mirabilius, tanto laudabilius est aliis paribus. Sed vitae perfectio, et virtutum consummatio est nobilior in iuvene quam in sene (arg. in ℔, optimum, et ibi glo. in authentica de mon. col. 1), et quanto laudabilior tanto mirabilior: ergo ubi erat laudabilissima erat mirabilissima. Sed perfectio est mirabilior in iuvene quanto persona est minor; ergo Beatissima Virgo in infima aetate, quae huius gratiae capax fuit. Deum in se suscepit, et consequenter in eadem aetate desponsata fuit; nam Sponsa erat, quando Dei Filium concepit. — Item, quanto aliquid citius datur, tanto plus datur (℔ plus autem, Inst. de actio.). Unde dici solet, quod qui cito dat bis dat (ubi notat glo. in ℔ item si ille, Inst. de fideius.). Sed Beatissimae Virgini tantum dedit Deus per Incarnationem Filii sui, quantum purae creaturae dare potuit. Ergo tam cito dedit, quam cito illa capax fuit. « Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia »; ut ait Beatus Ambrosius (super Luc.. Ergo ex parte dantis nulla fuit mora dandi; immo videtur affectasse dationem. Unde et de Filio Dei dicitur (Ps. XVIII: « Exultavit ut gigas ad currendam viam », scilicet celeriter. Ergo statim dedit quando susceptivum capax fuit. — Praeterea, « quando aliquid est dubium, reducitur ad intellectum iuris » (ut ait glo. in l. sed nisi, ff. de iure do., et in l. curat. ff. de admi. tuto.); ergo haec desponsatio in dubio praesumenda est fuisse facta in praedicta aetate duodecim annorum; quae a iure dicitur aetas ad contrahendum matrimonium legitimum.

935. Albertus autem super Missus est, c. 39) dicit: « Quod cum supponatur quod in Beatissima Virgine fuit omnis congruentia tam ex parte naturae, quam ex parte gratiae, ad hoc ut Mater Dei fieret, credendum est quod in tali aetate Deum concepit, qua perfecta fuit in statu corporis, et quantitate, et quod circa eandem aetatem desponsata fuit tantum ante, quantum sponsalia solent praecedere matrimonium, videlicet circa duos menses ». Ad illud autem quod supra dicitur quod mirabilior, et laudabilior esset in iuventute ista perfectio: respondet Albertus, ibidem, dicens: Dicimus quod cum nihil sit laudabile, nisi aliquo modo dependeat ab arbitrii libertate, et ab habitu

Digitized by Google

virtutis, non statim illud fieri debuit, cum Beata Virgo libero arbitrio uti potuit : sed intervenire debuit temporis protractio, in quo fieret et meritorum accumulatio, et purificationi quam acceperat, maior in utero succederet depuratio, et virtutum exercitatio; ut omnium virtutum apice sublimata, de congruo suo singulari merito, mundo subveniret perdito, Salvatorem gignendo. Et sic patet, quod non statim Deus hoc donum dedit, cum eius Beatissima Virgo capax fuit; sed quia non tantum dedit, sed congruentissimo modo tunc Deus statim dedit, quando susceptivum congruentissimo modo capax fuit; ut non esset tantum datum optimum, sed donum perfectum, et perfectissimo modo datum. Nec illa velocitas donum duplicat, quae temporis congruitatem anticipat, et a dato modum dandi deformat; et a recipiente gloriam minuit, et dignitatem recipiendi ab ipso excludit ». Haec ille.

936. Quae confirmari possunt per argumentum quod idem Doctor facit, ibidem dicens: « Contra gravitatem morum, et honestatem est acceleratio matrimoniorum». Immo in omni re celeritas nimia non laudatur (l. 1. c de excu. rei iu.). Nam nimia celeritas dicitur privigna iuris (argu., in cap. ponderet, l. di., et § sed aliud, 5. q.). In isto autem matrimonio sanctissimo nihil incongruum fuit, vel inhonestum; ergo expectatum fuit tempus opportunissimum et honestissimum. Item, a corpore B. V. debebat formari corpus Christi perfectissimum secundum naturam. Cum ergo ex tali, et ex magis tali. magis tale fiat, debuit eius corpus esse perfectissimum secundum naturam ad generationem; quia nemo potest aliquid ad alium transferre, nisi eo modo, quo ipse illud habet (c. nemo plus, de reg. iur., lib. 6, et l. nemo, ff. eo. ti., et c. nuper, de don. inter viv . et uxor., et c. Diabertum, 1 q. 8, et c. quo modo de cons.. d. 4 . Ex quibus videtur quod B. Virgo debuit concipere Filium Dei in ea aetate, quae perfectior est ad contrahendum matrimonium, et generandum perfectissimum filium. Dicit autem Philosophus in lib. de animalibus, quod mulier in decimoctavo anno est magis idonea ad consummandum matrimonium, et generandum filios perfectissimo modo; ergo etc.

937. Ad hanc quaestionem volens respondere; dico quod tempore huius desponsationis et conceptionis Christi nihil determinatum in Sacra Scriptura reperitur, unde et difficile est scire. Et ideo supra (illud Proverb. penult. : « Tria sunt mihi difficilia ad cognoscendum et quartum penitus ignoro »: exponit Nic. de Lyra secundum suam translationem, idest, « Viam Christi in Virginis utero in sua Incarnatione ». Dicitur tamen in legenda Beatae Virginis, quod cum ipsa Benedicta Virgo esset quatuordecim annorum, Summus Pontifex praeceptum fecit, ut omnes Virgines in templo educatae, quae ad aetatem quatuordecim annorum pervenerint, ad domum parentum suorum reverterentur, ut legitimo matrimonio traderentur. Cum autem omnes aliae virgines huic praecepto obedissent, sola Beata Virgo in templo remansit; dicens quod non poterat tenere viam carnalis matrimonii, quia a parentibus suis fuerat perpetuis Dei servitiis dedicata; et etiam ipsa perpetuam Deo virginitatem ex voto mentali promiserat. Semel autem Deo dicatum non est amplius ad humanos usus transferendum (c. semel, de reg. iu. lib. 6, et c. mancipia, de rerum permu., et c. ligna de cons. dist. 1, et c. quae semel, 19. q. 3). Quae audiens Summus Pontifex, ex una parte timebat offendere Deum si eam ad frangendum votum castitatis compulisset, cum per Prophetam Dominus dicat: « Vovete et reddite » Ps. LX). Et iterum: « Redde Altissimo vota tua » (Ps. XLIX). Alia vero ex parte metuebat inducere novam consuetudinem in populo Dei de servanda virginitate, contra praeceptum primis parentibus datum de multiplicanda prole (Gen. 1). Qua ex re habito consilio cum sapientioribus et antiquioribus populi, omnes responderunt, in tam difficili et insolita re ad oraculum divinum esse recurrendum, quia quibuscumque rebus, etiam desperatis, modum et ordinem ponere potest (l. 1, §. 1, c. de vet. iu. enu.), cuius voluntatem semper debemus inquirere, et considerare, ut ei beneplaciti esse videamur (ut in aut. de trien. et semis. in princ.).

938. Cum igitur omnes in oratione devote persisterent rogantes Deum, ut quid in hac causa faciendum esset, illis revelaret, statim cunctis audientibus, in loco propitiatorii facta est vox dicens, quod omnes qui erant de domo, et familia David habiles ad contrahendum matrimonium ad templum ante altare convenirent singuli virgam in manu ferentes; cuius virga fronduisset, et floruisset, et super summitatem eius Spiritus Sanctus in columbae specie descendisset; secundum Isaiae vaticinium (XI. 1), ubi dicitur: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini »; illi eam desponsaret tamquam sibi a Domino deputatam. Cum ergo omnes virgam suam portantes ordinato tempore ad templum convenissent, et coram altari se presentassent, sola virga Ioseph inter omnes alios de Domo David statim fronduit, et flores emisit ac Spiritus Sanctus in eius cacumine in specie columbae descendit. Quapropter acclamantibus cunctis ad tam grande miraculum, Sacratissimam Virginem

Digitized by Google

ipsi Ioseph, tamquam digno tam egregia coniuge, in Sponsam dederunt. Posito ergo, quod, ut in dicta legenda dicitur et a multis tenetur, B. Virgo cum esset aetatis annorum quatordecim desponsata fuerit; responderi posset ad dictum Philosophi de idoneitate perfecte generandi filios a femina in decimoctavo anno; quod loquitur de communi cursu naturae, non autem ubi est perfectio naturae et gratiae quae perficit naturam, ut habetur in 2 sent. (dist. 27 et per Alexandrum de Ales (in 3, par. summ., in tractatu de gratia), sicut fuit in B. V. Unde dicit potest quod ipsa fuit felici diplomate usa (ut in simili dicit glos. Inst. de nupt. in princ., et allegat legem continuus, § cum ita, digest., de verbo, ob). Ante aetatem enim communem ad concipiendum reperiuntur aliquae mulieres conceptioni aptae, (c. puberes de desponsat. impub., et cap. proposuisti, de prob.). Si ergo hoc habent aliquae ex bonitate naturalis complexionis, ut etiam ad duodecimum annum concipere possint; multo magis Beatissima Virgo habens perfectionem naturae et gratiae, potuit esse perfecte idonea conceptioni perfectissimae Filii Dei in anno decimoquarto. Maior est enim virtus gratiae quam naturae, quod probat B. Ambrosius in lib. de Sacr. (transumptive, in c. revera de cons. dist., 2). Videtur ergo communior opinio, quod gloriosa Virgo compleverat annum decimumquartum et intraverat decimumquintum quando concepit Salvatorem mundi. Nam licet ante illam aetatem, scilicet in duodecimo anno potuisset generare, sicut aliae, et multo melius, tamen videtur dicendum quod Deus voluerit hanc desponsationem fieri non ita accellerate, ratione maioris honestatis et gravitatis morum, ut supra dictum est. Et propter hanc causam virgines educatae in templo non tradebantur nuptui in duodecimo anno, licet tunc essent nubiles, sed in decimoquarto. Quam aetatem non transibat propter periculum, iuxta illud (I ad Cor. VII) « Propter fornicationem vitandam habeat unaquaequae mulier virum suum etc. ». In hac ergo aetate voluit Christus Matrem suam desponsari non ratione alicuius periculi, sed quia tunc erat perfectissime apta suae conceptioni, quae in desponsata Virgine fieri debebat; ut in sequenti parte huius sermonis ostendetur. Noluit autem hanc suam incarnationem ulterius prorogari rationibus praeallegatis.

939. Si autem quaeratur cuius aetatis erat Ioseph quando Beatissimam Virginem desponsavit? Dico quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod erat senex, sicut legitur in libro de infantia Salvatoris; unde etiam dicitur quod quando ivit ad templum cum aliis de familia David, portabat virgam suam absconditam, timens fortiter derideri ab aliis, quod cum esset vetulus, vellet nubere; perrexit tamen ad templum, ne faceret contra mandatum Summi Sacerdotis ex parte Dei factum; in quo omnes qui erant nubiles de progenie Davidica, tenebantur cum virga praedicta ad ipsum templum proficisci. Quando vero sua virga floruit, ipse Ioseph cognoscens per hoc miraculum, maxime per revelationem Spiritus Sancti, qui in Columbae specie super ipsam virgam suam apparuerat, quod haec delicata puella sibi debebatur in sponsam; et quod haec erat divina voluntas, ut eam desponsaret, licet cum rubore, ipsam virgam sic floridam in publicum videndam ab omnibus protulit; atque protinus Benedictam Virginem desponsavit. Ad argumentum autem quod fit contra hanc opinionem, scilicet quod non videtur conveniens fuisse, quod una puella sic delicata nuptui traderetur sponso antiquo. Respondent tenentes hanc opinionem, quod hoc fuisset inconveniens, si hoc matrimonium factum esset, causa procreandae prolis, vel propter vitandam fornicationem; sed propter nullam harum causarum contractum fuit, sed sanctissima voluntate divina ita peractum est multis de causis; quas licet nostra fragilitas intelligere ad plenum non potest, quia vera est sententia Pauli ad Rom. XI, dicentis: « O altitudo divitiarium sapientiae, et scientiae Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius »; tamen cum Beato Augustino (cap. si ex bono, de poen. dist. 4) dicere debemus: « Si ratione facti profunditatem iudicii Dei penetrare non possumus, manifeste tamen scimus verum esse, et bonum omne quod facit ». Quamvis autem dicat Propheta Psal. XXXV: « Iudicia Dei abyssus multa »; tamen praedicti Doctores huius desponsationis assignant duas causas, scilicet, quod Deus voluit Matrem suam desponsari seni, ut appareret hanc desponsationem non libidinis causa fieri, sed solum ex obedientia sui beneplaciti, et praecepti. Item, propter confutationem haereticorum, quos sciebat debere opinari et praedicare quod Ioseph habuit filios carnales ex Beata Maria, et cum ea stetit matrimonialiter, saltem post parturitionem Filii Dei. Quorum iniqua et perversa opinio potuisset colorari ex Ioseph iuventute.

940. Alia est opinio, quod Ioseph esset iuvenis pulcher et decorus. Et inter alios doctores hanc opinionem tenentes est magister Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis in sermone de Nativitate Beatae Virginis Mariae (consideratione 2.) ubi ait: « Non oportet credere ipsum Ioseph iustum virum Mariae senio fractum, debilitatum, aut frigi-

Digitized by Google

dum fuisse dum nupsit Mariae adulescentulae, ad salvandum castissimum, atque pudicissimum cum ea convictum. Potuit namque plus operari Spiritus Sanctus in conservando castitatem ipsius Ioseph per repressionem, vel exstinctionem fomitis originalis in ipso, quam senectus, vel senium operetur; etenim quis nesciat quosdam senes septuagenarios, aut octogenarios spurcissimis, et foedissimis libidinibus exarsisse, euntes post desideria sua, et in adinventionibus suis turpissimis, quales etiam vel cogitare vel dicere pudor et foetor, computrescentes? Sensit autem virginitatis gratiam qui dixit: Scio quod continens esse non possum, nisi dederit Deus ». Haec ille. Hanc vero sententiam posuit Salomon (Sap. VIII). Ibidem etiam probat praedictus Doctor, Ioseph non fuisse senem, sed iuvenem, et dicit: « Nec urget in oppositum libellus de infantia Salvatoris, quia iure damnatus est. Movet autem ad hoc pie credendum multiplex ratio. Primo propter mysterium propheticum quo dicitur in Isaia (LXII 5): « Laetabitur sponsus super sponsam, et habitabit iuvenis cum virgine ». Ubi glos. interlinearis et ordinaria dicit: scilicet Ioseph cum Maria. Movet etiam ad hoc finis, et ratio desponsationis Mariae cum Ioseph. Quae ratio duplex principaliter assignatur: una propter ministerium et obsequium praestandum ipsi Mariae et puero Iesu euntibus in Ægyptum; illicque manentibus et inde remeantibus, et consequenter usque ad perfectam aetatem. Constat autem, quod ad talia non fuisset idoneus homo senio confractus et impotens, qui eget amplius, ut ei ministretur quam ministret, qui onerosior Mariae, quam obsequentior extitisset. Altera ratio fuit ad conservandam Mariae famam apud perfidos Iudaeos; et ad Incarnationis mysterium celandum daemonibus, quae ratio cessasset prorsus, cum Ioseph senex frigidus et maleficiatus palam apparuisset. Talis enim quo pacto credi potuisset alicuius pater infantis? ».

941. Quaereret igitur aliquis, cur senex depingitur? Cui respondeo, quod depingitur alicubi senex propter mentis maturitatem et castitatis virtutem; sicut dicit Sapiens, quod « aetas senectutis vita immaculata Sap. IV). Quo contra dicit propheticus sermo quod « maledictus puer centum annorum » Ps. LXV. Vel ideo pingebatur senex ab initio nascentis Ecclesiae, dum Mariae perpetua Virginitas nondum, ut modo. radices fixerat in cordibus fidelium, ne suspicarentur carnale aliquid de Ioseph et Maria. Et hinc fortassis omissa est solemnizatio celebris de tam venerando, laetoque coniugio. Depictum tamen invenimus Ioseph in aetate iuvenili. Vel dic illud Horatii in poetica: « pictoribus atque poetis. Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas ». Idem quoque Doctor in sua Iosephina metrice inquit:

« Ergo Ioseph reputasse senem fecere seniles
In se virtutes, vel ne carnalis haberet
Suspicio de te quidquam carnale, Maria,
Donec virginitas tua fixa fidelibus esset
Cordibus, inde minor est mentio de Ioseph acta;
Non subito totam se monstrat gratia mundo.
Nunc secus esse decet dum toto creditur orbe,
Copula virginea vobis sine labe fuisse.
Munda, decens, cauta, coelesti par et honesta ».

Haec ille.

942. Ratio autem principalis, quare Ecclesia sic fecit eum depingi senem maturum et grandaevum fuit ad amovendam praedictam haereticorum opinionem. Videtur ergo istis non inconvenienter tenendum, quod Ioseph erat iuvenis pulcherrimus et formosissimus, ut esset similis suae Sponsae pulcherrimae et formosissimae. Et quod sicut, excepto Christo, nullus vir aut mulier umquam fuit pulchrior Beata Virgine; immo nec tantae formositatis; ita, excepto ipso Domino Iesu et Matre eius, nullus vir aut mulier fuit umquam formosior Sancto Ioseph, immo nec tantae formositatis; et similiter est dicendum de nobilitate, sapientia, et puritate, virtuositatibus, et gratiis gratis datis et gratum facientibus. Et potest haec opinio sic probari. Nam credendum est, quod omnia, quae condecentia sunt ad honestum et consolatorium matrimonium, Deus voluerit esse in matrimonio, ac desponsatione Matris Suae Benedictae. Sed ut dicitur in Chronica de magiis Philosophorum: « Cleobolus unus ex septem sapientibus dixit, uxorem esse ducendam ex paribus »; et e contra. Unde Ovidius in epistolis inquit: « Si qua voles apte nubere, nube pari ». Vera est enim illa eiusdem poetae sententia, ubi supra: « Quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci: Tam premitur magno coniuge nupta minor ».

943. Ergo videtur, quod in hoc sacratissimo matrimonio divina inspiratione facta fuerit omnis similitudo possibilis inter Sponsam, et Sponsum suum sibi ab aeterno deputatum et praeparatum. Et ad hoc applicari posset illud quod inquit glòss. (in cap. quanto, de divor.), scilicet quod matrimonium non debet claudicare; quamvis ad aliud propositum dixerit. Item, illud quod dicunt Iuristae, quod matrimonium debet contrahi cum aequali (l. creditor, §. pri. ff. mand.). Et hanc rationem approbans magister Ioannes Gerson, ubi supra, ait: « Sicut decuit Mariam, ut summa puritate niteret; sic decuit ut haberet suo modo Sponsum purissimum qui cum perpetua Virgine virgo prius,

Digitized by Google

ac posterius permaneret. Uterque regali progenie renitens et illustris uterque sanctificationem in utero recipiens ». Haec ille. Qui etiam in eiusdem sermonis consideratione 2, inquit: « Maria de qua natus est Iesus sicut fuit in utero sanctificata priusquam nasceretur, ita de Ioseph virginali viro suo pia credulitate credi potest, quamvis non omnino similiter. Potest forsitan haec dissimilitudo notari in hoc quod Ioseph post originale contractum, sanctificatus est in utero baptismo flaminis; sicut Ioannes Baptista et aliorum plurimi. Sic enim in officio Hierosolymitano de Ioseph composito continetur. Mariam autem ita praevenit gratia sanctificans, ut quamvis lege communi teneretur obnoxia peccato originali, iuxta causas universales generationis ab Adam traductae, non sic autem Filius eius Iesus, quia non ex virili concubitu genitus est; nihilominus ipsa Virgo Maria lege privata ac privilegiata sic praeventa est, ut nequaquam illud peccatum originale contraheret. Et quoniam hoc et potuit et decuit fieri ut perfectissimum in sua Matre modum Salvator impenderet, taliter eam sanctificando a peccato, ut in illud, in quod aliquando casura erat, ipso sanctificante et gratiam infundente non caderet; et ita contereret caput serpentis antiqui, numquam ab eius pede contrita ». Haec ille ad litteram.

944. Qui etiam in sequenti consideratione inquit: « Maria sicut habuit repressionem fomitis originalis, ne in vitiosam exardesceret concupiscentiam, sic de Ioseph virginali Sponso suo intelligi pie potest; praesertim dum matrimonialiter eidem coniunctus est; unde sicut Maria potuit ex sententia dicere illud Sarae uxoris Tobiae iunioris filiae Raguelis: « Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere » (Tob. III). Sic ipse Ioseph potuit apud Deum gloriari dicens: Tu scis Domine quia numquam concupivi feminam, et mundam servari animam meam ab omni concupiscentia; uxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. Testis et assertor huius sententiae nobis est Hieronymus in libello de perpetua Virginitate Mariae contra Helvidium. Similiter Hugo de Sancto Victore in tractatu de coniugio Beatae Mariae et alii Sanctorum plurimi. Ioseph igitur priusquam iungeretur cum Virgine Maria, corruptus vel uxoratus non fuerat. Et hoc maxime concludimus ex eo, quia si Matri suae Dominus iam provectae neminem dare custodem voluit, nisi virginem, scilicet Ioannem Evangelistam, (Ioann. XIX), quanto magis existimandum est, quod hoc fieri voluit in adolescentiori aetate? » Haec ille. Et haec ratio fuit Nicolai de Lyra (super Matth.; et ideo tam pulchra puella non debuit dari custodienda, nisi pudicissimo virgini. Hanc quoque sententiam ponit praedictus Ioannes Gerson in sua Iosephina dicens: « Corrupto numquid fuerat socianda puella. Quae grandeva fuit soli commissa Ioanni? » quasi dicat: non.

945. Sequitur autem idem Doctor in praedicto sermone, et consideratione dicens: « Similiter Filius Iesus sicut non voluit nasci, ita nec nutriri, nisi in puritate virginali. Porro Ioseph si ab uxore post immediatum tempus nuptiarum continuit semetipsum, sicut Evangelistae testimonium habet, quod non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum (Matth. I). Et hoc propter reverentiam tanti Sacramenti, tantisque mysterii; hic apertissime datur intelligi, quod nec post partum cognovit eam, quoniam urgentior erat ratio tunc quam prius ut ab eius cognitione abstineret. Et hoc nobis non ut dubium, sed ut certa fide tenendum iniungitur, quod Maria post partum inviolata permansit. Addamus quod Ioseph cum esset vir iustus (Matth. I, cum praeterea fomitem originalis peccati vel repressum, vel extinctum haberet ita enim decebat fieri, ne Mariae speciositas, vel familiaritas sibi cederet in scandalum, vel ruinam ipse ex convictu et cohabitatione familiari Mariae, non movebatur ad libidinem, sed ad castitatem; tam ex repressione huiusmodi fomitis in seipso, quam ex Mariae virtute, et merito, et quam ex disciplinato conversationis modo. Hoc figuraliter potest intelligi de Sunamite, quae erat puella pulchra nimis, et dormiebat cum David, qui tamen non cognovit eam, nec in eius concupiscentiam quomodolibet exarsit (III Reg. I). Sic enim certissimum est de Maria coniuge sua quod ex convictu, seu associatione viri nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus, nulla illecebra praeveniens rationem, vel inobediens sibi vexabat eam, alioquin peccasset saltem venialiter, quod Augustinus negat: negant et doctores. Quia gratiae plenitudinem habuit ad vincendum ex omni parte peccatum, plus quam Adam ex originali iustitia. Tradit Dominus Bonaventura hoc se habuisse ex Iudaeorum fideli narratione, quod nullus ex aspectu gloriosae Virginis, quamvis esset pulchra nimis, urebatur, aut inflammabatur ad foedam carnis concupiscentiam: sed eam potius exstinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus spiraret, vel effluerent a mente sua castissima... Cum Maria igitur gratia plena fomitem reprimente mansit

Digitized by Google

Ioseph repletus gratia, peccatum saltem mortale quodlibet superante... ».

946. « Novit Maria mysterium incarnationis a saeculis absconditum Angelo renunciante; novit et Ioseph admonitus in somnis ab Angelo; et ut existimo pie, prius edoctus familiariter a Maria. Sicut Beatam Caeciliam legimus Valeriano sponso suo dixisse: Est mihi mysterium quod tibi revelem, amantissime iuvenis, si tota illud fide custodias, etc. Quidni fuerit audentior, divino confidens auxilio, Maria erga Sponsum suum Ioseph pudicissimum, cum esset iustus, quam Caecilia erga Valerianum, quem urgebat impetus nuptiarum? Turbata est Maria in Angelica salutatione, sed non conturbata vel incredula. Turbatus est ipse Ioseph ad stupendum tantae novitatis miraculum, ita ut nollet Mariam traducere; non tamen conturbatus, vel culpabiliter incredulus, sed stupor quidam apprehenderat eum, sicut de Petro legimus Luc. v dum ait ad Iesum: « Exi a me, Domine, quia peccator sum ». Ioseph enim similiter coniungi coniugio tam excellentissimae Virginis indignum se iudicabat. Propterea non ex crudelitate suspiciosa, sed ex profundissima humilitate videtur Mariam traducere noluisse, sed quasi dixisse: Exi a me, Domina, quia peccator sum. Hinc Angelus ad eum Matth. I: « Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam », non dixit, noli incredulus esse. Visitavit Maria et Zachariam, et Elisabeth. Non dubium quin de licentia, et consensu viri sui Ioseph, iam de sacramento Incarnationis instructi; visitavit et Ioseph vel illo tunc tempore, vel in solemnitate Paschali, quae proxima erat, et ad quam ire iubebat lex in Ierusalem. Decantavit canticum Maria, cecinit et ipse Zacharias. Non dubium, quin particeps et conscius canticorum istorum Ioseph extiterit. Congratulata est Maria cum ceteris parentibus et cognatis ipsi Elisabeth puerperae, dum Ioannem enixa est, a qua congratulatione Ioseph alienus non fuisse putandus est... ».

947. « Maria Filium suum primogenitum mox ut natus est, adoravit cum gaudio et exultatione; Ioseph ab hoc adorationis gaudio, et exultatione nequaquam alienus fuisse credendus est. Maria conservabat omnia, quae dicebantur de Puero Iesu per pastores, per tres Magos, per Simeonem, per Annam et per ceteros, conferens in corde suo, et admirans non ex ignorantia, sed ex insolita mysterii reverentia, et Ioseph similiter. Nam scriptum est, scilicet Luc. II quod erat pater Iesu et Maria admirantes super his quae dicebantur de Puero. Obedivit Ioseph Angelo iubenti in somnis, ut acciperet Matrem cum Puero, et fugeret in Ægyptum Matth. II; obedivit et Maria, nova illa puerpera et delicata iuvencula nocte consurgens. In qua peregrinatione laboriosissima dicere poterat uterque ad Dominum cum Psalmista Psal. CXVIII : « Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae ». Quis autem sufficienter existimare possit egressum, progressum, et ingressum peregrinationis illius septennalis? Quantus fuerit, hinc labor, dolor et timor; et quantus inde divinorum sapor, et dulcor ex mutua collatione et allocutione Ioseph cum Maria et amborum cum Puero Iesu; ex recogitatione tamdem divini consilii super redemptione generis humani? Quis det interfuisse collocutionibus huiusmodi? Quis peregrinantibus his concesserit astitisse, quis oeconomiam illam honesta paupertate gratissimam, viri et uxoris cum Filio, ubi pro famulo dabatur asinus, considerare poterit? Si vetus illa mater Elisabeth exclamavit prophetice ad unicam Mariae salutationem, si exultavit prae gaudio Ioannes infans in utero suo, quid ex continua cohabitatione, et allocutione cum Maria et Puero Iesu iustus Ioseph acceperit consolationis et illuminationis, dici nequit. Quis det hymnum de canticis Sion ex Maria suaviter audivisse in terra aliena? Quis det eam baiulantem in ulnis speciosum forma prae filiis hominum, quae blandiebatur arridenti, quae condolebat vagienti, quae frequenter tibi viro suo, Ioseph, baiulandum fovendum, osculandumque tradebat, vidisse? ». Haec Ioannes Gerson., ubi supra.

948. Qui etiam in quarta consideratione eiusdem sermonis, sic dicit: « Quia corpus Mariae fuit ipsius Ioseph iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporis viri ad mulierem et e contra; proinde Ioseph dictus est pater Iesu Christi, nedum a Iudaeis hoc putantibus sed ab ipsa etiam Virgine Maria, dum Filio ait (Luc. II): Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te. Fuit itaque Ioseph pater Iesu reputatione; fuit pater curatione quia nutritius; fuit tertio pater generatione, non quidem sua, sed Mariae, uxoris suae, cooperante Spiritu Sancto; et quodammodo vices Ioseph gerente, non virili semine sed mystico spiramine. Propterea pater quidem Ioseph non naturalis, sed legalis Pueri Iesu dici potest; cui Spiritus Sanctus suscitavit semen carnali valentius. Natus est igitur Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph. De qua terra exclamat Is. XLV.): « Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem ». Et Psalm. (LXXXIV) ait: « Veritas de terra orta est ». Haec ille. Cuius argumentum corroborari potest per ea quae habentur (in § ex diverso, I.. Inst. de rerum div.). ubi dicitur, quod illud quod seminatur, vel plantatur in fundo

Digitized by Google

alicuius, statim ut fecit radices in ipsa terra efficitur eius, cuius est fundus, sive ipsa terra; de quo etiam habetur (in l. si frumentum, § penult., ff. de rei vendit., et in l. 2. C. eo ti., et in l. qui domum, ff. ad legem Aqui., et in l. precario, ff. communia praedi., et in l. quid si. ff. de usuris).

949. Sequitur praedictus Doctor ibidem: « Cur igitur non competat ipsi Ioseph ius aliquod legale, ultra ceteros homines, in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, et ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum ». Haec ille. Mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir, etc. (1 ad Cor. VII; et 27, q., 2, c. sunt qui dicunt; et § cum ergo, et 30, q. 1, nosse; et de convers. coniug. c. quidam; et de consang. et aff. c. non debet). Sequitur Ioann. Gerson, ubi supra: « Unde non confundebatur Maria vocare Ioseph Dominum suum, quemadmodum et Sara Abraham (Gen. XVIII). Nam et praeponit eum sibi, dicens Filio: Pater tuus et ego. Nec mirum, quia maior in Maria quam in Sara humilitas, et Ioseph dignitas Abrahae dignitatem superabat. Fuit autem haec procreatio Pueri Iesu in te, Maria, per Spiritum Sanctum de consensu vero, vel interpretativo viri tui Ioseph. Volebat enim quod fieret voluntas Domini per omnia, cum esset iustus. Libet igitur hic exclamare: O miranda prorsus Ioseph sublimitas tua! O dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina Coeli, et Domina mundi appellare te Dominum non indignum putaverit! Nescio sane quid hic amplius habeat mirabilis vel humilitas in Maria, vel in Ioseph sublimitas. Quamvis incomparabiliter exuperet utrumque Puer Iesus benedictus in saecula, de quo scriptum est, quod erat subditus illis. Subditus fabro is, qui fabricavit auroram et solem (Psalmus XLIII). Subditus feminae textrinae, cui flectitur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum (ad Phil. II) ».

950. « Cuperem mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum, et absconditum a saeculis mysterium; tam admirandam, venerandamque Trinitatem Iesu, et Ioseph et Mariae. Velle quidem mihi adiacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio. Unde cum gratia similiter et gloria naturam non tollat, sed extollat, et perficiat; cogitemus pia devotione, quod si vinculo quodam naturali obligatio consurgit Filii ad Matrem, et Matris ad Sponsum suum, et utriusque, scilicet Filii et Matris ad fidelissimum, vigilantissimum et sedulum custodem, et nutritium Ioseph, qui fuit caput Mariae caput enim mulieris est vir » (I Cor. II; et c. duo pueri de despons. impu.; et cap. cum caput, XXXII, 5), habens inde auctoritatem aliquam in Mariam, sicut et Maria suo modo in Filium suum Iesum, iure naturalis maternitatis; quantus aestimandus est iustus ipse Ioseph tunc in gloria, et in coelis, quod talis et tantus inventus est hic in miseria et in terris? Profecto si non mentiebatur Iesus qui (Ioann. XII) ait: « Ubi sum ego, illic et minister meus erit ». Iste proximior sibi videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris ». Haec ille.

951. Ex quibus patet, quod nullus Sanctus in coelis est maior Sancto Ioseph post Virginem Benedictam. Nec huic obstat dictum Salvatoris, (Matth. II) dicentis: « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista »; quia respondetur, quod non dixit: non surrexit aequalis. Non minorem igitur gloriam habet Sanctus Ioseph Ioanne Baptista; qui saltem est ei aequalis. Si autem tenere velimus, quod ipse Ioseph sit maior in gloria coelesti Ioanne Baptista, prout innuere aperte videtur praedictus Doctor Ioann. Gerson in verbis praeallegatis, et etiam in allegandis inferius; possumus respondere ad obiectionem quae fieri posset, de praedicta sententia Salvatoris: « Inter natos mulierum » etc., dicendo quod ibi Salvator non dixit, non surrexit maior in regno coelorum; sed solum « non surrexit maior » scilicet in hoc mundo, quoad hominum venerationem, nam ab omnibus credebatur sanctus. Et posito quod Salvator dixisset: Non surrexit maior in regno coelorum, dicere possumus, quod per regnum coelorum non intelligit de coelesti patria, nam quando praedicta verba dixit Dominus de Ioanne, adhuc non erat mortuus Ioannes Baptista; et consequenter non erat Beatus in regno coelorum, nec consecutus fuerat aeternam felicitatem, quae per regnum coelorum proprie sumptum intelligitur. Sed pro regno coelorum hic intellexit Ecclesiam militantem, quae saepe in Sacro Evangelio appellatur regnum coelorum.

952. Unde in Homil. de Virginibus, super illa verba Salvatoris (Matth. XXV): « Simile est regnum coelorum decem virginibus, etc. » ait Gregorius: « Prius quaerendum nobis est, quid sit coelorum regnum, aut cur decem virginibus comparetur, quae etiam prudentes et fatuae dicantur. Dum enim regnum coelorum constet, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum vobis est quod saepe in Sacro eloquio regnum coelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur de quo et in alio loco Dominus dicit: « Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala ». Neque enim in illo re-

Digitized by Google

gno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri poterunt scandala quae colligantur. Et inde rursum dicitur: « Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum »; mandatum quippe solvit, et docet, quando hoc quisque praedicat quod vivendo non implet; sed ad regnum aeternae beatitudinis venire non valet, qui non vult opere implere quid docet. Quomodo ergo in eo minimus vocatur, qui ad hoc nullo modo intrare permittitur? Quid itaque per hanc sententiam, nisi praesens Ecclesia regnum coelorum dicitur, in qua doctor, qui mandatum solverit, minimus vocabitur? Quia cuius vita despicitur, restat ut eius quoque praedicatio contemnatur ». Haec ille.

953. In illis igitur verbis Salvatoris intelligitur quod nullus inter natos mulierum surrexerat usque tunc maior in regno coelorum, id est in Ecclesia militante, Ioanne Baptista. Quia ut ibidem dicitur, fuit non solum propheta, sed plusquam propheta; et tantae erat reputationis, ut reputaretur Messias, sicut patet Ioann. I. Si autem dicamus quod Salvator loquebatur non solum pro praesenti tempore, sed etiam pro futuro; etiam eius sententia est vera. Nam usque ad hodiernum diem nullus Sanctus est in maiori veneratione et gloria apud Ecclesiam militantem Ioanne Baptista post Beatam Virginem. Et quod Salvator solum loqueretur de maioritate in hoc mundo patet. Nam post illa verba: « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista »; immediate subdidit. « Qui autem minor est in regno coelorum maior est illo ». Sed posito quod expresse dixisset Salvator, Inter natos mulierum nullus surrexit, vel surget maior in gloria paradisi Ioanne Baptista; adhuc posset teneri, quod Sanctus Ioseph sit maior in gloria ipso Ioanne Baptista; si tenere vellemus opinionem unius devoti ipsius Sancti Ioseph, qui opinatus est quod sicut Deus voluit praeservare Beatam Virginem a peccato originali, ut esset eius digna Mater; ita etiam voluit praeservare Sanctum Ioseph, ut esset Matris suae dignus Sponsus, et eius idoneus pater, nutritius, et minister purissimus; et quantum possibile esset, conformaretur in puritate, ipsi innocentissimae Virgini. Et hanc suam opinionem, confirmat dicto praedicti magistri Ioannis Gerson in exordio sermonis de Nativitate Beatae Virginis, ubi ait: « Sicut decuit, ut Maria tanta puritate niteret, sicut dicit Anselm., qua sub Deo maior nequit intelligi; ita decuit ut Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Unde sicut laus Mariae, est laus Christi Filii sui, ita laus Ioseph, in praeconium redundat utriusque, Iesu scilicet et Mariae; et sic ex adverso dicit Sapiens (Eccles. III) quod dedecus filii est pater sine honore. Similiter dedecus sponsae esset sponsus sine honore derelictus ». Haec Gerson.

954. Dicit autem praedictus devotus, quod per hanc praeservationem non sequitur, quod Beatus Ioseph sit aequalis Beatae Virgini per omnia, sed solum conformis. Nam excellentior fuit praeservatio ipsius Matris Dei quam Sponsi sui. Ipsa enim purissima Virgo taliter fuit praeservata, quod nullam penitus infectionem, sensit non solum in anima, sed nec etiam in corpore. Ioseph vero habuit corpus infectum sicut alii, sed antequam in eo infuderetur anima purgatum fuit, Sancti Spiritus sanctificatione; et tunc creata et ei infusa est anima, et ab originali peccato praeservata eo modo quo credidit Magister Paulus de Venetiis praeservatam fuisse gloriosam Virginem. Quae tamen creditur ab aliis fuisse excellentius praeservata. Si autem haec opinio esset vera, non sequeretur ex verbis Christi praedictis, quod Ioannes Baptista esset maior Ioseph; quia loquitur de iis, qui ceciderunt in peccato originali et surrexerunt ab eo in quibus non comprehenderetur ipse Ioseph. Utrum autem Ioseph ab originali macula praeservatus fuerit; ipse Deus novit, qui talem sibi in patrem putativum et gubernatorem humanitatis suae, et dilectissimae Sponsae ac Matris suae purissimae coniugem super omnes mundi homines elegit.

955. De quo loquens Ioannes Gerson ubi supra ait: « Solvitur ex his quaestio, cur de Maria et cur de Ioseph praeconiis, dignitatibus et excellentiis, virtutibus, operibus et gestis ampliora non tradit Scriptura. Neque enim mundus ipse capere posset, qui super his scribendi essent, libros. Sed ex his quae diximus, habet devoti contemplantis animus, unde faciliter assurgat ad laudes quantaslibet Mariae et Ioseph. Quomodo sic recte ascribat eis per sufficientiam, aut virtualem continentiam, laudes quas in aliis creaturis, etiam angelicis, considerat. Nam habet hoc hierarchicus ordo, secundum Dionysium, ut inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo repositae, quemadmodum sapientia perfectior est in Seraphim, quam in Cherubim. Est autem Maria super Choros Angelorum per gratiam et gloriam sublimata, quod de ipso Ioseph negare non audeo, sed nec affirmare praesumo. Erunt igitur in ambobus perfectiones ceterarum creaturarum irrationabilium, et rationabilium, etiam Angelicarum, eminenti quodam modo reperibiles et attribuibiles: et hoc quam late pateat ad commendationem utriusque, perspicuum est solerter intuenti et per considerationem in-

Digitized by Google

tranti campos amplissimos omnium virtutum, donorum, beatitudinum, fructuum spiritus et similium ». Haec ille.

956. De ipso autem Sanctissimo Ioseph prophetavit David Psalm. XX dicens Deo: « Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso ». In quibus verbis tria tangit: Primo praeparationem virtualem, ibi, « praevenisti ». Secundo consolationem divinalem: « in benedictione dulcedinis ». Tertio sublimationem triumphalem; ibi: « posuisti » etc. Circa primum est sciendum quod divina sapientia, quae ab aeterno omnia vidit, hunc sanctissimum virum non solum praeelegit ex omnibus, sed etiam super omnes praeparavit, et disposuit ad tam alta mysteria cognoscenda et pertractanda taliter, quod nihil ei defuit. Et de hoc dubitare esset quasi sacrilegium. Crimen est sacrilegii dubitare an is dignus sit, quem Princeps ad aliquod officium elegerit (l. c. de crimin. sacr.). Et confirmantur praedicta per illud quod inquit Beatus Th. (in 3 parte Summae, q. 27, argum. 4), dicens: « Quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei ». Unde dicit Apostolus (II ad Cor. III): « Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti ».

957. Cum ergo deberet Ioseph esse custos Beatissimae Virginis, et pueri Iesu, et eorum socius et gubernator, et habere Reginam coeli in coniugem, et esse maritus illius quae esset Sponsa Dei, credis ne quod erraverit Deus in electione ipsius; aut quod aliquid ei deesse permiserit, quin eum perfectissimum fecerit? Profecto hoc esset valde erroneum, et stultissimum opinari. Deus enim, ut supra diximus, cum aliquem ad aliquod opus peragendum assumit dat ei omnem sufficientiam ad perficiendum; ut etiam inquit Petrus Ioann. (in III dist. 3). Et facit ad praedicta l. quidam consulebat, ff. de re iudic.. Unde de isto Sanctissimo Viro super familiam Dei constituto dici potest illud (Luc. XII et Matth. XIV): « Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam? » Ego igitur teneo quod in toto mundo numquam fuit vir ita sufficiens ad tam dignum opus, sicut Beatus Ioseph, ita quod fuisset sufficiens ad regimen totius mundi. Nam qui erat sufficiens ad maius, multo magis est credendus fuisse sufficiens ad minus. Et probari potest haec sententia per l. non debet ff. de reg. iur.; et cap. cui licet eo. ti. lib. 6; et l. iuris gentium, §. adeo, ff. de pac.; et l. legatum; et l. ad rem mobilem, ff. de procur.; et per ea quae no. in l. cum pacto, ff. de ser. ex.; et in cap. I, de tor.; et in cap. ex parte de deci. Qui ergo fuit a Deo electus idoneus ad regimen Filii sui, qui in infinitum est excellentior et maior mundo, et ad gubernationem Sponsae divinae, quae est dignior universo orbe, multo magis credendus est fuisse sufficiens ad regendum totum mundum. Et ideo quidam praedicator dicebat: Male faciunt, qui dipingunt eum decrepitum, melancholicumque ac vilem cum flascheto ad cingulum, hominem tam prudentem, atque sapientia repletum. Cum enim Beatissima Virgo fuerit tantae perfectionis, non dubium est, quod etiam eius coniux fuit perfectione repletus, ut esset eius coniugo idoneus. Ait enim Ambrosius, quod connubium dicitur quasi duo boves sub iugo ut conveniant in trahendo. Fuit etiam Beatissimus Ioseph super omnes homines puros, similis Virgini gloriosae in nobilitate. Quia inter omnes qui sunt egressi de stirpe Adam, non est egressus vir dignior, ac nobilior illo, quod patet (Matth. I in genealogia eius. Nam omnis perfectio et nobilitas generis humani, et maxime stirpis Iudaeorum tam nobilis est collata in eo. Sicut ergo Benedicta Virgo fuit de stirpe regali, ita et Beatus Ioseph, cui de iure debebatur regnum, sicut Matth. prim. cap. patere potest. Fuit etiam in eo alia nobilitas dignior; de qua loquens magister Ioann. Gerson in praeallegato sermone, consideratione prima, ait: « Non faciunt nobilem antiquatae divitiae, ut videtur Aristot. describere, neque dominatio super ceteros, aut aliquid huiusmodi temporale dat nobilitatem, sed servitus Dei, cui servire regnare est, cuius agi frenis summa libertas est. Unde Agatha Theologizans gloriabatur inter opprobria dicens: Summa ingenuitas ista est, in qua Christi servitus comprobatur. Ex quibus elicitur, Mariam et Ioseph summa nobilitate praeditos fuisse, quia supremam in Dei obsequio, etiam corporali, exhibuere servitutem. Nobiliores igitur, quam nobilissimus regum David; sicut eo sanctiores et timoratiores in Dei fuerunt servitio ». Haec ille.

958. Sed hic oritur dubitatio, cum Maria et Ioseph fuerunt de stirpe regia progeniti, quo pacto voluit Deus, quod ipse Ioseph nutritius eius servilibus operibus intenderet. Fuit enim faber lignarius. Et similiter dicit Hieronymus Mariam operi textrino operam dedisse. Respondet magister Ioann. Gerson, ubi supra, dicens: « Mirandum non est, si paupertatis honestae praedicator, et amator Iesus voluit in honesta paupertate nasci, et laboriosissimus cum laborantibus educari, dans in hoc exemplum omnibus etiam nobilibus, ne vacent inerti otio quod est semen, fons, et origo omnium vitiorum, quoniam multam malitiam docuit otiositas. Ecccl. XXXII; et otiositas, ac voluptas sunt arma diaboli cap. nisi cum pridem, §. verum, de renunc.;

Digitized by Google

et in desideriis est omnis otiosus (cap. numquam de cons., dist. 5). De ipso igitur Sancto Ioseph verificatum est illud (Psalm.cxxvii): « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit ». Dicit etiam ibidem magister Ioann. Gerson, ubi supra,: « Illud quod de forti muliere praedicat Sapiens (Proverb. ultimo) Mariae convenit, quae panem otiosa non comedit, sed quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum. Ideo rite subinfertur mystice de Ioseph viro suo. Nobilis in portis vir eius. Et haec de nobilitate Ioseph et Mariae dicta sufficiant ». Haec ille.

959. Noli igitur mirari quod Ioseph fuerit faber, debuit enim sic esset conformis Deo, qui est omnium fabricator. Item, quia nullum exercitium ita conveniebat Christi nutritio, maxime quia natus est in diversorio, in quo per quadraginta dies, secundum aliquos, steterunt et ipse Ioseph, ut creditur ore, aliquam cunam et aliqualem reductum ibi fecit de asseribus, et viminibus pro defensione Pueri, et Matris eius a frigore. Item, cum essent in Ægypto, nullum aliud poterat quasi habere exercitium aptius ad acquirendum victum quotidianum. Praeterea, quia ex ligno natura humana esset perdita, ideo conveniebat, ut faber lignarius diceretur pater recuperatoris et restauratoris. Fuit autem figuratus in Ioseph filio Iacob, quem Pharao Rex Ægypti fecit principem super universam terram Ægypti dicens ei (ut habetur Genesis xli): « Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Tulitque annulum de manu sua et dedit eum in manu eius, vestitivique eum stola byssina; et collo torquem auream circumposuit, fecitque eum adscendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse sciret universae terrae Ægypti. Dixitque ei rex: Absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti, et vocavit Salvatorem mundi ». Haec ibi. Annulus autem, quem Rex aeternus dedit Ioseph, est Beata Virgo, quam dedit ei Sponsam; ipsa enim Virgo benedicta est ille annulus, quem qui portaverit in digito suo per devotionem, poterit intrare ad coelestes nuptias. Induit quoque eum Dominus veste alba, quia eius virginitas et puritas per hanc desponsationem fuit magis dealbata. Torques autem aurea est charitas ligans cor eius cum corde Virginis. Inter Mariam enim et Ioseph fuit amor indicibilis et sanctissimus. Nam post Christum Filium suum nullum hominem vel creaturam aliam ita amavit Virgo piissima sicut Ioseph, et similiter Ioseph B. V. super omnes puras creaturas dilexit. Non est autem mirum, si Christus voluit, quod omnes creaturae obedirent Ioseph; cum et ipse illi obediens extiterit et subiectus, (ut habetur Luc.) De quo inquit Ioannes Gerson in consideratione 3. praedicti sermonis: « Legimus Puerum Iesum, dum duodecim annorum factus esset, subsidium fuisse Ioseph et Mariae, quae subiectio sicut inaestimabilem notat humilitatem in Iesu ita dignitatem incomparabilem signat in Ioseph et Maria ». Haec ille.

960. Quoad secundum quod tetigit Psal., in verbis propositis, scilicet de consolatione divinali ipsius Ioseph, quia in superioribus aliqua dicta sunt, ideo brevius hic me expediam. Dico autem quod numquam fuit aut erit aliqua mulier ita consolata de suo Sponso, sicut Beata Virgo de Ioseph nec aliquis maritus ita consolatus de sua coniuge, sicut Sanctus Ioseph de Virgine benedicta.

961. Sed hic oritur dubium, quare Ioseph voluit dimittere eam (ut habetur Matth. 1). Et respondetur, quod hoc non fecit in suspicione, quia Virgo adeo honesta erat, quod de ea nullam penitus suspicionem habere poterat. Unde Chrysostomus (super Matth.) inquit: « O inaestimabilis virtus Mariae, plus credebat Ioseph sanctitati Mariae quam eius utero ». Rationem autem, quare eam volebat dimittere supra tetigimus. De qua etiam inquit glossa (super Matth.), quod ex facie Virginis egrediebatur quidam splendor, tamquam si sol fuisset in laterna crystalli. Et ideo videns Ioseph tantam maiestatem, ex humilitate volebat separari ab ea, reputans se indignissimum conversari cum ipsa. Sed ab Angelo fuit confortatus (Matth. 1), et consequenter valde consolatus, cognoscens quod Deus fecerat eum dignum habitare et conversari cum Sponsa divina, et cum Filio eius Benedicto in qua conversatione consolationes inaestimabiles habuit.

962. Sponsa enim debet communicare bona suo sponso, et uxor suo marito (de quo per Cynum l. ubi adhuc, C. de iur. do. et faciunt etiam notata in l. si cum dotem, § sin autem, ff. sol. ma). Sunt enim duo in carne una vir et uxor, (Gen. ii), et ob hanc causam unus alteri debet subvenire, ut dicitur in cap. pri. de coniu. lepro. Praeterea sicut feminae gaudent privilegiis virorum, et coruscant radiis eorum (l. feminae, ff. de sena. § sin autem, in auth. de consue. coll. 3, et l. mulieres. c. de digni. lib. 12); ita etiam aequum est viros coruscari et illustrari radiis uxorum et participare de consolationibus earum. Et ideo non est dubitandum, quod Beata Virgo communicavit suas consolationes cum dilectissimo Sponso suo Ioseph, et participem fecit eum suarum divitiarum spiritualium. Cum etiam quilibet filius debeat com-

Digitized by Google

municare cum patre suo de suis divitiis; iniquissimum enim esset patrem egere cuius filius fit in facultatibus. (l. si quis, § impubes, ff. de libe. agno.). Unde dicitur (in l. parentum, c. de alen., lib. a parent.): « Parentum necessitatibus liberos succurrere iustum est ». Ideo credendum est quod Dominus Iesus abundantissime subvenerit patri suo putativo, et nutritio Ioseph de suis bonis et operibus coelestibus, et consolationibus divinis ipse repleverit. Unde cum Christus haberet clavem Paradisi, et unam dederit Matri suae, dedit et unam suo patri Ioseph, ut dicebat quidam devotus praedicator. Qui autem habet clavem, habet etiam ea quae continentur sub clave. O igitur consolantissime Ioseph, quanta erat dulcedo tua, quam ex societate Filii Dei et Matris eius percipiebas; nonne unicuique eorum dicebas « In odorem unguentorum tuorum currimus? » Cant. I. Quanto enim societas est sanctior, tanto est iucundior conversatio. Et qui cum bono conversatur, bonus efficietur (Psal. XVII); et multo magis B. Ioseph conversando cum Sanctis Sanctorum Dei Filio et Matre eius quotidie in sanctitate crescebat et proficiebat de bono in melius, intuens gesta et modos sanctissimae vitae utriusque. Nullus autem umquam fuit qui tantam partem habuerit de dulci Iesu et benedicta Matre eius, sicut Ioseph, qui ut creditur per triginta annos cum eis conversatus est in hoc mundo, nam parum ante Baptismum Christi mortuus est, ut communiter tenetur.

963. Si igitur B. Ioannes Evangelista semel dormiens in sinu Iesu tantam consolationem recepit et fluenta evangelii de eius sacri pectoris fonte potavit, et si frater Ruffinus socius B. Francisci semel videns gloriosam Virginem sibi apparentem cum Filio in brachiis, tantam recepit suavitatem, quod quasi eius anima de corpore exivit; quid ipse agere debebat ex continua eorum visione et conversatione cum illis, et suavissima convivatione per tot annos ad unam mensam? Dic mihi, o devota anima quale gaudium credis haberet in nocte Nativitatis Domini? Cantabant Angeli, et ipse Ioseph ex dulcedine flebat, sollicitus facere ignem ad calefaciendum dulcem Iesum, et Matrem eius. Quanta erat teneritudo ipsius Ioseph, quando audiebat benignum Dei Filium eum appellare patrem; et sibi in mensa servire volentem? O utinam ego vel unum de fragmentis illius convivii habere possem. Quantum praeterea gaudebat, quando videbat dulcissimum Dominum Iesum in labore et artificio suo eum adiuvantem, et sibi mirifica illius artis carpentariae ostendentem? Qua dulcedine replebatur, quando ipsum Parvulum Iesulinum tenebat in brachiis et dulciter osculabatur et stringebat suaviter, non semel tantum, sicut Simeon senex, sed quotidie et audiuvabat coniugem suam Virginem Benedictam ad fasciandum infantulum quietissimum et gratiosissimum, et linteamina lavanda? O benedicte Ioseph, quomodo poteras sufferre tantam suavitatem, quando dulcedo Paradisi Dei Filius se suis brachiis amplexabatur, et dulciter osculabatur? Profecto credo quod et tu illi dulciter decantabas « Iesu sole serenior, etc. » (vide in officio nominis Iesu).

964. Si Sanctus Franciscus loquens de Deo cum Sancta Clara raptus est in extasim cum ipsa, et ita igne Spiritus Sancti inflammatus, ut videretur a circumstantibus, quod totum monasterium in quo erant, arderet, quid agere tu debebas, quando cum Sanctissima consorte tua Virgine de coelestibus loquebaris et cum ipso Deo; profecto stupebas audiens mirabilia, quae non licet homini loqui (II ad Cor. XII). Quae consolatio tua erat quando audiebas Dominum Iesum cum Matre sua colloquentem? Profecto tu illi dicere poteras cum Psalm. (XCIII): « Consolationes tuae laetificaverunt animam meam ». Quid agebas, o bone Ioseph, quando videbas Sponsam tuam de nocte surgentem ad orationem, et in oratione a terra elevatam, et innumera Angelorum multitudine circumdatam et magno splendore renitentem, ac saepe pro peccatorum conversione, cum lacrymis Deum deprecantem? Credo quod et tu exurgebas et cum orante orabas, et cum lacrymante lacrymabaris, et totus devotione replebaris meritis eius dilectissimae Sponsae tuae.

965. Si enim Sancta Caecilia suo sponso feroci et indevoto tot coelestes consolationes impetravit, quid credendum est tibi clarissimo ac Sanctissimo Sponso suo impetrasse Sponsam tuam pietate repletissimam, quae etiam pro inimicis suis impetrat gratias? O Sanctissime Ioseph, si Petrus semel tantum videns gloriam et pulchritudinem Iesus transfigurati, dixit (ut habetur Matth. XVII): « Domine, bonum est nos hic esse, etc. ». Quid tu dicere debebas, cui non semel, sed saepius, ut pie creditur, se Benedictus Iesus transfiguratum in Corpore glorioso ostendit? Si mulier emorroissa tangens fimbriam vestimenti Iesu ab incurabili infirmitate curata est (Matth. IX et Luc. VIII); et si omnes qui tangebant vel fimbriam vestimenti eius, salvi fiebant a quacumque detinebantur infirmitate (Matth. XIV et Marci VI); et si caecus natus tactus digito Salvatoris cum luto ex saliva oris eius facto, illuminatus est (Ioann. IX); et ipse benedictus Iesus si tangens caecorum oculos illuminabat eos (Matth. IX); et tan-

Digitized by Google

gens manum puellae mortuae resuscitavit eam ut in eodem capite habetur; et si tangens feretrum, in quo iuvenis mortuus ferebatur ad sepulturam, resuscitavit ipsum ut habetur Lucae VII): quam virtutem et fortitudinem in bene agendo et fervorem in divino amore, in tua anima et corpore imprimere debebant oscula et amplexus benedicti Salvatoris?

966. O felix Ioseph, quando Beata Virgo plorans quaerebat Filium suum, credo quod tu cum ea lacrymabaris et dicebas illud Tobiae (XX) cum ipsa piissima Virgine: « Heu, Fili mi, lumen oculorum nostrorum et solatium vitae nostrae, omnia bona simul in te uno habentes non debuimus te dimittere a nobis ». Quia vero illi, qui sunt socii passionum, debent etiam esse socii consolationum (c. I, de sepult., et II Cor.); ideo ipsa Beatissima Sponsa tua voluit semper quod tu participares de suis consolationibus, sicut participasti semper de eius tribulationibus. Unde cum dicenti ad eius reverentiam nisi unum, « Ave Maria », conferat ipsa benigna Virgo remunerationem magnam, profecto tibi tanto tempore servienti illi et suo Filio obtinuisti indicibilem praemiationem et gloriam, quam tangit Psalm. in verbis praeallegatis, dum dicit Deo de te: « Posuisti in capite eius, etc. ». Qualem autem sublimationem habeas in coelesti gloria, declarat Ioann. Gerson in praedicto sermone, consideratione tertia, dicens:

Felix illa dies toto celeberrima mundo,
Sacra docens laeta qua scandit ad aethera Virgo
Mater, et angelicos cives supervolat omnes;
Huic tibi, virgo Ioseph, Iesus et tua Sponsa pro-
[pinquum
Credere fas statuunt solium, tales ob honores
Concinimus, facite nobis haec gloria detur.

967. Pro notitia autem maiori transitus B. Ioseph, et glorificationis eius, est sciendum, quod inquit praedictus Doctor, ubi supra: « Legimus in transitu Mariae ipsum Iesum astitisse; hoc enim Hieronymus argumentatur. Sed et in obitu felici Ioseph recte credendum est Mariam Sponsam, et Filium Iesum corporaliter affuisse. Ante enim Christi passionem defunctus est. Alioquin enim custodia Matris alteri commissa non fuisset. ». Haec ille. Pie igitur credo quod dulcis Iesus, et piissima Virgo infirmo Ioseph, sollicite serviebant, et ei fercula propinabant; atque propriis manibus quando opus erat eum portabant et circa lectum stantes ipsum confortabant. Dicebatque Ioseph Domino Iesu, nunc laetus morior, sperans quod cito venies liberare nos. In transitu autem eius dixit ei Iesu: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miseriarum valle, et porta hoc bonum novum Sanctis Patribus, quod infra parvum tempus veniam ad vos et ad coelestia regna perducam. Praecepit autem Angelis ipse Dominus dicens: Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius. Ad ipsum vero Ioseph de hac vita migrantem, ait: Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem. Anima igitur ipsius cum magno honore in sinu Abrahae ab Angelis delata est.

968. In resurrectione autem Christi, in qua multi resurrexerunt ex Sanctis Patribus, (ut habetur Matth. XXVII), pie creditur quod etiam Sanctus Ioseph gloriosus resurrexit et simul cum Christo visitavit Benedictam Virginem Sponsam suam. Et hoc Sanctus Bernardinus, praedicans Paduae, affirmans clamabat: In anima et corpore est Sanctus Ioseph in coelis gloriosus; et visa est crux quasi aurea super caput eius; et sic ego credo quod sit in vita aeterna in anima et corpore cum maxima ed indicibili gloria, habens clarissimam aureolam virginitatis et doctrinae, quia praedicavit pastoribus, et Magis. Item puto quod sit apud pedes Beatissimae Virginis, honoratus ab Angelis et Sanctis omnibus, et habeus magnam iurisdictionem apud Dominum Iesum et Sponsam suam ad impetrandam gratiam suis devotis. Et ideo, o devoti Christiani, habete hunc Sanctum in devotione, quia in multum sumus obligati. Qui igitur vult aliquid a Deo obtinere accipiat Beatum Ioseph pro advocato suo ante Virginem Benedictam Sponsam eius, et Beatissimam Virginem apud Filium suum et Dominum Iesum, ante Patrem Coelestem et omnia impetrabit.

969. Pro conclusione autem huius partis, dico quod supra dicta de gloria et sublimatione Ioseph, confirmat Ioannes Gerson, ubi supra, dicens: « Legimus Christo resurgente multa corpora Sanctorum surrexisse, et introisse in sanctam civitatem Ierusalem et apparuisse multis. Et hinc forte dicit Apostolus: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos ». Recogitet, oro, pius animus si iustus Ioseph unus ex illis putandus fuisset, qui Mariae apparuerit carissimae Sponsae suae et eam consolatus sit. Qui tandem Christo in coelum ascendente, simul et ascenderit glorificatus, et collocatus est a dextris ipsius Iesu, hoc est in potioribus bonis suis. Ex quibus concluditur quam recte et quam religiose faciunt et fecerunt qui celebritatem de virginali coniugio Mariae et Ioseph peragere senserunt tam verbis, quam scriptis suis ». Haec ille. Qui etiam in sequenti consideratione praedicti sermonis alloquens synodum Sanctae Romanae Ecclesiae tunc congregatam ait: « De celebritate virginalis coniugii Ioseph cum Maria vel de ipsius felici transitu fieri solemnitatem exoptamus, quatenus Mariae meritis, et intercessione, tanti,

Digitized by Google

tamque potentis, et imperiosi patroni apud Sponsam suam reddatur Ecclesia unico viro, vero, et certo, Summo Pontifici Sponso suo vice Christi. Nosque singuli Deo renascamur felici nativitate hic per gratiam, in futuro per gloriam, quae est natale Sanctorum. Intercedente te et, si fas est dicere, quodam iure tuo iubente, gloriosissime Ioseph vir Mariae, « de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Haec ille. Qui etiam ibidem alloquens Virginem Benedictam metrice inquit: « Alma Redemptoris Mater, cui lege superna ». etc. (1).

970. Franciscus autem de May. (super Missus est) ait, quod hoc nomen Ioseph secundum Hieronymum habet quadruplicem interpretationem huic mysterio convenientem. Quarum prima est quod Ioseph dicitur «Domini iustus» quia ex abundantia suae iustitiae ita fuit Domino appropriatus, ut pater eius diceretur; sic eum appellante Matre (Luc. II). Secunda interpretatio est quod interpretatur « Domino iustificatus », quia sicut ipsa Virgo fuit sanctificata ut Dominum pareret, ita ipse fuit iustificatus, ut Domino alimenta nutritionis procuraret tamquam pater. Et ideo dicitur (Luc. III) quod ipse Dominus putabatur filius Ioseph, quia scilicet sedulitatem paternam illi exhibebat. Nos vero possumus assignare aliam causam huius reputationis, quam ponit Ioann. Gerson in sua Iosephina, scilicet quia Domino nostro erat similis Ioseph in facie et in ceteris dispositionibus corporis; quod Deus esse voluit, quia nisi inter staturam, et effigiem Christi et Ioseph fuisset similitudo, non esset reputatus a Iudaeis eius filius, et consequenter reputassent Beatam Virginem adulteram. Ex quibus concluditur quod si Ioseph fuit similis Christo, pulcherrimus extitit. Dicit igitur Ioannes Gerson, ubi supra:

Personas inter similes est nexus amoris;
De Ioseph ast ratio suadet quod facialis
Forma Iesu formae similis reputanda fuisset.
Si non, quo pacto pater eius creditus esset,
Qualiter intactae Matris salvasset honorem,
Disparitas vultus prole cum patre putato;
Gratia naturae fieri vult consona saepe.
Nonne minor Iacobus frater Domini perhibetur
Valde sibi similis? quod gratia non caro fecit.

971. Sequitur Franciscus, de May. ubi supra: Tertia interpretatio est quod Ioseph interpretatur « augmentum », quia licet in ceteris desponsationibus virginum de communi lege fiat diminutio integritatis in proposito, dum sponsa dat assensum in copulam carnalem, in ista tamen desponsatione fuit appositum augmentum, quia tunc virginitatis propositum Virgo firmavit, puritatis affectum eliciendo; occurrente tunc obiecto, et materia castitatis. Quarto interpretatur « appositio »; quia licet in ceteris desponsationibus communiter auferatur a sponso integritatis propositum; isti tamen Sponso ex tali sacramentali copula non fuit ablatum, sed noviter appositum, cum aspectus purissimae Virginis omnes ad castitatis vestigium inclinaret. Et multo magis eius floridum consortium, secundum B. Hieronymum, iuxta illud Sapientiae: « Cum prope est, imitatur illam ». Ioseph ergo, qui antequam acciperet in Sponsam B. Virginem proposuerat servare virginitatem perpetuam, ut inquit Augustinus in lib. de Sancta Virginitate; quod secundum eundem Augustinum factum fuit Dei nutu ut ipse Ioseph esset dignus Sponsus Beatae Virginis, propter istam desponsationem non mutavit propositum, sed firmavit. Unde dicitur (Matth. I) quod, « cum esset iustus, nolebat eam traducere » id est, secundum Augustinum, carnaliter cognoscere. Haec Franciscus ubi supra. Magister autem Ioannes Gerson in sua Iosephina loquens de obitu et gloria ipsius Ioseph sic canit: « Venerat illa dies » etc. (2).

972. Hymnus XII.

Pia ad Ioseph supplicatio.

Veni Ioseph, pater patrum,
Ostende partum Virginis,
Natum Patri coaeternum,
Speculum divinitatis.
2. Non ex virili semine
Tuo, sed Sponsa Virgine
Verbum Dei factum caro
Venit de thalamo suo.
3. Christo nato sit gloria
Dei Patris et Virginis
Sub patre Ioseph in terra
De dono Spiritus Sancti.

(Brev. Praemonstrat. saec. 15).

973. **Memento.** — Pater clementissime! offerimus tibi hodie super aram tuam Iesum Christum, Redemptorem nostrum, quem olim Parvulum sanctissima Virgo Maria, et castissimus eius Sponsus Ioseph, iuxta mandatum tuum, modo huc modo illuc circumferebant, in omnibus semper submississimam tibi praestantes obedientiam. In eodem spiritu humilitatis et obedientiae nos quoque, secundum voluntatem tuam, offerimus tibi Unigenitum tuum, Deum-Hominem, in contestationem humillimae subiectionis nostrae in supremum tuum dominium: in gratiarum actionem pro tantis donis

(1) Heic pius auctor ex integro recitat Gersonis carmen quod in fine sermonis habiti in Conc. Constantiensi exstat et a nobis supra relatum, Lib. I, pag. 46, n. 214.

(2) Heic De Busto plures affert versus qui in Gersonis Iosephina, Dist. XII, habentur, scilicet: a vers. 1 ad 19 incl.; a 26 ad 60 incl.; ab 89 ad 118 incl.; et a 180 ad 190 incl.; cf. supra, Lib. I, pag. 31-32.

Digitized by Google

et bonis, quae de manu tua paterna quotidie accipimus: nec non in satisfactionem omnium iniquitatum nostrarum: in memoriam illius submissionis ac obedientiae, qua Filius tuus propter nos incarnatus et parvulus factus, iam huc iam illuc a Parentibus se deportari sustinuit: ad impetrandam denique hanc gratiam, ut inter varias huius nostrae peregrinationis aerumnas, Providentiam tuam proni adoremus, atque in fide, spe ac charitate stabiles semper et immobiles permaneamus. Miserere infidelium, quaerentium Catholicam subvertere Ecclesiam. Ad frugem revoca miseros istos, antequam morte defungantur. (Scutum fidei, a 5 Ian.).

XIII. — Sermo Bernardini de Busto.

CUR B. V. DESPONSATA FUIT.

Mariale, p. IV, Sermo 12, De benedictae Virginis Mariae desponsatione.

Ut potest colligi ex Magistro sent. in IV dist., circa finem, Beato Thoma et Richardo ibidem (art. 2, q. 2) in responsione 2 argumenti, et a B. Thom. in III parte Summ. (q. 29, art. 1), et a Rabano et Petro Ioannis super Ioannem; valde fuit conveniens congruum et rationabile Christum nasci de Virgine desponsata. Primo ratione sui. Secundo ratione Matris suae. Tertio ratione nostri. Primo hoc fuit conveniens propter Christum, quadruplici ratione. Primo quidem, ut mysterium incarnationis suae diabolo celaretur (ut dicitur in c. inventa, 27, q. 2). Unde et ait B. Ignatius, sicut refert Hieronymus, (super Matth.) hac de causa Virginem fuisse desponsatam. Factum est autem hoc ad tutelam Pueri, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Sciebat enim ipse diabolus, Dei Filium debere incarnari pro redemptione humani generis, sed tempus ignorabat. Unde caute observabat ad sciendum quando mundum intraret ut redemptionem nostram impediret. Haec autem desponsatio virginitatem Matris Dei parientis ipsi diabolo occultavit, ut ait Origenes super Matth. dicens: «quae fuit causa, ut esset desponsata Maria Ioseph nisi quatenus hoc Sacramentum diabolo celaretur et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam nulla penitus inveniret? » Haec ille. De hoc etiam Ambrosius (super Lucam) ait: « Non mediocris quoque causa est ut virginitas Mariae falleret principem mundi, qui cum desponsatam cerneret viro, partum non potuit habere suspectum, fallendi enim mundi principis fuisse consilium ipsius Domini verba declarant, cum Apostolo iubetur tacere de Christo ». Haec Ambrosius. Et hoc patet Matth. XVI. Item sanati iubentur tacere de remedio, ut patet de leproso (Matth. VIII) et de caecis (Matth. IX) et de puella resuscitata (Marci V). Praedictis autem non obstat si dicatur, quod non latent diabolum ea quae sunt in corpore; quamvis lateant ea quae sunt in corde: Quia ut dicit Aug. in III de Trinit.: « Multa quae cognosceret diabolus virtute suae naturae, prohibetur cognoscere a divina virtute ». Item dicunt Doctores, quod etiam latent diabolum ea quae sunt in corpore, quando appropinquare non potest. Diabolus autem non poterat appropinquare Virgini propter virtutem sanctitatis ipsius, et etiam quia impediebatur a Deo, ab Angelis eam custodientibus, secundum Franciscum de May. ubi supra. Et ideo scire non potuit, utrum Virgo concepisset sine viro cum eam maritum habere videret.

975. Secundo, hoc fuit conveniens propter Christum, ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abiiceretur. Unde Ambrosius (super Luc.) ait: « Quid Iudaeis quid Herodi posset adscribi si natum ex adulterio viderentur praescribi? » quasi dicat: Nihil. Ergo fuit conveniens ut eius Mater desponsaretur, quia aliter omnes arbitrati essent Christum ex stupro fuisse generatum. Et sic eum tamquam illegitime natum despexissent. Nam iura tales detestantur, et privant successione paterna (Aut. ex complexu, c. de incest. nupt.; et Aut. licet c. de natur. lib.). Solent enim ut plurimum esse imitatores paterni sceleris (c. si quis cum militibus 6, q. 1; et c. si gens, 56 dist.). Et secundum canones sunt irregulares (66 dist. c. presbyterorum). Nec sine dispensatione debent ad sacros ordines promoveri (cap. praecipimus, 33 dist.). Cum ergo Christus futurus esset summus Sacerdos et Rex regum debuit tali suspicione carere, ne Iudaei dedignarentur eum habere regem et sacerdotem, quia filii ex adulterio geniti abominatio sunt Deo (c dicat. XXXII, quaestione 4). Unde et secundum leges non promoventur ad dignitates, nisi in defectu legitimorum (l. generaliter, § spurios, cum gloss. ff. de decu.). Et hanc rationem tangens Ambrosius (super Lucam) ait: « Cum partus innuptae lege damnetur, congruum fuit ut Virgo desponsaretur, ne videretur Christus a legis iniuria coepisse ».

976. Tertio, fuit hoc conveniens propter Christum, ut a Ioseph nutriretur. Unde et pater eius dictus est quasi nutritius. Ut enim habetur (Luc. II) existens Beatissima Virgo cum Ioseph, et inveniens puerum Iesum in templo, dixit ei: « Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te ». Non negavit autem Christus Ioseph esse patrem suum sed respondit: « Quid est quod me quaerebatis? ». Et in hoc verificatum est illud Graecismi: « Est pater hic cura: pater est alias genitura ». Pater enim

Digitized by Google

saepe quis appellatur ratione curationis, et gubernationis (ut in Aut. de armis, § hoc autem observare; et in l. 2, c. de debito. civi. lib. II; et Nov. c. de emend. Iust. Cod. in princ.). Supradictam autem rationem tangit Ambrosius (sup. Luc.) dicens: « Desponsata est, ut infantis curam gereret ipse Ioseph, sive in Ægyptum iens, sive inde denuo rediens.

977. Quarto, fuit conveniens haec desponsatio, ut consueto modo Scripturarum Genealogia Christi per virum describeretur. Unde Ambr. (super Luc.) ait: « Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi. Viri autem persona quaeritur, quae in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit ». Haec ille. Mulier enim efficitur de familia viri. (l. fi., § idem rescripserunt, ff. ad municip.; et l. quicumque c. de re mili., lib. XII.) Quia autem B. V. secundum legem desponsari non poterat nisi viro, qui esset de tribu Iuda et familia David ex genealogia sponsi, idest Ioseph, deprehenditur genealogia Mariae et Christi filii eius.

978. Secundo principaliter dico, quod fuit conveniens ipsum nasci de Virgine desponsata, propter ipsam Virginem, et hoc quadruplici ratione. – Primo ne a Iudaeis occideretur tamquam adultera, ut ait Hieronymus. Nam secundum leges, virgo adultera de stirpe sacerdotali comburebatur (Lev. XXI). Ipsa autem Virgo descenderat non solum de tribu Iuda; sed etiam de tribu Levi, scilicet de stirpe Aaron. Lapidabatur quoque non solum illa, quae iam erat desponsata, sed etiam illa quae in domo patris custodiebatur ut virgo quandoque nuptura, cuiuscumque alterius tribus esset. Unde dicitur (Deut. XXII): « Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis etc. ». Item de iure civili antiquo capite puniebatur tam adultera quam adulter. (l. quamvis c. ad leg. Iul. de adult.). Hodie vero adultera retruditur in monasterio ad agendam poenitentiam, ut in auct. ibi posita.

979. Secundo fuit conveniens eam desponsari, secundum Hieronymum et Origenem, ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur et serviret. Unde Chrysostomus (super Matth.) inquit, illud quod habetur in c. inventa (26, q. 2) dicens: « Sicut enim illam postea commendavit Christus discipulo, sic etiam nunc Angelus copulat sponso non in foedus solemne coniugii, sed in consortium communis habitaculi ». Haec ille. Item hoc congruum fuit, ut ipse Ioseph procuraret necessaria ipsi Virgini, et Filio eius de arte sua; erat autem carpentarius, ut ait Chrysostomus, et ut eam associaret, sicut et fecit cum simul in Bethleem perrexit, ubi Filium suum peperit, et ad templum in purificatione eius: et cum in Ægyptum ivit et rediit. Unde Bernardus in quodam sermone inquit: « Quia ista delicata puella sola erat, ideo fideli socio indigebat, a quo et ante partum, et in partu, et post partum associaretur, et a laboribus relevaretur ».

980. Tertio fuit conveniens ut per hoc Virgo ab infamia liberaretur. Unde Ambrosius (super Lucam) ait: « Desponsata est, ne temeratae virginitatis adverteretur infamia, cuius gravis facinus corruptelae videretur insigne praeferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare, sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam et lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem Matris iniuriis astruendam. Servatur itaque Maria sicut pudore integra, et inviolabilis opinione virginitas ». Haec ille. Et Bernardus, super Missus est, inquit: « Quis enim eam videns non desponsatam et tamen gravidam, non potius diceret meretricem quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Dei. Tolerabilius ergo et honestius fuit putari, Iesum ad tempus de coniugio natum fuisse, quam de fornicatione ». Haec ille. Et in hoc apparuit charitas et benignitas Domini nostri Iesu Christi, qui potius voluit diminui de honore suo quam de honore Matris suae.

981. Quarto fuit conveniens, sicut dicit Albertus, super Missus est, ut patuit supra, ad hoc ut dignitas Matris humilitati sociaretur, sic quod esset simul Mater Dei, et uxor fabri (cap. Ioseph); unde in vilipensionem Christi dicebant Pharisei, ut habetur Matth. XIII et Marc. VI: « Nonne hic est fabri filius? » Congruum ergo fuit ut Dei Genitrix servaret illud (Eccl. III): « Quanto maior es, tanto magis te humilia in omnibus; et coram Deo invenies gratiam ». Quanto enim quis maior est, tanto magis humilitas commendatur in eo. Unde Hieronymus in quadam epistola ait: « Nihil est quod hominibus nos ita gratos, ac Deo faciat, quam si vitae merito magni, humilitate simus infimi ».

982. Tertio principaliter fuit conveniens B. Virginem desponsari propter nos et hoc quadruplici ratione. Primo, ut Christus natus de Virgine, certius crederetur testimonio Ioseph, qui Matrem eius Virginem desponsaverat, et a tempore desponsationis diligenti eam cura custodierat. Nam Sponsa a tempore desponsationis erat sub custodia sponsi, ut ait Hugo Cardinalis super Matth. I et Lucae I, et Bernardus super Missus est, dicens: « Mos erat Iudaeorum, ut a die desponsationis usque ad tempus nuptiarum sponsi sponsas in custodia reciperent, ut earum pudicitiam curiosius servarent et ipsi eis fideliores exi-

Digitized by Google

sterent ». Haec ille. Item erant in eorum potestate quoad obsequia, et similia, c. mulierem, 33, quaestio 5) et debebant defendi a viris suis in his quae sibi occurrissent. Instit. de iniur., § contra autem). Et hanc rationem tangens Ambrosius, super Lucam, ait: « Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui possit delere iniuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum ». Gregor. quoque in homil. super Matth. inquit: « Sicut discipulus dubitans et palpans tactus est testis verae resurrectionis, sic Sponsus fuit custos et testis integerrimae virginitatis » (transumptive in c. sic quippe., 27, quaest 2.). Ex quo magis confirmamur in fide conceptionis Christi de Spiritu Sancto ex Virgine.

983. Secundo fuit congruum, ut virginibus causa vitandae infamiae daretur: et causa male excusationis tolleretur. Unde Ambrosius, ubi supra ait: « Non decuit virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata quoque Mater Domini videretur ».

984. Tertio fuit conveniens, ut universa Ecclesia designetur; quae cum sit virgo; desponsata tamen est uni viro. id est Christo, iuxta illud Apostoli II Corint. XI: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo » Et hanc rationem tangit Augustinus in libro de Sancta Virginitate. Chrysostomus quoque super Matth inquit: « Quia futurum erat, ut omnes sancti de Ecclesia virgine nascerentur Christo desponsata, Christus de desponsata natus est, ne indignius nasceretur Dominus quam servi ».

985. Quarto fuit conveniens, ut inquit Hugo Cardinalis, super Matth. I, quod Mater Domini esset desponsata et Virgo; ut in persona ipsius virginitas et matrimonium haberetur et honoraretur contra haereticos alteri eorum detrahentes. Idcirco exultent virgines et coniugatae imitantes gloriosam V. Mariam desponsatam Ioseph; ut ipsam per virginitatem et castitatem coniugalem imitando in praesenti saeculo; eam quoque sequantur per sublimem gloriam in futuro.

986. Nos autem addere possumus alias quinque rationes. Prima, ut fideles credentes eam desponsatam, et cum coniuge habitantem sine viro concepisse magis mererentur, et indevoti ac obstinati mundani in sua pertinacia, sic eorum exigentibus demeritis, magis indurarentur. Et hanc rationem tangit Ambrosius, super Lucam, dicens, quod qui saecularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt, nec merentur. Secunda ratio est illa, quam ponit Hugo Cardinalis super Lucam I, scilicet, ut Beatae Virginis Mariae verbis maior fides haberetur et omnis mentiendi suspicio tolleretur. Ut enim ait Ambrosius super Luc. « videretur mentiri innupta praegnans, et culpam velle obumbrare mendacio; neque enim crederetur, etsi diceret se Virginem ». Et ideo dicit Ambrosius, ubi supra: « Fides Mariae verbis asseritur et mendacii causa removetur. Causam enim mentiendi desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum » Haec ille. (Transumptive in c. pudor 32. q. 2) et sumpta est haec sententia originaliter ex l. quaeritur. (§ si mulier ff. de aedil. edi) Tertia ratio est illa, quam ponit idem Hugo Cardinalis, ubi supra, dicens: « De femina Virgine desponsata nasci voluit, ut ab omni gradu mulieris opprobrium tolleretur, scilicet a coniugatis, a viduis et a virginibus ». Haec ille. Praedictarum autem rationum partem ponit Bernardus, super Missus est, dicens: « Necessario igitur Virgo Maria desponsatur, quia per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a Sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae quam famae providetur, et a secretis coelestibus hostis excluditur ».

987. Quarta ratio esse potest illa, quam ponit Chrysostomus super Matth. Quia enim ut dicitur Matth XIII, erat Ioseph faber lignarius. Ideo ipse Chrysostomus inquit: « Fabro lignario Maria desponsanda erat, quando Christus Ecclesiae Sponsus omnem salutem hominum operaturus erat per lignum crucis ». Haec ille. Quinta ratio est, ut ostenderetur etiam post consensum in matrimonium per verba de praesenti licere ambobus coniugibus, vel alteri eorum, etiam altero invito, ante tamen carnalem copulam, transire ad vota meliora, utpote per votum castitatis, et ingressum religionis mori mundo (extra de conver. coniug. c. 2. et ibi late per doctor.; et l. Deo nobis c. de episc. et cler.). Beatissima igitur Virgo et Sanctus Ioseph simul desponsati, et matrimonio copulati et in virginitate perseverantes, dederunt exemplum aliis coniugatis similiter faciendi et caste vivendi. Quod exemplum imitatus est sanctus Elzearius tertii Ordinis Sancti Francisci, qui cum Beata Delphina uxore sua, quam in iuventute uxorem iuvenculam acceperat, perseveravit in virginitate usque ad mortem. Et haec quidem de Sponso Beatissimae Virginis terreno dicta sufficiant. Habuit namque alium Sponsum digniorem, scilicet coeli, terraeque opificem Deum. De quo dici potest illud (Ioan. III): « Qui habet sponsam sponsus est ».

988. Deus enim cum Beata Virgine, spituale matrimonium contraxit, quod quidem matrimonium habuit triplicem gradum, ac triplicem consensum, et triplex bonum atque triplicem copulam sive coniunctionem. Primo, habuit triplicem gradum, quia fuit initiatum,

Digitized by Google

ratificatum et consummatum. Initiatum quidem fuit per verba de futuro a Propheta quae dixit (Is. VII): « Ecce Virgo concipiet et pariet Filium » etc., et ab Angelo, qui ait (Luc. I): « Ecce concipies in utero et paries Filium » etc. Deinde fuit ratificatum per verba de praesenti, quando ipsa consesit, et dixit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ». Ultimo fuit consummatum quando Filius Dei in thalamo uteri Virginalis naturam nostram sibi aeternaliter copulavit. Unde clamat Ecclesia in officio divino: « Ecce completa sunt omnia » etc. Secundo, in illo matrimonio fuit triplex consensus, animi, verbi et signi. Et istum triplicem consensum ipsa postmodum in cantico suo expressit (Luc. I). Nam consensum animi expressit cum dixit: « Magnificat anima mea Dominum » scilicet Sponsum meum coelestem. Consensum autem signi expressit cum dixit: « Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo ». Exultavit, id est, extra saltavit. Tantum enim gaudium habuit in animo, quod etiam manifestabatur in exteriori signo. Consensum vero verbi expressit, cum subdit: « Quia respexit humilitatem ancillae suae » et hoc fuit quando ipsa dixit: « Ecce ancilla Domini » etc. Tertio in isto matrimonio fuit triplex bonum, scilicet fidei, prolis et sacramenti. Fidei quidem quia virginitatis votum Deo factum semper illibatum custodivit. Fuit etiam ibi bonum prolis, quia Dei Filium de suis castis visceribus generavit. Bonum quoque sacramenti, quia numquam a Filio suo divisa, vel separata fuit. Quarto in hoc matrimonio fuit triplex copula. Nam in matrimonio carnali triplex coniunctio invenitur. Una causatur ex consensu animorum: secunda ex permissione corporum; tertia ex indivisibili habitatione amborum, et eodem modo inter Christum et Beatam Virginem fuit coniunctio animorum per mutuam charitatem, iuxta illud Cant. VI: « Ego dilecto meo et dilectus meus mihi ». Fuit etiam ibi coniunctio corporum per naturae unitatem; quia una caro Christi est et Matris. Unde de hoc potest exponi illud (Gen. II): « Erunt duo in carne una ». Nam ad formandum corpus Christi fuerunt duo; scilicet, Spiritus Sanctus, qui corpus ipsum formavit, et Beata Virgo, quae materiam ministravit. Fuit etiam indivisibilis habitatio amborum; quia sicut in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Unde (Ioan. XIX) dicitur: « Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius ». Cum quo et nos hic stemus per amorem et devotionem; ut post hanc vitam habitare valeamus cum ipso in coelesti palatio, et ab illo recipere mereamur aeternam felicitatem. Amen.

989. **Hymnus XIII.**

Solemne Iosephi praeconium.

STIRPIS Davidicae tendit ad aethera
Ioseph de coniuge, cuius in dextera
Natus mirifice patris in tempora
Sedet, congaudent coelici.

2. Hic caelebs, humilis, sanctus ac sobrius,
Superni flaminis instinctu providus,
Mariae nubilis dicitur socius
Nucis florente virgula.

3. Cum iam dimittere tumentem uterum
Vellet, decernere iubetur iterum,
Plenam traducere, per Sanctum Spiritum
Est, quod in ea natum est.

4. Non in propatulo cogitat tremulus,
Sed magis clanculo mandatis sedulus,
Dei oraculo somno praemonitus,
Mariam ducit coniugem.

5. Inquit praenuntius: hac coeli ianua
Procedit Filius, qui tollit omnia
Peccata coelitus de mundi machina,
Deus homo, de luce lux.

6. Sed cum a Caesare edictum proditur,
Ioseph protendere Bethlehem cogitur,
Et partum edere herilem promitur
Castis virgo visceribus.

7. O pater optime, Ioseph amabilis,
Vitia comprime catervae labilis
Tuisque tribue vitae laudabilis
Certamen ac victoriam.

8. Festiva canimus tua solemnia
Totis visceribus, tu coeli praemia
Repende plebibus sanctaque numina,
Regno reddas incolumes.

9. O summe Genitor ac Fili genite,
Cunctorum conditor, spirans Paraclite,
Bonorum praestitor, veni de sidere,
Nobis esto propitius.

(Brev. Vallis Umbr. saec. 15; cfr. Dreves, op. cit., t. XXII, p. 148).

990. **Memento.** — Singulari pietate morumque sanctitate fulgebant Maria et Ioseph, in templo Iesum offerentes Patri aeterno. Ita et Ecclesiae Minister sanctitate praecipua fulgeat, qui Pontificem adorandum, Sanctum sanctorum, toties in templo praesentat Deo Patri. — Maria Dei Genitrix, solummodo Mater hominis videri voluit; ideoque purificationis legi, cui Virgo non erat obnoxia, paruit, et hostiam a lege praascriptam dedit. Quanta modestia! quam profunda humilitas! — Et tuarum partium est, Sacerdos! submisse te gerere, honores pro nihilo reputare, semperque prae oculis habere vilitatem et indignitatem tuam.

Maria et Ioseph Deo Patri obtulerunt in templo Hostiam sanctam et immaculatam, Victimam acceptissimam, Iesum Christum, Primogenitum omnis creaturae; cui cum Patre aequalis gloria ac coaeterna maiestas: qui Legis antiquae sacrificia abrogavit, factus ipse pro nobis Hostia sancta, imo et Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, semper vivens (Heb. VII.) ad interpellandum pro nobis. — Quotidie in templis et aris nostris summus hic Pontifex seipsum offert Deo Patri per manus Sacerdotum, panem et vinum in Corpus et Sanguinem suum transubstantiando: quod unanimi firmatur consensu sanctorum Patrum Ecclesiae primaevae. (Scutum fidei, 2 Ian.).

Digitized by Google

XIV. — Sermo Eliae a S. Teresia.

BEATISSIMO IOSEPH PATRIARCHAE PRIORIS TESTAMENTI NOVISSIMO, POSTERIORIS PRIMO, SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS MARIAE SPONSO, DEI AC SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI TUTELARI, NUTRITIO, PATRIFAMILIAS, SUO PECULIARI PATRONO ALIORUM HIC COLLECTOS LABORES MINIMUS EIUS CLIENS OFFEREBAT.

Legatio Ecclesiae thriumph. ad militantem pro liberandis animabus purgatorii (dedicat. tom. I, S. Iosepho) (1).

Solent, qui libros in lucem edituri sunt, illustrem aliquem aut principem virum, sub cuius auspiciis Opus suum publici iuris faciant, deligere. At ego, utpote cui semper exploratum fuit, ad spiritualem fructum (qui in evulgandis lucubrationibus vel maxime spectari debet) a lectoribus colligendum, nimis quam parum praesidii ab hominibus posse proficisci; ad Te, o Sanctorum Primas ac Antesignane, Dive Ioseph, oculos animumque converti. Etenim penitus mihi fore persuasi, ut patrocinio ac intercessione tua suffultus, scopum, quem huic scriptioni meae praefixi, facili negotio attingam; atque horum lectione ita vivi accendantur, ut et mortuorum animas e Purgatorio quam promptissime liberent, et coelestium ruinas felicissime instaurent.

992. Neque vero est, quod, ut externum mihi praesidium desit, pertimescam: modo enim tenuis hic labor meus Tibi placuerit, Tu haud dubie inimicos meos convertes ad pacem. Quod ut firmiter credam, Ordinis nostri Carmelitani sanctissima Reformatrix Teresia me invitat. Haec enim, praeterquam quod in sacris suis Monitis Christianos omnes adhortetur, ut Te potissimum sibi apud Deum Patronum, qui maxima scilicet impetrare possis, adsciscant; libro etiam Vitae suae cap. 6, nihil esse, quod non tua intercessione obtineatur, multis affirmat. Verba sanctae Matris haec sunt: « In Patronum vero et Dominum selegi gloriosum virum S. Iosephum, eiusque me patrocinio unice commendavi. Liquido deinde perspexi, sanctum hunc Patrem et Dominum meum, tam ab hac me necessitate, quam aliis maioribus, in quibus de animae meae et honore et perditione agebatur, liberasse; idque maiori meo bono, quam eum rogare potuissem. Non memini me aliquid ab eo hactenus petiisse, cuius me compotem non reddiderit. Et vero admirationem merentur magna illa beneficia et gratiae, quae gloriosi huius viri intercessione mihi Dominus concessit, nec non pericula, tam corporis quam animae, a quibus me liberavit. Nam aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur, ut in una necessitate invocantibus se opitulentur; sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adiuvare et adesse. Adeo ut Dominus nobis indicare velle videatur, quod, quemadmodum illi in terra viventi subditus fuit, (nam sicut pater illius dictus fuit, cum nutritius eius et sustentator esset, ita et imperare pro iure suo illi potuit) sic ei existenti in coelo nihil eorum quae petierit, deneget. Quod etiam alii nonnulli, quibus ut ei se commendaret, suaseram, reipsa experti sunt. Unde iam plurimi sunt, qui singulari quodam affectu erga eum feruntur ». Et iterum: « Persuadere omnibus omnino vellem, ut mirifice erga gloriosissimum hunc virum afficerentur; quod saepius experta sum, varia illum bona et gratias a Deo obtinere ». Denique: « Hoc solum ex amore Dei peto, ut, quisquis mihi dicenti non credet, experiri velit; et reipsa et experientia sentiet, quantum sequatur boni ex eo, quod glorioso huic Patriarchae se quis commendet, et eum particulari aliquo obsequio colat, speciatim illi qui orationis studio tenentur ». Hactenus sanctae Matris nostrae Teresiae sunt verba; quae cum reliquis eius scriptis a S. R. Congregatione, adeoque a Sede Apostolica, in solemni illius Canonizationis processu approbata, et velut a Spiritu Sancto dictata, toti Ecclesiae fuere proposita.

993. Sed mirabitur fortasse quispiam, quare, cum tam sit eximius in sanctitate, tantaeque apud Deum potentiae, D. Ioseph, tot tamen saeculis apud multos velut obscurus latuerit, neque peculiari universalem per Ecclesiam cultu celebratus sit. Cuius generalis quidem illa ratio assignari potest, quod iuxta S. Gregorium Magnum (hom. XVI in Ezechielem), nonnisi paulatim Ecclesiam suam Deus soleat illustrare, prout et in praecipuis Festis factum invenimus. Etenim Omnium Sanctorum solemnitas primum an. DCCCXXXV, generaliter celebrari decreta est; et ipsius Salvatoris nostri Theophoria sub Ioanne demum XXII Pontifice per universum orbem frequentari coepit. At si particularem huius causam requirimus, gloria haec sacrae Or-

(1) In hoc magnae molis opere, a P. Elia a S. Teresia, Carmelita Discalceato, edito Antuerpiae anno 1638, pius auctor devotus Iosephinus, duos integros edidit pulcherrimosque tractatus de dignitate et donis S. Ioseph, sub forma *Dedicationis operis S. Iosepho*, quos tractatus hic ponendos censuimus. Et haec sufficiant ad verba quae prologi et dedicationis propria sunt, intelligenda.

Digitized by Google

dinis nostri Reformatrici ex industria videtur esse servata. Nam quemadmodum reliquis Religiosis Ordinibus semper speciale aliquod, quo et felicius orirentur, et uberius crescerent, concessum fuisse subsidium videmus: ita quae Carmelum reformatura erat, novo fuit eoque efficacissimo, tanti Tutelaris praesidio, adversus infinitas difficultates oborturas, praemunienda. In quo patronatus officio id fecisse D. Ioseph dici potest, quod olim praestitit Patriarcha ille, qui huius uti nomen, ita et figuram, in veteri Testamento praetulerat. Iste enim, tametsi ad eum seniores fratres frumentandi causa in Ægyptum descendissent, eorum aspectu, quo minus se ut incognitum gereret, nequidquam motus est; at fratre suo Beniamino conspecto. « non poterat se ultra cohibere, sed ego sum, ait, Ioseph frater vester ». Simili modo, quamvis plurimi Ordinum Fundatores, velut totidem Patriarchae, iam inde ab initio nascentis Ecclesiae prodiissent, non prius tamen, quam Beniamina nostra comparuit, ac reformationem suam est auspicata, noster se Ioseph manifestavit; utque iam is ab omnibus agnosceretur ac celebraretur, Teresiam cum suis, potissimam causam esse Deus voluit. In quo admirabile Spiritus Sancti enituit consilium; quod enim fanaticus ille Psaphon fecisse legitur, id illa, quo cultum S. Iosephi promulgaret, in bonum est imitata. Volebat quippe Psaphon, haberi Deus: cuius desiderii ut compos fieret, psittacos plures edocuit inclamare: « Psaphon magnus est Deus ». Quibus hinc inde per silvas emissis, atque illorum exemplo aliis idipsum ubique personantibus, Psaphon, quod non erat, Deus credi coepit. Ita Mater nostra Teresia, omnibus Congregationis nostrae sectatoribus, veluti spiritualibus psittacis, singularem quemdam erga Sanctissimum Ioseph affectum adhortando instillavit: quibus per universum orbem emissis, mirum certe non est, si horum clamore ac suasu reliqui Christi fideles eximiam erga eumdem Sanctum conceperint devotionem.

994. Pro quo non sequentium solum, sed et praecedentium temporum probationem habemus Vener. Isidorus Isolanus, ex Ordine Praedicatorio, in libro quem de D. Iosepho conscripsit, atque ad Sedem Apostolicam, a qua et probatus fuit, transmisit, sequentia in rem praesentem (ut eventus edocuit) prophetavit: « Spiritus Sanctus » inquit, « non deficiet a movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiae exultans, Divinum Iosephum nova prosequatur veneratione, condat coenobia, Ecclesias ac altaria in eius erigat honorem. Festa celebrabuntur, et ei vota vovebunt et solvent cuncti. Aperiet Dominus aures praecordiorum intellectus, et viri magni scrutabuntur interiora Dei dona abscondita in Sancto Iosepho, et invenient thesaurum optimum, qualem apud Sanctos Patres veteris Testamenti non invenerunt: pinguedo enim et abundantia donorum spiritualium in S. Ioseph spiritualiter micuerunt, ita ut similis ei non inveniatur ». Quae omnia, quasi ab ipso Isidoro oculis visa, ac post rem peractam pronuntiata fuissent, ea singulatim describunt quae multis annis postea a Teresia Teresianisque in honorem D. Ioseph facta sunt. Percurre singula, ac deprehendes, usque adeo cor Teresiae a Spiritu Sancto ad huius Patroni cultum promovendum inflammatum fuisse, ut quod solemnitas illi per universum orbem sit instituta, Monasteriaque ac templa non pauca in honorem ipsius dedicata, fuerit occasio. In quibus Superioribus nostris vivaciter adeo studium suae imitationis impressit, ut in una hac Provincia Belgica (quae et S. Iosephi appellata est) triginta fere utriusque sexus Monasteria, et nominatim hic Antuerpiae tria, sub illius Patriarchae titulo exaedificari curaverint. Qui affectus etiam ad exteros manavit: nam et fideles ad officium ipsius concelebrandum magno numero affluere, et sua ad eius templa, altaria atque imagines vota deferre coeperunt: in memoriam illius institutae fuere solemnitates, processiones, congregationes; atque ex thesauris virtutum ac perfectionum ipsius, concionatores ac scriptores disertissimi, incredibiles gratiarum universarum divitias in totius Ecclesiae bonum protulerunt.

995. Patet igitur, me D. Ioseph in Libri huius tutorem, defensorem ac Mecenatem delegisse: quo vero id a me fundamento factum sit, iam consequenter exponam. Inter alia ergo, quae in solemni D. Iosephi Officio Ecclesia decantanda proposuit, est illa ex Redemptoris nostri verbis desumpta Antiphona: « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ». Ex qua duo, quae mire ad rem faciunt, elici possunt. Primum est, etiamsi haec verba aliis etiam sanctis attribui queant, proprie tamen et ad litteram in Christi Patrefamilias locum habere: hunc enim Salvator super suam, et quam in terris habuit, familiam constituit: adeoque, si ab iis quae gratiae tempore in Iosepho acta sunt, ad illa quae in gloria succedere debuerunt, argumentari velimus; non absque fundamento dicere licebit, ipsum in prudentiae ac fidelitatis suae remunerationem, nunc in coelos assumptum, spirituali quoque Christi familiae (hoc est, Ecclesiae) esse propositum.

996. Secundum, idcirco de fideli illo ac

Digitized by Google

prudenti servo, quem Dominus super familiam suam constituit, in Officio illo adiungitur, « ut det illis », utique Christi fidelibus ac domesticis, « in tempore », praesentis nimirum vitae (quoniam post eam. tempus amplius non erit « tritici mensuram: mensuram inquam, tritici », id est virtutum, secundum Ven. Bedam; bonorum operum, secundum S. Hilarium; consolationum in hoc saeculo, iuxta D. Gregorium; donorum Spiritus Sancti, ac gratiarum, etiam gratis datarum, iuxta S. Hieronymum; sapientiae, iuxta alios; et sic deinceps. Ad quorum clariorem intelligentiam observari potest, hanc spiritualium hanc temporalium bonorum abundantiam, quae per manus D. Ioseph in omnes Christianos effunduntur, antiqui illius Ioseph Patriarchae officio quod in Ægypto olim exercuit, egregie fuisse praefiguratam. Verba sunt D. Bernardi hom. 2, super Missus: « Quis et qualis homo fuerit Beatus Ioseph, coniice ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus et creditus sit: coniice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari: simul et memento magni illius quondam Patriarchae venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam ». Quae melliflua melliflui Doctoris verba, et aliorum Sanctorum Patrum scriptis constabilita sunt, et ab universali Ecclesia, quae illa in Officium divinum retulit, confirmata fuerunt. Sed, quoniam ex una hac utriusque Patriarchae, tamquam figurae ad veritatem, collatione, sufficienter id quod intendo probatum iri existimo; hinc et alia nonnulla, e D. Bernardo verba subiungo. Pergit is: « Siquidem ille Ioseph ex invidia venditus et ductus in Ægyptum, Christi venditionem praefiguravit: iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui Matrem, virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem, coelestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum e coelo, servandum accepit tam sibi, quam toti mundo ». Neque iis Bernardi verbis quidquam addendum arbitror, ut veterem illum Patriarcham Iosephi nostri figuram extitisse commonstrem.

997. At posito hoc fundamento, latissimus se nobis campus aperit: nam licet nec Scriptura Sacra, nec sancti Patres, de gloriosissimo Deiparae Sponso, ac Salvatoris nostri Patrefamilias tam multa scripsissent; in priori tamen Iosepho, quantus posterior futurus esset, imo tanto priore perfectior futurus, quanto nimirum veritas ipsa figuram excedere solet, clarissime indicatum est. Quapropter ego, qui, ne ad tam eminentem veritatis ac claritatis splendorem oculi mei praestringerentur atque offunderentur, extimui, nonnisi ad eiusdem figuram seu umbram accedere ausus fui. Et quidem duo dumtaxat ex infinitis, quae huic materiae servire possent adducam. Primo in limine sese offerunt favores illi ac privilegia, quibus non ipse tantum Ioseph Patriarcha, sed et fratres eius, ac filii, affecti fuerunt. Iuvabit haec eo inspexisse, ut Iosephi nostri clientes non minus de certissimo eius patrocinio sibi promittant; et ego non incongrue fecisse videar, qui hoc opus tutelae ac praesidio illius, confidentia magna submisi.

998. Ut vero, lector, intelligas quantae in suos Ioseph auctoritatis, atque in alios potestatis extiterit, ipsum de his Scripturae textum audiamus. Genesis capite XLI ad eum Pharao in haec verba locutus est: « Ecce, constitui te super omnem terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu eius; vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Ægypti. Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quispiam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen eius, et vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi ». Haec in antiquo Patriarcha facta, magna licet sint, parva tamen censeri debent, si cum illis conferantur, quorum respectu, quoad Ioseph nostrum, nonnisi instar figurae extitere. Causa enim ob quam antiquus ille Patriarcha ad eminentem illam dignitatem evectus est, alia non fuit, quam quod prudentia sua futurae aliquando fami seponendum esse frumentum suggessisset. At quid, quaeso, est terrenum frumentum, quo nonnisi corporalem hominis vitam conservamus, collatum cum frumento illo coelesti, Christo inquam Iesu, qui ut ait S. Augustinus, « granum erat mortificandum et multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudaeorum, multiplicandum fide populorum? » Quid, inquam, prius illud similitudinis habet cum hoc, quo in vitam non transitoriam sed aeternam, non humanam sed divinam enutrimur? iusta illud Salvatoris Ioann. VI: « Hic est panis de coelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si

Digitized by Google

quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ». Si igitur antiquus ille Ioseph tanto, ut vidimus, honore donatus est, quod temporale solum frumentum conservarit ; quid non promeruit hic noster, a quo coeleste frumentum tanta prudentia diligentiaque servatum est ?

999. Quemadmodum vero Filii Dei idoneus custos Ioseph electus sit, pluribus Evangelicus textus eloquitur. Nam in primis, ubi S. Matthaeus capite I, retulisset, eum propterea Mariam coniugem suam occulte dimittere voluisse, quod inventa esset in utero habens de Spiritu Sancto. Angelum ei apparuisse subiungit, qui diceret : « Ioseph filii David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum ». Super quae in Catena Evangelica Doctor Angelicus : « Hic Angelus pronuntiat obsequium, quod exhibebit Ioseph puero iam nato, quia posset Ioseph dicere, Ipsa concepit de Spiritu Sancto, et pariet Filium, quid ergo ad me ? in nullo sum ei necessarius ; ideo subdit ipsius Iosephi obsequium, vocabis nomen eius Iesum. Ostenditque, quod, quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est educationi ; quia ipsa pariet Filium, et tunc Matri et Filio erit necessarius ; Matri, ut ab infamia defendat ; Filio, ut eum enutriat ». Ait rursum Matthaeus cap. II : « Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens : Surge, et accipe Puerum, et Matrem eius et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum eum. Quae cum audisset Ioseph », inquit D. Chrysostomus, « nequaquam passus est scandalum : neque dixit : Incerta ista res est, ac prorsus ambigua. Tu paulo ante dicebas, quia salvabit populum suum, et nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare : sed fuga nobis est necessaria et peregrinatio, et transmigratio longinqua. Contraria omnino sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit : vir enim erat fidelis, neque reversionis tempus curiose inquirit, quod utique ab Angelo non signate fuerat expressum : Sed esto ibi, inquit, usque quo dicam tibi. Verum ille nec per ista quidem factus est segnior, sed obedivit libenter, et credidit, omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo ». Quin et tertium tutelae D. Iosephi erga Christum D. Matthaeus argumentum adiunxit : « Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe Puerum, et Matrem eius, et vade in terram Israël ; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri ». Super quae sic S. Hieronymus : « Ex hoc loco intelligimus, non solum Herodem, sed et Sacerdotes et Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos ». Nos interim, quae a D. Iosepho ex Angeli iussu facta sint, audire pergamus. « Qui consurgens, inquit S. Matthaeus, accepit Puerum, et Matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire : et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae ».

1000. Porro ex his sufficienter constat, non minus nostrum Ioseph coeleste frumentum, quam veterem terrenum conservasse ; adeoque eum non minus promeruisse, ut idem frumentum quod servarat, publice ei distribuere atque his qui ad illum confugerent, elargiri liceret, quam Iosepho antiquo id concessum fuisse, Scriptura his verbis enarrat : « Esuriente Ægypto, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit : Ite ad Ioseph : et quidquid ipse dixerit vobis, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra : aperuitque Ioseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis : nam et illos oppresserat fames. Omnesque provinciae veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiae temperarent ». Haec quidem Scriptura de frumenti, quod Ioseph iste asservarat, distributione. An non idem merito factum esse dici debeat circa frumentum coeleste, Salvatorem inquam nostrum, cuius meritorum ac donorum communicatio ad Iosephum nostrum, qui ipsum servare, atque adversus insidiatores tueri promeruit, spectare omnino dicenda sit ? Verba Redemptoris sunt : « Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ? Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum ». Ad quae Origenes ait : « Ut scilicet conregnet cum Christo, cui omnia sua tradidit Pater : sicut boni patris filius, super omnem substantiam patris constitutus, participat huiusmodi dignitatem et gloriam fidelibus et prudentibus dispensatoribus suis, ut sint et ipsi super omnem creaturam ». Neque haec solum generaliter, uti reliquis Sanctis, sed specialissime D. Iosepho conveniunt ; tum quia hic solus, ceu fidelis servus et prudens, super propriam ac domesticam Christi familiam in terris constitui, ac ei hic viventi corporalem cibum tribuere promeruit ; tum vel maxime, quia super universa Redemptoris nostri bona prae aliis illum collocari decuit, cuius substantiae temporalis

Digitized by Google

possessor ac heres, non secus atque eius filius, Christus extiterat; uti nimirum iuxta adoptionis, ut vocant, reciprocae et affectionis fieret compensatio.

1001. Sed quemadmodum ex generali prisci illius Iosephi in universam Ægyptum imperio colligimus, hunc Christi Nutritium in mortales, Ægypti huius saeculi incolas, auctoritatem habere; ita pariter ex antiquo illo Ioseph evidens fit, singularia amicis ac cultoribus Sancti nostri designata esse privilegia. Genesis cap. XLVII: « Dixit Rex ad Ioseph: Pater tuus et fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen ». Ex quibus iterum colligi potest, quod sicut Iosepho Patriarchae a Pharaone concessum imo mandatum est, ut fratres suos optimo in loco collocaret: ita et peculiares virtutum ac perfectionis mansiones eis designatas esse, qui se Virginis Sponso exhibuere cultores. « Neminem novi, inquit S. Mater nostra Teresia, loco ante citato, qui, cum vere ex animo illi devotus esset, et peculiaribus eum obsequiis coleret, non plus per eius opem visus sit in virtute profecisse: mirum enim in modum illos, ut in ea proficiant, iuvat, qui ei se commendant ». Et Ven. Isidorus Isolanus: « Benedicite igitur, o populi, S. Ioseph, ut benedictionibus repleamini: qui enim benedixerit tibi, erit et ipse benedictus, qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur ». Ad Iosephi Patriarchae filios ut veniamus; illi cum reliquis filiis Israel, cuius tamen solum erant nepotes, in ius possessionemque terrae promissionis successerunt. Genesis cap. XLVIII habetur: « His ita transactis, nuntiatum est Ioseph, quod aegrotaret pater suus: qui assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quae est in terra Chanaan: benedixitque mihi, et ait: Ego te augebo, et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim et Manasse, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi ». En hic rursum alia, e quibus clientum utriusque Ioseph privilegia declarantur. Prioris quidem, quoad temporalem in terra promissionis hereditatem; alterius vero, quoad spirituales aeque ac temporales, praesentes iuxta ac futuras, prae hominibus aliis, praerogativas. Unde de eis merito intelligi queat illud Sapientiae V: « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est ». Quia vero omnia et singula beneficia, quae S. Iosephi cultores assecuti sunt, recensere operosum esset, hinc ex iis nonnisi pauca, quae instar reliquorum sint, visum est producere.

1002. S. Vincentius Ferrerius serm. de Nativ. refert, Mercatorem Valentinum postquam annis aliquot ipso Natalitiorum festo tres pauperes (virum nempe, feminam, ac puerum) in honorem Iesus, Mariae et Ioseph invitasset; suo in obitu ab iisdem ad coeleste convivium invitatum ac deductum fuisse. Isidorus Isolanus, part. 3, cap. 10, prolixe describit: Nobilem quemdam Venetum, dum in peccati mortalis statu ad mortem usque aeger decumberet, ac proinde in evidentissimo damnationis aeternae periculo versaretur, a D. Iosepho, ut peccata sua confiteretur, esse admonitum: quod cum fecisset, statim illius animam in coelum assumptam esse; idque propterea, quod ante depictam ipsius in pariete imaginem genuflectere, illique se commendare solitus esset. Ioannes de Fanno, Scriptor insignis, ac Doctor Petrus Morales, Comment. in Matth., Franciscanorum duorum meminere, qui in mari naufragium passi, vectoribus reliquis unda mersis, soli emersere: etenim arrepta tabula, cum tribus continuo diebus ac noctibus ab aquis iactari in extremo vitae discrimine egissent, implorato D. Iosephi auxilio, eiusdem statim apparentis ope, incolumes ad littus enatarunt. A quo in mandatis accepere, ut in eius honorem, septemque ipsius laborum ac gaudiorum memoriam, totidem quotidie Orationes Dominicas ac Salutationes Angelicas recitarent: hinc enim futurum, ut tam ipsi, quam quilibet qui hoc pietatis exercitium assumerent, suum haud dubie patrocinium cunctis in necessitatibus experirentur. P. Hieronymus Gratianus, ex Ordine nostro, lib. 3, de S. Ioseph, cap. 4, narrat, Benedictinum quemdam Monachum labores, quos hic Sanctus cum Christo in Ægyptum fugiens sustinuit, solitum subinde meditari, ideoque cum aliquando de nocte per silvam erraret, ac quo se converteret nesciret, ab eodem in viam reductum fuisse: apparebat quippe illi vir forma spectabilis, iumentum, cui pulcherrima mulier brachiis infantem gestans insideret, agitans; quali forma vulgo D. Ioseph depingi consuevit.

1003. Sed quid opus multis Scriptoribus? quid variis in diversos homines collatis beneficiis? In unica S. Matre nostra Teresia omnium paene quae desiderari possent, gratiarum habemus exempla. Haec enim, ut e scriptis eius superius patuit, quidquid demum ab eo petiit, assecuta est. Cap. enim VI, Vitae suae refert, miraculose sanatam se a ve-

Digitized by Google

hementissimis ac periculosissimis morbis, quibus annis tribus cum dimidio divexata, atque a medicis disperata iacuerat: erant hi non tantum gravissimi, sed etiam plurimi, utpote quorum novem aut decem per se singuli sufficerent ut ei mortem adferrent. Cap. XXXII a divina sibi Maiestate scribit iniunctum, ut primi sui Monasterii erectionem maxima qua poterat festinatione urgeret: futurum enim, ut id feliciter ad exitum perduceretur, ac bene sibi in illo serviretur: ad haec, nomen D. Iosephi Conventui imponeret; nam hunc ad unum portae latus, et Deiparam Virginem ad alterum, velut custodes fidissimos iugiter permansuros. Cap. XXXIII « cum semel, inquit, in magna necessitate constituta essem, nesciremque, quid agerem, vel undenam operariis nonnullis mercedem persolverem; Sanctus Iosephus, verus meus Pater et Dominus, mihi apparuit, spondens pecuniam nequaquam mihi defuturam, ac proinde cum operis de stipendio convenirem. Quod et feci ne obolum quidem in promptu habens. Dominus porro iis mihi modis de pecunia necessaria providit, ut quicumque audirent, summopere obstupescerent ».

1004. Quin et eodem capite paulo post subiungit: « Cum eodem paene tempore, in festo videlicet Assumptionis Virginis Deiparae, in Dominicanorum templo agerem, etc. videbar alba et splendida valde quadam veste indui. Initio non videbam quis mihi illam iniiceret; at postea, ad latus meum dextrum vidi adstantem Sanctissimam Virginem Mariam, et ad sinistrum Patrem, ac tutorem meum Iosephum, qui hanc mihi vestem circumdarent; simul quoque mihi dabatur intelligi, iam me a peccatis meis mundatam esse. Postquam vero iam induta essem, magnaque iucunditate et gloria perfusa, statim mihi visum est, quod Deipara Mater, manibus meis apprehensis, mihi diceret, rem me sibi gratissimam facere, quod gloriosi Confessoris Iosephi cultrix essem; certo proinde mihi persuaderem, illud ipsum quod quoad Monasterii erectionem conceperam, perfectum iri. Addebat quoque, Dominum Iesum, et se una cum Sponso suo Iosepho, maxime in eo colendos ». Hactenus de se in Vita sua Teresia. Neque alia, eaque rarissima desunt quae ceteri eius Vitae Scriptores huc in medium protulerunt. Nobis duo aut tria retulisse suffecerit.

1005. Reverendissimus Tarraconensis Episcopus, Didacus de Iepez, lib. 2, Vitae S. Matris, cap. 27, narrat, eam una cum monialibus suis, ab evidentissimo submersionis ac mortis periculo, D. Iosepho ipsis apparente, fuisse liberatam. Nam, cum ad fundationem quandam in honorem eiusdem Sancti inchoandam S. Mater curru veheretur, et auriga, via regia relicta, per ardua ac inaccessa praecipitia iter arriperet, sic filias ipsa suas est allocuta: « Eia filiae, et amantissimae Sorores, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, Sanctissimique Iosephi patrocinium deprecemur atque in hoc tanto periculo illius auxilium imploremus ». Nec mora; e profundissima voragine audita vox humana, hunc fere in modum exclamans: « Sistite, neque ulterius progrediamini; alioquin in praecipitium, omnes certo perituri, abitis ». Cumque ille, cuius vox percipiebatur, ab eis ultra quid faciendum esset rogaretur, iussit omnes versus partem unam, quae quidem non minus apparebat periculosa, iter arripere. Cum ergo iam se praecipitio eductos cernerent, atque hominem inquirerent ut debitas ei pro consilio gratias agerent, S. Mater divinum agnoscens beneficium, et lacrymis perfusa, sanctimonialibus suis asseruit, frustra aurigis virum illum inquiri: « Fuit enim », inquit, « Sanctissimus Pater meus Ioseph, qui his nos periculis liberavit ». Quod et ipse rei probavit eventus: nam etsi ad usque voraginis profundum descenderent, neque hominem, neque hominis vestigium invenerunt.

1006. R. P. Franciscus Ribera, e Societate Iesu Doctor Theologus lib. 3, Vitae S. Matris, cap. 9, ait, D. Iosephi interventu Teresiam ab ictu rotae cuiusdam, ad terram violenter prostratam, non sine miraculo illaesam permansisse. Eodem lib., cap. 14, Burgensem Conventum mirabili quadam ratione ipso D. Iosephi festo ei obtigisse testatur; tametsi diu frustra ea in re esset allaboratum, et perexigua eius obtinendi spes affulgeret. Alii denique alia quae a D. Iosepho Teresia beneficia consecuta est, fusissime prosequuntur. Verum lectorem nos ad plena de his conscripta volumina ablegamus; et vel unum hoc solum, quod tamen est observatione dignissimum, atque ad huius Sanctissimi Viri cultum, universum orbem christianum animare deberet, adiicimus; totidem nimirum velut piscinas probaticas ad infirmitates corporum curandas, totidem propitiatoria ad obtinenda quaecumque animarum beneficia, in perpetuum Teresianorum heredum patrimonium, a clementissimo Deo assignata videri, quot apud eos fundatae sunt Ecclesiae, quot erectae sunt arae.

1007. Omissis aliis, exemplo sit Conventus noster Antuerpianu quam multa illic morbis atque afflictionibus obtineri solean tremedia, non facile dictu est: loquantur id vota quae ad Sancti imaginem quotidie deferuntur; testentur qui se ab infirmitatibus aliisque aegritudinibus liberatos, vel omnigenis beneficiis donatos, gratanter agnoscunt; probet ipsa, cui ex sacrosancti Tridentini Concilii ordinatione,

Digitized by Google

approbatio novorum miraculorum designata est, Ordinarii loci auctoritas. Non sufficiebat, si postquam perfecta ac consecrata esset nostra Ecclesia, opem suam in hac exhibere D. Ioseph inciperet, etiam antequam absoluta fuisset, ex ea Ioannes Verstrepius ad altitudinem sexaginta sex pedum casu dilapsus, miraculose per D. Iosephi invocationem, vitae servatus est. Extat hac de re authenticum diploma Ioannis Malderi Antuerpiensis Episcopi, datum 28 Maii anni Dominicae Incarnationis 1631.

1008. At iam miraculorum et beneficiorum, quae meritis atque intercessione D. Iosephi, cultores illius assecuti sunt, satis allatum est; solvenda restat nonnullorum obiectiuncula, qua mirari se aiunt, quod, cum hic eximius adeo sit apud Deum Patronus, eos tamen in afflictionibus nonnumquam haerere videamus, qui illius se cultui addixere. Verum rursus antiqui Iosephi figura praesenti difficultate non modo plene satisfacit, sed et propositum magis illustrat. Ut enim illius filii Ephraim et Manasse ita ab avo Iacob benedictionem percepere, ut qui a dextris et quasi prior positus erat, posterior censeretur; et qui a sinistris ac posterior, factus sit prior: ita qui sub Nutritii Salvatoris tutela adversitates in saeculo patiuntur, in coelesti gloria primi computandi sunt; iis tamen non omnino a privilegiis suis exclusis, qui velut ad dexteram collocati, prospera mundi fortuna utuntur. Quod antequam latius explicemus, qualis Iacob Patriarchae in Iosephi filios fuerit benedictio, audiamus: « Benedixitque Iacob filiis Ioseph, et ait: Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram ». Unde quam sint eximiae filiorum ac cultorum Iosephi nostri benedictiones, colligitur: omnia enim prioribus istis nonnisi in figura contingebant, ut quidnam iis qui in nova lege Ioseph Patrem haberent, in veritate dari deberet, evidens fieret. At quaenam inter Iosephi huius filios esset futura distinctio, quorumnam maior foret praerogativa, sequentia Scripturae verba subtexunt: « Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur; sed frater eius minor, maior erit illo, et semen illius crescet in gentes. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassem ». Quid ultra? Sane apparet, hinc nihil D. Iosephi cultoribus ademptum, sed plurimum potius adiunctum iri, quod in hoc saeculo cum afflictis posteriori veluti loco collocentur. Potiora interim sunt, quae filiorum benedictionibus in gratiam patris, Patriarcha Iacob adiecit: « Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo ».

1009. Multa hic rursum adeoque praeclarissima, ad S. Iosephi gloriam consignata sunt. Satis quippe non erat, filiis ac cultoribus illius temporales et aeternas, corporales ac spirituales in omni genere benedictiones esse addictas, etiam partem unam extra reliquos fratres, Dei videlicet Sanctos, habere Ioseph debuit: et eam quidem partem, quam verus Iacob, hoc est Christus, de manu Amorrhaei in gladio et arcu suo extorserat. Quid multis? duo hinc elicere posse mihi videor: unum, quod ad Iosephi filios; alterum quod ad ipsiusmet personam atque eminentiam spectat. Dico igitur, inter cetera quae Deus Opt. Max. in gratiam D. Ioseph, illius filiis beneficia praestare solet, id ceu singulare quoddam privilegium esse, quod eo iuvante animarum salutem in tuto locent, ac felicem mortis horam nanciscantur. Esto enim, et alia propter S. Ioseph elargiri divina Maiestas beneficia soleat; in nullo tamen genere illustriora ac frequentiora, quam in aeterna salute conferenda habemus exempla. Vocatur autem haec gratia gratiarum omnium suprema, ea pars quam spiritualis Iacob, Christus inquam Salvator, de manu Amorrhaei tulit in gladio et arcu suo: etenim Amorrhaeus, id est amarus, diabolum, qui salutis nostrae dulcedinem in aeternae damnationis amaritudinem commutavit, significat; uti et gladius atque arcus, Christi mortem passionemque designat. De gladio ita locutus Propheta David, Ps. XLIV: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime »; de arcu vero, Ps. XVII: « Qui docet manus meas ad praelium, posuisti ut arcum aereum brachia mea ». In gladio victoria, qua instar Davidis, Goliae infernali caput amputavit; in arcu S. Crucis pugna, qua non secus ac Moyses brachiorum extensione, Amalec hoc est principem huius mundi interemit, egregie adumbrata sunt. Sed quomodo pars haec salutis, atque in gratiae statu moriendi, D.

Digitized by Google

Iosephi intercessioni, a Christo in Ecclesia relicta sit, fortissimis probationibus stabiliamus.

1010. Occurrit primum ipsum Iosephi nomen, quod Pharao ita convertit, ut lingua Ægyptia significet Salvatorem mundi. Quid igitur mirum est, si qui Salvator mundi dicitur, mundum salvet, si ipse humani generis Salvatoris servator hominis servet? Unde ab eo qui Salvatorem hunc sibi patronum ac servatorem habuerit, merito dici posse censeo, quod de vetere illo Ioseph aliquando Iacob ait: « Nunc laetus moriar, quia vidi faciem tuam ». Omnes enim, quibus laetissimam, ac velut beatificam Iosephi faciem intueri, ac speciali cultu venerari licuerit, hilariter plane ac secure emori solent. Ille siquidem est, « quem constituit Dominus super familiam suam », Ecclesiam inquam universam, ut Christi fidelibus « in tempore tritici », hoc est iudicii (quando nimirum triticum salvandorum in coeli horreum congregandum asseritur) « det mensuram », ac gratiarum eis distributionem faciat.

1011. R. P. Ioannes de Carthagena, celeberrimus ille ex Ordine S. Francisci concionator, de Deiparae eiusque Sponsi clientibus agens, praeter plura alia hunc Ps CXXVI versum iis applicavit: « Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta ». Ita ut qui desiderium suum, quoad Mariae ac Iosephi venerationem, vivens impleverit, is, quando cum inimicis suis congredi, ac cum daemonibus manus conserere, atque ab his in porta, hoc est morte, se expedire debebit, minime confundetur.

1012. Ioannes Eckius, praeclarus Scriptor, hom. 1, de S. Ioseph, post multa in rem praesentem allata, subiunxit: « Omnes insuper quibus periculosae instituuntur profectiones, locaque adeunda sunt parum tuta, semet S. Ioseph committere debent, et ex illo comitatem, securitatem, tutelam, et intercessionem petere, et fideliter sperare ». Quin et Sanctorum testimoniis id comprobatum habemus: praeter enim S. Matrem nostram Teresiam, cuius supra verba produximus, S. Bernardinus Senensis, serm. I de S. Ioseph art. 2, cap. I, se credere affirmat, D. Ioseph sollicitissimum pro omnium salute, ad similitudinem Sponsae suae, haberi debere. Orientalis historia Christum ad Nutritium suum dixisse enarrat: « Ero auxiliator omni homini in Ecclesia iustorum, qui in die memoriae tuae, o Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, et qui meditabitur in vita tua, et in laboribus tuis ». In veteri Carmelitarum, atque Ecclesiae Ierosolymitanae Officio, inter cetera ita reperies: « Ecce fabrum Patriarcham, qui coelestem rexit arcam, se cum omnibus salvantem a culpae diluvio, gratiae cum fluvio » In antiquo etiam Hispalensis Ecclesiae Hymno canitur:

O custos Matris Domini,
Ioseph alme, per aspera
Adesse tuis famulis,
Sentiant nostra pectora.
Tu salus et protectio.
Devotos tuo nomini
Salva semper et prospera
Dignare, Dux amabilis,
Tua semper iuvamina,
Nostraque iubilatio.

1013. In Concilio vero Lugdunensi eximius Doctor Ioannes Gerson Patres omnes ad D. Iosephi specialem cultum adhortatus est, ac propterea singulari veneratione prosequendum asseruit, quod illius potissimum interventione non ad gratiam solum hic uberrimam, sed ad gloriam quoque postea sempiternam, accessus pateret. Accedit populi Christiani devotio: nam a pluribus iam lustris milliones aliquot Catholicorum per omnes fere Europae provincias numerati fuere, qui pro felici morte, ac gratia ad hanc necessaria, Litanias Lauretanas cum D. Iosephi Collecta quotidie recitarunt. Episcopus Antuerpiensis Ioannes Malderus hoc in nostro templo Confraternitatem pro felici morte orantium, sub nomine et ad memoriam Deiparae Virginis, ac eiusdem Sponsi, instituit; quasi horum patrocinio felicitas illa, sine qua nulla prodesse potest, et quam solam vera atque aeterna consequitur, efficacissime obtineatur. Et haec quidem de priori Scripturae illius membro sufficiant.

1014. Circa alterum vero plura occurrunt dicenda: hoc namque solidissimum, cur pars illa felicis mortis ac salutis hominum S. Iosephi intercessioni, sensu quo a nobis explicatum est, assignata sit, fundamentum aperiet Neque alio hic opus erit argumento, quam altera eorumdem Scripturae verborum explicatione: « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo ». Gloriam coelestem gratiae ac vitae merito proportionatam ac quodammodo commensuratam esse, nemo Catholicorum ignorat; ita ut ea quae inter Sanctos est distinctio, ex praecedenti eorum gratia ac meritis non immerito sumenda dicatur, quibus ut parem ac correspondentem gloriam acciperent, se dignos effecerunt. Quoniam ergo D. Iosepho specialem in gratia meritoque prae reliquis Sanctis partem obtigisse demonstraturi sumus; necessario inde sequetur, eum etiam peculiarem quoad gloriam tam coram Deo, quam coram hominibus, praerogativam esse promeritum. Ut igitur de gloria illius constet, amplissimam ei datam esse gratiam quoad singulos Bea-

Digitized by Google

torum Ordines ostendemus. Quid ergo? Coelestis ille Iacob atque aeternus Pater, D. Iosepho, Sponso Mariae, ac Salvatoris Nutritio, partem unam dedit extra fratres suos, eam nimirum quam de manu Amorrhaei, id est, diaboli in gladio et arcu potentiae ac clementiae suae tulit; quando illum non singulorum tantummodo sanctorum Ordinum excellens membrum effecit, sed et supra hos ipsos velut omnium antesignanum elevavit. Res ex partium enumeratione patebit.

1015. A Patriarchis incipiamus: inter hos omnium Testamenti prioris novissimus, adeoque supremus; posterioris vero primus, atque idcirco reliquorum maximus, D. Ioseph inventus est: fuit enim illius familiae pater, cui nulla umquam in terris, non dico aequalis extitit, sed neque ullatenus comparari potuit. Ad Iudaeos Christus ait: « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est ». Abraham Patriarcharum primas solum videre Salvatorem voluit; vidit (at non nisi fidei oculis) attamen quantum inde gavisus est? Quid igitur de Ioseph dicturi sumus, qui illius meruit esse pater familias, quem vel fide solum praevidere, adeo magnum, adeo optabile, adeoque votis omnibus expetibile Abrahae Patriarcharum summo visum fuit? Quamobrem dicere de eo licebit, quod Matth. 12, de seipso Salvator asseruit: « Ecce plusquam Salomon hic, ecce plusquam Ionas hic ». In eo igitur Christi pater familias Patriarcharum maximum superavit, quod ille omne suum gaudium arbitraretur, eum venturum aliquando vel praecognoscere; Ioseph vero hunc non viderit solum ac familiariter noverit, sed ut alumnum subditumque ac legalem filium habere promeruerit. An non ergo merito de illo exclamaveris: « Ecce plusquam Patriarcha hic, ecce plusquam Abraham pater Patriarcharum hic? » Plusquam Patriarcha revera, utpote qui alios omnes, tam quos ante se viderat, quam quos postea nactus est successores, suae familiae dignitate, perfectione, utilitateque (in qua nempe ipse mundi Salvator connumerari dignatus est) longissime antecesserit. Unde factum, ut, licet prioris Testamenti ac tempore fuerit novissimus; Testamenti tamen posterioris dignioriisque excellentia exstiterit primus, iuxta illud Evangelii: « Erunt primi novissimi, et novissimi primi ». Primus et novissimus, atque utrumque complectens, tam quod praecessit, quam quod subsecutum est. Quis hoc ergo Patriarcha gloriosior, quis excelsior, quis perfectior? ad cuius scilicet sanctitatem veteris ac novi Testamenti iura concurrunt; in quo, cum privilegiis Evangelicis, antiquorum Patrum praerogativae combinatae reperiuntur? Lapis siquidem est angularis, ut Paulus Ephes. II, ait: « Qui facit utraque unum » Et factus est velut Noe, qui tempus utrumque, tum quod diluvium antecessit, tum quod secutum est, aspexit: et instar Iani, duas habens facies; unam, non solum vidit, sed et amplexus est universa quae ante cum acta iam fuerant; alteram, qua non solum quae erant futura praevidit, sed ea etiam in se praesentia ac velut propria effecit: illum habere promeritus filium, ob cuius imperium ac gubernationem longe transcenderet omne, quod alius quispiam sive prior, sive posterior. Patriarcha habere poterat privilegium. Itaque quemadmodum a S. Hilario in Matthaeum, cap. XXVI, fidelis servus et prudens a Deo super omnia eius bona dicitur collocatus, cum in gloriam assumptus est, qua nimirum nihil melius aut dari aut accipi possit; ita tantam suo in Patriarchatu Ioseph assecutus est eminentiam, ut ulterius, quo progrederetur, non haberet. Quamobrem sicut Doctor Angelicus (I, p., q. 25, art. 6, ad 4). Deo, ait, impossibile esse perfectiorem Matrem creare, quam fuerit Maria, utpote cuius Filio perfectior esse non possit: ita ipsi dicimus Iosepho Patriarcha aut Patrefamilias nullum existere sublimiorem posse, eo quod eius alumno ac legali, civili et spirituali filio maior, dignior, sanctior ac divinior inveniri vel dari nequiverit.

1016. Inter Prophetas vero illud rursum privilegium D. Ioseph obtinuit, quod plusquam Propheta merito dictus sit. Hoc facilius ut intelligas, consideranda sunt verba Christi apud D. Lucam, cap. 10: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt ». Quid est? « Multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt? » Prophetae venturum quidem Salvatorem praevidebant, praedicebantque; at eum praesentem nequaquam conspexere: propterea, beati vestri oculi, qui eum, quem illi non nisi prophetarunt, neque aspicere potuere, videre meruerunt. Unde plusquam Prophetas in hoc eos fuisse sequitur, quorum oculi illo intuitu beati, id est beatiores ac feliciores oculis Prophetarum, fide solum praevidentium et Messiam praenuntiantium, ab ipso Christo praedicantur. Qui, Matthaei etiam XI: « Omnes, inquit, Prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt ». Sed quid inde Ioanni, quod non praedicere solum Christum, sed et praesentem eum annuntiare illi datum sit? Ex praecedentibus Salvatoris nostri verbis, quibus iam dicta subtexuit, multa hanc in rem peropportuna colliguntur. Primum, Ioannem inde factum plusquam Prophetam: secundum, eum Angelum fuisse, qui ante faciem Filii Dei viam praepararet: tertium,

Digitized by Google

illo inter natos mulierum non surrexisse maiorem. Quae alia probatione opus non habent, quam quae eodem ex Evangelio petuntur. Dictum enim a Christo fuit: « Quid existis in desertum videre? Prophetam? etiam dico vobis plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te ». Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista ». Quibus demum quasi praecedentium rationem redditurus adiunxit: « Omnes Prophetae usque ad Ioannem prophetaverunt ». Neque illud immerito; causa enim cur Ioannes plusquam Propheta fuerit, cur Angelus Filio Dei viam praeparans appellatus sit, ac maior inter natos mulierum censeatur illa fuit, quod Christum praesentem ostendere ac proximum ei ministerium exhibere dignus fuerit. Quae quoniam, D. Iosepho applicata, eamdem ei gloriam conciliatura sunt, diductius paulo proponemus, D. Gregorius Magnus in hunc locum, « Prophetae, inquit, ministerium est, venturum praedicare, non etiam demonstrare, Ioannes ergo plusquam Propheta est, quia eum quem praecurrendo prophetaverat, etiam ostendendo nuntiabat ». Super verbis autem, « Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam ». S. Chrysostomus in homiliis inquit: « Monstrat igitur secundum quod est maior Ioannes Prophetis, secundum id scilicet, quod est prope Christum. Et ideo dicit: Mitto ante faciem tuam, hoc est, prope te. Sicut enim qui prope currum Regis incedunt, aliis sunt clariores; ita et Ioannes propter Christi praesentiam » Atqui certum est, multo proximiorem familiaremque Iosephum Salvatori, quam Ioannem extitisse: sequi ergo inde videtur, illum utique dignitate praestantiorem iudicandum esse. Superest, « inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista ». Quod D. Lucas, cap. VII, ad solos Prophetas restringit; Christum enim dixisse ait: « Dico enim vobis: maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est ». Unde constat, non generatim de omnibus Sanctis, sed de Prophetis solum, illam quam Christus cum Ioanne comparationem instituit, esse accipiendam; adeoque neque D. Ioseph necessario Ioannem praeponi debere.

1017. Alterum, quo Baptista universis Dei Sanctis praelatus fuisse asseritur, ex Hymno Ecclesiastico profertur:

> Non fuit vasti spatium per orbis
> Sanctior quisquam genitus Ioanne;
> Qui nefas saecli meruit lavantem
> Tingere lymphis.

1018. Pro quo in primis D. Hieronymi verba notanda sunt, quibus ait: « Ceteris Prophetis maior est, quia ad privilegium prophetale etiam Baptismi accessit praemium, ut suum Dominum baptizet ». Duo hic affirmat D. Hieronymus: unum, etiam quoad Baptismum Christi, Ioannem cum Prophetis aliis comparandum esse; secundum, illud ipsum baptizandi officium, eminentiae prophetiae habendum privilegium. At vero si D. Ioannes Sanctorum omnium supremus censeri debeat, quia Christum baptizavit; certe ob maiora quae erga Salvatorem exercuit officia S. Ioseph, illo maior ac sanctior dici poterit. Magnum quidem fuit, quod Dei Filius baptizari suo a praecursore dignatus sit; honorificentius tamen apparet, Iosephum ad Christum circumcidendum, ut ei ex patris officio competebat, electum fuisse: honorabilius autem habendum esse Christum circumcidere, quam baptizare, e tribus elicio. Primo, quia maior fuit Salvatoris humilitas, ac proinde Iosephi gloria, cum ad egena se ac nuda elementa, qualia erant legis antiquae mysteria, quam cum ad novi Testamenti sacramenta se Christus demisit. Altero, quia in ipsa circumcisione augustissimum Iesu nomen, quod est supra omne nomen, impositum fuit, illeque demum sanctissimus Redemptoris nostri tunc sanguis effusus, quo universa mundi peccata delenda erant. Vin' et alia Iosephi, quoad Christi corporis ministeria, in quibus neque Ioannem, neque alium quempiam Sanctorum sibi parem habuit? Christo D. Ioseph non semel vitam servavit, eumque e periculis mortis eripuit. Labore suo ac sudore victum illi et amictum, omniaque vitae necessaria est lucratus. Ipsum Dei Filium docere meruit, ac eumdem velut discipulum instruendum a Patre coelesti accepit. Denique illi Christus humiliter obedivit, neque aliter ac patri filius, subiectus esse dignatus est. In quibus non solum Prophetis ac Ioanne Baptista maiorem, et plusquam Prophetam S. Ioseph extitisse deprehenditur, sed inter universos etiam ordinum omnium Sanctos (ut videre ex praedictis licuit) aequalem non habuisse. Licet interim meam hic ego de maximis hisce Sanctis temerarie censuram obtrudere nolim, sed quid illi, qui Iosepho prae Ioanne Baptista Sanctitatis praeeminentiam tribuunt, pro se adserant, solum adduxi. Magnus sane Doctorum princeps Augustinus, de Elia loquens, ait: « Si Ioanne hic maior non est, ergo par ». Idemque de Iosepho, cur dicere non licuerit? quoniam et plus licuisse iis visum fuit, qui et Scripturam et Ecclesiae Hymnum, quae pro Ioannis praelatione statim attulimus, ita exponunt, ut illud « maior et sanctior », super « natus et genitus » cadat: adeo ut sensus sit: non fuit, quoad tempus nativitatis, maior ac sanctior Propheta Ioanne Baptista, utpote qui adhuc in utero matris (quod alteri

Digitized by Google

numquam accidit) exultando ac saliendo prophetavit. Quo non obstante, fieri etiam potuit, ut alius in vita sua Ioannem multis passibus antecederet. Unde tunc verba Hymni Ecclesiastici ita accipienda erunt, ut duo de Baptista, sine ulla ad se mutuo relatione aut illatione dicantur; scilicet, « non fuit sanctior genitus », et hic idem « meruit lavantem tingere lymphis ».

1019. Ad Apostolicam dignitatem, quod facit, licet quidem ea tanta sit, ut nulla cum Apostolis reliquorum Sanctorum institui posse comparatio videatur; ab hac tamen regula uti Christi praecursor, ita et illius nutritius ac paterfamilias recte excipietur. Isidorus Isolanus de muniis Apostolicis a Iosepho exsuperatis prolixe loquitur, part. 3, c. 18: « Sunt autem quatuor proprietates Apostolicae dignitatis, Annuntiatio Evangelii: Euntes praedicate Evangelium omni creaturae. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et per Spiritum Sanctum locutio: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hae proprietates dignissimae sunt, quia sunt immediate a Christo, et sub Christo, et propter Christum. Proprietates vero Sancti Ioseph fuere: desponsatio Reginae coelorum, nominatio patris Regis Angelorum, defensio Messiae promissi in lege Iudaeorum, educatio Salvatoris omnium. Et hae proprietates sunt immediate super Christum, et ad Christum, et propter Christum. Quisquis ergo ingenio polles, rerum divinarum praemissa veritate discurre, argue, conclude ab Apostolicae comparatione maiestatis ad coelestem Ioseph dignitatem, quanta sit illi praestita dignitas, sanctitudo ac virtutum inexplicabilis perfectio. Haec ille.

1020. D. Thomas vero, 3 p., q. 27, art. 5, in corp.: « Quanto, inquit, aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii; et sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem et illuminationem recipit; et quo magis appropinquat aliquid igni, fit magis calidum: et similiter aqua clarior et purior profluit, quanto minus distat a fonte et principio ». Unde etiam S. Dionysius, de Coelesti hierarchia, c. 4, asserit, quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis de perfectionibus divinis participant. Cum igitur D. Ioseph Christo vicinissimus ac plene intimus fuerit, non annis solum tribus, ut Apostoli, sed, ut probabilior habet opinio, fere decies tribus; certo colligitur, multo abundantius ac perfectius de illius eum virtutibus ac coelestibus charismatibus participasse. Adde, quod Apostoli nonnisi in nuntios evangelicos, ac velut famulos honorarios a Christo adoptati sint, ab eoque, cum rudes atque ignorantes essent, in via veritatis, ac modo conversationis instructi; at Salvator ipse a Iosepho in Filium ac subditum adoptari, et ab eo educari instruique concupivit. Quod haud dubie est multo praestantius, cum illum Ioseph docuerit, cuius doctrina Apostoli edocti sunt, et quia illius doctrinam per orbem praedicarunt, Apostoli sunt vocati. Quin et quemadmodum Christus Apostolos Ecclesiae suae praefecit pastores, ita sibi ipsi Iosephum in pastorem elegit; quod et gloriosiorem reddit Iosephum, et illius respectu Apostolos minores ostendit. Proinde non minus vere, quam de Patriarchis ac Prophetis, dicere licebit: « Ecce plusquam Apostolus hic ».

1021. Quibus autem praedicta non sufficiunt, Apostolorum praecipuos cum D. Iosepho conferant; ac facile videbunt, multis eum passibus in iis praecessisse, in quibus ipsi vel maxime excelluerint. Duo sunt, qui peculiaribus prae reliquis a Christo praerogativis donati fuere, scilicet S. Ioannes Evangelista, « Discipulus, inquam, ille quem diligebat Iesus », de quo ita canit Ecclesia: « Valde honorandus est Beatus Ioannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit. Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia ». Pro magno itaque dilectissimi Christo Apostoli beneficio reputatur, quod ei supra pectus Salvatoris vel semel in coena recumbere datum sit: at Sanctus noster ut super illius pectus annis multis Filius Dei requiesceret, dignus fuit. Hausit indubie tanto temporis spatio infinita divinae Maiestatis arcana, hausit dona coelestia, hausit insignia perfectionis atque omnium virtutum incrementa. Unde si Apostolus Ioannes beatus inde dicendus, quod illi ex unica vice, qua supra pectus Domini recubuit, revelata fuerint secreta coelestia; beatissimus profectus et factus et nominandus est Ioseph, cui (uti diximus) tot ac tanta e continua ac familiarissima Salvatoris nostri conversatione accessere privilegia. Fuit et aliud, e quo peculiarem Christi in Ioannem affectum colligere est, quod videlicet in cruce suam illi Matrem, Virginem virgini commendavit. Unde de hac praerogativa rursum canit Ecclesia: « Virgo electus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus ». Magnum revera donum, quod potiore tamen titulo Iosepho donatum fuit: Ioannes enim nonnisi filius, noster vero, Mariae Sponsus designatus est. Alter inter Apostolos, in quo singularia favoris divini argumenta eluxere, fuit S. Petrus. Huic enim peculiari quodam beneficio divinae Incarnationis mysterium fuit revelatum, uti Veritas ipsa declaravit (Matth. XVI): « Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non

Digitized by Google

revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». Sed quid inde Petro utilitatis obvenit? Exponat Christus: « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ». Binae itaque Petri praerogativae hic recensentur, quae si cum D. Ioseph privilegiis conferantur, aeque, imo amplius in eo eluxisse deprehendentur. Etenim ipsum incarnati Verbi mysterium non post triginta annos postquam peractum est, uti D. Petro, sed statim atque in Maria eius Sponsa completum erat, ei primo omnium viventium divinitus revelatum fuit. Unde Rupertus, lib. de Gloria et honore Filii hominis, super 1 Matthaei : « Ioseph, inquit, prius inaudita credidit, scilicet, quod ipsa quae conceperat, virgo esset; et statim obedivit, Deo credulus, puellae benevolus, eatenus vir iustus, et exinde iustissimus ». Alterum praeterea, quo D. Petrum a Christo Ecclesiae petram, adversus quam inferorum portae non praevalerent, diximus constitutum, non minus in Iosepho locum habet: quin ex hac illius cum Principe Apostolorum comparatione, mira eius excellentia et dignitas elucescit. Petrus petra fuit Ecclesiae, Ioseph velut petra Christi, super quam nimirum ipse carnis suae domum, tamquam vir sapiens exaedificavit, ut cum tribulationum ac persecutionum descenderent pluviae, venirent flumina; flarent venti; illa minime caderet, utpote fundata super firmam petram. Quanto autem ipso Salvatore Ecclesia eius sponsa minor est, tanto maior est dignitas ac gloria Iosephi. Tertium denique quod S. Petrum aliis Apostolis maiorem ostendit, privilegium fuit, quo eos curae suae ac regimini, hisce Christi verbis, « Pasce oves meas », accepit. At, uti iam paulo superius vidimus, non tantum Christi agnos et oves regendos, pascendosque, sed ipsum etiam pastorem omnium enutriendum ac dirigendum, a Patre coelesti D. Ioseph habere promeruit. Et quidem hactenus vidimus, tam quoad omnes Apostolos in genere, quam quoad primarios eorum singulatim, de Iosepho merito dici posse: « Ecce plusquam Apostolus hic ».

1022. Ad Martyres iam transitum faciamus. Quorum ut aliquam cum Sancto nostro comparationem instituamus, audiamus quid iterum dicat Isidorus Isolanus, et eum vere Martyrem fuisse declaret. « Ioseph, inquit, excellens victoria fuit tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere: qua victoria expresse liquet, pro Deo voluntariam mortem non expavisse. Propterea de palma martyrii bene meritus dici potest. Adhuc ratione animae, actu convenit palma martyrii; sed Ioseph actu offerens eam, dedit pro Deo, quamquam non potuerit tyrannus eam eripere. Ioseph igitur de palma martyrii bene meritus ». Sic ille. Eximius Pater F. Ioannes de Carthagena continuum velut martyrium Iosephum sustinuisse affirmat: nam postquam vexationem illam, qua uxorem suam dimittere cogitabat, ei grave extitisse martyrii genus comprobasset, ita subiungit: « Silentio praetereo ingentes labores, quibus per totum vitae curriculum a tempore desponsationis adeo excruciatus fuit, ut non immerito tota eius vita prolongatum quoddam martyrium censeri debeat. Certe cum ex regia stirpe esset, pauper, ac humili fabri officio usus fuit: in Bethlehem profectus, infantem Iesum intuitus lacrymantem, et prae nimio frigore algentem, vili praesepio cubantem, ac aëris inclementiae ob incommoditatem loci expositum, summo dolore fuit confectus: eumdem in tenera aetate octavo die sanguinem fundentem cernens vehementer doluit, Simeonis verba audivit ad Sponsam suam dicentis: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius »: in Ægyptum fugam arripuit, ut Christum ab Herodiana saevitia liberaret, ubi per septem annos (ut Auctor est D. Anselmus, in Matth., cap. II) vitam pauperem inter barbaram, ignotam et infidelem gentem exul egit ». Sic ille. S. Petrus Chrysologus, quam vel sola in Ægyptum fuga dura esse debuerit, sequentibus verbis homil. 151), patefacit: « Sic res, inquit, urget Christum infantem? sic? non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, et quod his durius, Iudaeos peregrinaturos in Gentibus, quibus nec est ipsa communio, imo est profundum legis transgressione naufragium. O quam dura est peregrinatio, etiam inter cives fratresque! Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam ». At parum est, Iosephum Martyrem fuisse; parum, eum continuum subiisse martyrium; etiam plusquam Martyr fuit.

1023. Quod e duobus elicio: Primo, D. Hieronymus (Serm. de Assumpt. Deiparae), eam non Martyrem solum facit, sed et plusquam Martyrem; quia licet in pace vitam finierit, animam tamen habuit gladio doloris Filii sui transverberatam, iuxta Simeonis apud Luc. II cap. prophetiam: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Ex quo patet, etiamsi martyrio corpus cruciari soleat, in suo tamen maryrii genere praecedere excedereque Deiparam, cuius animae cruciatus ei haud dubie majus tormentum attulit. Omnis enim doloris causa ipsa anima est, ac propterea licet Martyres corpore torquerentur, exterioris in his tamen supplicii sensus ob internam consolationem extinguebatur. Exemplum sit in S. Laurentio, de quo D. Leo Papa in na-

Digitized by Google

tali eius sic tyrannum alloquitur: « Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit: segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit ». Quemadmodum igitur Deipara Virgo propterea plusquam Martyr fuit, quia non corpus eius (ut aliorum Martyrum) sed animam doloris Christi gladius pertransivit; pari modo, cum post B. Virginem, Iosephi in Christum amor fuerit ardentissimus, non potuerunt eadem Simeonis verba illius praecordia non acerrimo dolore afficere Unde quod de antiquo Ioseph Patriarcha Regius Vates cecinit, Ps. CIV: « Ferrum pertransivit animam eius »; merito de nostro explicaverimus.

1024. Nam et Glossa interlinearis ac Liranus illud Psalmi explicantes, aiunt: « Ferrum, id est, tribulatio durae necessitatis, animam eius pertransivit, ut de Maria dicitur: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Sicut ergo ob hanc quam diximus rationem, Beata Virgo plusquam Martyr appellari ac censeri debuit; ita ob eamdem sanctissimus eius Sponsus, illi hoc in privilegio merito est accensendus. Itaque « ecce plusquam Martyr hic ». Accedit alterum, ex quo prae aliis Martyribus, summo D. Iosephum dolore affectum fuisse, recte dicamus: quod nimirum inde mors illi reddita sit gravior, unde eam Martyres alii experti sunt leviorem. Facilia enim, imo nulla iis visa sunt quaecumque tormenta, quod per haec carnis vinculis se solvendos ac mox cum Christo futuros aeternis gaudiis perfundendos agnoscerent. Pro omnibus audiatur S. Martyr Ignatius: « Crux, inquit ille, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar ». Ecce quia mox se Christo fruiturum cognoscebat, quasi nihili duxit omnem, etiam acerbissimum cruciatum. Unde ergo ceteris Martyribus supplicia transierunt in gaudia, spe videlicet Christum videndi, inde Iosephi martyrium doloris sumpsit incitamentum. Quando enim mori iam debuit, non ad Christum, sed a Christo profectus fuit; non illum sibi obvium ac suscipientem, sed valedicentem ac deserentem habuit; non invenit, sed amisit. Hinc tantum tristitiae atque afflictionis Iosepho nostro attulit a Salvatore discessus, quantum exultationis ac laetitiae in Martyribus generavit ad Christum accessus. Ceterum quanta sit vis amoris, quo vehementissime Iosephum sic morientem discruciari oportuit, haec Canticorum verba, cap. VIII, satis insinuant: « Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam ».

1025. Neque solum vere dixerim, « Ecce plusquam Martyr hic »; verum etiam, idque longe potiori iure, « Ecce plusquam Confessor hic ». Confessores enim sic dicti sunt, quod, licet eis martyrii palma non concederetur, fidem tamen Christi generose confiterentur. Unde diversa rursum pro gloria D. Iosephi eruo argumenta. Primum, si, ut Doctores tradunt, illic maius habetur fidei meritum, ubi ratio humana minus invenit experimentum; certe ea fidei confessio excellentissima sit oportet, quae de re fit plane occulta, quaeque non solum humanis sensibus perspicua non est, sed omnium etiam hominum experientiae repugnare videtur. Quod in S. Iosepho contigisse reperies, cuius fidem ex hoc mirabiliter SS. Patres commendarunt, ac velut aliorum Sanctorum exemplar proposuerunt. D. Ioannes Chrysostomus in Matthaei cap. III, ait: « Quam magna magnorum fides est! non dicentes: Si magnus est Puer hic, quae necessitas fugae est et occultae recessionis? hoc enim est verae fidei, non quaerere causas eorum quae vere praecipiuntur, sed suaderi solum ab eis ». Ut igitur magnam magnorum fidem explicaret Chrysostomus, non alterius quam D. Iosephi utendum exemplo censuit. Alludit namque ad illa Sancti Matthaei verba cap. I: « Consurgens, accepit Puerum, et Matrem eius nocte; et secessit in Ægyptum ». Super quibus rursum ita loquitur: « In re obscura et perplexa nihil locutus est, nihil interrogavit, sed ad nutum obedivit, tentationes omnes cum gaudio sustinens. Ecce promptam Iosephi obedientiam, nulla interposita mora, antequam dies illucescat; ipsa etiam nocte, ne quispiam fugam observaret, viam aggreditur ». Ecce caecam, quam sancti Patres vocant, obedientiam, non sciscitatur: quomodo, si Deus est, fugit ab hoste? quomodo, si alios e faucibus diaboli eripere venit, potentiae Herodis non resistit? Non obmurmurat, nec conqueritur de difficultate itineris, de importuno noctis tempore, de inopinato et improvviso profectu, de inopia ad expensas necessario faciendas, maxime in regione barbara et inculta. His omnibus difficultatibus viriliter superatis, in omnibus parendum esse Deo constanter elegit, instar Abrahae, qui divino praecepto obaudiens de immolando filio suo, a quo multam se posteritatem habiturum ei Deus pollicitus fuerat, statim consurgens ad iter se accinxit. E quibus patet, D. Iosephum non inter Confessores solum numerari posse, sed inter eos extitisse praecipuum; utpote qui in re maxime perplexa, et quae humanam omnem rationem experientiamque excederet, fidem adhibuit: utque voluntatem divinam promptissime exequeretur, universa neglexit despexitque. Duo adiungam, ut haec Iosephi inter Confessores supereminentia am-

Digitized by Google

plius constet. Usum desumam e comparatione fidei Sponsae illius; alterum ex occasione, quam ipse Confessoribus, ut tales fieri possent, exhibuit.

1026. De Maria quod dicturus sum 1, lectorem rogo, ut hoc benigne interpretari, ac iuxta intentionem meam accipere dignetur. Neque enim mens mea est, Iosephum Deiparae praeferre, sed quae ad excellentiam fidei ac confessionis Sponso eius faciunt, sincere proponere. Videtur ergo S. Ioseph mysterio Incarnationis facilius fidem ac confessionis assensum praebuisse, quam ipsa B. Virgo. Nam ut hoc crederet, nulla ab Angelo eum opus fuit ratione induci: Mariae vero vide quam varias Archangelus attulerit rationes, quibus eam ad divini Verbi conceptui consentiendum permoveret. Refert S. Lucas cap. 1 Gabrielem in primis illam officiosissime salutasse, affirmasseque non esse quod timeret, quoniam gratiam apud Deum invenisset; concepturam porro ac parituram Filium, qui magnus esset futurus, et vocandus Altissimi Filius, cui etiam Dominus Deus sedem daret David patris eius, qui regnaret in domo Iacob in aeternum, cuius denique regni non esset futurus finis. Verum cum haec non sufficerent, sed B. Virgo ulterius inquireret: Quomodo illud fieret, quoniam virum non cognosceret; Gabriel filum argumentorum prosecutus, quatuor alia prioribus adiecit: in illam videlicet Spiritum Sanctum descensurum, atque a divina eam virtute esse obumbrandam; deinde quod ex ipsa sanctum nasceretur, vocandum Filium Dei. Adiunxit praeterea Elisabethae cognatae exemplum, quae licet antea sterilis fuisset, a sex nunc mensibus gravida existeret Denique, non esse impossibile apud Deum omne verbum, omnia illum posse, omnia valere. Unde demum Maria permota fuit, ut dictis Archangeli fidem ac assensum praeberet. Quae non eo diximus, ut fidei Marianae quidquam detrahamus; sed ut, quam Iosephus in eadem virtute [*post Deiparam*] excelluerit, ut qui nullis argumentis, nullis probationibus, nullis exemplis ad credendum opus habuerit, declaretur.

1027. Ex quo colligere est, plusquam Confessorem Deiparae Sponsum habendum. Cui quid potius, quam haec D. Chrysostomi in Matthaeum verba adiunxeris: « Vidisti Iosephi obedientiam? vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino virilem et nulla prorsus corruptione violatam? ».

1028. Ad alterum asserti nostri fundamentum accedo, quo dicebam ideo plusquam Confessorem esse Iosephum, quod occasio fuerit, ut fideles Confessores ac Christum confitentes esse possent: illum namque servavit, illum educavit, illum informavit, qui fidei principia mundo proposuit, de quo potissimi fidei christianae sunt articuli, in quem omnes credere, quemque confiteri, ut veri fideles ac confessores existant, tenentur. An non proinde merito de illo dixeris, quod de S. Ioanne Baptista ait D. Evangelista Ioannes cap. 1: « Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum? ».

1029. Sed an et inter virgines D. Iosephum numerare, ac super eos illum collocare fas erit? Erit profecto; quod non minus, quam praecedentia patebit. Pro virginitate illius primum facit illud S. Hieronymi adversus Helvidium testimonium: « Tu », inquit, « dicis Mariam Virginem non permansisse? ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio Virgo Filius nasceretur: sic enim in virum sanctum fornicatio non cadit: et aliam eum uxorem habuisse non describitur: Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus » (quantum ad matrimonium videlicet consummatum): « relinquitur ergo, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari ». Neque haec sufficiunt, etiam plusquam virginem Iosephum fuisse, D. Ambrosii, l. 4, de virginitate, loquentis verba declarant: « Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de coelo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in haec terreni corporis membra descendit? Tunc in utero Virgo concepit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet aliquis: Sed etiam Elias nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur. Ideo ergo curru raptus ad coelum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus est praecursor adventus ». Ut igitur mirum fuit, Eliam virginem ante Christi adventum extitisse, ideoque tantis merito praerogativis donatum esse; ita mirabilius multo in Iosepho fuit, et maioribus haud dubie privilegiis cumulandum, quod ille et in matrimonii statu virginitatem, antequam Salvator advenisset, servaverit. Loquitur hac de re eximius olim Universitatis Parisiensis Cancellarius Ioannes Gerson, serm. de Nativitate B. Virg.: « Cur pura perfectaque Ioseph pudicitia non praedicetur, qui virgo Virginem adiit atque servavit, quique primus ex masculis in coniugiis consortio coluit, et coli post se docuit sanctum et integrum coelibatum? ». Ex quo quid aliud sequitur, quam plusquam virginem Iosephum fuisse? qui non coelebs solum, sed in matrimonio etiam constitutus servavit castitatem.

1030. Scio et alios sanctos hoc postmodum esse imitatos; at dux et antesigna-

Digitized by Google

nus tam rarae castimoniae extitit Ioseph: de quo proinde dici possit, quod de Sanctissima illius Sponsa in haec verba ait Ecclesia: « Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo ». D. etiam Bernardus, hom. 3 super « Missus » ita Mariam alloquitur: « Tu Virgo, non dicam praeceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habens, nisi quod Spiritus Sancti unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus prius tibi factus est magister, quam Filius ». Idem, serm. super « Signum apparuit », ait: « Offerentur Regi virgines, sed post eam; nam primatum sola vindicat sibi Maria ». Accedat, quod S. Iosephus idcirco Virgini in maritum datus sit, ut illius virginitatis custos ac testis existeret. D. Augustinus, de S. Virgine, cap. 4: « Desponsata est », ait: Maria viro iusto, non violenter virginitatem ablaturo, sed potius contra violentos custodituro ». Adiunge D. Ambrosii verba in Lucam: « Locupletior, inquit ille, testis pudoris Mariae adhibetur, qui posset et delere iniuriam, et vindicare opprobrium, etsi non agnosceret Sacramentum ». Neque egregia D. Bernardi verba silentio praetereunda: « Dicam inquit, quod mihi, imo quod ante me, patribus visum fuit; illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Sicut enim Thomas dubitando et palpando constantissimus factus est Dominicae confessor resurrectionis: ita et Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis ».

1031. Denique ne quid deesset in quo non maior ceteris virginibus D. Ioseph existeret, huic concessum, ut quem illi sequerentur, iste praeiret, ac sequentem se haberet. Singulare sane virginum privilegium, quod Apocal. XIV, ita describitur: « Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit ». Iosephum vero ac Mariam, utpote virginibus sublimiores, Agnus ipse sequebatur, et eis humiliter obsequebatur, iuxta illa D. Lucae verba: « Descendit cum eis et venit Nazareth, et erat subditus illis ». Quod rursum D Bernardus hom. super « Missus est », in haec verba explicavit: « In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae praeit?

1032. Tandem restat ut cum Angelis D. Iosephum conferamus; quibus non similem tantum, sed etiam superiorem fuisse, multis possemus ostendere; nonnulla reliquorum instar sint. Verba sunt Vener. Isidori Isolani de hoc Sancto, 2 part., cap. 3. « Propter coniugium cum B. Virgine, Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis; et hoc munere sanctos aequavit spiritus, qui testes, et nuntii sunt ac revelatores mysteriorum Dei ». Et rursum, « Non parum, inquit, attulit dignitatis Ioseph legatio angelica, qua ei mandavit, dicens: Vocabis nomen eius Iesum (Matth. 1). Impositione enim, ac sanctissimi nominis huius publicatione, coeleste secretum mundo aperuit Ioseph, Patris coelestis vices gessit, Spiritus Sancti arcana, quae in Canticis et Prophetis mysteria abscondita erant, patefecit, Beatissimaeque mundi Reginae coniugis suae collega fuit, atque angelicae maiestatis sublimitatem attigit ». E quibus multa colligi possunt, quae D. Iosephum Angelis et similem et superiorem fuisse ostendat. Affirmat in primis, eum ad angelicam maiestatem evectum esse. Affirmat, in Verbum divinum, velut actum iurisdictionis, per nominis impositionem exercuisse. Affirmat, illum secreta divina revelasse. Affirmat, Patris aeterni gessisse personam, Spiritus Sancti officium subiisse, Reginae mundi collegam ac comparem effectum esse. Quibus omnibus munia Angeli vel propria, vel superiora, designata sunt.

1033. Nos nonnisi tria, quae Iosephum plusquam Angelum declarent, subnectemus. Primum est, idcirco hunc Sanctum Angelos dignitate praecedere, quod Sponsus sit ac maritus Reginae Angelorum. Apoc. XXI: « Qui habet sponsam, sponsus est ». Atqui indubitatum est, eos sponso minores ac subiectos, cui per contractum matrimonii omnia sponsae bona ac dominia facta sunt communia; ergo hoc ex argumento recte infertur, D. Iosephum Angelis dignitate superiorem esse. Alterum argumentum ex Isidoro rursus desumo, cum ita locutus est: « Quantae latebant in Sanctissimo Iosepho virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret, et vestiret? ad varia enim animantium genera alenda atque educanda, omnium corporum coelestium vis concurrit, quam ab Angelis orbium motoribus accipiunt; Ioseph autem Verbum Dei, per quod coelestes orbes et Angeli conditi sunt et in esse conservantur, enutrivit et aluit ». Neque a me frustra haec Isidori verba allata sunt, cum ex eis colligatur, ut Scholastici etiam tradunt Christo non, ut reliquis hominibus, Angelum custodem esse designatum, sed huius loco, Iosephum sibi assumpsisse: qui Angelis hac in parte multo est factus sublimior, utpote quorum custodiam Christus

Digitized by Google

noluerit, voluerit Iosephi. Tertio, eamdem nobis licebit probationem sumere, qua S. Paulus, I, ad Hebraeos capite, usus fuit, ut Christi dignitatem atque excellentiam prae Angelis declararet. « Tanto, inquit, melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? » et rursum: « Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? » et infra : « Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis ». Quod et in praesenti materia locum habet: nam quod de Christo Paulus, de Iosepho nobis dicere fas erit: Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim Dei Filius dixit aliquando Angelorum : Pater meus es tu? Et ad Angelos quidem dicit : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis ». Quo argumento usus fuit D. Bernardus, ut Deiparae Virginis prae Angelis excellentiam palam faceret. Homilia enim I. super « Missus », explicans verba Lucae II: « Filii quid fecisti nobis sic? » ait: « Quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis, et pro magno habent, quod, cum sint spiritus conditione et gratia, facti et vocati sunt Angeli, teste David : Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, sic maiestatem illam, cui ipsi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat Filium ». Iterumque : « Ille cui Angeli subditi sunt, cui Principatus et Potestates obediunt, subditus erat Mariae; nec tantum Mariae, sed etiam Iosepho, etc. ». Et ex his quidem sufficienter, ut opinor, iam liquet, de Iosepho nostro merito dici: « Ecce plusquam Angelus hic. Ecce plusquam omnes Sanctus hic ».

1034. Quae universa, quam convenienter ac solide hunc librum meum S. Iosepho inscripserim, lectori ostendunt. Quotquot enim a me asserta in medium hic allata sunt, totidem mihi fundamenta substravi, quibus praesentis operis molem, tanto patrocinio securus, imponerem. Nam in primis si oculos ad ea convertam, quae S. Mater nostra Teresia pro huius Sancti adiutorio sive a nobis implorando, sive a se obtento conscripsit; non certam solum mihi spem ingerere visa sunt, ut rem omnem ad felicem exitum, ope ipsius perducendam confidam; sed obligationem quoque, qua ut seipsam ac universa sua D. Iosepho obstricta esse S. Mater nostra ingenue fassa est, ego similiter, licet indignus eius filius, me totum illi debere libens agnoscam. Obsecutus igitur tantae Matris consilio, in illum simul mea refudi, a quo eadem profecta esse, confiteri necesse erat. An non enim, qui in matrem dominium habet, quoad genitam ab ea prolem, aequali iure potitur?

1035. Ita profecto, libentissime nos ac omnia nostra Tibi, o Sanctissime Pater Ioseph, deberi agnoscimus, et vel maxime quod Tibi debeantur, gaudemus. Sub Te enim quam ultronee profitemur servitutem, vere dominium est, quos, cum Tibi subiectos atque obligatos conspicis, elevare illos ac toto affectu, toto conamine adiuvare numquam desinas. Unde ausus etiam fui, sub Tuo nomine aliorum scripta in lucem proferre, perque exiguum, quem in horum collectione sumpsi laborem, non exiguum emolumentum sperare cuius rationes mihi esse video, et quia ad Te delata in bonum convertere soles, et quia quae Tua sunt, non defendere non potes. Non potes, inquam, quia omnia potes; quemadmodum praecipuis fere huius Epistolae dedicatoriae argumentis declaratum est. Ex quibus duo potissimum patent, Te nimirum omnia posse, et quia omnia potes, omnia Tibi iure deberi.

1036. Utrumque videamus. Quis omnia poterit, si non ille quem ut omnia posset, super familiam suam constituit Omnipotens; idque, ut domesticis eius, universis nempe fidelibus, mensuram tritici ac gratiarum distribuat? Non minor in hoc Ioseph Patriarcha factus, qui a Pharaone iuste adoptatus est, ut corporale frumentum, quod suo consilio, fami sublevandae servaverat, populo elargiretur. « Omnia », inquit D. Ambrosius, « habemus in Christo, et omnia in nobis Christus ». Huius ergo pretiosissimi thesauri distributio nulli potius, nulli aequius competebat, quam illi, cui ut servaretur, fuit concreditus. Multis haec in superioribus declarata frustra repetantur. Servavit itaque D. Ioseph omnia, ut prodesset omnibus; iis tamen vel maxime, quos ad se velut fratres ac filios proximius accedentes habet: prout ex miraculis pluribus, tam in aliis, quam ipsa S. Matre nostra Teresia factis, ad oculum patuit. An igitur aliquid deest quod ad potentiam D. Iosephi declarandam facere poterat? Quin et quia huc praecipue facere poterat, si ad felicem mortem obtinendam eum specialissimum esse Patronum demonstrarem, idipsum etiam feci: feci, non solum ut generatim omni materiae, sed et particulariter huic de liberandis e Purgatorio animabus tractatui serviret. Si namque ut feliciter e vita migremus, et ad gloriam secure pertingamus, Iosephi patrocinio commissum est; quis non videat, ut efficacius causam morientium agerem, eum in huius operis defensorem electum fuisse? Describo enim quomodo a poenis suis liberandae sint e vita decedentium animae, atque ex officio etiam huic Sancto nostro moribundos ac

Digitized by Google

mortuos adiuvare incumbat. Quid ultra desideres?

1037. Pars altera, qua idcirco D. Iosepho omnia deberi, quia is omnia possit, subsumpsimus, aeque facile declaratur. Nam si omnia ei servanda ac merito, ut vidimus, in alios dispartienda commissa sunt, an non hanc illi gloriam a nobis tribui ac deferri debere sponte fateamur? Omnia in manus illius Deus tradidit, cum Filium suum tradidit; iuxta illud D. Pauli, ad Rom. VIII: « Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » Hanc autem quispiam veritatem negare possit, omnia illi adscribenda esse (sano videlicet intelligendi modo) cui ut omnia haberet, omnia posset, omnia in illum referentur, voluit Omnipotens? Omnia rursum Iosepho debentur, si non minorem eius modo in coelis gloriam, quam in terris aliquando obtinuerit, dicere velimus. Christus homo factus, sub ipsius tutelam ac potestatem voluntarie semetipsum redegit, atque in omnibus promptissime, omnibus pluribus obedivit; et nunc quando in coelum illum secum assumpsit, ac condignum ei laborum praemium tribuit, aliquid (quod quidem deceat ab ipsius dispensatione secernet? Incredibile hoc omnino est, ac proinde subscribendum potius S. Teresiae Matris nostrae sententiae, qua ait: « Dominus nobis indicare velle videtur, quod quemadmodum illi in terra viventi subditus fuit (nam sicut pater illius dictus fuit, cum nutritius eius et sustentator esset, ita et imperare pro iure suo illi potuit) sic ei existenti in coelo nihil eorum quae petierit, deneget ».

1038. Accedit, quod omnia etiam ad S. Ioseph inde possint referri, quod non singulorum tantum Sanctorum ordinum gratias ac praerogativas unus ipse simul possederit, sed et prae singulis partem unam, eamque excellentissimam, ut fuse a nobis probatum est, ulterius obtinuerit. Quare nullo modo mirandum est, si ego praesens illi opus prae aliis Sanctis obtulerim, qui amplius, ut sibi honores deferantur, promeruit; cui maiora, ut ad se confugientibus succurrere possit, sunt merita. Non utique nisi vel maxime ad propositum fuit, D. Iosephi cum singulis Sanctorum ordinibus a me instituta comparatio, ac eius prae his omnibus declarata praeeminentia; quatenus ab unoquoque facile videretur, illum a me in Patronum recte acceptum, qui omnium foret praecipuus, aliorum esset Patronorum maximus, Patriarcharum primus et novissimus, Prophetarum terminus, Apostolorum antesignanus, Martyrum summus, Confessorum coryphaeus, Virginum princeps, Angelorum dominus, Deiparae Sponsus, Christi paterfamilias.

1039. At quomodo ego hominum minimus in conspectum tanti tamque eminentis Sancti, ut mea offeram, ac defendenda proponam, comparare ausus fui? Ingenue rem fatebor. Mecum egit sanctissima Mater nostra Teresia, quod cum filio suo Iacob olim Rebecca, ut is patris sui Isaac benedictionem acciperet. Nota est historia. Audiverat Rebecca maritum suum ad Esau primogenitum dixisse, illi se impartiri cupere benedictionem antequam moreretur, adeoque aliquid venatu quaereret quo vesceretur. Eapropter cum ipsa filium alterum Iacob, quem habebant, loco Esau benedictionis huiusmodi compotem fieri desideraret, eumdem induxit, ut fratris sui vestimentis indutus, se patri sisteret, atque ut evenit, benedictionem illius surriperet. Nisi hoc facto excitatus, nunquam gloriosissimum Patrem nostrum Ioseph, libri dedicandi ergo adire praesumpsissem. Sed animavit me Teresia Mater nostra: cumque maiori cum fundamento quam Iacob opponerem: « Timeo ne putet me sibi voluisse illudere », informe ei hoc opus obtrudens, « et inducam super me maledictionem pro benedictione ». Illa: « In me sit, ait, ista maledictio, filii mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer quae dixi. « Abii, ergo, et attuli, dedique Matri. Quae paravit sicut velle noverat patrem. Et vestibus, Reformationis nostrae, valde bonis quas apud se habebat domi, induit me, pelliculasque Elianas hoedorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit ». Quid restat, o Beatissime Pater, quam ut idem in me fieri supplex exposcam, quod Isaac cum Iacob fecisse Scripturae textus enarrat? « Dixit ad eum: Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filii mei », etc. Neque ego aliud opto, quam ut ad conspectum tuum me, qui ad hunc venire confundor, invites, osculoque dignum in propensi animi signum agnoscas, atque non mea quidem sed sacri Ordinis nostri vestimentorum fragrantia excitatus, inter alia, in haec benedictionis super me verba prorumpas: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur ». Amen, Amen: fiat, fiat.

Digitized by Google

1040. **Hymnus XIV.**

Iosephi Sancti vestigia sequamur.

Ioseph fert mentem stupidam
Fugae parans praesidium,
Dum videt Sponsam gravidam
Ignoratque mysterium.

2. Cui angelus apparuit
Et rem sacram exposuit,
Dicens: puellae servias
Intactamque custodias.

3. Cuius te pudicitiae
Testem Deus efficiat,
Congratulare gratiae.
Nam Salvatorem pariat.

4. Fidelis et obediens
In Bethlehem dum properat,
Professionem faciens
Ipsam secum detulerat.

5. Sacerdotis signaculum
Viro Sancto conceditur,
Post Virginem nam Parvulum
Primus tractat, dum nascitur.

6. Regalis quoque dignitas
Recte Ioseph adscribitur,
Qui Virginem per semitas
Associat, quo graditur.

7. Regale sacerdotium
Tenentes ex officio,
Per castitatis lilium
Ite Ioseph vestigio.

8. Paranymphi ecclesiae,
Parvulorum nutricii
Attendatis custodiae
Commissi ministerii.

9. Gloria tibi, Domine.

(Breviarium Othinens. imp. Lubecae 1479; Arosien. etc).

1041. **Memento.** — In mysteriis vitae D. N. I. C. fideles omnes cuiuscumque status, aetatis et conditionis ea omnia contemplentur oportet, quae ad propriam perfectionem acquirendam, et necessaria et maxime utilia atque convenientia sunt. Ut autem facilius exempla vitae Christi fideles imitari possent, sociam habere voluit ipse Dominus Beatissimam Virginem Mariam Matrem suam ab ipso instanti Incarnationis usque ad pretiosam suam in cruce mortem, et per multos annos etiam gloriosum suum patrem putativum B. Ioseph; ita ut non solum singillatim has personas colere nos deberemus, sed etiam in eisdem simul unitis prototypum et exemplar haberent familiae christianae...

Summus Pontifex Leo XIII sui litteris " Neminem fugit „ diei 14 Iunii 1892 et " Cum nuper „ diei 20 Iunii 1892 devotionem hanc erga Sacram Familiam iam in Ecclesia extantem laudare, confirmare ac promovere voluit, in eum sane finem, ut non solum per meditationem virtutum, quae in Sacra Familia elucent, fideles maiori charitate erga Christum, B. Virginem et S. Ioseph inflammarentur, sed etiam ad eos imitandos excitarentur, omnium virtutum exercitio, humilitatis praesertim, paupertatis, patientiae ac obedientiae, e quarum defectu, semper quidem, hodie vero maxime, tot ruinae in mundum irrepserunt. (Faesulanae Ecclesiae Synodus, an. 1903, p. 157).

XV. — Sermo Eliae a S. Teresia.

SANCTISSIMO IOSEPHO PATRIARCHAE NOVISSIMO - PRIMO DEIPARAE VIRGINI MARIAE SPONSO, PATRI-FAMILIAS SALVATORI DEO (1).

Legatio Ecclesiae triumph. ad militantem pro liberandis animabus purgatorii (dedicat. tom. 2. S. Iosepho).

Edito nunc priori operis nostri tomo, ut felicibus tuis auspiciis alter etiam in lucem prodeat, ad te, o Dive Ioseph, tamquam specialissimum mihi Patronum, rursus confidenter accurro. Neque modo, ut alias feci, mea hic ad gloriam tuam adducturus sum; aliorum solum scripta, quibus eximium praeconium tuum orbi testatum reddiderunt, recensebo Quod duplici a me ratione est factum, ut nimirum et ea quae sanctitati tuae hac dedicatoria offertur laudatio, si non meo, illorum saltem nomine, quorum verbis contexitur, fiat accepta; et illa quae sub initium alterius tomi a nobis magno cum affectu ad gloriam tuam sunt prolata, non ex impetu aut fervore, sed solido cum fundamento asserta probentur. Utpote quae Sanctorum Patrum aliorumque sacrorum scriptorum testimoniis constabilita habeantur. Supponimus in primis, quod et in priori dedicatoria sufficienter probatum fuit, antiquum Ioseph Patriarcham tui figuram extitisse, adeoque et quae illi velut in imagine ac umbra successerunt, tibi in veritate competere. Quae igitur de priori Iosepho adduxit Scriptura, dicendis praemittimus, ut ex illis postmodum verissimas Patrum ac Theologorum pro tua laude assertiones eliciamus. Antiquus Ioseph a patre suo Iacob huiusmodi in testamentum Gen. XLIX verba audivit: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et iurgati sunt, invideruntque illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel Deus patris tui erit adiutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae. Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazarei inter fratres suos ». Quibus illa consonant quae in Deuteronomii cap. XXXIII, quoque de eodem Pa-

(1) Cfr. not. pag. 184.

Digitized by Google

triarcha Ioseph pronuntiantur: « Ioseph quoque ait », videlicet Iacob: « De benedictione Domini terra eius, de pomis coeli, et rore, atque abysso subiacente. De pomis fructuum solis ac lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum: et de frugibus terrae, et de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem Nazarei inter fratres suos. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerontis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terrae, hae sunt multitudines Ephraim: et haec millia Manasse ». Sed et Ecclesiasticus, cap. XLIX, ita in eiusdem Patriarchae praeconium est locutus: « Nemo ut Ioseph; qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi: et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt ».

1043. Ex quibus multa quae mire ad gloriam nostri S. Ioseph faciunt, colligi possunt. Incipiamus. Aiebat in primis suo in testamento Iacob Patriarcha: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens ». Pro cuius faciliori intellectu notandum est, Ecclesiasticum Iosephi laudes ab eo auspicatum esse quod similis illi non foret propterea quod natus esset homo. « Nemo, inquit, natus est in terra, ut Ioseph, qui natus est homo ». Itane vero non ei similis est, quia natus est homo? an non homines universi tales nascuntur! Insigne in hoc itaque mysterium latere necesse est. Per hominem, virum in gratia Dei constitutum ac firmatum intelligi posse S. Gregorius in Moral, D. Hieronymus in Mich., Venerabilis Beda in Genes., Arnobius in Psalm., aliique docuerunt. Significatum proinde per Ioseph antiquum, qui novi erat figura, illud privilegium putamus, quo uti Sponsae suae simillimus foret, hanc a Deo gratiam recepit, ut in matris utero ab originali labe purgatus sanctificaretur. Hoc ut facilius credam, alius me Scripturae locus inducit, nam, Psalmo LXXXVI, de Deipara Virgine legitur: « Homo et homo natus est in ea et ipse fundavit eam Altissimus ». Quid hoc est, homo et homo natus est in ea? an non sufficiebat dixisse homo, ut humana Christi natura designaretur? sed quia exprimenda quoque erat Salvatoris nostri dignitas, qua iustus et absque ullo peccato nascebatur, merito additum fuit, « et homo », sensu nimirum iam explicato, et quo D. Ioseph natum etiam existimamus. Ceterum Sanctum hunc in utero a peccato solutum, ac divina gratia praeventum sequentes credidere Scriptores: Ioannes Gerson Cancellarius olim Parisiensis, Serm. de Nativ. Virg. habito in Concil. Constant., qui hoc ipsum ex antiquo Hierosolymitano officio confirmavit. Theophylus, item Chrysostomus, Isidorus Isolanus lib. de S. Ioseph cap. 9 et 10, Ioannes Eckius serm. de S Ioseph, Margarita Confessorum cap. ult ex memorab., Iacobus Christopolitanus Episcopus, in Magnificat, Christophorus de Capite-Fontium Archiepiscopus Caesariensis, lib. de perpetua Virginitate Mariae et Ioseph, antiquum Carmelitarum Officium, Ioannes de Carthagena, Iacobus Marchant, ac plures insuper moderni, qui rationes etiam diversas adducunt, multisque rem ostendunt, quemadmodum et affirmant in illo peccati etiam fomitem si non extinctum, ligatum saltem fuisse, eumque in gratia confirmatum, neque in mortale unquam delictum lapsum esse.

1044. Unde cum nequaquam diaboli, aut peccati mancipium, sed Deo amicus natus est, merito filius vocatur. Quin et quia numquam gratiam illam peccando interrupit, sed in ea semper incrementum accepit, Filius accrescens nominari promeruit. At satis non fuerat, si una dumtaxat vice a Iacob diceretur « Filius accrescens Ioseph »; idem igitur repetit, « filius accrescens ». Non absque novo sane mysterio: isthinc enim aliud iterum Iosephi nostri privilegium declaratur, qui non solum uti filius in gratia natus, ac ut filius genuinus gratia numquam fuit orbatus, sed filialis semper charitatis affectu, spiritualium bonorum donorumque, ac totius perfectionis accepit incrementa. Pro quo B. Albertus Magnus, super Missus est, ait: « Proprietas, et significatio, quae incrementum sonat, optime ei congruit, quia per hanc dispositionem quantum ad proximum et quantum ad Deum, sublimis fuit: virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia et dilectione, Matris Dei familiaritate, et divina, ut putabatur, paternitate ». Unde etiam Cardinalis Toletus super illud Lucae: « Cui nomen erat Ioseph », postquam nomen hoc cum Divo Hieronymo augmentum significare asseruisset, adiunxit: Ad hanc significationem alludens Iacob (Gen. XLIX), quando filio suo Ioseph benedixit, sic locutus est: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens ». Quasi diceret: Vere o filii Ioseph auctus es, et accrevisti, sicut nomen tuum significat: nam excelluisti, et in dignitatem provectus es tantam, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, et qui natu poene ultimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen Sponsus Beatae Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus: Vir accrescens Ioseph, vir accrescens. In tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas, sanctitate et dignitate nihil est aequale.

Digitized by Google

meruerit esse verus Sponsus, et Unigeniti Filii dei Pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis et titulis auctus est super omnes Patriarchas et Prophetas, qui ante eum fuerunt. Et paulo inferius de eiusdem Sancti augmento spirituali subdit: Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem invenies. In illo enim Ioseph castitas mirifice commendatur, ut refertur Gen. cap. XXXIX. dominae sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit sed etiam elegit potius iram domini sui pati, et peccator reputari, quam crimen contra Deum committere. Vere magna castitas est haec. At quis non admiretur nostrum Ioseph qui per plures annos cum Virgine pulcherrima Sponsa sua ita conversatus est, ut tamen neque ullo verbo, nec cogitatione, neque motu interiori, qui minus eum summa puritate conveniret, quique solet in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus.

1045. Sunt autem sequentia Iacob Patriarchae verba: « Et decorus aspectu, filiae discurrerunt super murum ». En ut hic corporalis Iosephi nostri pulchritudo describatur, quae et tanta fuisse asseritur, ut vel ad eum conspiciendum filiae super murum velut conscenderint, discurrerintque. Utrumque explicemus: Iosephum Mariae Sponsum, Christique patrem habitum, formosissimum extitisse, multa nos, ut credamus, inducunt. Eusebius Caesariensis lib. 7, de praeparat. Evang. cap. 3, « Aderat », inquit, « Iosepho libertas animi, maxime robur invictum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa, sed pietate in verum Deum maxime praestabat, eratque mirabili corporis praeditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur ». Quin et D. Ioseph formosum adeo fuisse, ut post Virginem Matrem, nullus fuerit Christo similior, docuerunt S. Iustinus Martyr in Dialogo contra Triphonem, et Lexicon Theologicum verbo Ioseph. Gerson etiam serm. de Nativ. B. M. et in Iosephina sua, Auctor Sum. Margar. Confess., qui ait: « Ioseph fuit Christo simillimus, et per consequens formosissimus ». Idem docuere Bernardinus Busten., Isidorus Isolanus et alii, estque iam apud multos ut commune receptum. Nam, teste Aristotele, lib. 2, de Anima. cap. 4, naturalissimum in primis est viventibus, sibi simile generare. Unde cum S. Ioseph pulchros, ut D. Matthaeus refert, parentes habuerit, atque in illo regiae istius prosapiae linea terminata fuerit, quis eam in minus formoso terminatam fuisse credat? Hoc idem ex fine, ad quem ordinatum fuit Iosephi cum Deipara matrimonium, colligi potest: nam ut honorem pudoremque Virginis servaret, et ipsum Christum instar patris educaret, conveniens erat ut iisdem qui super homines universos forma excelluerunt, similis esset. Quapropter mirandum non sit, huius pulchritudine filias Dei, ac perfectorum animas adeo allectas fuisse, ut eius videndi causa murum conscendisse, per eumque discurrisse dicantur. Quae tamen spiritualiter potius accipienda sunt, ut interna scilicet ac mystica Iosephi formositate et pulchritudine in eius amorem mentes fidelium rapiantur: ut de S. Stephano canit Ecclesia: « Lapides torrentis illi dulces fuerunt, ipsum sequentur omnes animae iustae «. Et de Beatissima Virgine, Psalmus XLIV: « Adducentur Regi virgines post eam; proximae e us adducentur tibi ». Imo et de coelesti Sponso, Salomon Cantic. 1.: « Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum ».

1046. « Sequitur: « Sed exasperaverunt eum, et iurgati, sunt, invideruntque illi habentes iacula ». Tribulationes, hic, sine quibus iusti vita non ducitur, subiunguntur. Utique D. Chrysostomus, in Matth., Iosephi vitam, velut ex adversitatibus ac consolationibus egregie fuisse contextam, hisce verbis affirmat: « Enimvero misericors Deus moestis rebus quaedam etiam iucunda permiscuit Quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes neque iucunditates sinit habere continuas: sed tum de adversis, tum de prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexit: quod hic quoque eum fecisse considera. Videndo quippe S. Ioseph gravidam Sponsam, in conturbationem incidit maximam; sed adfuit repente Angelus, timorem prorsus extinguens. Deinde videns Puerum natum, maxima exultatione repletus est. Sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, ipse Rex fureret, et ad necem Puerum quaereret. Sed et hunc moerorem alia rursus laetitia subsecuta est, apparitio videlicet stellae, et adoratio Magorum. Post hanc quoque iucunditatem, iterum periculum, iterumque, formido. Quaerit, inquit, Herodes animam pueri, et fugere necesse est, et in longinqua transire ». S Iosephum vero plurima sustinuisse, iam saepius patuit: superesse solum videtur, cur addatur, « Invideruntque illi habentes iacula ». Daemones nimirum sunt, quos iacula in nos ignea emittere testatur Apostolus, Ephes. VI: « In omnibus, inquit, sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere ». Hi vero quantopere D. Ioseph inviderint, unus satis superque Venerabilis Isidorus Isolanus edocuit: « Fuit, inquit,

Digitized by Google

Ioseph Christi pueri contra insidias diaboli et astutias defensor: magna profecto erat, et mortalibus inexplicabilis virtus Iosephi, quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram quae diaboli potestati comparari valeat. Illi tamen incognitas Iosephi virtutes Deus omnipotens apposuit: quam fortis, quam excelsus quanta fulgebat prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum, ac nequissimum diabolum Filium Dei infantem ac puerum protexit, et defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus est, tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum Angelicum diaboli obtenebravit: oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Iosephi ». Quia vero in his omnibus Iosephus gloriose victor evasit, merito Testamentum veteris Patriarchae subiungit: « Sedit in forti arcus eius, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Iacob: inde egressus est lapis Israel ».

1047. O quanta et quam ingentia hic mysteria! plura multo quam verba! « Sedit in forti arcus eius ». Variae sunt loci illius explicationes, atque earum aliquot ad eximiam Iosephi gloriam adferendae sunt. Nam si in primis de Salvatore nostro accipiantur, non exiguum ipsius patrifamilias honorem conciliant, a quo speciale adeo adiutorium ac multiplex victoriarum trophaeum accepit. Quadrat huic intellectui D. Ambrosii, quam libro de Isaac, capite 5, adfert, sententia. « Lectus Sanctorum Christus est, in quo universorum fessa saecularibus praeliis corda requiescunt. In hoc lecto requievit Isaac, et benedixit filium iuniorem ». Dicamus et nos, in hoc lecto tamquam forti atque inexpugnabili sedit ac requievit Iosephi animus, qui velut arcus hostes suos expugnavit. Sed et eadem verba ad ipsum D. Ioseph referre, hoc sensu licebit. Arcus Ioseph, qui est ipsemet Christus, sedit in forti, hoc est, tutus ac securus fuit in eius tutela atque custodia, qua illum contra Herodem, Ægyptios, Archelaum, ac reliquos hostes prudentissime generosissimeque defendit. Unde « et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius »; universa videlicet implicamenta obstaculaque, quibus diabolus ac homines mali Incarnationis Christi fructum, ac generis humani salutem impedire conati sunt. Quod etiam in priori eorumdem verborum acceptione locum habet, si dicamus S. Iosepho per Christum, vincula quorumcumque impedimentorum fuisse soluta. Porro utrumque hoc factum est « per manus potentis Iacob », Patris videlicet aeterni, « cui nihil impossibile », sed « omnipotens nomen eius. Omnia quaecumque voluit fecit, in coelo et in terra ». Sed praecedentibus in Iosephi testamento Iacob adiunxit: « Inde pastor egressus est lapis Israel », hoc est, quia adeo diligenter ac fideliter Salvatorem nostrum, qui de seipso ait Ioann. x. « Ego sum Pastor bonus », Ioseph custodivit, lapis inde Israel ac fundamentum salutis humanae, tuto egressus est. Non enim satis erat Altissimo, si ipsi Iosepho vincula tribulationum dissolveret, voluit insuper illius opera angularem illum lapidem egredi, ac salvum evadere, super quem tota spes atque expectatio Israelitarum nitebatur. « Lapis ille angularis est », ut testatur Apostolus, « faciens utraque unum »; de quo et I Corinth. x. « Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus ». Et ad Ephes. II. « Estis cives sanctorum et domestici Dei; superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ». Ad quam per Iosephi ministerium Israelitis collatam firmitatem ac soliditatem apertius declarandam, Ecclesiasticus cap. XLIX, ubi dixisset, « Ioseph homo natus est »; statim adiecit, « Princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi ».

1048. Quibus praemissis clarius adhuc Iosephi benedictiones Iacob expressit: « Deus, inquit, patris tui erit adiutor tuus, et omnipotens benedicet tibi ». In quo tria rursum notanda occurrunt Primum est, quid hic per Iosephi patrem intelligatur, qui non alius sane melius quam Rex David accipi potest. Nam Matthaei I, Iosephum Angelus allocutus: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Quod maximum sane privilegium: quemadmodum enim unigenitus Filius Dei, ut ex Scripturis constat, vocatus est filius David; ita solus hic inter Sanctos omnes novi Testamenti, eodem nomine appellari promeruerit. Cuius rei variae a Sacris Scriptoribus allegantur rationes. D. Bernardus homil. 2, super Missus, ait: » Vere de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo David: prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui cito committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum; cuique tamquam alteri David incerta et occulta sapientiae suae manifestavit ». Non dissimilia tradit S. Antoninus, 4 par. Theolog., tit. 15, cap. 8, ubi illa verba, « De domo David » exponens, « Dicitur, inquit, Ioseph de domo David, non tantum propter successionem in genere, sed principalius propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur esse de una

Digitized by Google

domo, iuxta illud Psalmistae: Qui habitare facit unius moris in domo ». Adde etiam, quod conveniens esset, ut ipse, qui Regis coelestis futurus erat nutritius regia foret nobilitate conspicuus, iuxta Isaiae Prophetiam: « Erunt Reges nutritii tui », id est, Maria et Ioseph ex regia Davidis prosapia oriundi. Quin et Rupertus in I. Matthaei: « Hic, inquit, percunctari libet, quare timorem eiusmodi Virginem occulte dimittendi, Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? Quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem quae ei desponsata erat? videlicet, ut tentaretur, et manifestum fieret tam sanctis Angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus, et talis, qui digne sic deberet appellari Ioseph filius David. Sicut enim David exulare maluit, quam inimico nocere, ita Iosephi mansuetudo ex supradicto exemplo cognosci potuit ».

1049. Nos interim ad alterum quod notandum dicebamus, accedimus: « Deus Patris tui erit adiutor tuus ». Quasi Spiritus Sanctus evidenter hinc indicare voluerit illam Davidi, Psalmo LXXXVIII, factam promissionem: « Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea », in Iosepho fuisse completam; utpote in quo velut potente, ut supra vidimus, suum Deus adiutorium custodiamque posuerit; quo illum exaltaret, ac mundo cognitum faceret, de quo, Matthaei III et XVII, e coelis intonuit: « Hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui ». Tertio autem Iacob adiunxit: « Et Omnipotens benedicet tibi ». Recte Iosephi benedictio ab Omnipotente collata dicitur, quia si umquam divina Maiestas omnipotentiam suam declaravit, illud certe in mysterio Incarnationis fuit, cuius et fotor et protector assumptus est Ioseph. Hecce vero mysterium ita Deipara Virgo suo in Cantico, Lucae I, explicavit: « Fecit mihi magna qui potens est ». Et iterum: « Fecit potentiam in brachio suo ». Neque hoc immerito, quandoquidem, ut libro II, cap. X, declaratum est, extremum potentiae suae in eodem Incarnationis mysterio Deus ostenderit; imo impossibile illi foret unionem magis perfectam, quam cum Verbo divino, ac perfectioris filii Matrem, quam Maria fuerit, efficere: ut recte Doctor Angelicus, p. I, q. 25, art. 6, asseruit. Sed qualis Omnipotentis super Iosephum fuerit benedictio, prolixius sequentibus Iacob verbis exponitur: « Benedictionibus, inquit, coeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae ». Quod ut facilius lector intelligas, adverte Isaiam Prophetam cap. XLV, Christi adventum verbis sequentibus expostulasse: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem ». Duo petit Isaias, ut nimirum e coelis ros ac pluvia decidant, et terra germinet Salvatorem. Per rorem ac pluviam Spiritus Sancti, ex quo conceptus est Christus, influxus, per terram vero Mariae, quae hominis terreni filia extitit, conceptus partusque significati sunt. Cuius videlicet utriusque benedictionibus Iosephus noster cumulatus est. De priori dicitur: « Benedictionibus coeli desuper »; de posteriori: « Benedictionibus abyssi iacentis deorsum ». Neque absque ratione Maria abyssus iacens deorsum appellatur, tum propter humilitatem suam, qua omnium se minimam infimamque existimabat, tum propter gratiarum ac virtutum profunditatem, in quibus tam altas egit radices, ac tantopere super homines universos profecit, ut in ea aut finis aut fundus nequaquam inveniretur: abyssus fuit quae vocem suam dedit, unde altitudo bonitatis divinae manus suas levavit. Abyssus perfectionis omnium creaturarum, quae divinorum charismatum abyssum efficaciter adeo invocavit, ut cataractae coeli apertae sint, ac maiori abundantia, misericordiarum divinarum influxibus terra repleretur, quam tempore Noe aquarum vorticibus immersa fuisset.

1050. Ad rem: Duo ad Christi Incarnationem concurrerunt, Spiritus Sanctus et Maria, eorumdemque benedictiones assecutus est Ioseph. Quantum ad priorem, ille cum Spiritu Sancto ea velut sibi officia divisit, quae in Maria ad Verbi divini generationem exercere opus erat. Primo namque, quemadmodum Spiritus Sanctus cuius est animas sanctificare, gratiaque perfundere, sponsam hanc suam gratia replevit, iuxta illud Archangeli Gabrielis, « Ave gratia plena »; ita gratiam etiam Mariae illam S. Ioseph exhibuit, de qua intelliguntur Ecclesiastici XXIX, verba: « Gratiam fideiussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam ». Secundo, quoad Mariam dictum est, Lucae I,: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ». Hoc autem sic exponit S. Augustinus: « Obumbrabit, id est, ab aestu libidinis defendet, ut salva nimirum virginitate conciperet ». In cuius gloriae societatem merito D. Iosephum vocari oportet: sicut enim Spiritus Sanctus virginitatis Marianae defensor et assertor fuit, ita eiusdem etiam virginitatis custos, noster dici debet; quo quidem nomine censetur ab Augustino, serm. de Annunt. Mariae, ut et ab aliis passim Patribus. Bernardus vero, illud « obumbrabit » sic edisserit: « Spiritus Sanctus mysterium Incarnationis, et Virginitatem Mariae teget,

Digitized by Google

et quasi tenebris obducet, ne passim ab hominibus cognosci posset; cuius item gloriae se nequaquam exortem esse S. Ioseph passus fuit; quin imo si Spiritus, inquit, Sanctus ad hoc mysterium occultandum umbram aliquam obtendere volet, ego sane futurus sum illa umbra ac tegumentum: quia non aliter Virgineus Mariae partus celatus et occultatus est, quam per nuptias quas Iosephus cum illa contraxit ». Ad haec alii tradunt verbum illud « obumbrabit » esse vocem nuptialem, sicut nubo, tego, operio, et id genus similia, adeoque sensum esse, obumbrabit, id est, viri opus ac vices compensabit, ut scilicet ab ipso Spiritu Sancto, sine viro, Christi conceptus perageretur. Unde et sublimis quaedam alia elicitur Iosephi dignitas, cuius velut vicarius ipse Spiritus Sanctus effectus est. Meminerit lector quid olim lex fratri minori praescripserit, ubi natu maior, antequam filios sua ex uxore susciperet, obiisset: « Et accipiet, inquit, eam » scilicet uxorem fratris natu maioris « frater eius, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen illius de Israel ». At D. Ioseph, ad prolem generandam ob votum perpetuae virginitatis, quod emiserat, iam quasi mortuus, ac vita functus numerandus erat, ac propterea Spiritus Sanctus erga illum, liceat ita loqui, quasi minoris fratris vices agit, atque illi semen suscitavit, hoc est, filium in utero Virginis Mariae divina sua virtute procreavit, qui licet opera ac virtute eiusdem in lucem editus fuerit, cum tamen Spiritus Sancti filium appellare (ut verosimilior fert opinio) fas non est, ubi Iosephi tamen filius et dici et appellari potest, ac debet, ut ab ipsomet Evangelio ac Deipara edocti fuimus. Ait S. Lucas Evangelista, cap. II. « Erant pater eius et mater mirantes, etc. Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ». Item: « Et non cognoverunt parentes eius ». Ait ibidem S. Maria: « Fili quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quaerebamus te ». Quid clarius?

1051. Rursus, Spiritus Sanctus Mariae Sponsus aliter cum Iosepho congressus est, eaque scilicet officia ac munia, quae per semetipsum exequi non poterat, imitari ac velut adumbrare studuit. Nam sicut legitimus ille fuit ac proprius Mariae Sponsus, per veras, ei legitimasque nuptias copulatus, ita eamdem similiter dignitatem et gloriam, liceat sic dicere, ambivit Spiritus Sanctus; cumque Mariae ea ratione per corporis nuptias desponsari non posset, id tamen, quoad fieri potuit, imitatus fuit. Primo quidem Nicephorus Callixtus nuptias Mariae atque Iosephi describens ait: « Spiritus Sanctus fuit huius connubii paranymphus, et pronubus ». Pronubus autem vulgo est procurator, qui nomine Sponsi absentis, sponsam ducit. Igitur Spiritus Sanctus, ut aliqua ratione Mariam duxisse vere affirmaretur, cum eidem nomine suo nubere non posset, pronubum egit, unde de alterius saltem nomine illi nubere diceretur. Si roges quomodo sese pronubum ac paranymphum Spiritus Sanctus exhibuerit? describit hoc S. Hieronymus in historia de ortu D. Mariae, ubi ait: « Pontifex ad consulendum Deum de more accessit; nec mora, cunctis audientibus de oraculo, et de propitiatorii loco vox facta est: requirendum esse, cui Virgo illa commendari ac desponsari deberet, cunctos de domo et familia David nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas ad altare allaturos esse praedixit, et cuiuscumque virgula florem germinasset, et in eius cacumine Spiritus Domini specie columbae consedisset, eum esse cui Virgo commendari, et desponsari deberet. Eventus autem oraculo respondit, et Spiritu Sancto specie columbae supra illius virgulam consedente, delectus est Ioseph ». Merito igitur Nicephorus harum nuptiarum paranymphum et pronubum Spiritum Sanctum appellavit. Quid plura? Gerson praescriptam historiam referens, sic eam absolvit: « Ioseph ergo Sancto Spiritu suadente Mariam duxit uxorem », id est, Spiritus Sancti afflatu, et impulsu. Exploratum vero in moralibus est, ei qui alteri aliquid suadet, effectum illi exhortationis perinde adscribi, atque si ipse per se rem gessisset. Et quidem satis, ut opinor, ex dictis iam constitit, quam egregie verba illa Iosepho nostro conveniant: « Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper ».

1052. Sequitur ut non minus sequentia aeque propria ei convenire ostendamus, « Benedictionibus abyssi iacentis deorsum ». Haec, ut superius dicebamus, nos inducunt, ut D. Ioseph ad generationem Verbi divini perficiendam, occasione Mariae praebuisse credamus. Neque illud multis probandum est, cum eam in rem insignem illum D. Augustini locum habeamus, serm. 14, de Tempore, in festo Nativit. ubi ait: « Habe Ioseph cum Maria coniuge tua virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum, sit Maria sponsa Christi virginitate servata ». Mendum hic esse, atque adeo ut sententia sibi cohaereat locum ita restituendum, merito putant scriptores: « Sit Maria Mater Christi virginitate servata, sis autem et tu pater Christi cura castitatis, et honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris Dei Genitricis, saeculis Christianis nulla sit zelotypia ». Verba illa hunc ad sensum revocanda sunt. Alloquitur D. Augustinus S. Iosephum Mariam coniugem suam dimit-

Digitized by Google

tere cogitantem, atque ei dicit: « habe », id est cole virginitatem carnis, quae tibi cum Sponsa tua Maria una ac communis est, neque temere hoc a te faciendum, qui enim virginitatem colunt, virtute ac meritis Angelis ipsis pares sunt: « Sit », igitur, « Maria Mater Christi virginitate servata ». Unde haec verba non ab ipsa Maria virginitatem servatam significant, sed a Ioseph, qui Mariani pudoris custos, et servator extitit Itaque ait Augustinus: « Sit », scilicet o Ioseph, « Maria Mater Christi servata per te ipsius virginitate »: et quod nimirum Maria sit Mater Christi, hoc tibi debeat; nam idcirco facta est Mater Christi, quia virgo permansit; ideo autem virgo permansit, quia tu virginitatem illius non solum, ut iure poteras, non violasti, verum etiam hanc ipsam conservasti. Unde D. Augustinus prosequitur atque ostendere pergit S. Iosepho Deiparae virginitatem propterea adscribendam esse, quod iure suo quod ipsi ex legitimis nuptiis in Mariae carnem competebat, libens cesserit, atque una cum ipsa in perpetuam virginitatem conspiraverit. Observa igitur Iosephi dignitatem, ac immensum quod erga ipsum habet Maria debitum. Quod enim Mater Dei electa et facta sit, post Deum uni debet Iosepho: Nam virginitas illi, ut diximus, maternitatem attulit, virginitatem autem illius Iosephi temperantia conservavit.

1053. Ex quo debito facile conjecturari licet quantis pia illa ac gratissima coniux argumentis debitum hoc rependere ac remetiri studuerit. Subdit vero Augustinus: « Sis autem et tu pater Christi cura castitatis, et honorificentia virginitatis », id est, non quidem tuae, sed Mariae: quasi dicat, dum sponsae virginitatem, ut optimus custos, tua temperantia servas, atque defendis, non solum id obtines ut ea sit Dei Mater, sed etiam ut tu ipse excellenti quadam auctoritate fias instar Dei patris; sicut enim alii mariti ductis uxoribus earumdem filiorum parentes efficiuntur, sic tu e converso sponsae tuae virginitate servata, pater Christi efficieris. Nam quemadmodum aliis filiis nascendi causa est usus coniugalis: ita etiam Christum generandi causa fuit abstinentia ab hoc usu, et ipsa Matris a Iosepho servata virginitas. Salvatorem enim non aliter quam ex Virgine nasci oportebat. Unde etiam fiet, « ut de virgineis membris Dei genitricis, saeculis Christianis nulla sit zelotypia », id est, te virginei eius pudoris custode ac servatore futurum est, ut deinceps nullis umquam saeculis Christianorum animos ulla tangat Marianae virginitatis suspicio, sed certissimo omnes crediturі sunt eamdem ante partum, in partu, et post partum inviolatam virginitatem conservasse. Itaque D. Augustini mens est talis, S. Ioseph omnem ab Ecclesia de perpetua Dei Genitricis virginitate, si quae unquam foret, abstulisse suspicionem. Sufficiebant ea, ut quam apte in D. Iosephum quadrent verba, « Benedictionibus abyssi iacentis deorsum »; lector intelligat At quoniam hac in abysso deorsum iacente, id est, absque fundo ac fine existente, infinita alia recondita latent mysteria, non immerito ex iis aliquot adhuc eruere ad eiusdem Sancti gloriam conabimur. Vere D. Ioseph benedictiones infinitae illius abyssi, Beatissimae scilicet Virginis, competere dicendae sunt. Nam si ex hoc quod illa Dei Mater effecta sit, ad supremum gratiae ac gloriae culmen pervenerit, an non D. Ioseph, qui, ut istud fieret, occasionem praebuit, in eamdem benedictionum participationem venire debere dicendum sit? Aiebat apud D. Matthaeum Salvator, cap. x: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet ». Nullum itaque dubium, quin benedictionum Marianarum communicatio, quarum ipse ansam dedit, ac veluti iecit fundamenta, S. Iosepho tribuenda ac concessa fuerit.

1054. Accedit quod eadem quoque serenissima Sanctorum Regina, hunc Sponsum suum, omnium quorum potuit meritorum ac divinorum charismatum participem fecerit, non ob hoc solum quod utriusque coniugis bona per matrimonium fierent indivisa, sed vel ex eo maxime quod Maria omni quo potuit cordis affectu gratia sibi a Deo concessas, ob arctissimam animorum unionem dilectionemque in Sponsum suum refuderit. Audiatur S. Bernardinus, serm. de hoc Sancto: « Quia revera Virgo, quanta erat unitas matrimonii in spirituali amore, agnoscebat, et sciebat Iosephum sibi a Spiritu Sancto datum in Sponsum, ed in suae virginitatis fidum custodem, et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine divinissimam prolem Dei, ideo credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat. Amplius, cum omnia quae sunt uxoris, sint viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei exhibebat ». Addit: « Cum Virgo tot, et tanta peccatoribus impetret sceleratis, quanta putas impetraverit Iosepho Sponso? » Sed rursum adiungit: « Si nos miseri ex cohabitatione Sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus; quantum existimandum est, Iosephum cum sacra Virgine profecisse? » S. Bernardiuo D. Bernardus accedat; hic serm. 1, de Assumpt. B. Virginis, loquelae virtutem ita

Digitized by Google

enuntiat: « Cuius salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt; quod si parvuli, necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit coelestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata eius frui praesentia meruerunt? » Maximopere igitur S. Iosephum ex continua Sponsae suae praesentia atque adeo intima illius conversatione profecisse, colligi facile potest; quod eo manifestius esse confitebimur, quo maiori Sponsum hunc suum reverentia Deiparam prosecutam fuisse perspexerimus. Ait Ioannes Gersonius, serm. de Nativit.: « O miranda prorsus Ioseph sublimitas tua, o dignitas incomparabilis, quod Mater Dei, Regina coeli, et Domina mundi appellare te Dominum non indignum putaverit ».

1055. Sed et alia eaque certissima habemus argumenta, quibus meritorum B. Mariae Virginis ac illius Sponsi communicationem similitudinemque indubitanter admittere permoveamur. Si enim omnium Creator ubi Adamum de limo terrae efformasset, eumque per vitae spiraculum in hominem viventem sublimasset, adeo sollicitus fuerit, ut Genesi II. de illo dixerit: « Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi ». Quanto potiori cura ac maiori sollicitudine filiae suae inter omnes creaturas dilectissimae de simili Sponso, ut parentes omnes affatim solent, providere conatus est; de simili, inquam, Sponso, ut adiutorium ei foret simile sibi; de simili Sponso, ut similitudo, iuxta Philosophos, causa esset amoris; simili Sponso, ut quemadmodum Maria primogenita erat in gratia ante omnem creaturam, ita etiam Ioseph eiusdem adiutorium maxime idoneus eligeretur ex omni carne. Quid plura? Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius ad haec loquitur: « Decuit, ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequeat intelligi, ut S. Anselmus ait: ita decuit, ut Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatus Christus: et ut potest colligi ex Matth. I, Beatissimus Ioseph fuit super omnes homines, purus similis Virgini gloriosae ». Unde iterum D. Bernardinus: « Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione, coniugii scilicet, uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi et virtutum operatione simillimam? Unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione; ut esset adiutorium simile Virgini ». Nihil proinde de hoc matrimonio aptius dixerim, quam quod in Matth. ait Rupertus: « Coniugium coeleste, non terrenum, unus spiritus, et una fides erat in eis, sola illic carnis corruptio desinit » Huic sane matrimonio congruit potiori iure, quod de parentum suorum coniugio D. Nazianzenus, orat. 19. asseruit: « Sic existimo, si quis ab ultimis terrarum finibus, atque ex universo hominum genere, praestantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum umquam hoc praestantius, aptiusque reperiri potuisse ». Haec ille. Quibus demum addo Antiphonam illam, quae sub S. Iosephi officio in Ordine nostro antiquitus recitabatur: « O felix fide matrimonium, sacramento neque prole vacuum! Ecce Ioseph vice pater, et Maria Virgo Mater; honore salvo virginali, enutriunt pari voto filium ».

1056. Ad quid multis opus est verbis? Non contentus erat antiquus Patriarcha Iacob, si generatim eam Iosephi nostri benedictionem, qua in perfectionibus Marianis partem accepit, exponeret; duo in particulari subiungit, quibus super universos quorumcumque coelitum ac Sanctorum dignitatum titulos elevatus est. « Benedictionibus, inquit, uberum et vulvae »: per membrum anterius designatur quod D. Ioseph Mariae sit maritus, per aliud quod pater Salvatoris. Ut verum in primis Deiparae maritum ostendamus, ad manum nobis est S. Augustinus, qui lib. 23. contra Faustum, ita loquitur: « Quid ergo iam moveat Sancti Evangelii sectatorem quod sine concubitu Iosephi Christus natus ex Virgine, filius tamen David appelletur, cum generationum seriem, non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Matthaeus Evangelista perducat? Primo, quia mariti eius fuerat propter virilem sexum potius honoranda persona, neque enim, quia concubitu non permixtus, ideo non maritus, cum ipse Matthaeus narret, ab Angelo Mariam coniugem ipsius appellatam: qui narrat, quod non ipsius concubitu, sed de Spiritu Sancto conceperit. Cum vero unus idemque narrator, utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariae Ioseph, et Christi Virginem Matrem, et Christum ex semine David, et Ioseph in serie progenitorum Christi, et David, quid restat ut credat, qui vult divino Evangelio potius, quam haereticorum fabulis assentiri, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, eam Ioseph coniugem non frustra appellatam propter ordinem sexus, et animorum confederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus, et Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus? » In quo sa-

Digitized by Google

cratissimo Mariae ac Iosephi matrimonio bona omnia reliquorum coniugiorum inclusa esse idem D. Augustinus edocuit. Vide lib. II. cap. XI. n. 25. Sed quemadmodum sacri Evangelistae de Virgine pauca enarrantes, verbo unico plurima eius encomia comprehensi sunt, ubi illam Dei Matrem appellarunt: « De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus »; Ita iidem de Iosephi vita ac moribus perpauca quidem commemorantes, per multa tamen eius in laudem edixere, cum illum Virginis Sponsum appellarunt: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae » et: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus », item: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam », etc.

1057. Quem morem Evangelicum D. Gregorius Nazianzenus imitatus, orat. 2, de laud. Gorgoniae, ut probaret qualis vir fuisset Gorgoniae coniux, dixit: « Vultis uno verbo virum describam? Vir erat Gorgoniae; nec enim scio quid amplius dicere necesse sit ». Ad eumdem certe modum hoc in negotio se gessisse sacri Evangelistae reperiuntur dum miram Iosephi sanctitatem nobis indicare, ac innumeras eius laudes brevi sermonis eloquio comprehendere voluerunt; « Ioseph autem vir eius »; quasi dicerent: Vultis verbo uno Iosephum describamus? Vir erat Mariae. In quo sane infinita illius delitescunt praeconia. Fuit enim vir, « qui timuit Dominum, et in mandatis eius voluit nimis; vir qui non habiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit; vir, qui evacuaverat omnia, quae parvulorum sunt; vir, qui viriliter egit, et confortavit cor suum, et Dominum sustinuit; vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo; vir pretiosior auro, vir ex omni plebe electus, sapiens et timens Deum, veritatem amans, odiens munera, et avaritiam; qualem non dicam ex millibus, sed ex universo hominum, quotquot unquam vixere, coetu unum reperit Deus, quem Genitrici unigeniti Filii sui in carissimum Sponsum, et fidelissimum defensorem eligeret. At si desponsationem ac matrimonii unionem, quam cum Maria Iosephus iniit, intueri velimus, in hac iterum antiquo Ioseph Patriarchae - similis extitit. Pro quo Vincentius, in Spec. historiali, pulchri aliquid refert: Aseneth videlicet filiam magni sacerdotis Heliopoli pulcherrimam aetatis suae feminam, ac castitatis amantissimam, firmiter proposuisse nemini, nisi forte deorum alicui se in uxorem esse daturam: unde in arce se fortissima, ubi cum aliis virginibus vitam illibate traduceret, conclusit. Accidit autem, ut Iosepho Ægypti iam pro rege creato atque illac transeunte, Aseneth ex arcis fenestra illum conspiciens, modestissimae eius ac pudicissimae pulchritudinis amore capta, in Sponsum illum accipere consenserit. Ad eumdem igitur modum B. Virgo feminarum universarum pulcherima, quae nonnisi Deum immortalem in sponsum admittere disposuerat atque ideo ob virginitatis amorem in templo cum aliis virginibus conclusa, vitam ducebat, ex divino instinctu, Iosephi modestia ac virginali pudore allecta, illum in Sponsum suum libenter accepit. Aseneth (si Hebraeis credimus) « ignem distillantem » significat: quod et recte in Deiparam quadrat, utpote quae in Sponsum suum divini amoris ignem instillans, minimam etiam libidinis scintillam in eo penitus exstinsit. Et ut in omnibus mira haec similitudo effulgeat, sicut Ioseph ille Patriarcha (eodem quo supra auctore) numquam ulli nubere firmiter decreverat, unde Zenobiae et aliarum illustrium feminarum importunis precibus reluctatus, invicto semper animo obstiterat, donec iussu tandem Regis Pharaonis uxorem duxit: sic Beatissimus noster Ioseph, quamvis eximius foret cultor virginitatis, firmumque propositum, imo et votum nunquam eam violandi fecisset, divino tamen mandato obediens, Dei Genitricem Mariam in Sponsam ac Uxorem libens accepit.

1058. Rationes interim plures sunt, ex quibus quam fuerit Ecclesiae proficuum, Mariae cum Iosepho connubium innotescat; verba sunt D. Ambrosi in Lucam: « Desponsata fuit Virgo, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cuius gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris; servatur itaque Sanctae Mariae, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas; oportet enim sanctos ex aliis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui quod infamata Mater quoque Domini videretur ». Haec Ambrosius; qui eodem libro inquit: « Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris; nec putavit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendam ». Et haec quidem de bono exemplo, quod Ecclesiae Dei ratione matrimonii S. Ioseph fuit relictum. Accedat insigne aliud emolumentum, quod universis etiam hominibus a Iosepho Mariae Sponso provenit: effecit enim ille ne Maria velut adultera suo cum Filio, quem in utero primum gestabat, lapidaretur. Eusebius Emissenus in Vig. Nat. Dom.: « Si virum inquit, non habuisset, et gravida videretur, nulla ei excusatio subvenire posset, ut quasi

Digitized by Google

adultera non lapidaretur; quis enim ei crederet sine viro concepisse? quis enim ei crederet de Spiritu Sancto eius uterum intumuisse? erat enim hoc inusitatum, et sine exemplo; melius ergo fuit, quod Virgo ad tempus non virgo putaretur, quam quod accusata lapidaretur; non enim violatur virginitas falsa opinione, occiditur autem innocens plerumque falsa accusatione ». Quin et si tertium fructum, quem ex Iosephi matrimonio consecuti fuimus, inaudire velimus; en illorum assertum, qui aiunt D. Ioseph occasionem praebuisse, quo minus Salvatoris nostri praedicatio impediretur; si enim ut adulterae filius, adeoque et infamis habitus fuisset, numquam Iudaei permisissent, ut Dei verbum ac sacrosanctum Evangelium publicasset, atque ita neque Ecclesia catholica Mater nostra habuisset publica illa atque insignissima documenta fundamentaque, quibus modo totus mundus instruitur.

1059. Rationem quartam adfert D. Bernardus, atque idcirco Beatissimae Virgini Iosephum iunctum fuisse matrimonio affirmat, ut indubitatum ille eius pudicitiae testimonium daret: « Dicam ait, quod mihi, imo quod ante me, Patribus visum fuit illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae: sicut enim Thomas dubitando, et palpando constantissimus factus est Dominicae confessor Resurrectionis; ita et Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, Thomae dubitatio, et desponsatio Mariae: poterant quidem similem erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa, et veritatem in suspicionem adducere; sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firmata sit certitudo: nam, et de Filii resurrectione, citius quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomae dubitanti, et palpanti quam Cephae audienti, et credenti; et de Matris continentia facilius sponso eius custodienti, et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti ». Porro S. Petrus Chrysologus, serm. 146, non solum ait Virginem Sponsam Christi Ecclesiam figurasse, sed et Iosephum eius Sponsum Christum adumbrasse; ex quibus tamquam ex patre ac matre omnes nascamur atque educemur. Aurea illius verba sunt: « Non apices, non litterae, non syllabae, non verbum, non nomina, non personae in Evangelio divinis vacua sunt figuris: Sponsa quaeritur, ut iam tunc Ecclesia Christi Sponsa signetur, iuxta illud Oseae Prophetae cap. 2: Sponsabo te mihi iustitia, iudicio, misericordia, et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide. Hinc Ioannes ait: Qui habet sponsam, sponsus est: et vere sponsa, quae virginali partu novam Christi regignit infantiam. Procuratur Ioseph Sponsus, ut iste in illo Ioseph Christi figuram impleat passionis. Ioseph prophetalibus somnis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit invidiam: Ioseph missus in lacum mortis vivus emergit e lacu; Christus mortis sepulchro datus, vivus resurgit a sepulchro: Ioseph venumdatus est, pretio taxatus est Christus; Ioseph traducitur in Ægyptum, ad Ægyptum fugatur Christus; Ioseph esurientibus populis panem copiose subministrat, Christus coeli pane manentes orbe toto saturat nationes: sic lucet, cur Ioseph iste coelestis Sponsi typum praetulerit, portaverit imaginem, ambulaverit in figuram ».

1060. Magna praeterea matrimonii S. Ioseph cum Deipara Virgine toti humano generi obvenit utilitas: quod hinc diabolus atque illius ministri decepti sint, ne mortem ac passionem Salvatoris, ac proinde ipsam mundi redemptionem, impedirent. Unde Rupertus, lib. 11. de victoria Verbi, ingeniose dixit: « Desponsatio Virginis diabolum fefellit, et cunctos satellites eius, ut nescirent sacramentum, cuius sciendi modum non erat tempus ». Et Origenes super Matth. ait: « Quae fuit causa, ut esset desponsata Maria Iosepho? nisi quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam nulla penitus inveniret? » D. Ambrosius etiam super Lucam: « Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariae falleret principem mundi, qui cum desponsatam cerneret viro, partum non potuit habere suspectum; fallendi enim mundi principem fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cum Apostoli iubentur tacere de Christo ». Sed illud non minus clarum est, si per Iosephi matrimonium diabolo, ac illius asseclis Incarnationis mysterium occultatum non fuisset, clareque scivissent eum non de uxore, sed de Virgine generatum, mortem Christi, ac totius orbis salutem impedituros fuisse. Pro cuius asserti probatione an alius quam S. Pauli (I. Corinth. II) adducendus est locus? « Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent ». Vin' lector, piam aliquam viri cuiusdam mystici quoad praesentem materiam meditationem? Ait ille, Salvatorem nostrum non prius passum quam instrumenta suae sacratissimae Passionis a Iosepho velut patre suo heredi-

Digitized by Google

tasset; quia enim ille faber lignarius fuerat, trabes clavosque, cordas ac mallea legali Filio suo ac successori reliquit. Quae eadem in salutem nostram Christus libens accepit, et liberalissime inter haec vitam suam pro nobis expendit.

1061. Pergamus, et quid significet verbum istud « vulvae » cuius etiam D. Ioseph benedictione donatus asseritur, explicemus. Psalmoedus ut aeternam Verbi divini ex Patre generationem declaret, Psalmo CIX, ait: « Tecum principium in die virtutis suae in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te ». Sicut igitur ex utero gigni Dei Verbum, idem est atque Filium esse Patris aeterni; ita similiter vulvae quae D. Ioseph tribuitur benedictio, aliud non est, quam ei collatam esse paternalem in Christum dignitatem. Ut proinde non secus ac Mariae Sponsus, ita et Redemptoris pater ut superius abunde probatum est merito appelletur. Imo plures e SS. Patribus miram D. Iosephi cum Patre coelesti ob aeternam ac temporalem Christi generationem esse similitudinem contestati sunt. Huc enim in primis tendunt verba D. Hilarii ac Anselmi; nam ille ait: « Fabri erat hic filius, ferrum igne vincentis, omnem saeculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae ». Hinc autem in hunc modum loquitur: « Paternae artis opprobrio eum lacessunt qui revera filius erat fabri, quem summus fabricator omnium genuerat, et qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu Sancto, et igne baptizat, qui et diversi generis vasa fabricata, in vasa irae, spiritus igne molliendo in misericordiae vasa commutat ». Sed et S. Petri Chrysologi aurea verba non praetermittam: « Dicebant, inquit, hic est fabri filius, ut arte vili ars lateret auctoris, et deitatis nomen fabri nomine absconderetur. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed praecepto, qui elementorum membra non ingenio, sed iussione compegit, qui massam saeculi non carbone, sed auctoritate conflavit: qui Solem non terreno igne, sed supremo calore succendit ». Atque his etiam consonant quae idem S. Doctor scripsit, serm. infra octavam Epiph., cum ait: « Ioseph faber in terris pater putabatur Domini Salvatoris, nec ab hoc opere Deus, qui vere est Pater Domini nostri Iesu Cristi, excluditur; nam est et ipse faber, ipse enim est artifex, qui huius mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricavit; ipse artifex, qui in nostris moribus praecidit superflua, et opera utilia quaeque conservat ».

1062. Ceterum ut videamus, quot rationibus Christi paternitas D. Ioseph conveniat, ante omnia notandum est variis titulis quempiam dici posse alterius patrem, qui universi (excepta tamen generatione carnali D. Iosepho quoad Christum conveniunt. Primum quidem paternitas legalis, ut docuit S. Iustinus Philosophus et Martyr in respons. quaest. ad Orthod., in resp. q. 133, ubi postquam clare dixisset Iosephum duos fratres habuisse, unum videlicet secundum legem, et alterum secundum naturam, pulchre in hunc modum subiungit: « Efficit divina gratia, ut cum audiemus Christum filium esse Ioseph, nec tamen ex eo natum secundum naturam non admiremur: ut enim Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinae legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli; sic visum est Deo ex uxore Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundum naturam ex ipso ». Secundo, spiritualem Christi patrem S. Iosephum Cancellarius Gerson affirmat, explicans ille hoc Matthaei 1: « Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus », sic loquitur: « De Maria natus est Iesus nedum corporaliter, sed spiritualiter quidem, et de virginali Sponso suo Ioseph, suo modo dici potest. Non equidem, quod de Iosepho natus sit Iesus modo quo blasphemat Iudaeus infelix, qui dicit Christum de Ioseph semine esse natum, procul sit hoc a pietate fidelium, sed attendendo triplicem nativitatem Iesu Christi, attendat et vestra beatitudo, scilicet aeternalem, corporalem, spiritualem vel mentalem. Nascitur enim aeternaliter ex Patre, quemadmodum nascitur splendor ex luce coaevus luci, de quo Eccles.: « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam ». et in Psal.: « Ex utero ante Luciferum genui te ». In hac aeternali nativitate Christi Iesu, nec Maria, nec Ioseph communicat. Altera nativitas Christi Iesu corporaliter in mundo ex Virgine, de qua Angelus ad Mariam: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei ». Et hoc factum est, quando completi sunt dies Mariae, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum; et in hac quidem nativitate sola Maria materiam ministravit; at vero quia corpus Mariae fuit ipsius Ioseph, iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporum viri ad mulierem, et e contra: videamus, si cum intelligentiae sobrietate dicere fas nobis sit, quo ex corpore, et carne Ioseph natus est Christus Iesus? et hoc dici forsitan posset, nisi piarum aurium timeretur offensio ». Sic ille. Interim ut paulo post idem Gerson adiungit, et ex D. Augustinus confirmat, liquidum est non sola opinione, sed ex parte

Digitized by Google

veritatis Divi Ioseph Christum filium esse. Verba sunt Gersonis: Natus est Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra Isaias clamat: « Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem ». Et David: « veritas de terra orta est ». Quidni competat igitur ipsi Ioseph ius aliquod legale ultra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, et ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum ». Unde D. Augustinus lib. II. de consensu Evang., dicere audet: « Non quod opinione sola, sed quadam ex parte veritatis quoque Iosephi filius esset Iesus, quippe qui Mariae verissimus filius ». Et Rupertus lib. I de gloria et honore filii hominis, in cap. I. Matth.: « Virum Mariae cum dicit, magnum, et verum nomen B. Iosepho attribuit Evangelista: quia si est vir Mariae, est Pater Domini; si ergo vir Mariae Ioseph, et ipsa uxor illius: proinde neque iste Evangelista Matthaeus inepte dixit Ioseph virum Mariae, neque alius Evangelista, Luc. II, mentitus est, patrem illum eius qui ex ea natus est Christi appellando, dicens: Et erat pater eius, et mater mirantes super his quae dicebantur de illo ». Hactenus Rupertus.

1063. Quae tametsi vera sint, certiora tamen ac laudabiliora sunt ea, quibus S. Ioseph Christum spiritualiter genuisse, ac illius verba custodivisse declaratur. Pro quo D. Gregorius exponens illud Iob, cap. XXXVIII. « De eius utero egressa est glacies », inquit: « quid enim in utero, nisi gratiae sinus accipitur ». Et S. Bonaventura in cap. II. Lucae, optime ad propositum explicat haec Christi verba: « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud », et ait: « Quantum ad approbationem laudis expresse subdit, « quinimo beati, qui audiunt verbum Dei ». Hoc non dicit adversando, sed potius superaddendo; non solum beatus venter qui portavit me, Verbum caro factum, verum etiam beatior, qui suscipit verbum a me prolatum. Unde et Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestavit in mente ». Haec D. Bonaventura. Accipe, quae et singulari eruditione in Commentario huius loci Venerabilis Beda in haec verba conscripsit: « Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam solummodo, quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes, qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos; quia et eadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna ». Postea vero nonullis interpositis, ac citatis verbis illis: « Beatus venter qui te portavit », subdit: « At ille testimonium veritatis prolatum libenter accipiens, continuo respondit: « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud », ac si aperte dicat: Quamvis singulare privilegium habeat, quae Filium Dei incarnatum Virgo in utero gestare, parere, ac nutrire digna extitit, atque praecipuum hoc est, praeclarum, et honestum) id iudicetur; tamen in eadem vita perpetuae beatitudinis locum et ipsi sunt habituri, qui eius fidem ac dilectionem casto in corde concipiunt, qui sedulam in mente praeceptorum eius memoriam portant, qui hanc et in mente proximorum solerti cohortatione nutrire satagunt ». Unde D. Augustinus, Tract. X, in Ioann., in persona Christi, dixit: « Mater mea, quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ». Non negat, felicem fuisse ex maternitate, sed praefert felicitatem, quam habuit ex custodia Verbi divini. Idque clare etiam constat ex alio eiusdem D. Augustini loco, lib. de santa Virginitate, cap. 3, ubi ait: « Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi ». Imo ibidem adiecit: « Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi prius Christum corde, quam carne gestasset ». Quare generalibus illis verbis: « Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud », uberius multo Christus, Matrem suam beatam esse, quam mulier ista verbis illis peculiaribus, « Beatus venter », etc. affirmavit. Nam Domini nostri verbis laudata eius anima, verbis autem mulieris solummodo eius corpus commendatum est: illa equidem suo sermone corporea concipiendi et lactandi extulit munia; Christus autem spiritualia liberi arbitrii coelesti gratia perfusi officia, quae in credendo ac amando Deum eluxerunt, commendavit, quaeque ipsa Verbi divini custodia fuit complexa. Haec autem omnia cum in D. Ioseph locum habere per se pateat, ulteriori explicatione non indigent.

1064. Adde quod idcirco etiam non immerito pater Christi S. Ioseph dici potuerit, quod virginitatem in se ac coniuge sua conservaverit; inde enim, ut superius vidimus, illa facta est Mater Christi. Ad quod mysterium eleganter alludens Augustinus, inquit: « Gaude Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es ab uxoris concubitu, ut pater dicaris Salvatoris ». Ad quam historiam Ieremias respiciens, ex Dei

Digitized by Google

dixit persona: « Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen iustum ». Sicut enim frater qui uxorem defuncti ducebat, semen fratris sui suscitabat; ita Spiritus Sanctus velut fratris sui vicem supplens, Sponso Virginis per votum castitatis absque prole emortuo, ex eius Sponsa sobolem suscitavit. Atque haec eximia est huius sacri matrimonii excellentia, quod non homo, sed Deus, non Ioseph, sed Spiritus Sanctus illud consummaverit, ut expresse testantur verba Matthaei 1. « Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto », Neque idipsum obscure commonstrant verba eiusdem Virginis per Sapientem dicentis: « Quasi palma exaltata sum in Cades »: alia enim versione legitur: « Quasi palma maritata sum in Cades ». Arbor haec, quae universis procerior, atque inflexibilis est, constantiae ac victoriae semper symbolum extitit: hac singulari namque praedita esse noscitur proprietate quemadmodum unanimi consensu rerum naturalium expositores testantur ut quaedam illarum sit masculus, alia vero femina, unde haec absque praesentia alterius nullum fert fructum, ad quem quidem producendum non opus habent se prioriis radicibus aut ramis contingere, sed sufficit modo sibi invicem sint praesentes. Quod naturae portentum adamussim nobis exponit sacratissimum hoc Mariae ac Iosephi connubium; uterque etenim coniux palma est, illaque de seipsa ait: « Ego quasi palma exaltata sum »; Ioseph vero, teste Evangelista, cum esset iustus, palma etiam fuit, dicente de eo Spiritu Sancto: « Iustus ut palma florebit ». Et quidem cum Maria (ut Catholica canit Ecclesia). « Sine tactu pudoris inventa est Mater Salvatoris »; recte per palmam adumbratur; quia, sicuti illa non sine alterius palmae praesentia, absque eius tamen contactu, fructum suum profert; ita et Maria desponsata Iosepho, absque eius tactu, virtute Spiritus Sancti concepit, ac benedictum fructum ventris sui peperit. Concinat ergo Maria, ac canora insonet voce: « Quasi palma maritata sum in Cades ». Cades enim secundum D. Hieronymum, De nomin. Hebr., « sanctitas » intrepretatur; quo et non obscure indicatur, nihil in hoc sacrosancto extitisse matrimonio, quod sanctimoniam non redoleret, ab illoque omnem terreni affectus labem longe remotam fuisse: sanctum enim idem est, atque « sine terra ».

1065. D. Chrysostomus alia praeterea ratione D. Iosephum Christi merito patrem appellari declarat, qui homil. 4. in Matth., sic ait: « Non quia ex Spiritu Sancto est, idcirco te a ministerio tantae aestimes desponsationis extraneum; nam etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quia est proprium patris, quodque nihil laedit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo; quamquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum, et sollicitudinem ostendis parentis. Ad haec: si pupilli tutores suos merito « patres » vocare consuevere, plane hoc etiam nomine Ioseph pater Christi vocari meritus fuit ut auctor est Rupertus, qui verba versans, « Iacob autem genuit Ioseph », postquam totam illam generationum seriem scalae percurrisset, gradum, cui Dominus innixus erat, fuisse Iosephum affirmat; unde interrogans quomodo ergo eidem innitebatur? respondet: « Utique tamquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic beato Iosepho infantulus ut patri optimo, cuius solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur ». Sed et Isidorus Isolanus: « Quantae, inquit, latebant in Sanctissimo Iosepho virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret, et vestiret; ad varia enim animantium genera alenda atque educanda, omnium corporum coelestium vix concurrit, quam ab Angelis orbium motoribus accipiunt: Ioseph autem Verbum Dei, per quod coelestes orbes, et angeli conditi sunt, et in esse conservantur, enutrivit, et aluit: Ioseph profecto plusquam Iosaba fuit, ac in eo praefiguratus est, qui Ioas infantem clam nutrivit, et aluit, ac Regem Israel tandem constituit, ut habetur 4. Reg. 11 ».

1066. Sunt et aliae tituli paternitatis D. Ioseph in Christum Dominum rationes. Filium utique illius adoptivum fuisse ita rursum D. Augustinus affirmat: « Nec enim, inquit, propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia illum non genuerat; quandoquidem recte pater illius esse potuit, quem non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset ». Cui sane adoptioni Christus consentiens, visus est in patrem suum legalem illum similiter elegisse. Unde quemadmodum is qui solum per electionem, et non iure sanguinis ad regiam dignitatem ascendit, non minus a cunctis Rex vocitatur, nec minor ei obedientia ac honor defertur, quam si ex paterna hereditate regnum obtinuisset; ita, ut bene D. Damascenus observavit, etiamsi Ioseph natura pater Iesu non extiterit, quia tamen ex Christi electione in patrem illius assumptus est, honorificum adoptivi patris Salvatoris nostri nomen sibi iure merito vindicavit, eique velut patri obedientia ac honor ab illo debitus fuit. Ex quo iterum duo, quae paternitatis illius iura commendent, eliciuntur. Quoad prius, quod Iosepho filius adoptivus fuerit Christus, non solum hoc patuit ex omnibus officiis patris, quae erga eum-

Digitized by Google

dem exercuit, sed ex eo etiam quod hunc omnium quae ipse habuit, reliquerit heredem. Quoad posterius vero referunt sacri Scriptores illa frequenter a Christo ad D. Ioseph verba esse prolata: « In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae, tu es protector meus, in te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam ». Notissimum quoque ex Evangelio illud supra homines universos Iosepho ac Mariae collatum beneficium, quo cum eis, ut cap. III. asserit S. Lucas: « Puer Iesus descendit in Nazareth, et erat subditus illis ». Sed de hoc commodius infra. Modo solum expendamus quam recte D. Iosepho conveniant sequentia Psalmi LXXXVIII. verba: « Veritas mea, et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu eius ». Quae de S. Ioseph aeternus Pater dixisse merito dici potest: ipsius enim Veritas, hoc est, Christus Salvator noster, qui se apud D. Ioannem, XIV. capite, Veritatem esse affirmavit, cum Iosepho, et quidem ut vidimus, filius fuit; prout et Dei misericordia, hoc est, misericordiae Mater Maria cum eodem ut Sponsa coniuncta est. Sed quid significat: « Et in nomine meo exaltabitur cornu eius? » Non aliud sane, quam in nomine Patris, eius inquam, patris, ex quo, ut Apostolus, ad Ephes. III, loquitur: « Omnis paternitas in coelo et in terra nominatur », cornu S. Ioseph exaltatum fuisse; hoc est, quia eiusdem Verbi divini dictus, creditus ac habitus fuit, adeoque et nominatus est Pater, secundum videlicet naturam humanam, cuius secundum generationem divinam naturalis pater est, Pater aeternus. Idcirco in hoc nomine cornu Iosephi exaltandum erat, et revera exaltatum fuit? Quod cornu? et quomodo exaltatum? cornu copiae ac abundantiae gratiarum, quod ipsum, ut superius diximus, Iosephi nomen indigitat; cornu iustitiae, aut ut D. Matthaeus « viri iusti », de quo Psalmographus III. « Exaltabitur cornu eius in gloria »; cornu salutis, unde et non inepte de illo accipi possint Zachariae verba, Luc. I.: « Et erexit cornu salutis nobis in domo David » non « pueri », sed « Patris sui ». Quomodo vero exaltatum hoc cornu? super universos Dei Sanctos, ut paulo post clarissime probaturi sumus, super mundi coelique Reginam, in quantum iuxta Apostolum, « vir caput est mulieris », super ipsum mundi factorem ac redemptorem, qui se illius obedientiae ac directioni humiliter sponteque subiecit.

1067. Plura, Lector, desideras? imo plura in hac familiarissima Iosephi cum Christo conversatione, quae revera omitti non possunt, occurrunt. Quid igitur? quantopere hinc Sancti nostri cornu exaltatum sit, primum in gratia, deinde etiam in gloria porro videamus. Et quidem primum observandum est, vel hoc ipsum solum quod enutrire D. Ioseph Christum potuit, occasionem illi praebuisse, ut miras ab eodem suo alumno benedictiones reciperet. Nam quod S. Iob, cap. XXXI: « Si comedi buccellam, et non comedit ex ea pauper »; melius Ioseph dicere potuit: Si comedi buccellam et non comedit ex ea Iesus; quare neque, ulli una forte Deipara excepta, adeo proprie ac Iosepho dicere potuit Christus: « Esurivi, et dedisti mihi manducare; sitivi, et dedisti mihi bibere ». Si ergo vel potum aquae frigidae pauperi solum porrigere, opus adeo sibi pergratum ille fateatur, ut in eius praemium vitam aeternam se daturum polliceatur: « Qui dederit calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam »; non potuerunt non gratissima esse Christo Domino ea opera quae circa ipsius humanitatem immediate noster Ioseph exercuit. Refert Scriptura Tobiae patrem post filii reditum, illum ad se accersisse, ut de mercede Archangelo Raphaeli danda (quem hominem esse credebat) pro labore itineris, quod cum eodem filio confecerat, serio inter se agerent. « Quid » inquit senior Tobias « possumus dare viro isti, qui venit tecum? » respondit filius: « Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad haec poterimus dignum dare?». Non dissimiliter Patrem aeternum Christo Domino nostro dixisse concipere liceret: Quid, fili mi, iusto huic viro, cui ego te velut patri in terris enutriendum tradidi, retribuemus? respondebit haud dubie Filius: Quam mercedem, Pater, dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ab eo per triginta annorum spatium in me collatis? Ipse, antequam nascerer, me comitatus est; deinde iam natum me duxit, et reduxit ex Bethlehem in Nazareth, inde in Ierusalem, a Ierusalem in Galilaeam, ab Angelo postmodum admonitus, ut a devoratione immanissimi illius piscis (crudelitate Herodis) me eriperet, in longinquam Ægypti regionem mecum fugit, ubi fabrilis artis labore, ac sudore vultus sui, et me prolem et Matrem aluit; deinde ex Ægypto in Nazareth me reduxit; ipse peregrinationis meae fidelissimus extitit comes; ipse mihi exurienti cibum, sitienti potum porrexit; ipse cum hospes essem, me suscepit, cum nudus, me induit; ac tandem quamdiu vixit,

Digitized by Google

officio atque affectu mihi semper amantissimus extitit pater.

1068. Sed quid de mercede illa, quae D. Iosepho a Salvatore iustissime debebatur ac abundantissime soluta est, verba facimus? Cum vel ex ipsa solum eiusdem Verbi divini praesentia maximos hunc Sanctum favores recepisse fatendum sit. Nemo mysticorum ignorat, eos qui per contemplationem ad Deum frequentius accedunt, abundantius ac perfectius quotidie illuminari, ut inter alia testimonium S. Clementis Alexandrini, lib. 6. Stromat., aperte testatur, cum ait: « Certe sicut Moysi ex iusta operatione, et ex ea, quae continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quaedam coloris species; ita etiam iustae animae divina quaedam vis bonitatis inhaerens, per inspectionem propheticam, et administrantem operationem, quasi intelligentis illuminationis, perinde atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum iustitiae signaculum, lucem animae unitam per charitatem, quae nullo spatio disiunguntur, quae Deo afflat, et Deo afflatur ». Haec ille. Unde mirandum non est, D. Ioseph qui non in obsequio solum Christi, sed illius assidua etiam contemplatione tot annorum spatio occupatus fuit, super homines universos unica Sponsa sua praeeminente specialissima amoris ac unionis divinae privilegia fuisse consecutum. Aiebat olim Salomon (Prov. VI): « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? ». Certe cum Ioseph ignem, id est, Christum (Deus, enim, ignis consumens est) sinu suo tamdiu portaverit, imo millies contrectaverit, vestierit, exuerit, amplexatus et exosculatus fuerit, consequens erat flammis hunc amoris illius vehementissime inardescere. Fabulatus quidem fuit Virgilius, Didonem ubi a Cupidine sub Ascanii figura pateretur amplexus, amoris interius flammis conflagrasse. Sed fabula haec quid vere in D. Ioseph acciderit, ostendit; hic namque ubi toties verum Deum humana carne indutum suis brachiis amplexatus fuit, et sinu suo dulcissime confovit, ardentissimus amoris illius flammis ultra quam dici possit, frequenter exarsit S. Maria Magdalena, sedens secus pedes Domini optimam contemplationis partem obtinuit. D. Ioannes Evangelista supra pectus Domini quiescens, coelestia contemplatus fuit ac percepit arcana. D. Paulus in tertium usque coelum raptus, verba audivit quae non licet homini loqui. Apostoli tandem, ac pii illi viri, qui a Salvatore nostro edocti perseverantes erant in oratione. Quos tamen omnes S. Ioseph tanto perfectioris contemplationis privilegio antecelluit, quanto prae his ex visibili ac continua Christi et Mariae per totos triginta annos praesentia amplius excitari potuit, et ut ferventissimos amoris actus eliceret, potenti eorumdem auxilio ob intimam dilectionem fuit adiutus. O si prolixius hic explicare liceret, quantis ex assidua Christi societate, atque arctissima illius unione S. Ioseph gratiarum praerogativis dotatus sit? e multis hoc pateret exemplis quorum vel aliqua saltem recensere, duxi conveniens. En ut Christum adhuc infantem ubi semel tantum conspexit Simeon iustus, exclamet: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum ». En ut Ioann. VIII: « Abraham exultaverit ut videret diem Christi, vidit, et gavisus est ». En unde ipsemet Salvator discipulos suos Lucae X beatos appellet: « Beati, inquit, oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt ». Audine quid discipuli illi dixerint, quibus se in Emmaus pergentibus Christus comitem dederat: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobiscum in via? » brevissimo illis spatio Salvator adfuerat, et ita tamen inde ardebant. Quid igitur de Iosepho credendum? Vide praeterea: S. Ioannes Baptista Christum ostendit, et plusquam Propheta appellatus est; eum baptizavit, et maior illo inter natos mulierum non surrexisse perhibitus.

1069. Quid multis? Non aliqua se solum pars benedictionis, ut in aliis forte sanctis accidit, sed tota simul benedictionis plenitudo in Iosephum infudit. Quod illa, quae de antiquo Ioseph in Deuteronomii libro, cap. XXXIII, leguntur, affirmant: « De benedictione Domini terra eius, de pomis coeli, et rore, atque abysso subiacente. De pomis fructuum solis ac lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum: et de frugibus terrae, et de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph ». Ubi per benedictionem terrae Domini, benedictionem Patris aeterni non absque ratione intellige; per poma coeli, ac roris, gratiam Spiritus Sancti; abyssum subiacentem, Deiparam Virginem; per poma solis ac lunae, Christi atque Ecclesiae perfectiones; vertex vero antiquorum montium, veteris Testamenti Sanctos non male significat; colles aeterni, Angeli sunt: fruges terrae, merita novae legis: de quarum omnium benedictionum plenitudine S. Ioseph partem habuit, adeoque ipse est de quo veraciter dictum est: « Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph ». Unde et huc pertinet illud Ecclesiae: « Rubum quem viderat Moyses incombustum

Digitized by Google

conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem ». Quid hoc est, conservatam virginitatem? nisi quod superius dixit S. Augustinus : « Sis et tu pater Christi, virginitate servata ». Neque eximia solum fuit Christi erga D. Iosephum, sed D. Iosephi erga Christum quoque dilectio, cum non minus filii ex gratia, quam ex natura procreati diligi soleant, uti docuit D. Ambrosius, lib. de Offic. cap. VII, dicens : « Non enim vos minus diligo, quos in Evangelio genui, quam si in coniugio suscepissem ; non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia ». Quae omnia a Deo celeberrimum toti orbi reddunt S. Iosephum, ut in enarrandis eius laudibus impares etiam Angelicos spiritus esse existimem, utpote qui patris Christi dignitatem omnino comprehendere non valeant. Unde etiam verba quae dixit Christus : « Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare », non de Patre solum aeterno sed etiam de hoc Iosepho, eius patre legali verificari, autumari quis non immerito possit. Quare, sicut olim orator quidam (ut auctor est Sabellicus) postquam Philippum Macedonem Regem encomiis multis ad coelum usque extulisset, ultimum orationi suae colophonem imposuit, dicens : « Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum ». Sic et nos, o gloriosissime Ioseph, licet laudes tuas digne depromere non valeamus, hoc unum, quod alia poene infinita in se complectitur, dixisse sufficiat, Deum te habuisse filium.

1070. Haec quidem pro gratia declaranda quam D. Ioseph a Christo recepit, allata sunt : vel aliquid etiam adiungamus quod ad eius gloriam respectet; pro quo ipsa rursum testamentum Patriarchae Ioseph quae sequuntur sese offerunt verba : « Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius : donec veniret desiderium collium aeternorum : fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazarei, inter fratres suos ». Tria ex hisce verbis, quae mire ad S. Iosephi gloriam faciunt, eliciuntur. Prius explicemus : « Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius ». Per Iosephi patrem David Regem recte intelligi supra clare docuimus : at quomodo huius benedictiones confortatae sunt benedictionibus patrum eius porro videamus. Quaenam sunt illae, de quibus Iacob agebat benedictiones? quinam illi Davidici Patres? Ipse pro se respondeat. Psalm. LXXXVIII ait : « Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adiutorium in potente; et exaltavi electum de plebe mea ». Patriarchae utique sunt, quibus Deus locutus est. Sed quid, quaeso, eis dixit, quam benedictionem addixit : « Semel iuravi in sancto meo si David mentiar; semen eius in aeternum manebit. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis ». Quoad hoc ergo se nequaquam mentiturum Deus Davidi iuravit, quod semen eius, hoc est, Christus, quod semen eius, hoc est, Ioseph « filius David », in aeternum esset mansurus, « et thronus » eius futurus foret « in conspectu suo ut Sol, et sicut Luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis ». Multa hic mysteria, plures scriptorum explicationes. Una magis est ad propositum : Christo videlicet hic promitti eam quam in coelis post resurrectionem suam assecuturus erat gloriam; tunc enim sicut sol thronus illius coelitibus effulsit, ut luna in aeternum perfecta, sedentibus in saeculi nocte mortalibus lumen praebuit, testisque factus fidelis : « testes », inquam, « fidelis primogenitus mortuorum » (Apoc. I). Promissio Davidi ac eiusdem Patribus, SS. videlicet Patriarchis olim facta, non Incarnationis solum, sed et Resurrectionis mysterium complectebatur. Unde ipsemet Christus de Resurrectione verba faciens apud Matth. XXII cap. loquitur : « De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium ». Non incongrue ergo iuxta hunc intellectum dicere licebit, S. Iosephum in illo cum Christo privilegio utpote qui etiam solus in nova lege, sicuti ille vocatus fuit filius David, quoad resurrectionem participasse, vereque cum Salvatore nostro non spiritu solum, sed etiam corpore gloriose ex mortuis resurrexisse.

1071. Quod multorum equidem doctissimorumque scriptorum fuit assertum. Clarius est D. Matthaeus, cap. XXVII : « Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt ». Quibus D. Thomas in IV, dist. 43, q. I, a. 2, 3, quaestiunc. 1 ad 3, adiecit : « Quia ad hoc, ut verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit, quod vere resurgerent, semper in corpore victuri, in coelum cum Christo ascendentes corporaliter ». Inter quos fuisse D. Iosephum viri gravissimi, ut diximus, tradidere : Ioannes Gerson, serm. de Nativitate Virg.; Isidorus Isolanus, IV parte, cap. 2; Viguerius Granatensis, de Myst. Incarn.; Fonseca, in vita Christi, cap. 9; Suarez, tom. 2, in 3 p., q. 29, a. 2, disp. 8, sect. 2; Bernardinus Bustensis, in Mariali, 4 p, serm. 12; Gratianus, lib. 5, de S. Ioseph, tit. 5; Andreas de Soto, lib. 3, Sancti Iosephi, cap. 33, ubi refert id Paduae S. Bernardinum praedicasse, atque hoc illo praedicante, super eius caput auream crucem fulgentissimam apparuisse. Neque id ipsum praedicasse ambigendum est, cum

Digitized by Google

idem Sanctus, tom. 3, de S. Iosepho, art. 3, c. 2, haec habeat verba: « Pie quidem credendum est, quod piissimus Filius Dei Iesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die Resurrectionis suae sanctissimum Iosephum suscitaverit ». Quod S. Iosephi privilegium non ex Iacob Patriarchae solum dictis, verum etiam ex Ecclesiastico, cap. XLIX, assertum ac declaratum reperitur: « Et ossa ipsius », inquit ille, « visitata sunt, et post mortem prophetaverunt ».

1072. Interim ex dictis, ut credo, facile unusquisque fatebitur, Benedictiones Patris Iosephi in illo confortatas fuisse benedictionibus Patrum eius quoad corporalem ante communem hominum resurrectionem, quod idem est atque hoc quod in sacro textu subiungitur: « Donec veniret desiderium collium aeternorum »; quando nimirum Sanctorum Angelorum, qui colles aeterni merito dicti sunt, desiderio plane satisfiet, ubi eorum ruinae plene instaurabuntur, ipsaque hominum corpora iam gloriosa coelo inferenda sunt. Atque hoc primum gloriae D. Ioseph est privilegium, cui alia rursum duo, eademque maiora in testamento veteris Iosephi Iacob subiunxit: « Fiat, inquit, in capite Ioseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos ». Per hoc quod dicitur: « Fiat in capite Ioseph », utique inter fratres suos, significatum est Sanctum hunc nostrum, ut prioris nostri tomi Praefatio sufficienter ostendit, inter alios Dei electos esse primarium. Rationibus illic abundantissime re firmata, aliquot hic solum scriptorum Theologorumque auctoritatem adiungo. Sunt igitur plures scriptores Ecclesiastici, qui D. Ioseph supremam in terris dignitatem post Virginem Matrem, etiam super Patriarchas, Prophetas et Apostolos adscripserunt. S. Bernardinus, tom. 3, serm. de S. Ioseph, a. 2, cap. 2. Quod et confirmatur a S. Petro Chrysologo, serm. 145, ubi exponit cur Ioseph Matth. 1 specialiter vocetur filius David. Quin et eximius P. Franciscus Suarez, 3 p., tom. 2, q. 29, disp. 8, sect. 1, ait eum obtinuisse dignitatem Apostolis maiorem, seu ministerium altioris ordinis. Ex quibus pro suprema super omnes sanctos dignitate Sancti Ioseph argumentari liceat. Sed et Ioannes Gerson, serm. Nativ.: « Profecto si non mentiebatur Iesus qui ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris ».

1073. Isidorus deinde Isolanus, 4 part., cap. 2. in idem argumentum haec scripsit: « Ioseph Virginis Sponsus, velut alter Ioseph gemina donatus stola, scilicet beatitudine animae, et corporis, Christum Regem Regum ad coelos ascendentem associavit, et primus post Christum Regem Regum sedit. Considera, obsecro, dignum veneratione parentem, quantis honoribus ac beneficiis inclytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus praedicantibus: quid ergo de Christo, Deo vero, ex quo omnis bonitas in coelo, et in terra nominatur, dicendum erit? ».

1074. Accedit Bernardinus Bustensis, 4 part. sui Marialis, ser. 12, dum ait: « Ex quibus patet quod nullus Sanctus in coelo est maior S. Iosepho post Beatam Virginem benedictam ». Tandemque iterum Suarez, 3 p., q. 29, art. 1, et 2, disp. 8, sec. 2, ait: « Non existimo esse temerarium neque improbabile, sed pium potius, et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnet neque in Patribus aliquid reperio ». Unde quorundam Scriptorum fuit sententia, illud quod Matthaei XX. cap., ad filios Zebedaei dixerat Christus. « Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo; » de Mariae ac Iosephi inter Sanctos praeeminentia intelligi posse, ita, ut quemadmodum hic in terris ad Redemptoris nostri dexteram sinistramque isti duo dederunt, ita et modo consideant in coelo. In quo alias Iosepho facta videri posset iniuria utpote qui socius Christo in laboribus ac cura fuisset, non vero in mercede ac praemiis esset. Quapropter huius etiam excellentiae gratia de antiquo Ioseph optime locutus Deuteronomii liber: « Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerontis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terrae, hae sunt multitudines Ephraim: et haec millia Manasse ». Varia hic dicuntur, quae mire nostrum Sanctum extollunt. « Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius »; per tauros iusti intelliguntur, quorum merita, quia nihil ad salutem humanam obtinendam facere poterant, sed Salvator ipse ad hanc promerendam erat necessarius, S. Paulus, Hebr. X, ait: « Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt ». Inter tauros igitur velut primogenitus primariusque D. Ioseph inventus est, cuius pulchritudo instar unicornis; nam revera cornua rhinocerontis cornua eius. Aiunt naturalium exploratores, nonnisi in virginis

Digitized by Google

sinum rhinocerontem, seu unicornem caput reclinare; prout et D. Iosepho non alius similiter in terra locus, quam Deiparae sinus dignus fuit, in quo eius nimirum gratiae ac gloriae cornu requiesceret, ex quo ipse, iuxta Psalmum XCI, vere diceret: « Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum »; alii merito, iuxta Psal. LXXIV, de eo praediceret: « Exaltabuntur cornua iusti ». Iusti, inquam, de quo S. Matthaeus: « Vir eius cum esset iustus ». De quo et ipsa quoque S. Maria apud Isaiam, cap. V. « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei »; ipse videlicet factus est vinea, qui de se ait, Ioann XV.: « Ego vitis, et Pater meus agricola est »; sed cui factam vineam ait Deipara? « dilecto meo », inquit, S. Ioseph, qui videlicet eamdem vineam diligenter excoleret: unde « et pater meus agricola est », subiungitur, et quidem « in cornu filio olei »; filio olei, hoc est Christo utpote qui, quia unctus est, sic vocetur; huic, inquam, Ioseph fieret cornu, in quo idem oleum ab Herode, Archelaoque ac aliis eius persecutoribus servaretur. An aliquid pulchrius lector requirat? Ut S. Ioannes Baptista dictus fuit Salvatoris nostri lucerna, quia eumdem praecurrebat; ita hic ipsius vocatus est cornu, cuius oleum ita servavit, ut vere ei aliquando dici posset: « Oleum effusum nomen tuum ». Nomen tuum? ita sane, quia hoc non aliud quam Iesu nomen, quod Ioseph imposuit; Matth. I, « Et vocabis nomen eius Iesum ». Ex quo tanta meritorum abundantia D. Ioseph sanctos universos praecedit, ut de ipso vere affirmandum veniat: « In ipsis ventilabit », id est, superabit, « gentes usque ad terminos terrae ». Nam idem D. Ioannes Baptista, de quo supra, ut Christi superioritatem respectu universorum designet, ait: « Cuius ventilabrum in manu eius ».

1075. Supremam demum gloriae S. Ioseph praerogativam, ultima Iacob ad Ioseph Patriarcham verba pronuntiant: « Et in vertice Nazaraei inter fratres suos ». Ait S. Mat thaeus, cap II, « Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur ». In vertice igitur huius Nazaraei Ioseph inter omnes fratres suos ac Dei Sanctos esse dignus repertus est. Nemo enim ad illam gloriam umquam pervenit, ut ei quemadmodum S. Iosepho, Christus obediret; iuxta quod clare indicant verba D. Lucae II: « Et erat subditus illis ». Docet sacra Scriptura semel Solis horologium undecim lineis ad imperium Regis Ezechiae retrocessisse; semel etiam Iosue Solem, ut cursum suum cohiberet, et non moveretur ulterius, cohibuisse: « Obediente Deo voci hominis », ut ait Scriptura. At Ioseph iustitiae Soli non semel, sed millies imperavit; puero Iesu triginta annis legem statuit, quando domi consisteret, quando ab ea egressurus esset, ut alter Iosue ei praecipiebat, dicebatque « ne movearis », nunc pedem fige, nunc propera: et ille Iosephi patris sui mandatorum observantissimus, promptissime ei obediebat, atque eius vestigia in omnibus sequebatur. Recte ergo ac eleganter dixit insignis Cancellarius Parisiensis: « Haec subiectio sicut inaestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho: quid enim sublimius quam quod ei, qui in femore scriptum habet: Rex Regum, et Dominus dominantium: ei, cuius nomen est, Deus fortis, Pater futuri saeculi: ei, qui Dominus exercituum vocatur: ac tandem ei, qui dicit: Mihi curvabitur omne genu, Ioseph unus patris auctoritate imperet; et ille filiali subiectione ei fulsit, et obediat, ac dicat: Pater, fiat voluntas tua: quod nos aeterno Patri orantes dicere ipse docuit in oratione Dominica ». Imo non solum D. Ioseph subiectum sibi habuit Dei Filium, sed et superioritatis ac dominii erga eum officia frequenter exercuit, ut patet in primis ex augustissimo Iesu nomine, quod iuxta Patris aeterni mandatum, atque Angelo nuntiante Redemptori nostro imposuit. Ut enim recte asseruit D. Ioannes Damascenus, lib. 2. de fide, cap. 3. « Nomen imponere, maiestatis ac dominii est; nomen vero accipere, subiectionis et servitutis: quoniam nomen vicarium est rei, et ideo auctoritas in nominis impositione significat dominium rei ». Et copiosius S. Chrysostomus hom. 6, de laud. S. Pauli, Tom. 4, elegantibus hisce verbis id confirmat: « Quare nomen Sauli mutavit in Paulum Spiritus Sanctus; quemadmodum Dominus, qui servum mercatus, ostendere volens se Dominum servi, nomen illius immutat; ita Spiritus Sanctus fecit, ubi Paulum captivum accepit, vocabulum eius mutavit. Ut enim inde disceret Paulus se habere Dominum; nominum enim impositio dominii signum est, et praecipuum. Et unde hoc declarabimus? facile ex his quae Dominus cum Adam egit, perspicuum erit: volens enim Dominus docere Adamum, quod eum Principem et Dominum fecisset, adduxit ad eum omnia animalia, ut videret, quid vocaret ea; ecce nominum impositio dominium testatur. Quid si ab hominibus ita factum videre vultis, et discere olim talem fuisse morem, quod servorum in captivitatem abductorum nomina mutata sint: audite quid fecerit Babyloniorum Rex. Nam ut captivos abduxit Ananiam, Azariam, et Misaelem, non reliquit eorum nomina prima, sed vocavit eos Sidrach, Misach, et Abdenago ».

Digitized by Google

1076. Atque haec sunt, o Sanctissime Ioseph, quae in laudem tuam dicenda habuimus, et quae tomo huic secundo, ut felicius auspiciis tuis in lucem prodeat, praemittenda iudicavimus; Te igitur quam humillime deprecor, ut meum istud opus eo quo offertur affectu, acceptes. Memento, quaeso, cuius sim filius: « O seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Teresia seminasti ». Ter me felicem! qui alia inter, hoc in ordine nostro patrocinium tuum edoctus et consecutus sum! Ad te quippe Deus fideles suos, ut suum quisque desiderium per te obtineat, remisit: « Ite ad Ioseph, et quidquid ipse dixerit, facite ». Sed et, « Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti »; in terra Ægypti istius nimirum saeculi; ut, « sicut tres sunt qui testimonium dant in coelo »; ita et tres testimonium dent in terra: « Iesus, Maria, Ioseph ». Quos et primum Evangeliorum caput simul enumerat. « Cuperem, inquit Gerson, mihi verba suppeterent, ad explicandum tam altum, et absconditum a saeculis mysterium, tam admirandum, venerandamque Trinitatem Iesu, Iosephi et Mariae; velle quidem mihi adiacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio ». Quia igitur tres hi unum sunt, quidquid unus voluerit, omnes volunt, quidquid unus potuerit, omnes possunt. Omnes possunt, et omnia possunt; quoniam ille inter eos est, « cui omnia dedit Pater in manus; cui data est omnis potestas in coelo et in terra ». Quidni per hunc omnia modo possis, « o Dive Ioseph » in coelo, per quem omnia quae voluisti, fecisti in terra? An qui tibi subditus fuit in vita, aliquid neget post vitam? gloria tua maior fuisse in labore quam in praemio modo sit, dici non potest, atque idcirco omnia te posse, negari non potest. De immenso igitur benedictionum tuarum cumulo, ut me participem facias et animam meam ac opus hoc meum in finem bonum promoveas te, obnixissime rogo.

1077 **Hymnus XV.**

Virgineo Mariae Sponso laudes.

ISTE Confessor, patriarcha magnus,
De domo David generosus haeres,
Dignus auctoris hominum vocari
Est pater almus.

2. Qui manens iustus, placitus supernis,
Regis aeterni fuit almae Matris
Sponsus et custos Mariae pro nobis
Cuncta regentis.

3. Ad sacrum Sponsae thalamum Mariae
Virgo permansit decorans cubile
Atque per votum decoravit aulam
Virginitatis.

4. Ut Bethlehem pariente Sponsa
Vidit, agnovit Dominum iacentem,
Quem adoravit hominem Deumque
Cuncta levantem.

5. Sit salus Christo, decus et potestas,
Patris aeterni Genito perenni,
Qui pro humani generis salute
Est homo factus.

(Antiph. ms. Plagense, saec. 16; Brev. Praemonstrat. saec. 16).

1078. **Memento.** — Mirabilia divinae sapientiae consilia pro nostra parte obsecundare cupientes, opportunum arbitramur fideles nobis commissos vehementer hortari ad cultum et honorem erga B. Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus.

Arcana quidem et sapientissima Dei dispositione per plura saecula beatus ille Virginis Sponsus et Incarnati Verbi custos et nutritius quasi absconditus remansit, nec in ore hominum versatus est. Tempore autem praeordinato, suscitati sunt a Deo inclyti praecones, qui Sanctissimi Patriarchae privilegia laudibus extollerent eiusque cultum mirifice propagarent, inter quos eminent eximius doctor S. Bernardus, Seraphica virgo monialium Carmelitarum mater Teresia, et praesulum decus beatus Franciscus Salesius. Eadem veneratione ductus, gloriosissimus Pontifex noster Pius Papa IX festum patrocinii B. Ioseph, pro aliquibus antea locis concessum, ad universalem Ecclesiam extendit, illius veluti tutelae christianum orbem commendans. Fideles autem, supremi Pastoris exemplo magis ac magis accensi, castissimum Beatae Virginis Sponsum, novissimis praesertim his temporibus, omni pietatis et obsequii testimonio aemulantes coluerunt. Hinc in eius honorem nova eriguntur altaria, templa aedificantur, piasque sodalitates tum sociorum frequentia tum gratiis ab Apostolica Sede concessis ornari et in dies crescere videmus. Conc. Prov. Burdigalensis ann. 1868).

XVI. — Sermo Cardinalis Petri de Alliaco.

TRACTATUS PETRI DE ALLIACO EPISCOPI CAMERACENSIS.

De duodecim honoribus Sancti Iosephi (1).

Si colligimus in unum, quae sparsim de S. Ioseph evangelica scriptura commemorat, inveniemus profecto eum multis privilegiis magnisque laudum praeconiis commendatum. Propter quae sancta mater Ecclesia solemne festivitatis gaudium de eo merito celebrare credenda est. Igitur iam aggrediamur Sancti huius veneranda bonorum insignia et ea quibus possumus laudibus prosequamur.

1080. PRIMUS EIUS HONOR EST: *Quod ex nobilissima stirpe regia propagatur*. — Testatur hoc Evangelista Matthaeus qui librum

(1) Tractatum exscripsimus ex vetustissimo exemplari impresso Argentinae, an. Dom. MCCCCXCV.

Digitized by Google

generationis Iesu Christi Filii David ab Abraham inchoans, in cuius semine omnium gentium benedictio promissa est, per intermedias Patriarcharum Prophetarum ac Regum generationes, usque ad Ioseph progrediendo describit ita concludens: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus ». O vera et virtuosa, non vana et ventosa nobilitas! Nascitur Ioseph ex nobili semine, non quocumque, sed ex alto semine Regis, non cuiuscumque, sed ex benedicto semine David, illius nobilissimi filii Patriarcharum praecipui, et eximii Prophetarum sanctissimi ac beatissimi Regum.

1081. SECUNDUS SANCTI HUIUS HONOR EST: *Quod non solum Matris Dei, sed etiam Filii Dei verus consanguineus appellatur.* — Cur hoc diximus? Quia nascitur Ioseph ex semine David, ex quo nascitur Maria Mater Dei, Regina coelorum, Domina Angelorum; ex quo etiam de Maria nascitur Christus, Filius Dei, Rex regum ac Dominus dominantium. Ideoque Christus filius David dicitur, quia filius Mariae, quae ex semine David nascitur; in quo Christus, Maria et Ioseph vera consanguinitate coniunguntur. Unde cum Lucas Evangelista dixisset: « Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph », subiunxit: « de domo David ». Quod non tantum ad Ioseph sed ad Mariam pertinet, quia iuxta legis praeceptum, Ioseph Mariam uxorem de domo sua et familia duxerat. Ideo Christus veraciter ex semine et consanguinitate David natus est, quia incorrupta Mater eius veram de stirpe David originem traxit

1082. TERTIUS HONOR EST: *Quod sacratissimae Virgini Matri Dei matrimonialiter desponsatur.* — Nam, ut iam commemoravimus, Ioseph virum Mariae et Mariam Sponsam Ioseph sancti Evangelistae fuisse confirmant. Quod ideo dictum est, non quia Ioseph virili more huic Sponsae carnaliter copulatus, sed quia virtuoso amore sibi sacramentaliter iunctus fuerit; fuitque inter eos vere sacrum matrimonium, licet non exstiterit carnali copula consummatum. O privilegium singulare! Solus Ioseph in domo David tantaque familia ad tam sanctum coniugium dignus eligitur, solus, Deo approbante, idoneus iudicatur. Sed quo signo quove miraculo de divina eius electione constiterit? Hic tacendum esse arbitramur, cum et hoc ab Evangelistis taceatur. Nos autem non apocrypha sed sola hic evangelica testimonia prosequimur.

1083. QUARTUS HONOR EST: *Quod Sanctus hic Sponsus virginitatis titulo decoratur.* — Sane iam desponsata fuerat Maria Ioseph quando, Evangelista teste, missus est angelus ad Virginem; cui cum ille diceret: « Ecce concipies et paries Filium », respondisse legitur: « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? » Idest, nunquam cognoscere propono. Igitur et Sponsa erat et Virgo, et consentiente Sponso perpetuae virginitatis propositum observabat. Unde vera sanctorum Patrum tradit auctoritas non solum Mariam sed etiam Ioseph apud se disposuisse virginitatem servare, nisi Deus aliter iuberet, eosque sic consensisse in coniugalem societatem ut uterque de altero, revelante Spiritu Sancto, intelligeret quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sicut ergo divino consilio in coniugalem societatem consenserant, sic virginitatem suam ordinationi divinae commiserant. Et hoc secretum voti virginalis propositum sibi mutuo verbis postea expresserunt, et ambo in virginitate divinae inspirationi obediendo permanserunt. O igitur sancta et Deo grata virginalis coniugum societas. O quam venerandus est Sanctus iste Sponsus et virgo qui Sponsam Virginem a Deo sibi commendatam intemeratam servavit! Quam postea, eo ut creditur mortuo, Filius in Cruce moriendo virgo, Matrem Virginem discipulo virgini commendavit. Quia in se Christus quantum Ioseph dilexerit patenter edocuit, dum ad specialem curam custodiamque Matris suae, ei discipulum quem plurimum diligebat in mortis suae testamento constituens, subrogavit.

1084. QUINTUS HONOR EST: *Quod non solum ad Virginis Matris, sed etiam ad Filii eius obsequia singulariter deputatur.* — Haec enim una ratio est quare desponsatur Maria Ioseph. Nam prout sanctorum Patrum traditione docemur, ultra generales causas coniugii, quaedam causae speciales fuisse dicuntur; videlicet, ut diabolo partus virgineus celaretur, ut Ioseph esset testis castitatis defendens eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera iuxta legem Mosaicam damnaretur. Postremo, quantum ad hoc pertinet quod loquimur, ut non solum Mater sed etiam Filius eiusdem Matris et Virginis huius Sponsi solatio sustentaretur et obsequio foveretur. O mira res! Ioseph suo sustentat et fovet auxilio Eum qui sustentans et fovens omnia, universo praesidet mundo! Quod utique factum est, non solum dum puer Iesus ministerio Ioseph, sive in Ægyptum eundo, sive inde redeundo transfertur, sed dum toto infantiae aç pueritiae decursu ab eo paternaliter educatur. Unde Iesus evangelio teste, « putabatur Filius Ioseph »: non ideo solum quia Sponsus erat Mariae, sed etiam quia sibi omnia paterni amoris signa et obsequia videbatur praebere. Qua-

Digitized by Google

mobrem absque ulla temeritate, pia fide credendum est, Sanctum Ioseph Christum puerum saepenumero suis tractasse manibus, gestasse brachiis, et nutricis more inter suaves amplexus dulcia oscula sacris eius labiis impressisse. Unde si in Ioanne Baptista veneramur quod Christum digito monstravit, aut in Iordane lavit; si in Ioanne Evangelista quod in coena supra pectus Domini recubuit; valde in Ioseph venerandum est, quod Christum corporaliter tam saepe tamque familiariter et obsequiose tractavit.

1085. SEXTUS HONOR EST: *Quod ei tamquam coelesti secretario, secretum Incarnationis Christi mysterium a Deo per Angelum revelatur.* — Hoc enim prius missus Gabriel Angelus iam desponsatae Virgini nunciavit: « Ecce, inquit, concipies et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum ». Nec solum humanae sed etiam divinae generationis arcanum patefecit dicens: « Hic erit magnus et Filius Dei vocabitur ». Modum quoque quo ex ea Deus et Dei Filius non humanitus sed divinitus fieret homo, subiunxit: « Spiritus Sanctus, inquit, superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei ». Sed hoc magnum multiplexque secretum divinumque mysterium Sponso suo Virgo celaverat, et quod Angelo humiliter responderat: « Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum »; etiam omnia quae circa hoc Spiritus Sanctus facere disposuerat, humiliter exspectabat. Postea ergo ipsi Sponso, ab eodem, ut creditur, Angelo Christi Incarnatio revelatur. Quod Evangelista Matthaeus ita prosequitur: « Iesu Christi, inquit, generatio sic erat. Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Hoc autem quod ait: « antequam convenirent », Lucas Evangelista manifeste aperit dicens: « quod postquam discessit ab ea Angelus, exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda et intravit in domum Zachariae ». Hoc est, eundo ad oppidum in quo ipse Zacharias dicitur habitasse, quarto milliario a Ierusalem, per illam civitatem verisimiliter transiisse creditur, quae civitas Iuda dicitur, non ratione tribus, cum esset de tribu Beniamin, sed ratione regni cuius ipsa caput fuisse perhibetur. In illa ergo domo Maria salutavit Elisabeth matrem Ioannis: « et exultavit infans in utero ». Ipsa quoque Mariam magno cum honore suscipiens, eam Matrem Domini sui et Beatam veraciter prophetavit, et tunc edidit Maria canticum dicens: « Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo ». Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus. O benedicta et vera beata societas! non utique otiosa sed obsequiosa, in Dei laudibus et bonis operibus occupata! Ministrasse enim creditur Maria cognatae suae usquequo pareret. Unde et in libro iustorum legitur eam primo de terra natum Ioannem sublevasse. Postea vero reversa est Maria in domum suam in civitatem Nazareth.

1086. Hoc est ergo quod Matthaeus praedictis omissis, breviter ait: « Antequam convenirent », idest, postquam Maria cum Elisabeth manserat. Postquam in domum suam redierat, antequam ipsa et Ioseph, qui Iudaeorum more desponsati fuerant, per aliquot dies ante cohabitationem assiduam, antequam ipsi conventu matrimoniali pariter habitarent, antequam simul coniugalem societatem haberent. Vel si placet exponere « antequam convenirent », idest, per carnalem copulam cohabitarent; non sic intelligendum est quasi postea hoc modo convenirent; sed simili locutione qua de aliquo dici solet, antequam poenituerit morte praeventus est. Vel intelligi potest « antequam convenirent », idest, ante proximum tempus quo nuptiarum solemnia celebrarent, inventa est a viro suo de Spiritu Sancto in utero habens ». Sed quia hoc de Spiritu Sancto esse nondum ipse noverat, ideo Matthaeus subiunxit: « Ioseph autem vir eius cum esset iustus et nollet eam traducere »; idest, in coniugem accipere, quasi ad sua transducere; vel eam publicare, detegere, seu diffamare: « voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est » (idest iam conceptum et in proximo nasciturum) « de Spiritu Sancto est ». Hoc est, non humano sed divino opere, non virili semine, sed virtuoso Spiritus Sancti spiramine incarnatum. Nec ei Angelus solum Incarnationis sed etiam futurae per eam humanae salutis mysterium nunciavit: « Paries, inquit, filium et vocabis nomen eius Iesum »; causam vero et interpretationem nominis subiunxit: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Quod cum solius Dei proprium sit, in hoc brevi verbo magnum divinitatis Sacramentum, Iesum videlicet, non purum hominem, sed et Deum verum esse notavit.

1087. SEPTIMUS SANCTI HUIUS HONOR EST: *Quod ipse iustus Evangelico testimonio comprobatur.* — « Ioseph, inquit, vir eius cum esset iustus ». Venerandum sane de viro Mariae testimonium. Nihil tale de Ioachim,

Digitized by Google

nihil tale de Anna parentibus eius, Evangelium loquitur, licet et quod ii iusti et sancti fuerint; a quibus omnis iustitiae et sanctitatis radix origoque processit, pia fide credendum sit. Nec parum aestimes quod ait: « Cum esset iustus »: hoc est enim, cum esset fide et charitate omnique bonorum morum virtute ac omni virtutum honestate probatus. In Scripturis enim « iustitiae » nomine virtuosae vitae sanctitas generaliter accipitur. Hic tamen specialiter ex eo iustus dicitur, quia antequam Angelo revelante, Mariam de Spiritu Sancto concepisse cognosceret, noluit eam traducere, idest in coniugem ducere; vel, ut graeca littera habet, noluit eam « propalare », sed voluit occulte dimittere eam; qui locus expositione indiget.

1088. « Cum esset, inquit, iustus ». Quare iustus? Quia fide iustificatus. Quomodo fide iustificatus? Sicut antiquus pater eius, pater multarum gentium Abraham, de quo ait Apostolus: « Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iustitiam ». Ioseph ergo iustus fuit, quia fideliter credidit. Sed quid credidit? Non utique vanas et humanas superstitiones, sed veras et divinas promissiones quae factae fuerant patri suo David. Ideo etiam Angelus vocavit eum « Filium David » ut cognosceret quod promissum fuerat domui Patris sui David. Quid promissum? Sane quod de domo sua promissus in lege Messias nasceretur. Quomodo nasceretur? Non de virili semine sed de femina virgine. Cur hoc credidit? Quia Deo credidit; cui cum patre suo David dicere potuit: « Adhaesi testimoniis tuis Domine ». Adhaesit quippe divinis testimoniis, adhaesit testibus propheticis, adhaesit et credidit Isaiae prophetae: immo verius, Deo per prophetam dicenti: « Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: nobiscum Deus ». Idest, inter homines homo Deus. Credidit ergo Ioseph Christum Deum et hominem, de domo David et de Virgine nasciturum, qua fide iustificatus vere iustus vocatus est. Eadem enim fide iustificamur credentes esse factum quod ille credidit esse fiendum.

1089. Sed quid est: « cum esset iustus, et nollet eam propalare voluit occulte dimittere eam? » Sane, cum ipse iustus per iustitiam fidei, credidit Christum nasciturum de Virgine; quod tamen de ea Virgine nasceretur, non plene credidit, nec tamen penitus discredidit, sed inter utrumque dubius, ne peccaret temeritate levitatis, in hac certitudine diu prudenter deliberans cogitavit. Quid cogitavit? Cogitavit Mariam de domo David ortum traxisse; cogitavit se de eadem domo eam Virginem accepisse, et a se intactam, etiam inter suos, iustos utique et sanctos eam sanctam et immaculatam servasse. Non ergo temerarie praesumebat cogitare eam esse adulterii culpabilem, quam sic servaverat innocentem; sed hanc rem admirans, quid hoc esset, et unde in utero haberet, aut qualiter super hoc Deus disponeret, dubius ignorabat. Ideoque inter haec quasi mediam eligens viam, tamquam iustus « eam voluit dimittere » ne rei incognitae consentiendo, coram Deo se reum faceret, tamquam pius eam « noluit propalare » idest, hoc noluit palam, sed occulte facere, ne innocentem coram hominibus proderet, et si palam fieret, ut adultera puniretur. Quia ergo Ioseph haec iuste et pie cogitabat, ideo apparitione angelica consolatur, et propositum suum meliori consilio commutatur; quia omni suspicione adulterii, omnique dubietate relicta, ipse, Angelo revelante, Mariam de Spiritu Sancto concepisse statim credidit, eamque in coniugem, evangelista teste, sine cunctatione recepit. « Exsurgens, inquit, Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam »; idest, eam quae prius sponsa fuerat, in uxorem duxit. Sicut ergo in Ioseph ante revelationem Angeli fuit pia iustitia et iusta pietas, sic postea in eo non defuit humilis obedientia et obediens humilitas. O igitur sancte et iuste Ioseph! Quomodo de re tanta, tam nova, tam inaudita, tam cito firmiter credis, et unico somnio tam certitudinaliter acquiescis? Non credo, inquis, somnio sed Angelo: nec tantum Angelo exterius dicenti, sed magis Deo interius docenti, et cordi meo interna revelatione huius rei certitudinem confirmanti. Tu ergo exemplo tuo nos confirma; tu oratione tua nos adiuva; confirma in nobis certitudinis firmitatem, adiuva in nobis nostrae credulitatis infirmitatem.

1090. OCTAVUS HONOR EST: *Quod Christo nato, hoc nomen Iesus, a Deo sibi aeternaliter impositum et ab Angelo temporaliter revelatum a Sancto Ioseph hominibus solemniter publicatur.* — Audiamus quid de Christo nato Matthaeus loquitur. Postquam enim dixerat quod Ioseph accepit eam coniugem suam; statim, ne coniux eius per carnalem copulam crederetur, subdit: « Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum: et vocavit nomen eius Iesum ». Ubi et nativitatem eius de Virgine et publicationem nominis eius in circumcisione breviter insinuat, per hoc quod ait. « et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum »: non quasi postea eam Ioseph cognoverit, aut quod alium filium postea Maria peperit; sed pri-

Digitized by Google

mogenitus dicitur, idest, ante quem nullus prior, sed non post quem alius posterior. Nam et ante et post talem ac tantum partum decuit ut Sponsus virgo cum Sponsa Virgine permaneret. Per hoc vero quod de Christo nato subiungitur: « Et vocavit nomen eius Iesum ». huius nominis impositio, seu praecedentis iam impositionis publicatio, non statim post nativitatem Pueri facta esse credenda est, sed octavo die quo circumcisio fieri lege Mosaica mandabatur. Haec autem quae Matthaeus commemorat breviter, apertius Lucas exponit: « Ascendit, inquit, et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo David, ut profiteretur cum Maria uxore sua praegnante »; idest, ut iuxta edictum Caesaris solvendo tributum se subditum Romano imperio fateretur. « Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum » idest, unigenitum; in lege enim primogenitum dicitur omne quod primo aperit vulvam, etiamsi nihil aliud subsequatur. Tum ergo « pannis involvit et reclinavit in praesepio: quia non erat ei locus in diversorio ». Cum enim pauperes essent, propter frequentiam multitudinis, quae ibi convenerat, nec propriam domum habebant, nec in communi loco habitaculum, nisi praesepium, ubi sese recipientes diverterunt. O mira Christi et parentum eius paupertas! Et tam veneranda huius paupertatis humilitas! Quae ab Angelis veneratur; a pastoribus, Angelo ducente, visitatur; a Regibus, stella ducente, adoratur.

1091. Sed his omissis veniamus ad id quod de impositione nominis Lucas prosequitur. « Postquam, inquit, consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur ». Prius enim ante conceptionem ipsi Mariae, deinde ante nativitatem ipsi Ioseph ab Angelo dictum est: « vocabis nomen eius Iesum ». Postea vero in circumcisione hoc nomen fuit a parentibus publice et solemniter declaratum. O salutare nomen! O nomen gaudiosum! in quo magnum salutis gaudium nunciatur. Quorum gaudium? Sane, Mariae et Ioseph gaudium singulare, qui hoc ab Angelo meruerunt audire; qui hoc primi mundo meruerunt publicare. Sed tamen non solum eorum fuit hoc gaudium; non solum huius aut illius hominis; sed totius humani generis; nec solum hominum sed etiam Angelorum; dicente Angelo ad pastores: « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus ». Et quia Salvator, ideo Iesus, quia Iesus « Salvator » interpretatur. Nec solum de hoc gaudio exsultavit Angelus unus, sed Angelorum multitudo laudantium Deum et dicentium: « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis ». Gloria in coelis, pax in terris. Gloria in coelis Deo Patri, qui glorificatur per Filium; pax in terris hominibus, non omnibus, sed hominibus « bonae voluntatis »; quia talibus pax facta est cum Deo Patre per Filium. Hoc igitur gaudium magnum, quod Angelus evangelizavit pastoribus, Sanctus Ioseph publice et solemniter omnibus evangelizavit hominibus: unde non immerito eum « Proto-evangelistam » possumus nominare; quia inter homines primus nomen evangelistae meruit obtinere.

1092. NONUS HONOR EIUS EST: *Quod ipso praesente, multa et magna ac mira nostrae fidei mysteria declarantur.* — Praesens erat Ioseph quando Christus nascebatur, quando a pastoribus mira de eo dicebantur. Nam cum ipsi postquam Angelorum claritatem viderant, postquam Angelorum vocem audierant, venissent in Bethlehem, sicut Lucas refert, « invenerunt Mariam et Ioseph, et infantem positum in praesepio, et mirati sunt de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos ». Cur non mirarentur, quando eis miranda Dei miracula narrabantur? Mirabantur, et ideo propter admirati ceperunt philosophari et divinitus contemplari. Nam Maria « conservabat omnia verba haec conferens in corde suo ». Et si hoc de Maria dicitur, quia haec omnia contemplabatur profundius, Ioseph tamen eadem per cordis contemplationem fideliter conservasse creditur. Praesens etiam erat Ioseph quando Christus circumcidebatur, quando innocens sanguis eius fundebatur. Tunc propter nos Christi passio, tunc propter Christum Iosephi compassio inchoabatur. Praesens erat quando Christus a magis adorabatur, quando ei mystica munera offerebantur; in quibus trium magorum muneribus Sanctae Trinitatis fides praefigurabatur. Praesens erat quando Christus in templo praesentabatur, quando in eo cuncta quae secundum legem Moysi fieri debuerant, implebantur. Nam sicut Lucas ait: « Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, secundum legem Moysi, tulerunt eum parentes eius in Ierusalem, ut sisterent eum Domino »: idest, offerendo praesentarent. « Et dederunt hostias pro eo, par turturum aut duos pullos columbarum ». Insuper redemerunt eum quinque siclis argenti. O ingens humilitas Christi! A parentibus innocens redimitur, qui pro parentum et omnium redemptione mundo nascitur: et qui legis Dominus est, consuetudinis legis servitutem subire non veretur.

Digitized by Google

1093. DECIMUS HONOR EST: *Quod hic Sanctus Ioseph, non solum veterum, sed etiam novorum prophetarum oraculis de iis quae de Christo futura erant, edocetur.* — Refert enim Lucas quod, « cum inducerent Puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo », erat homo in Ierusalem, cui nomen Simeon, qui cum senex esset, acceperat tamen a Spiritu Sancto, « non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini ». Unde eodem Spiritu venit in Templum, et accipiens Puerum in ulnas, divinitus cognoscens eum esse Christum, canticum edidit dicens: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace ». Et prophetans de Christi passione, ait ad Mariam: « et tuam ipsius animam pertransibit gladius »; idest, passio ipsius. « Eadem hora supervenit et Anna prophetissa, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel, et erant pater eius et Mater »; Ioseph scilicet, pater eius putativus, et vera Mater eius Maria, « mirantes super his quae dicebantur de illo ». Per ea tamen quae mirabantur, per ea miranda quae dicebantur, plus et plus continue docebantur.

1094. UNDECIMUS HONOR EST: *Quod Sanctus iste, non solum prophetica, sed etiam angelica allocutione saepe familiariter consolatur.* — Nam quatuor vicibus Angelum verba consolationis locutum fuisse, Evangelio Matthaei referente, legimus. — Primo, cum de impraegnatione uteri virginalis dubius haesitaret, ad eius consolationem Angelus ei in somnis apparuit, dicens: « noli timere accipere coniugem tuam ». — Deinde cum ob persecutionem Herodis Angelus eum consolans iterum in somnis apparens, ait: « Surge, accipe Puerum et Matrem eius et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum eum ». O mira res! Christus fugit; non timoris est sed significationis, ut membris suis exemplum fugiendi daret, sicut eos in Evangelio docet: « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam ». — Tertio, cum ad monitionem Angeli Ioseph fugisset in Ægyptum, et ibi per septennium remansisset, rursum in somnis ei ab Angelo dictum est: « Surge et accipe Puerum et Matrem eius, et vade in terram Israel; defuncti enim sunt qui quaerebant animam Pueri ». — Postremo, cum defuncto Herode de Ægypto venisset in terram Israel, audiens quod Archaelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire; « Et admonitus in somnis, secessit in partes Galileae: et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth ». Ex quibus liquet quantus amoris zelus, quantaque provisionis ac diligentiae cura erat huic Sancto Ioseph erga Puerum Iesum, cuius ei custodia sic divinitus specialiter commissa est, ut de iis quae erga eum gerenda erant, non ad Mariam sed ad Ioseph Deus per Angelum toties loqueretur. Sed quare Angelus qui Mariae vigilando apparuit, ipsi Ioseph semper in somnis apparuisse legitur? Sane hoc convenienter fieri potuit et decuit. Ut quia Ioseph circa impraegnationem Virginis quadam dubietate animi velut somno quodam spirituali oppressus fuerat prius, ideo non manifesta et diurna, sed occulta et nocturna visione ei Angelus appareret. Ubi etiam potestas Angeli apparentis ostenditur, qui quando et quomodo voluit se videndum exhibuit.

1095. DUODECIMUS HONOR EST: « *Quod non solum Dei Mater, non solum Regina coelorum et Domina Angelorum, sed etiam Dei Filius, Rex et Dominus omnium, cui omne genu flectitur coelestium, terrestrium, et infernorum huic Sancto Ioseph humiliter obediendo subiicitur* ». — De qua subiectionis obedientia et obedientiae humilitate, Lucas Evangelista ita scribit: « Puer, inquit, crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo ». O res nova, iam erat in Puero Sapientiae plenitudo! Cur ita? Quia gratia Dei, immo Deus qui charitas est et gratia per superabundantem et singularem plenitudinem erat cum illo. Et « ibant, inquit, parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae. Et cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, dum inde redirent, remansit ibi puer Iesus, et non cognoverunt parentes eius; existimantes autem illum in comitatu esse ». Quia eos tanquam eis humiliter obediens et subditus sequi consueverat, « Venerunt iter diei et requirebant eum inter cognatos, et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem », ubi « post triduum invenerunt illum in medio doctorum audientem illos et interrogantem eos ».

1096. Quid mirum si Puer Iesus ut doctor sapientiae in medio doctorum sedebat, qui iam sapientia plenus erat? « Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius. Et videntes admirati sunt: et dixit Mater eius ad illum; Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Ubi Dei Mater se subditam esse Ioseph humiliter insinuavit, dum eum honorando patrem Christi nominavit, eumque nominando sibi reverenter praetulit. « Ecce, inquit, pater tuus et ego ». Cui respondens Iesus, non eam solum, sed etiam Ioseph alloquitur dicens: « Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? ».

Digitized by Google

Cuius Patris? Non utique patris terreni, sed eius cui dicitur: « Pater noster qui es in coelis; » cuius Christus Filius erat non per temporalem creationem, sicut homines singuli; nec solum per specialem adoptionem, sicut homines sancti; sed per aeternalem generationem, qualiter nulli alii, sed solus Christus singulariter dicitur Filius Dei; de quo ait: « nescitis quia in iis quae Patris mei sunt, oportet me esse »? « Non utique patris mei Ioseph, qui non est pater meus verus, sed putativus; sed in iis quae sunt Dei Patris, qui est solus et verus Pater meus ». O altum mysterium! Et nondum tunc plene hominibus explicatum! Ideo sequitur: « Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos ». Quod verbum? Illud sane quod iam praemisimus.

1097. In quo, ut tetigimus, Christus divinae suae generationis et aeternae emanationis, et per consequens sanctae Trinitatis arcanum verbo suo, licet obscuro, voluit innuere. Hoc tantum verbum, sicut et alia verba, Maria contemplabatur profundius. Ideo subditur, quod « ipsa conservabat omnia verba haec conferens in corde suo ». Conferebat verba vocalia quae dicta erant de Verbo aeterno: conferebat verba quae audierat de suo et aeterni Patris Filio. De hoc ergo tam excelso et tam excelsi Patris Filio audiamus quid sequitur: « Et descendit, inquit, cum illis, et venit Nazareth, et erat subditus eis ». Quid est hoc? Quis quibus erat subditus, Deus et Dei Filius? Utique Ioseph et Mariae parentibus eius: et principaliter ipsi Sancto Ioseph, cui etiam Maria, tanquam uxor humilis subdebatur. Vere humiliter viro suo subdita et obediens fuit quae omnibus uxoribus, immo virginibus exemplum humilitatis praebuit; quae omnes utriusque status mulieres humilitate praecessit; quae Deo humilitate magis quam virginitate, aut alia virtute placuit, ipsa dicente et humiliter omnibus profitente: « Quia respexit Dominus humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ».

1098. Non solum ergo Maria, sed etiam Iesus Filius eius Sancto Ioseph humiliter subditus. O mira et stupenda novitas! O nova et miranda humilitas! Subditus servo Dominus, humiliatur homini Deus, subditur et humiliatur servo parvo et humili magnus Dominus et Deus omnipotens. Non tamen in forma Dei, sed in forma hominis pro servis suis, ut Apostolus ait: « formam servi accipiens ». Et merito iure naturae Christus secundum hominem ipsi Ioseph subditus, a quo Christus homo pascitur, a quo sibi humanae vitae necessaria ministrantur. Sed unde ministrantur? Profecto de labore manuum Ioseph. Credimus Mariam et Ioseph pauperes fuisse, non tamen legimus eos aliquando mendicasse; ideo concludimus, suam et Christi pauperem vitam proprio labore manuum sustentasse, ut illam patris sui David propheticam beatitudinem mereretur; « labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit ». O mirandum prodigium! Ex labore Ioseph ille pascitur qui sua virtute esurientes reficit. Ex labore Ioseph ille terreno pane reficitur, qui in coelo sine esurie semper vivens, ait: « Ego sum panis qui de coelo descendit ». Et ideo quia de coelo descendit, ideo in terra pascitur, et a Sancto Ioseph terreno labore sustentatur.

1099. Sed quo labore? Hoc sane in Evangelio expresse non legitur. Sed ex hoc innuitur, quia Matthaeus recitat, quod cum venisset Iesus in patriam et doceret in Synagogis, Iudaei admirantes dicebant: « Unde huic sapientia et virtutes? nonne hic est fabri filius? » Vel ut Lucas narrat: « Nonne hic est faber et filius Mariae? » Ex quo datur intelligi Ioseph fabrum fuisse et fabrili opere laborasse: ac ideo Iudaeos Christum fabrum sicut et patrem suum putativum aestimasse. Unde et propter hoc scandalizabantur in eo. « Iesus autem dixit eis, non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum ». O perversa Iudaeorum incredulitas! O magna incredulitatis caecitas! Quem verbis et factis, quem virtutibus et miraculis Christum esse cognoscunt, ob generis notitiam et parentalis originis paupertatem contemnunt; et eum vocantes fabrum et fabri filium superbe despiciunt. Non tamen absque mysterio Christus faber et fabri filius dici voluit, et hoc ab Evangelista recitari; non utique illius fabri quem putabant illi, sed Dei fabricatoris omnium, cuius divinae propagationis spiritualem originem carnales Iudaei ignorabant. Ideo humanae generationis carnalem prosapiam solum cogitantes, nec tamen satis, ut dignum erat, considerantes Christum ignobilem reputabant. Non sic autem nos: sed in Christo divinae et humanae originis nobilitatem agnoscentes, et in eo parentes eius, et eum in suis parentibus veneramur.

1100. Ad Christi ergo venerationem et Sacratissimae Virginis Matris eius, simulque sanctissimi Ioseph, qui ei, ut praemisimus, fuit in hac mortali vita multiplici familiaritate et familiari societate coniunctus, et nunc in vita aeterna est eis mirabili iucunditate et iucunda felicitate consocius; nos praedicta laudum honorumque praeconia, eorum adiuti meritis, prosequuti sumus; et ex iis quae de eo sparsim in Evangeliis

Digitized by Google

scripta sunt, praenotatos duodecim honorum titulos collegimus. Ex quibus Sanctus iste, quasi corona stellarum duodecim, seu totidem pretiosorum lapidum, honoratus fulget in terris et in coelis rutilat coronatus. Unde quia scriptum est: « Hoc honore dignus est quem Rex voluerit honorare: » dignum arbitramur eum ab hominibus valde honorandum, et magna veneratione venerandaque celebritate, ac celebri festivitate colendum, quem Rex regum tot honorum insigniis voluit extollere.

1101. Sed cur iste Sanctus tantum meruit honorari? Sane, quia multum voluit humiliari. Sic enim in eo impletum est illud quod Christus ait: « Qui se humiliat exaltabitur; » et illud quod Mater eius Maria cecinit: « Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles ». Hoc namque Beata illa Virgo, non solum de seipsa sed etiam de Beato Sponso suo specialiter dixisse credenda est, quem Deus cum ea, licet non aeque singulariter, tamen valde sublimiter exaltavit. Unde secundum illum canticum, merito decantare potuit: « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillae suae », sed etiam servi sui. « Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes quia fecit mihi Dominus magna ». Quomodo magna? Quia, inquit, me mirifice magnificavit, et magnifice augmentavit. Et ideo nomen Ioseph interpretatur « augmentum »; quia ipse parvus et humilis de magna et sublimi domo David, de parvo magnus, de humili sublimis fieri meruit. Et per humilitatem, quae est virtutum omnium fundamentum, augmentum gratiae et gloriae consequi, dignus fecit.

1102. O magna sanctae humilitatis merita! O magna divinae largitatis munera! O quam vere dicere potuit S. Ioseph: « Quia fecit mihi Dominus magna! » Sed quare fecit? « Quia inquit, potens est, et sanctum nomen eius ». Ac si diceret: non ex me, sed ex se fecit. Non ex mea, sed ex sua potestate. Non ex mea sed ex sua pietate, haec magnalia fecit. Nec aliunde fecit nisi quia potuit et voluit. Potuit summa potestate, quia inquit. « potens est »; et ideo singulariter potens, quia solus Omnipotens. Voluit summa pietate, quia « Sanctum nomen eius ». Cuius eius? Illius de quo dicitur: « vocatum est nomen eius Iesus ». Et quia Iesus ideo pius. Sola enim et summa pietate fieri voluit nobis Iesus. O igitur Sanctum Nomen eius! quia inter plurima sancta Dei nomina, vere specialiter Sanctum est Nomen Iesus. Nomen in se Sanctum et in nobis sanctificatum. Nomen de quo dicere possumus: « Sanctificetur Nomen tuum ». Nomen de quo ipsemet ait: « Quidquid petieritis Patrem in Nomine meo fiet vobis ». Quia ergo in te, et per te, o potentissime, et piissime Iesu, fecit Dominus magna Sancto suo Ioseph; ideo te magnificare decet, et ad laudem tui nominis hunc tractatum in huius orationis verba finire.

ORATIO.

DOMINE Iesu Christe, aeternaliter Deus de Deo, et ineffabili humilitate temporaliter homo factus de Virgine; qui Sanctum Ioseph Beatae Mariae Matri tuae, virginem Virgini desponsari, et humilem humili sociari voluisti; et eum de parvo magnum, de humili excelsum, multis virtutibus et magnis honoribus augmentatum mirabiliter sublimasti; da nobis quaesumus, eius exemplo meritis et praecibus, cum mentis et corporis munditia, veram humilitatis virtutem; nobisque in humilitate fundatis, da fidei, spei, et charitatis, omniumque virtutum augmentum: ut per virtuosa merita gloriosa secum praemia consequi valeamus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

1104. **Hymnus XVI.**

Iosephi canamus honores.

ISTE nutritor Domini sacratus
Festa plebs cuius celebrat per orbem,
Hodie lactus meruit secreta
Scandere coeli.

2. Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit et quietus,
Vitam dum praesens vegetavit eius
Corporis actus.

3. Angelus Dei apparens in somnis
Ioseph et dicens: Fuge in Ægyptum
Matremque tollens una cum filio,
Dum dicam tibi.

4. Casti parentes, nobis praedilecti,
Tenebras petunt Angelo ductore,
Et illic manent obitum ad usque
Regis Herodis.

5. Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata
Restituuntur.

6. Unde nunc noster chorus in honorem,
Ipsius hymnum canit hunc libenter,
Ut piis eius meritis iuvemur
Omne per aevum.

7. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra coeli residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus.

(Breviar. ms. S. Georgii Plagens. saec. 14 Codex Pragens. VIII E. I. Dreves l. c. pag. 211).

1105. **Memento.** — Nec sine supernae misericordiae consilio tale auxilium et nostri saeculi malis remedium allatum est. Ioseph enim ille est

Digitized by Google

fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam ut det illis cibum in tempore. Illius est in privatis domibus matrimonii sanctitatem, coniugum amorem et mansuetudinem, filiorum obedientiam restaurare; illius est in societate civili divites misericordiam, pauperes patientiam et in Deum fiduciam, omnes pietate edocere, compositisque intestinis, quibus aetas nostra laborat, dissidiis, veram statuere pacem; illius est ipsam quoque Ecclesiam, mysticum Christi corpus, supernis consolationibus recreare et pascere, eamque a furentium hostium impetu perseveranter tueri, prout olim Christum infantem alere illumque ab Herodis gladio eripere meruit: dignus sane cui tanta tribuatur potestas et gloria, quum ad supereminentem ordinem unionis hypostaticae ministerio suo pertineat, ut ait Suaresius. Conc. Prov. Burdigalense, ann. 1868).

XVII. — Sermo Ioan. Chrysost. Trombelli.

OPINIONES DE MARIAE ET IOSEPHI PATRIA.

Mariae SS. vita et gesta; dissert. V, de Mariae patria.

CAP. I. — Varias ea de re Scriptorum opiniones recensemus.

REM valde obscuram effecerunt et Scripturarum silentium, et variae scriptorum hac in quaestione sententiae. Bethlehem Virginis Mariae patriam fuisse aiunt Metaphrastes, et Theophylactus. « Iosephus et Maria » inquit Metaphrastes « cives Bethlehemitae ». Theophylactus vero: « Bethlehem Virginis patria erat ». Id ipsum fortasse innuit Rabbi ille Haccanas Rabbi Nehumiae filius, dum, referente Galatino, in Epistola quam ad cognitionem generationis Messiae scripsit, haec tradidit: « Erat quaedam puella in Bethlehem Iudae, nomine Maria, filia Jekojachim olim de genere Zerubabelis filii Sealthielis ex tribu Iuda ». His Poza adiungit Druthmarum in I Matth. cap. Sed quae ait Poza in allegato Druthmari loco non invenire potui: Salmeronem virum praestantissimum in hac fuisse sententia monet Guillielmus Cuperus. At solam Virginis matrem Bethlehemitem, patrem Nazarenum describit Fulbertus: « Nata est autem [Maria] iuxta relationem et scripturas sanctorum Patrum, in civitate Nazareth, patre nomine Ioachim, ex eadem urbe oriundo, matre vero Anna nomine, oriunda ex civitate Bethlehem ».

1107. Sephoro nobili Galilaeae oppido, quod et Diocaesaream appellari aiunt, eam laudem tribuunt alii: arbitrantur enim Ioachimum Mariae patrem eam urbem incoluisse, propterea quia eiusdem Ioachimi maiores ibi fixerint sedem, cum bella in Machabaeorum libris descripta totam exagitarent Iudaeam. Sephorum enim, seu Diocaesarea, munitissima urbs est, in quam propterea Ioachimi maiores se receperunt, ut ab hostibus tuti forent. Huic opinioni nec pauci, nec contemnendi scriptores favent, quos recensent Poza et Cuperus. Praeterire utique minime possum, quae ex Brocardo discimus: « De Cana Galilaeae ad duas leucas contra austrum est Sephorum civitas, de qua narratur Ioachim pater Mariae Virginis oriundus fuisse ».

1108. Hierosolymam hac de causa commendant alii, quia scilicet in ea urbe ortum habuisse putant Mariam sanctissimam. Neque desunt, qui locum ipsum definiunt, in quo nata ea est: prope scilicet probaticam piscinam: allegant vero in primis Damascenum id manifeste docentem. Quin et orientalium Christianorum traditio huic opinioni favet maxime. Catovicum aliosque non paucos hic sane Poza adducit, ad quem lectorem allegans, assecuturum affirmat indulgentias plurimas illi Hierosolymitanae ecclesiae concessas, in qua fama est editam fuisse in lucem Mariam.

1109. Hic afferunt eos Patres, qui Mariam « Iudaeam » nominant. Porro si Sephoro, aut Nazaretho eam laudem tribuis, Galilaeam appellassent. In eorum numero eminet Hugo a Sancto Victore, qui serm. 65, haec ait: « Sicut spina rosam, genuit Iudaea Mariam ». Hierosolymitanam itaque agnovit: in ea scilicet urbe natam, quae caput Iudaeae est. Sed quoniam facile haec eluduntur, si dixeris Iudaeam dici Mariam, quia Hebraei omnes per ea tempora Iudaei dicebantur, et Iudaeae regnum, dum Herodes Magnus imperabat, Galilaeam etiam complectebatur; expressa ipsa Patrum loca afferunt, in quibus dicitur Hierosolymitana. Hoc modo Synesius, hymn. IX: « Te, o beate nate, Virginis caro Solymitanae [id est, Hierosolymitanae] ». Gregentius quoque disputans cum Herbano, Hierosolymae natam Mariam affirmat.

1110. Revelationibus sanctae Birgittae id ipsum traditur. Etenim in expositione et declaratione Revelationis 13, libri V, haec dicitur monuisse Deus Pater: « Ergo qui ad locum istum, scilicet ubi Maria nata est, et educata fuit, venerit, non solum mundabitur, sed et erit vas in honorem meum ».

1111. Accedit probabilis coniectura: simillimum enim veri est, Mariae parentes, utpote piissimos, sedem fixisse in ea urbe, in qua pietatis opera facilius exerceri poterant, ideoque in Ierusalem. Convenientiam etiam quamdam adiungit Novatus quam ipsis scriptoris

Digitized by Google

huius verbis describere libet: « Valde conveniens fuit quod Beata Virgo, quae futura erat infirmorum salus, prope probaticam piscinam, ubi languores sanabantur, nasceretur, ut sic faciliorem nobis aditum, media ipsa Virgine, ad salutem tum corporis, tum animae assequendam apertum esse, innotesceret ».

1112. At Nazareth praeferunt alii, et pro ea urbe acriter decertant: afferunt vero in opinionis suae vadimonium scriptores sane non paucos, quos recenset Baronius, qui in ea opinione est, et Poza, in quorum numero praestat Ildephonsus [si tamen is auctor, serm. 5, De Assumptione]. Etenim haec tradit: « In Nazareth erat domus parentum Mariae ». Praestat etiam Fulbertus; etenim haec ait: « Nata est ita igitur Beatissima Virgo, sicut legimus, patre Nazareno, matre Bethlehemitica; quas urbes Christi nativitati, vel conversationi destinatas esse prophetae non tacuerant ». Ita autem accipiuntur haec verba, ut simillimum veri sit Mariam Nazarethi natam esse, propterea quia illius Pater Nazarethi moram trahebat: quam quidem moram Maria deinceps in eodem oppido cum filio statuens, reliquis causis, ob quas Christus Nazarenus appellatus est, hanc etiam addidit. Vide etiam quae tradit hac in re Guillielmus Cuperus.

1113. Adiiciunt etiam allegorias quasdam, et mysticas interpretationes nominis Nazareth, quibus quidem declarari aiunt, valde conveniens fuisse, ut ibi Maria nasceretur.

CAP. II. – Quod probabilius iudicamus, exponimus, et Nazaretho honorem hunc tribuimus; quo stabilito, opinionem nostram ab obiectionibus vindicamus.

1114. Cum hac in quaestione nulla [me quidem iudice] exstet valida probatio, quae ad ullam ex descriptis opinionibus amplectendam nos cogat, ea seligenda videtur esse sententia, quae ceteris verisimilior appareat. Porro verisimiliorem eam arbitror, quae Nazarethem Mariae patriam fuisse affirmat. Nimirum simillimum veri est Mariam avitam patriam, dum adolescentior adhuc esset, et nuper Iosepho desponsata, incoluisse: neque enim solent virgines, nisi vehemens causa aliqua urgeat antiquam patriam deserere, neque pauperes viri, uti erat Iosephus, exteras adolescentulas perquirunt, ut eas uxores ducant. Quis vero nescit angelum Gabrielem missum fuisse a Deo (Luc. 1, 26). « In civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, et nomen Virginis Maria? » ut illi scilicet Incarnationis divini Verbi in ea peragendae nuntius foret; Nazareth itaque Mariae patriam fuisse, iure meritoque coniicimus.

1115. Confirmamus id auctoritate praeclarissimorum eorum virorum, qui coeptum a Bollando in Sanctorum gestis describendis opus prosequuntur: etenim haec legimus in Actis SS. 20 Martii (23-24): « Quod si per coniecturam agendum esset, quaerendumque unde Virgini, ac Virginis Sponso civitatem suam Bethlehemum agnoscentibus, domicilium obtigerit Nazarethi; cum verisimilitudine maiori crederemus dici posse natos in familia nobili, sed re tenui Ioachimum, atque Iosephum, amissis etiam, si qui ipsis in Iuda ex paterna haereditate obvenerant, fundis, tolerandae levius verecundiae causa, in Galilaeam secessisse, ubi fabrili opificio vitam Iosephus coeperit tolerare, Ioachimus autem exiguo, quod forte superfuit peculio, nonnullas res comparavit: quae res ei non plane infeliciter cesserit: sic ut casulam, quam diximus, sibi potuerit comparare Nazarethi, et uxorem aut ex sua, aut ex alia quacunque, et verosimilius ex Levitica tribu per omnes Israeliticae terrae urbes sparsa invenire: Annam scilicet, cuius genus sacerdotale fuisse, sicut neptis eius Elisabethae fuit eo congruentius, ut nasciturus ex illius filia Messias Rex, et Sacerdos in aeternum, hac saltem parte [quoniam proprie filius esse David debebat] sacerdotes posset maiores habere ».

1116. Novi equidem id improbari a nonnullis, propterea quia Nazareth paulo remotior ab Hierosolyma erat: Ioseph vero, utpote legis observantissimus, non eum selegisset ad incolendum locum, qui a templo, quod ter per annos singulos visitare debebat adeo distabat. Secundo, defuncto iam Herode, factaque Iosepho ab angelo optione, ut quam vellet urbem in terra Israel eligeret, in quam se, Mariam, et Iesum reduceret, ad Nazarethum mentem non statim revolvit, sed ad aliquod Iudaeae oppidum; quod tamen ideo non selegit, quod in Iudaea regnaret Archelaus illius Herodis filius, qui ut Christum interficeret, pueros in Bethlehem, et in omnibus finibus eius interfici iusserat. Itaque, ne Christum, qui indicio aliquo poterat dignosci, regio furori iterum subderet, tum demum non sponte sua, sed angeli monitu ad Nazareth mentem convertit. An id egisset is, qui Nazarethum sibi, ac Sponsae castissimae communem habuisset patriam? Sed praestat ipsa Evangelii verba describere. « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum et matrem eius,

Digitized by Google

et venit in terram Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis, recessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur. » (Matth. II, 19-21).

1117. Ad haec: nullum tam faustae domus vestigium, aut memoria in Nazareth remanet. An neglexissent veteres Christiani, atque in primis Helena, et Eudoxia Augustae nobilibus aedificiis aedes eas, quas Deipara ortu atque incolatu suo sanctificasset, nobilitare? Aut prorsus ex hominum memoria tam felix domus evanuisset, sic ut nemo illius mentionem faciat, praesertim cum celebria Terrae sanctae, atque adeo Nazarethi ipsius praestantiora loca describant, in quorum numero domum eam ponunt, quae Ioannis Baptistae ortu celebris exstitit? Hactenus, qui secus sentiunt.

1118. Haec tamen nihil detrahunt verisimilitudini superioris sententiae. Scilicet ex Evangelio ipso novimus et ante ortum Iesum, et post eum ortum, atque ex Ægypto deductum Nazarethum incoluisse Iosephum et Mariam. Ea porro, quae adversus opinionem, quam ut ceteris verisimiliorem amplexus sum, primo obiecta sunt, aliquam vim haberent, si Iosepho data fuisset optio, ut quam vellet terrae Israeliticae urbem seligeret ad incolendum; nullam vero habent, si arbitreris [quod tamen valde probabile est] parentes illius, et atavos iam elegisse: tum enim in ea urbe degeret, oportebat, quam vitae, et laboribus suis commodam noverat: neque vero huc illucque vagari ille potest, qui honeste in urbe aliqua degit. Pergere autem ter per annos singulos in Ierusalem ad adorandum poterat Ioseph, etiamsi in Nazareth sedem fixisset: neque enim adeo distat a Ierosolyma Nazareth, ut id exsequi minime posset. Ceterum ea lege, quae ter per annos singulos Ierosolymitanum templum Iudaeos adire iubebat, ii tantum fortasse obligabantur, qui urbem incolerent Hierosolymae proximam, non item ii qui longo viarum intervallo ab ea urbe aberant.

1119. Num Ioseph cum terram Israel appulit, Iudaeam primum incolere cogitaverit, an Galilaeam, incertum est; neque enim Evangelium id tradit. Is sane, me quidem iudice, minime errabit, qui dicet Iosephum ex Ægypto reversum, ancipitem diu haesisse, ubi sedem figeret: alliciebat enim ad Nazareth vetusta consuetudo, et patriae amor: at fortasse avertebat metus, ne agnosceretur sponsus illius, quam, ut reliqua praeteream, Messiae Matrem Simeon, et Anna in templo palam dixerant: arbitrabatur quoque [quantum coniicere possumus] valde conveniens esse, ut Messias [quem noverat esse Iesum] ab Hierosolyma non abesset. Sed ab Hierosolyma, atque adeo a Iudaeae regione retrahebat prudens suspicio, ne ab Archelao Herodis filio rursus quaereretur ad mortem. Abstulit vero dubitationem omnem angelus, qui illi apparens, iussit eum Galilaeam adire, vel nullam designans urbem, vel si quam, Nazareth: hanc enim certe selegit Ioseph ad incolendum. Cur vero? An non quia antiqua ea erat, sibique, ac Mariae communis patria?

1120. Nulla re nunc Nazarethi remanere vestigia, monumentaque domus, in qua orta Virgo est, tibi dabo, si vis. Hieronymo tributus liber haec tradit: « Habet [Nazareth] ecclesiam in loco, in quo angelus ad B. Virginem evangelizaturus intravit: sed et aliam, ubi Dominus est nutritus ». Haec quoque tradit Beda: « Nazareth duas grandes ecclesias habet, unam ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est, alteram ubi domus erat, in qua angelus ad B. Mariam venit ». Porro si putas in harum altera, natam fuisse Mariam, id putas, quod a verisimilitudine alienum non est: in qua aede dum desponsata adhuc esset, nondum vero Iosepho tradita, nuntiasse illi angelum Incarnationem in ea peragendam, non pauci affirmant; quorum opinioni adhaerere potes, si vis.

1121. Fortasse etiam, dum Iudaea, ideoque etiam Galilaea Romanorum furore devastata fuit, multaeque urbes magna ex parte eversae ac dirutae, domus ea, quam Virgo ortu suo sanctificavit, destructa est, et solo aequata: quam ob rem illius memoria deperdita est, dum tamen superessent aliae Virginis incolatu sanctificatae, quae deinceps in ecclesias conversae sunt.

CAP. III. — Iis occurrimus, quibus adducti sunt alii, ut vel Bethlehem, vel Sephorum, vel Hierosolymam Mariae patriam esse putarent.

1122. Antequam levi huic controversiae finem imponamus, ea expendamus oportet, quibus moventur alii, ut urbes alias praeferant Nazareth. Sic autem ea per ordinem dissolvo. Qui Bethlehemitas Maria met Iosephum appellant, illisque Bethlehem patriam tribuunt, originem, ut puto, familiae Davidicae respexerunt, quam ob causam Ioseph et Maria Bethlehem adierunt (Luc II, 1 seqq.), ut in ea urbe nomen suum darent. Neque vero omisissent veteres Christiani memoriam aliquam posteris relinquere, si in Bethlehem ortum habuisset Maria sanctissima: nullam porro reliquerunt.

1123. Idem incommodum subeunt, qui

Digitized by Google

Sephoro, seu Dioecaesareae favent: neque vero in ea urbe monumentum ullum exstat, quod tam faustam domum in ea aliquando positam innuat. Quod si maiores Ioachimi, ideoque Virginis, aliquando incoluerunt Sephorum [quod tamen minime probo, neque enim in eorum numero sum, qui nobilissimum et ditissimum existimant Ioachim, cuius atavi universam rexerint Palaestinam], ideoque studuerint se suasque opes in munitissima urbe, qualis erat Sephorus, abdere: si id, inquam, verum est, non continuo erues Ioachimum ipsum, et Annam ibi moram traxisse. Erat scilicet pauper Maria, et, nisi plane fallimur, ex paupere patre orta, qui propterea urbem munitissimam, in qua thesauros suos collocaret, minime perquisivit. Scriptores porro eos, qui pro Sephoro, seu Diecaesarea stant, colo ego quidem, sed minime sequor.

1124. Verisimilius ii disserunt, qui Hierosolymae Mariam ortam volunt. At non continuo a sententia recedo. Ii porro Patres, qui Iudaeam Mariam nominant, ad regionem respexere, quam Maria diu incoluit, vel, si vis, ad eam etiam et in qua nata est: etenim cum ad tribum Iudam ea pertineret, Iudaea, seu Iudaeae portio vulgato sermone appellabatur, tametsi si rigorose locuti fuissent, Galilaea appellanda fuisset: Iudaei enim quotquot eam incolebant, dicebantur: vel, si vis, ad tribum Iudam, ex qua quidem proveniebat Maria. Ab Ambrosio solutio haec proponitur, haec enim tradit: « Maxime cum in Ioseph origine etiam origo sit Mariae: nam cum vir iustus fuerit Ioseph, utique ex tribu sua, et ex patria sua accepit uxorem... Itaque et census tempore ascendit Ioseph de domo, et patria David, ut profiteretur cum Maria uxore sua. Quae ex eadem domo, et ex eadem patria professionem defert, utique eiusdem tribus, et eiusdem patriae se esse designat ».

1125. Neque vero fateri cogimur eos qui Hierosolymitanam Mariam appellaverunt, putasse eam Hierosolymae ortam: vulgatus enim loquendi mos fert, ut non raro incolae a metropoli denominentur. Audivi sane non raro Patavinos, Tarvisinos, Veronenses quoque, et Brixianos, atque adeo Foroiulienses appellari Venetos, tametsi populi hi non paucis passuum millibus a Venetorum urbe distent, multoque plus sane quam Nazareth ab Hierosolyma.

1126 Ad eumdem modum interpretari fortasse possumus eorum dicta, qui Hierosolymis Mariam ortam aiunt: aut si qui huiusmodi explicationem recusant, iis opponendi sunt alii probatissimi viri, qui honorem hunc Nazaretho tribuunt: in controversia quippe huius generis, probabilibus coniecturis, non aliena tantum auctoritate facile ducimur. Ceterum non defuere, qui Ioannem Damascenum allegorice locutum monuerint, cum prope probaticam piscinam Mariam ortam tradidit.

1127. Traditiones orientalium Christianorum nec contemnere debemus [quippe nonnulla per eas nobis nota sunt] nec tanti debemus facere, ut indubitatum censeamus quidquid iidem orientales Christiani a maioribus traditum aiunt; multa quippe, eversa a Romanis Hierosolyma, ita ut « lapis non sit relictus super lapidem » Matth. XXIV, 2 nostrae religionis monumenta deperdita sunt, dubiaque nonnulla irrepsere, cum priorum loco erecta sunt alia. Veronicae aedes, quae nostris temporibus visitatur, in horum numero est. Et, ne ab ecclesia ea discedamus, quam olim Ioachim domum fuisse aiunt, atque in ea Mariam ortam; eae amplissimae indulgentiae, quas a Sylvestro Papa, Constantini et Helenae rogatu, concessas illi aiunt, in criticorum offensionem inciderunt. Monent quippe cum vetustorum temporum disciplina haec minime convenire. Et sane plenariarum indulgentiarum nulla prorsus a sacris scriptoribus mentio fit ante eas sacras expeditiones, quas Cruciatas dixerunt. An tum vero antiquissimas dicemus, et Constantini aequales plenarias indulgentias sacrae alicui aedi adnexas? Sed hic placet adnotatiunculam a P. Lequien ad locum Damasceni « De fide orthodoxa » obiectum appositam hic exscribere Ecce illam: « Nascitur autem in domo probaticae: hoc est in aedibus pecuariis. Probaticae nomen Graecum servavi, propter celebre templum sanctae civitatis, quod probationes nuncupant, in quo Damascenus sermones habuit in natali B. Virginis. Ibidem aiunt probaticam illam piscinam fuisse. At nullam prorsus domum Hierosolymis post excidium stetisse, locupletissimus testis est Iosephus, ut et Plinius, lib. V, c. 13: Cyrillus Hierosol. in Catechesibus, inter loca, quae in urbe sancta visebantur, probaticam non recensuit, uti nec Hieronymus, alterve superior Iuvenali, quem eiusmodi traditionum fuisse parentem dicemus in alio loco ».

1128. Revelationes S. Birgittae consului, eaque revera inveni verba, quae allegantur, sed minime inveni verba quae monerent aedem eam, quam dicunt Hierosolymae fuisse positam; sed tantum inveni eos, qui sacra Loca inviserent, in ea aede, quam Maria ortu suo nobilem effecerat, uberrimum spiritualem fructum recepturos. « Ergo qui ad locum istum, scilicet, ubi Maria nata est et educata fuit, veniet, non solum mundabitur, sed et erit vas in honorem meum ». An si in Nazareth Maria orta est, id fiet a veritate alienum?

Digitized by Google

1129. Coniectura, quam probabilem aiunt, levissima est. Censemus nimirum Mariae parentes in ea urbe fixisse sedem, in qua et avitas habebant aedes, et fortasse etiam praediolum aliquod. An non in vicis aliquando et contemptis locis viros probitate conspicuos invenimus? Poterant autem templum etiam, interdum saltem, tum adire, et religionis officia, aliaque etiam peragere, quae eorum pietatem mirifice proderent.

1130. Multo minus virium habet probatio ultima, quam ex convenientia deducunt. Si quid huiusmodi argumentandi genus valeret, facile ostenderes, Mariam ortam fuisse prope Calvarii montem, in Sinai, aliisque in Scriptura nobilibus locis: quisquis enim ingenio valet, facile convenientias inveniet, ut Mariae ortu loca haec, aliave nobilitet. Quam ob rem ingeniose, si vis, et acute disserunt, qui in iis, quae Scriptura perspicue non docet, ad convenientias confugiunt, ut opinionem aliquam stabiliant; at ingenio dum indulgent suo, falsa quandoque, et minus verisimilia consectantur.

1131. **Hymnus XVII.**

Virgini Mariae cum Ioseph coniugii praeconia.

Collaudemus toto corde
Dei sapientiam,
Virgini qui iunxit sorte
Viri diligentiam,
Qui nascentis sine sorde
Aleret infantiam.
2. Sponsum suae providebat
Genitrici Dominus,
Quem Maria non horrebat
Ministrantem coniux,
Virgini dum serviebat
Virgo. Nihilominus
3. Quam Ioanni commendavit
Ad patrem regrediens,
Ipsam Ioseph desponsavit
Rex mundum ingrediens,
Duplex arcam sic velavit
Cherub hoc respiciens.
4. Hortus verae voluptatis
Ioseph sunt cubilia,
Ubi flos virginitatis
Pascit inter lilia,
Corda fovens castitatis
Hinc inde parilia.
5. Quem inviolatae Matris
Peperit integritas,
Ipsum putativi patris
Aluit virginitas,
Hostibus celatur atris
Hac arte divinitus.
6. Ioseph portat, Ioseph tractat,
Ioseph mulcet osculis,
Dum Herodes parvos mactat
Artubus minusculis,
Ioseph hunc, quem Virgo lactat,
Subtrahit periculis.
7. Puer in Ægyptum ductus
Ioseph ministerio
Ab eodem post reductus
Patris est imperio,
Maturescit coeli fructus
Sic crucis mysterio.
8. Gloria summo Parenti,
Laus aequali Filio,
Ab utroque procedenti
Par decus Paraclito,
Qui nos salvet praepotenti
Sancti Ioseph merito.

(Brev. roman. impr Parisiis 1531).

1132. **Memento.** — O S. Ioseph, qui in suavissimo Christi Iesu et dulcissimae Sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi, o sancte Pater, cum Iesu et Maria tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet, illudque, quod unice peto, solatium mihi impetra, ut in iisdem SS. Iesu et Mariae brachiis expirem. In manus vestras vivens et moriens, commendo spiritum meum, Iesu, Maria et Ioseph, ut post huius vitae metam, vivam vobiscum vitam laetam in coeli palatio. Amen. (Manuale pii Sac. ex op. S. Lig.).

XVIII. — Sermo Ioan. Chrysost. Trombelli.

DE INITIIS CUM IOSEPHO SPONSALIBUS, AC MATRIMONIO

Maria SS. vita et gesta, dissert. X.

QUAESTIO III [praevia]. — Cur cum Iosepho, non cum alio quopiam, sponsalia, idoque deinceps matrimonium inierit Maria.

Notissimae apocryphae narrationes ita fere rem expediunt. Ubi ex Virginis ipsius ore percepit pontifex summus Mariam Deo virginitatem devovisse, nec tamen vellet veterem infringi morem, quo scilicet interdicebatur virginibus adolescentiam ab aliquo tempore ingressis, diuturniorem in iis sacris aedibus moram facere, quae solis puellis destinabantur, primores ex Hierosolymis, et proximis Hierosolymae locis accivit, a quibus quid sibi faciendum foret, poposcit. Horum hortatu Dominum consuluit, cuius expressissimo monitu cuncti familia David nubiles viri exquisiti sunt, iussique singulos, singulas ligneas virgas ad altare deferre. Is porro ex cuius virga flores prodirent, et Spiritus Sanctus columbae specie apparens, in ea insideret, is, inquam, esset, cui Virgo Maria divino decreto iugenda foret; quippe qui custos, non dominus virginei Deo sacri corporis futurus foret.

1134. Reliquis porro e familia Davidis viris bacillum suum deferentibus, unus Iosephus minime detulit, humilitatis fortasse causa. Nullo interea flores emittente bacillo, pontifex rursus consuluit Dominum, cuius re-

Digitized by Google

sponso didicit pontifex, Iosephum, quem Deus selegerat, ligneam suam virgam minime detulisse, quae si delata fuisset, ex ea statim appareret, Iosepho Virginem a coelo destinari. Praedictionis veritatem comprobavit eventus; advocato enim, et ligneam virgam deferente Iosepho, ea statim floruit, et super ea consedit columbae specie Spiritus Sanctus; quo quidem argumento is coram omnibus agnitus est, quem Deus Mariae Sponsum, cus odemque virginitatis illius elegerat. Haec in summa scriptor ille, quisquis is est, cui tribuimus librum « De ortu Virginis », intersuppositos Hieronymo libros reiectus, aliique scriptores huius similes.

1135. Paulo aliter rem eamdem enarrant alii, ita tamen, ut ex iisdem fontibus videantur ea hausisse quae tradunt. Lege, obsecro, quae hoc super argumento scriptis prodidere is, qui Eustathius Antiochenus appellari solet, Epiphanius, et Gregorius Nyssenus, et eos confer cum « Evangelio nativitatis Mariae », et cap. 9 Proto-Evangelii Iacobi, et palam inspicies unde hi narratiunculam hanc desumpserint. Nonnulli porro, quasi haec non satis lepida essent, narratiunculas alias super hac ipsa exstruunt, in quarum numero eminet fortasse illa, quam de Agabo propheta, in Actis apostolorum memorato, narrat Dorlandus, et ex eo Saracenus scriptores alios allegans [recte ne, an secus, viderint alii]: ex eorum scilicet numero, qui Virginis nuptias optarent, fuisse Agabum prophetam: quas quidem nuptias cum se assequi non posse comperisset, « ad Carmelitas is se contulit, sanctamque in eorum aedibus vitam duxit usque ad apostolorum tempora », et dum generalis esset, sacram Mariae aedem exstruxit.

1136. Verum enimvero visi sunt reliqui fere omnes, fabellas has contempsisse, eamque ob rem minime narratiunculam hanc allegant, dum causam inquirunt ob quam Iosepho Maria nupserit. Alio itaque confugiunt, et ad sponsalia cum Iosepho ineunda Virginem Mariam iussione aliqua adductam theologi sane non pauci aiunt. Sed cum iussionis huius genus exposcis, nonnulli parentum aut pontificum iussionem commemorant: plerique legem comminiscuntur. Sed cum exposcis cur lex id a Virgine exquireret, omnes quidem consanguinitatem, quae Mariam inter et Iosephum intercedebat, assignant: et dum vinculum, ut ita loquar, et gradum huiusce consanguinitatis designare student, gravis inter eos exoritur lis: de quo argumento, cum satis alibi disputaverim, hic de eo disserere supersedeo.

1137. At fac arctissimam inter Mariam et Iosephum intercessisse consanguinitatem. An continuo cogebatur Maria Iosepho nubere? Nihil minus: neque enim legem aliquam indicare potes, quae id generatim iubeat. An vidua Maria erat, quae liberis ex priore marito minime susceptis, excipienda esset a proximo mariti sui consanguineo, ut excitaretur semen fratri mortuo? Minime vero.

1138. At haeres, inquies, fortasse fuit paternorum, aut, si vis, maternorum bonorum. Recte dixisti fortasse; id enim valde dubium est; idque negant ii omnes, qui Mariam Iacobi et Salome sorores Mariae Virginis fuisse aiunt. At fac fuisse, fac etiam opulentam fuisse illius haereditatem, cum tamen pauperem ex argumentis minime contemnendis illam fuisse noverimus, ac praesertim ex oblatione, quam suscepto Filio dedit in templo (Luc. II, 24), quid tandem consequeris, nisi lege adactam Mariam, ut contribulem sumeret coniugem? An unus ex tribu Iuda, atque adeo ex familia David supererat Ioseph? Vides ergo legem quam tu commemoras, afferri non posse, qua ad matrimonium cum Iosepho ineundum cogeretur Maria.

1139. At id, inquis, tradidit Augustinus, vir sane ingeniosissimus, et in Scripturarum lectione exercitatissimus. « Cum utique, ait ille, nec istam [Mariam] quaesisset, si necessariam coniugem non haberet ». Id tradidit, fateor, Augustinus; sed dum necessariam Iosephi coniugem, appellavit, causam huiusce necessitatis minime adduxit; quam tamen, si in propinquitatis necessitatem retulit, in id retulit quod aliquando censuit; neque enim in ea sententia iugiter constans fuit

1140. Ceterum, quod antea dixi, necessitatem quam innuit Augustinus, alii ex parentum iussu desumunt. Quod si ea opinio placeat, commode non modo ad parentes Mariae, verum etiam ad Iosephi parentes protendere possumus; neque enim cogimur Iosephi parentes defunctos dicere, cum is Mariae connubii sponsionem et recepit, et fecit; praesertim cum apud nationes omnes sponsalia tenera adhuc aetate contrahi possint.

1141. Quanquam non desunt, qui ita obiecta Augustini verba interpretentur, ut necessaria fuerit Iosepho uxor Maria, cum eam comperit gravidam, et adhuc accepit coniugem: ideoque non modo post sponsalia, verum etiam post iussionem angeli haec praecipientis: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Id porro indicat integer Augustini locus, quem propterea hic refero: « Quanquam et tu ipse etiam ex desponsionis fide eam nomen coniugis accepisse fatearis. Quae fides utique inviolata permansit. Neque enim, cum eam vidisset iam Virginem sacram divina fecunditate donatam, ipse aliam quaesivit uxorem, cum utique nec istam quaesisset, si necessariam coniu-

Digitized by Google

gem non haberet: sed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicavit esse solvendum, quia spes commiscendae carnis ablata est ».

1142. Vehementem consanguineorum et amicorum hortatum cui prudenter obsistere minime posset, nonnulli commemorant; alii pontificum iussionem [quoad iam dixi]; divinum afflatum alii: angelicum monitum quidam etiam adiiciunt: neque porro vereor expressa angeli monita, silente etiam Evangelio, ea in re fateri, ex qua mundi redemptio, et unigeniti Filii Dei ex Maria orti educatio aliqua ex parte pendebat; etenim haec assequor ex sancto Thoma: « Omnia, quae agit Deus, ex ordine divinae providentiae suae agit ». Exsecutio vero eorum, quae agit, hortatores plerumque, et ministros, angelos habet.

1143. Quod si ignotam fateor rationem, qua usus est Deus, ut Mariae sanctissimae similem daret virum, an propterea quidquam detrahitur praestantiae huiusce connubii, et mysteriorum in eo exstantium? Minime utique: multa enim rectissime facta novimus, nec propterea rationem novimus, ob quam illa sunt facta. Et de sponsalibus hactenus. *Diss. V, q. 3 in princ. diss.*

QUAESTIO I. — Num revera Maria sanctissima matrimonium cum Iosepho inierit.

CAP. I. — Recensitis iis, qui minime initum affirmant, revera matrimonium a Maria cum Iosepho initum statuimus.

1144. Iulianus Pelagianus, referente Augustino, Mariam veram Iosephi coniugem fuisse negavit. Iuliano adhaesisse visus est Wiclefus, quatenus matrimonium definit hoc modo: « Est coniugum legitima copula qua secundum Dei legem licet eis sine crimine filios procreare ». Qua quidem definitione posita, sequi videtur ut si alicui « filios sine crimine procreare non licet », ii a matrimonio removeantur. An vero iis, qui virginitatem voverunt, licet « sine crimine filios procreare? Minime utique. Opinionem hanc sane Wiclefo Waldensis tribuit, eamque ob causam pariter illum redarguit. Et sane Wiclefus, dum respondet « secundae instantiae, sibi probabile videri ait iis, qui generare non possunt, non licere matrimonium contrahere ». Addit quoque eos qui, cupiditate rerum temporalium illecti, vel alia affini de causa matrimonium contrahunt, si de prole obtinenda desperent, verum matrimonium non contrahere; quam quidem ob rem reprehenditur a Wildefordo.

1145. Neque vero ea opinio suffragatoribus aliis destituta est. Viros, si vis, doctos, sed ab Ecclesia catholica alienos non paucos fautores habuit; nonnulli etiam e Catholicis summi nominis viri eamdem sententiam propugnaverunt, in quorum numero inter canonici iuris doctores Gratianus eminere creditur; inter theologos vidi allegatum Medinam, quamvis deinceps is probabilem etiam esse pronuntiet sententiam alteram, quae scilicet affirmat verum matrimonium Mariam inter et Ioseph fuisse initum.

1146. Reliqui tamen omnes, quos ego noverim, verum inter eos matrimonium initum affirmant, praeeunte expressissime Augustino, qui id non ait tantum, verum etiam argumentis valde probabilibus comprobat, et ab obiectionibus vindicat. Vide, obsecro, ea Augustini loca, quae in margine indico. Sequitur Augustinum [quod fere solet] Hugo de S. Victore, qui etiam praedictam sententiam diligenter explicat. Adhaerent scriptoribus his, si Vasquezio in veterum scriptis exercitatissimo credimus, scholastici omnes, quorum monita ipsa, si consulere quis velit, ea adeat loca, quae laudatus Vasquez allegat; atque ab eodem scriptore disces, quam a laude, et probabilitate remota sit opinio ea, quae censet in arbitratu cuiusque positum esse hac in quaestione opinari, quod libet: qua de re egit etiam Capisucchus.

1147. Merito porro mirabili, quam dixi, consensione, matrimonium verum initum fuisse a Maria cum Iosepho, scholastici affirmant: etenim expressissime Scriptura, et virum Mariae Iosephum, et Iosephi uxorem Mariam appellat. En quae discimus ex Matthaeo I, 16: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae ». Et deinceps (vers. 19): « Ioseph autem vir eius cum esset iustus ». Et proxime post (vers. 20), sic Iosephum alloquitur angelus: « Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Lucas id quoque testatur iis verbis (II, 5), « ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante ». An coniuges ii sunt, qui verum matrimonium non inierunt?

1148. Rationem etiam his adiice. An in potestatem Iosephi Mariam adhuc [ut communis opinio fert] adolescentulam dedissent parentes illius, prudentes sane, et sanctissimi, nisi uxor illius fuisset? Probe noverant, fateor, Mariae pietatem, novisse etiam Iosephi pietatem, simillimum veri est. An propterea permisissent, ut nondum nupta Iosepho Maria cum eo degeret, et peregrinaretur? Minime vero: id enim prudentia vetat, et parentibus merito imposita virginum cura ac custodia. An non etiam populi criminis accusassent et Mariam, et Iosephum, si Mariam vidissent praegnantem, et Iosephi longo itinere sociam, et illi tamen minime nuptam?

1149. Ad haec: constans Patrum assertio est, statuisse Deum ex Virgine quidem, sed

Digitized by Google

tamen nupta, nasci Christum Dominum, alias quidem ob causas, sed potissimum ob duas has: ut virgineus partus diabolo celaretur; secundo, ne ea lapidaretur a Iudaeis, veluti illiciti concubitus conscia. Porro, si verum matrimonium cum Iosepho Maria non iniit, nec daemoni occultus fuisset virgineus partus; et lapidari Maria veluti illiciti concubitus conscia a populo potuisset. Cur ergo minime nuptam vis?

1150. Denique: sponsalia procul dubio Mariam inter et Iosephum celebrata sunt: atque id quidem ii ipsi fatentur, qui matrimonium ab iis initum negant. At age: dic, obsecro, cur post sponsalia, initum non est matrimonium? Sponsalia enim, ut quisque novit, solemnis quaedam, et, ut ita loquamur, authentica matrimonii promissio sunt.

1151. Donec itaque rationem indissolubilem afferas, per quam nobis persuadeatur non potuisse a Virgine matrimonium post sponsalia celebrari, animose dicemus, celebratis antea sponsalibus, additam etiam esse apto tempore matrimonii celebrationem: alioqui scandalum non leve omnis populus ex ea re suscepisset, iussaque fuisset Mariam rationem reddere tam imprudentis consilii. Porro nec ullam validam rationem huiusce rei, et, ut ita loquar, impedimenti afferunt, nec ullum veterum, dictorum suorum, opinionisque a prudentia, et communi consuetudine alienae indubitatum vadem proferunt Cur ergo iis assentiemur?

CAP. II. — Aggredimur argumenta eorum, qui secus sentiunt; quae statim dissolvere incipimus, atque hoc quidem in capite iis occurrimus, quae negativa appellare mos est.

1152. Non destituuntur tamen argumentis ii, qui secus sentiunt, imo vero magnam eorum aciem instruunt. Primo stant agmine [si loqui ita licet] ea, quae negativa appellare mos est: sunt vero solutiones argumentorum eorum, quibus nos fidimus. Itaque ad hunc modum disserunt. Si ea tum Scripturae, tum Patrum loca, quae adducta sunt, diligentius expendantur, id minime evincunt, cuius causa adducta sunt. Cur itaque indubitatam dicimus opinionem eam quae matrimonium inter Mariam et Iosephum initum affirmat? Sane Scripturae loca facile explicantur hoc modo. Dic Iosephum Mariae virum, et Mariam Iosephi uxorem fuisse appellatos, propterea quod eos coniuges censeret vulgus; vulgatae scilicet existimationi et consuetudini sese accommodare Scriptura solet; quod infinitis propemodum exemplis ostendere, si volumus, possumus. An non « luminare minus » luna appellatur, quae omnino de suo non lucet, ideoque luminare non est? An non etiam viri appellantur ii angeli, quos Abraham alloquebatur? Cur porro? nisi quia fulgere de suo videtur luna, et lucem emittere: angeli vero ii non angelica quavis specie, sed humana forma se conspicuos praebuere.

1153. Neque vero temere hac regula utimur in hoc, de quo agimus, argumento. Etenim si ea uti minime possemus, indubitatum esset Mariam cum Iosepho nupsisse. At quis indubitatum id dicet, quandoquidem Augustinus in primis, tum viri alii praeclarissimi [in quorum numero Canisius eminet, theologus utique in dogmatum explicatione, Scripturaeque ac Patrum interpretatione mirifice versatus], docent liberum esse cuique hac in re censere quod libet « Verum [sic Augustinus Iulianum alloquitur] de isto coniugio, quod vis, existima ». An liberum foret cuique censere quod libet, si perspicua essent haec Scripturarum loca, nec ad eum modum explicari, quem diximus, possent; praesertim cum vulgatus loquendi mos ferat, ut « sponsos et coniuges » eos appellemus, qui sponsalium vinculo iuncti sunt?

1154. Hanc locorum illorum Scripturae quos attulimus, explicationem, ideoque dissolutionem praecipui argumenti, quo Hugonis a S. Victore opinio innititur, non dissimulat Vasquez, tametsi eiusdem opinionis acerrimus vindex. At ex eodem quidem Vasquez absolutionem argumenti ex SS. Patrum auctoritate sumpti aptissimam habemus hisce verbis expressam: « Patres aut non tam aperte loquuntur pro nostra sententia, aut aliqui oppositam aliquo modo insinuare videntur: ut saltem hinc colligere liceat nullam apud eos manifestam fidei traditionem esse ». Et revera Patres, et egregios et multos nobis obiici, deinceps videbimus. At nos adducta argumenta dissolvamus.

1155. Sane propositam interpretationem omnibus saltem Scripturae locis, quae nos attulimus, adhiberi minime posse, ex eo constat, quod a verisimili abest angelum, dum Iosephum ipsum alloquebatur, minus propria loquendi ratione fuisse usum: sed credendum utique « rigorose et proprie » eum fuisse locutum. Tamen sic Iosephum allocutus est angelus: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: » quae quidem verba, omnium sententia, alterum ex his sensum habent: « Noli timere accipere », id est in aedes tuas recipere, atque in iis retinere Mariam, quae tua « coniux est; » vel, « Noli timere accipere sponsam Mariam tibi matrimonii sponsione devinctam ». Secundo uxor praegnans, vel ipso vulgi sermone ea non intelligitur, quae simplici matrimonii sponsione devincta viro est, sed ea quae viro coniuncta est, et fetum apto tempore est editura.

Digitized by Google

Porro, uti iam diximus, Lucas haec de Iosepho Bethlehemem proficiscente ait: « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante ».

1156. Ad haec: Traditio, et unanimis scholasticorum et interpretum in hanc sententiam conspiratio, apertissime ostendit multum falli eos qui ad explicationem ab adversariis propositam confugiunt; etenim, quod iam diximus, Patres, scholastici et interpretes omnes apertissime docent veros coniuges Mariam et Iosephum fuisse. Num omnes hac in re falli dices? Ais porro Augustinum hac in re permisisse cuique arbitrari quod vellet. Sed si ipsum Augustini locum consules, expendesque quod ait, multo aliter profecto senties.

1157. Potissima Augustini cum Iuliano controversia in eo sita erat, num originale contraheretur ab infantibus; num ad idem originale tollendum necessarius esset in lege nova baptismus; in veteri vero necessaria esset circumcisio: de vi concupiscentiae adversus spiritum, aliisque affinibus controversiis, quas deinceps magna ex parte recenset, dissolvitque, quaeque Catholicos inter et Pelagianos per id temporis agitabantur, Catholicorum partes tuente Augustino, Pelagianorum vero Iuliano: quamobrem quaestiones alias, quae nonnihil extraneae videri poterant, omitti vult, et in praecipuis consistere: hinc statim post obiecta verba, haec subiicit, quibus quidem se multo aliter sentire expressissime tradit: « Nos tamen non, ut calumniaris, dicimus, sic fuisse primos coniuges institutos, ut sine commistione utrius que sexus coniuges essent; sed utrum in paradiso ante peccatum caro concupiverit adversus spiritum, vel utrum nunc in coniugibus hoc non fiat? ».

1158 Ceterum quantum Augustinus opinioni huic nostrae faverit, non modo ea, quae alibi ex lib. I. « De nuptiis et concupiscentia », cap. 11 allegavi, verum etiam quae docet ille in eo ipso cap. 9, seu potius 12, alias, n. 46, 47, 48, quae tu allegasti, perspicue ostendunt. Porro Augustini verba cum multa sint, ad paginae calcem reiicio, a theologis utique perlegenda [1].

1159. Quamquam vero haud invitus fateor, nondum sententiam nostram ab Ecclesia catholica esse stabilitam, nullaque canonica sanctione nobis propositam ad credendum (atque id tantummodo contendit Vasquez, atque is, qui ab eo allegatur, vir utique egregius, Petrus Canisius), non propterea quidquam probabilitatis adiungitur oppositae opinioni; quae, num nota aliqua digna sit, et quanam digna sit, aliis diiudicandum relinquo. Vide, obsecro, quid hac in re statuat ille idem Vasquez, quem obiecisti.

CAP. III. — Afferuntur argumenta positiva, quibus reiecta opinio nititur.

1160. Audiri tamen rursus volunt ii, qui secus sentiunt, et ultro fatentes ea, quae superiori capite attulerunt, haud multam habere vim, a positivis argumentis subsidium petunt, et ad hunc modum disputant. Num iis denegabimus fidem, qui magistri nostri sunt, et uti eruditione, ita vetustate ac pietate nobiles? Minime vero. At hi ipsi magistri quos diximus, aut expressissime tradunt, Mariam Iosephi sponsam minime fuisse, aut certe ea docent, ex quibus hoc ipsum, si sapis, inferas. An non vera loquimur? Audite quae laudatissimi, iique antiqui, et tam Graeci quam Latini Patres scriptis prodidere. Iosephi sponsam Mariam fuisse negat Origenes: et dum non « maritalem » licentiam, sed « pene maritalem » memorat, et dum non futuram revera uxorem, sed futuram « in speciem », seu hominum opinione uxorem Iosephi, Mariam docet. Quid his manifestius? Audiatur tamen Origenes ipse, qui haec de Iosepho ait: « Qui pene licentia maritali, licet eam non contingeret, futurae tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat ».

1161. Tertullianus in eadem sententia est: scilicet putat non nuptam fuisse Mariam, sed tantum desponsatam: potuisse tamen ab apostolo Paulo, et ab angelo mulierem appellari, quia desponsa seu desponsata quodammodo, id est lata quadam et impropria significatione) nupta est. En statim ipsa Tertulliani verba: « Videamus nunc, si et Apostolus formam vocabuli istius secundum

---

(1) Cap. 12. num. 46: « Iam vero de Ioseph, cuius Mariam, teste Evangelio, coniugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, et conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse coniugium: ac per hoc, secundum te, cum desiterint concumbere coniuges, iam non erunt coniuges, et divortium erit illa cessatio Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod iuvenes agebant, et ab hoc opere, quo etiam continens nimium delectaris, nec effectis aetate corporibus parcant. Non se cogitent, quantum ad libidinis attinet incentiva, senuisse, ut possint coniuges permanere. Si hoc tibi placet, tu videris. Ego autem [quia liberorum procreandorum causa uxores esse ducendas, honestas consentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas], praeter fidem, quam sibi debent coniuges, ne fiant adulteria, et prolem, cuius generandae causa sexus uterque miscendus est, adverti etiam tertium bonum quod esse in coniugibus debet, maxime pertinentibus ad populum Dei, quod mihi visum est esse aliquod sacramentum, ne divortium fiat vel ab ea coniuge, quae

Digitized by Google

Genesim observet, sexui deputans illud, sic mulierem vocans Virginem Mariam, quemadmodum et Genesis Evam. Scribens enim ad Galatas: Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere (Galat. IV, 4), quam utique virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. Agnosco et angelum Gabrielem ad Virginem missum. Sed cum benedicit illam, inter mulieres, non inter virgines deputat: « Benedicta tu inter mulieres ». Sciebat et angelus mulierem etiam virginem dici. Sed et ad haec duo ingeniose quidam respondisse sibi visus est. Quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco et ab angelo et ab Apostolo mulierem pronuntiatam: desponsata enim, quodammodo nupta ».

1162. Hilarius in eumdem sensum haec habet: « Mater potius Christi, quia id erat: non uxor Iosephi est nuncupata, quia non erat ».

1163. Similiter Epiphanius: ita enim notissima Matthaei verba (I, 18), « Cum esset desponsata Maria Ioseph », interpretatur, ut matrimonium a Maria cum Iosepho initum fuisse neget: « Cum esset inquit, desponsata Maria; non dicit: cum nupsisset ».

1164. Hieronymus porro, dum Origenis verba exscribit, se sententiae illius fautorem palam prodit. « Non ab alio inventa est (inquit Hieronymus commentariis illustrans verba Matthaei: Antequam convenirent inventa est habens de Spiritu Sancto) nisi a Ioseph, qui pene licentia maritali futurae uxoris secreta omnia noverat ».

1165. Alibi vero: « Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae uxores vocentur ». Et rursus: « Iam supra diximus sponsas uxores appellari ».

1166. Eadem monet Chrysostomus, cuius proinde verba hic afferamus oportet: « His igitur, inquit ille, omnibus declaratur a Deo venisse angelum, qui omnia, quae cogitavit, et animo passus est Ioseph, in medium attulit et exposuit. Virginis autem pronuntiato nomine, non hic stetit, sed addidit coniugem tuam, quam non ita vocasset, si vitiata fuisset. Coniugem vero hic sponsam vocat, quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos ante nuptias ».

1167. Sed quis Chrysologum omittat, expresse negantem Iosephi re ipsa coniugem fuisse Mariam, docentemque uxorem tantummodo nomine fuisse, non re. Quid clarius his monitis? « Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, praegnantem sponsam fluctuans et anxius intuetur ».

---

non potest parere, vel sicut fecisse Cato perhibetur, ne ab eo viro, qui plures non vult suscipere filios, alteri fetanda tradatur. Propter hoc in illo quod secundum Evangelium coniugium nuncupavi, omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa: fidem, quia nullum adulterium; prolem, ipsum Dominum Christum; sacramentum, quia nullum divortium. Non ergo quia dixi omne nuptiarum, id est, hoc tripartitum bonum, in illis Christi parentibus fuisse completum, propterea hoc dixisse putari debeo, sicut insimulas, ut quidquid aliter fuerit, malum esse videatur. Dico enim et aliter bonum esse coniugium, ubi proles nisi per concubitum non potest procreari. Si enim aliter posset, et tamen concumberent coniuges, apertissime libidini cederent, atque illo malo uterentur male: cum vero propter quod sexus ambo sunt instituti, nisi eorum commistione non nascitur homo: propter hoc misti coniuges illo malo utuntur bene: si autem de libidine quaerunt etiam voluptatem, venialiter male.

" Quasi maritus, inquis, Ioseph in opinione omnium erat. Secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locutam fuisse Scripturam vis intelligi, ut Virginem Mariam eius coniugem diceret. Hoc putemus evangelistam facere potuisse, cum vel sua vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret ut secundum opinionem hominum loqueretur: nunquid et angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam et suam, et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius quam secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit: " Noli timere accipere Mariam coniugem tuam? „ Deinde quid opus erat, ut usque ad Ioseph generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in coniugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro, cui respondes, cum posuissem, tu prorsus attingere timuisti. Dicit autem Lucas evangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph, quia ita putabatur, ut per eius concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem, contra angelum testem.

" Quanquam et tu ipse etiam ex desponsionis fide eam nomen coniugis accepisse fatearis. Quae fides utique inviolata permansit. Neque enim cum eam vidisset iam Virginem sacram divina fecunditate donatam, ipse aliam quaesivit uxorem: cum utique nec istam quaesisset, si necessariam coniugem non haberet: sed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicavit esse solvendum, quia spes commiscendae carnis ablata est. Verum de isto coniugio quod vis, existima: nos tamen, non ut calumniaris, dicimus, sic fuisse primos coniuges institutos, ut sine commistione utriusque sexus coniuges essent: sed utrum in paradiso ante peccatum caro concupiverit adversus spiritum: vel utrum nunc in coniugibus hoc non fiat, quando eiusdem concupiscentiae etiam per pudicitiam coniugalem cohibetur excessus: et utrum malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum: et utrum non ex ipsa, et cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum inesse ullum negas, et utrum ab ingenerato malo possit hominum quisquam nisi regeneratione liberari, hoc inter nos disseritur. In his quaestionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur „.

Digitized by Google

1168. His adhaeret auctor sermonis « De passione Christi », qui inter opera Cypriani exstat, et Arnoldus abbas Bonaevallis fuisse dicitur, haec elocutus: « Obsequium Virginis virgini discipulo tradit, ut iam non Ioseph tanti mysterii honoretur praepositura, sed Ioannes; quia iam exigebat ratio ut coniugii removeretur opinio: nec ultra pater Christi aestimaretur, qui eatenus vicem patris et coniugis tenuerat ».

1169. Hic porro recensendi sunt ii, qui in Mariae sponsalibus constitisse Iosephum aiunt, minime vero pervenisse ad nuptias, seu ad coniugium illius. Duos ex multis afferimus. Nyssenum Graecae, Gregorium Magnum Latinae Ecclesiae doctores. Horum primus haec ait: « Quae coniunctio [de coniunctione Mariae et Iosephi sermonem habet] sponsalia non est egressa ». Et paucis interiectis sic Mariam loquentem inducit: « Quomodo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum novi, sed virum non cognosco, id est, sponsione quidem devincta illi sum, at coniugem illum, seu maritum minime habeo.

1170. En porro, quem dixi, Gregorium Magnum: de Christo enim docet, « Mariam habere sponsum voluisse, qui tamen ad eius nuptias non pervenit ». Quid vero sunt nuptiae, nisi connubium, seu matrimonium?

1171. Neque vero in his consistunt Patres: ut apertius ostendant putare se nullum Mariam inter et Iosephum matrimonium agnoscere, ad alium sensum et significationem multo mitiorem deducunt ea Scripturarum loca, quae nos ad asserendum a Maria cum Iosepho contractum matrimonium attulimus. Hic allegari commode possunt Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, aliique ex iis, quos iam adduximus: leniunt enim voces « sponsa, vir, maritus », et huiusmodi alias, quibus innituntur ii, qui pro vero matrimonio Mariam inter et Iosephum inito stant Sed praeter eos allegari merentur alii, qui affinia tradunt, et praesertim Cyrillus Hierosolymitanus et Bernardus. Censet scilicet horum prior, ideo Mariam coniugem seu sponsam Iosephi fuisse appellatam, quia desponsata illi, non quod vera sponsa esset. Quod ne temere dixisse videretur, Rachelis exemplo id comprobat, quae scilicet uxor appellata est a Iacobo, dum desponsata tantummodo illi esset.

1172. Sed praestat ipsa Cyrilli verba latinitate donata adducere: « Meminerimus Iacob, qui priusquam Rachelem sumeret, dixit ad Laban: Da mihi uxorem meam (Gen. XXIX, 21): sicut enim illa ante nuptiarum sanctionem, propter solam, quae intercesserat, promissionem, Iacobi uxor appellabatur; sic et Maria, propter desponsationem uxor Iosephi dicta fuit. Vide autem Evangelii accuratam loquendi rationem, dum ait: « In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph », etc. (Luc. I, 26.) Et iterum, cum descriptio ageretur, et ascenderet Ioseph ut describeretur, quid dicit Scriptura? Ascendit autem et Ioseph a Galilaea, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante (Luc. II. 4, 5): praegnans enim erat; non autem dixit, uxore sua, sed desponsata sibi ».

1173. Bernardus autem, ne fateatur vocem virum, qualis dicitur Ioseph [virum Mariae], denotare maritum, eam derivat a virtute, negatque aliam quampiam esse hoc in loco vocis huius etymologiam et significationem. Id ne temere locutus existimer, profero Bernardum ipsum haec tradentem: « Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Ioseph, vel potius, sicut dicit Evangelista (Luc. I, 27), « viro cui nomen erat Ioseph ». Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, iuxta alium evangelistam (Matth. I, 19), non vir simpliciter, sed vir eius dictus est, merito appellatur quod necessarie putatur. Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit, et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso evangelista: « Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur fillus Ioseph ». (Luc. III, 23.) Nec vir ergo matris, nec filii pater exstitit, quamvis certa [ut dictum est] et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus ».

1174. Patribus addendi canonistae sunt, magno agmine Gratianum principem suum sequentes. Nimirum Gratianus in locis quos in margine noto, haec ad probandum assumit: « Consuetudine Scripturae, sponsas [id est desponsatas] coniuges; et desponsatos sponsos, seu viros appellari, Mariam coniugem dici more Scripturae, cum simpliciter sponsa esset. Mariam uxorem Iosephi appellari, quia sic ab eo putabatur futura. Ad nuptias Mariae Iosephum non pervenisse ».

CAP. IV. — Obiectionibus nuper propositis satisfacimus.

1175. At non continuo causa cadimus: haud enim difficile est difficultates et argumenta proposita dissolvere. Quod antequam aggredior, duo noto, quae procul dubio obiecta Patrum loca illustrant elucidantque. Horum primum est: nomina haec, vir, maritus, coniux, uxor, nuptiae ad matrimonium respicere, et ad illud referri, spectato eiusdem matrimonii usu: hinc Augustinus:

Digitized by Google

« Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debet femina nubere, quam ut mater fiat ».

1176. Nominum horum etymologiam ab hoc usu desumi, theologi notarunt. Etenim nomen vir, cum ad maritum significandum accipitur, |quis enim ignorat alias multas habere eam vocem significationes?| a sexu virili derivatum esse videtur: hinc « semiviros et eviratos » eunuchos dicimus: virilitatem vero eas hominis partes, quibus vir constituitur. Hinc Martialis:

Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna moeret ereptae.

Quintilianus quoque in eumdem sensum; « Mancipiorum negotiatores formae puerorum, virilitate excisa, lenocinantur ». Sed ne a sacris scriptoribus discedam, in hac ipsa significatione sumit vocem virilia (Gen. IX, 23) vulgatus noster Scripturae interpres.

1177. Maritum a « mare » dici communis opinio est, adversus quam nihil habeo, quod opponam.

1178. Vocis uxor etymologia minus nota est: illam tamen plerique veterum ex eo desumpsere, quod susperstitione nescio qua feminae matrimonio ductae, dum mariti aedes ingrederentur, earumdem aedium postes ungerent. Vide quae traduntur in Etymologico Vossii, et aliorum praestantium grammaticorum.

1179. Nupta a prisco verbo nubo, quod idem est ac velo, tego occulto [et si nonnullis credimus, idem prorsus est ac obnubilo] derivari solet: mulierum enim matrimonio iunctarum caput flammeo velo olim obtegebatur: atque hic ritus argumentum quoddam subiectionis, quam viro profiteri debebat uxor, esse putabatur: subditur enim mulier viro: hinc in eamdem sententiam Martialis:

Uxori nubere nolo meae:

id est, uxori meae nolo subiici; et ne profanis tantummodo scriptoribus utar, apostolus Paulus Ephes. v, 22-24: « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris... Sicut Ecclesia subiecta est Christo; ita et mulieres viris suis in omnibus ». Quod de nupta diximus, de nuptiis pro portione dicendum est: et non raro pro ipso coniugii usu vox ea sumitur. Exempla pauca ego dabo, plurima Lexicum Facciolati adiiciet, ad quod te allego. Cicero pro Cluentio: « Quae nuptiae non diuturnae fuerunt: erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate coniunctae ». Iustinus quoque, de Antiocho: Rex in luxuriam lapsus novis quotidie nuptiis deditus erat ».

1180. Coniugium porro, et coniuges a iugo, quod aeque maritus et uxor in alenda familia ferunt, vel, ut aliis placet, a coniunctione dicuntur: Atque haec quidem coniunctio, et animorum per fidem datam, et corporum in matrimonii usum, sita est.

1181. De matrimonio ab initio diximus, eamque in rem Augustini locum allegavimus. Eum recolat lector. Atque haec primo notata volui.

1182. Haec etiam lector noverit, volo: non paucos e Patribus iis, quos allegarunt, locis hoc tantum velle: matrimonio non fuisse iunctam Mariam, cum angelus Gabriel nuntius Dominicae incarnationis in ea peragendae illi apparuit. Imo neque tum fuisse matrimonio iunctam, cum Ioseph comperit eam gravidam esse: tum vero Iosephum eam sibi matrimonio iunxisse, cum ab angelo monitus « accepit Mariam coniugem suam ».

1183. Ii itaque, qui negant virum, seu maritum Mariae tum fuisse Iosephum, cum ad eam advenit angelus Gabriel, ii quoque, qui negant tum sponsam, seu uxorem Iosephi fuisse Mariam, cum eam « occulte dimittere » in animo habebat, in hoc, de quo agimus, argumento minime nobis obsunt: neque enim negant aliquando Iosephi uxorem fuisse Mariam: sed negant [quod iam dixi] tum fuisse, cum angelus illi, et Iosepho apparuit. Nobis porro hic satis est, si Iosephi uxor fuerit aliquando. Ii vero, qui praecise, et generatim negant Mariae virum fuisse ullo tempore Iosephum, et uxorem Iosephi Mariam, has, et affines voces in ea sumunt significatione, qua accipi vulgo solent, id est, ut cum scholasticis loquar, « cum sua plenitudine, et effectu », seu inspecto communi fine matrimonii: matrimonio enim ideo iungi solent homines, ut per illius usum filios procreent. An huius generis matrimonium, quod dicimus, fuit? An eum ob finem Iosepho iuncta Virgo est?

1184. Docet sane Medina, et ex eo Vasquez [1] in Officio B. M. V. in antiphona

---

([1]) In III part. disp. 125, cap. 4, num. 35 et 42. In vetusto Officio B. M. Virginis, rursus in eo, quod in Breviario a Cardinale Quignonio editum est, legitur innupta. Frater etiam Bartholomaeus Tridentinus in eo libro, qui inscribitur: " Vitae et actus SS. per anni circulum, „ cap. 98, " Assumptio B. Mariae Virginis, „ inter ceteras preces, quibus Mariam invocari approbat, haec etiam exstat: " Gaude, sancta Dei Genitrix Virgo: tu sola mater innupta, „ etc. His vetustior Prudentius contra Homuncionitas in ipso fere initio:

Incomperta ortus novitas iubet ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus; innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris:
Pubertas signata manet, gravis intus, et extra
Incolumis, florens de virginitate pudica
Iam mater, sed Virgo tamen maris inscia mater.

Digitized by Google

ad Magnificat, ubi nunc legimus « intacta Virgo », fuisse olim lectum « innupta Virgo »: qua scilicet voce a coniugii usu alienissimam Virginem Mariam fuisse indicaretur. Neque porro mirum est, quod modestissimis vocibus coniugii usum, vel alienationem ab eo, indicarint Patres. Hoc illis scilicet propositum constanter fuit, ut rem, quae voluptatis igniculos in fidelium cordibus potuisset aliquando excitare, obscurioribus nominibus denotarent; ne scilicet vocum paulo liberiorum occasione in eorum animos irreperet prava oblectatio. Qua in laudabili consuetudine eos praeivere sacri Scripturarum auctores, et Ecclesia. Nimirum sacri Scripturarum auctores verbo cognoscere, coniugalem usum haud raro indicant; atque id quidem paulo obscuriore phrase, « delectamento somni conveniente » (Sap. VII, 2), significat Salomon. Ecclesia quoque [quod dixi] voluptates omnes minus laudabiles, eorumque pericula exprimit subsequentibus versiculis, quibus nihil modestius scribi unquam poterit:

> Procul recedant somnia
> Et noctium phantasmata:
> Hostemque nostrum comprime,
> Ne polluantur corpora.

Quibus positis facile explicas, illustrasque ea omnia quae obiecta sunt, Patrum loca.

1185. Quod attinet ad Origenem, illius locutionem aliquanto liberiorem reprehendit Maldonatus. Sed tamen vel in eorum numero eum ponere potes, qui Virginem nondum matrimonio iunctam putant, cum Ioseph ab ea discedere animo statuerat « [futurae, ut putabatur, uxoris], » vel uxorem nominat in ea rigidiori significatione, quam nuper explicavimus. Revera vulgo credi poterat, Iosephum Virginem sumpturum uxorem ad eum finem, quo homines uxores sumere consueverunt: et eam ob rem adduntur verba ea, « ut putabatur [futurae, ut putabatur, uxoris] ».

1186. Tertulliani verba si expenderis, statim dices in eadem illum esse sententia: Tertulliano scilicet fuerat propositum, ut Mariam iugiter virginem permansisse affirmaret. Eam ob causam praeoccupat difficultatem, quae ex quibusdam denominationibus, quas Scriptura Mariae tribuit, oriri posset, ostenditque ab iis non effici, ut Maria a virginitate aliquando excidisse probetur. Praesertim vero id dissolvit, quod a vocabulo mulier [quo quidem Maria appellatur] desumebatur: respondetque, merito mulierem fuisse Virginem appellatam, propterea quia « desponsata erat: » desponsae vero, non virgines, sed mulieres appellari consueverunt, propterea quia per quamdam anticipationem in nuptarum numero eae collocantur: nuptae autem, non virgines appellari solent, sed mulieres [tametsi virgines aliquando permaneant].

1187. Hilarii sententiam deinceps copiosius expendemus. Interea lectorem monitum volo, alterutra explicatione commode tolli superstructam in illius verbis obiectionem

1188. Epiphanius nuptias apertissime a Virgine reiicit, quatenus ea vox connubii usum denotat. En quae tradat ille: « Cum esset, inquit, desponsata Maria: » non dixit cum nupsisset... Deinde ambo erant utique iusti: neque qui hoc semel audisset, foetum illum, quem in utero ipsa gestabat, e Spiritu esse Sancto, post tantam Dei administrationem, vase illo auderet uti, quod eum capere meruerat, quem ob excellentem gloriam coelum, ac terra continere non possunt. Nam etsi hoc ipso tempore virgines in eius nomine perseverare in illo statu, ac castimoniam, et continentiam servare contendunt, quanto maior Iosephi religio erat, ac Mariae, quae ut scriptum est, « omnia in corde suo conferebat? » Quibus verbis [tametsi Iosephum uxorem alibi tradat habuisse, et ex ea filios fuisse assecutum], Mariam omnino non attigisse docet, adeo ut nuptiae, « quae fructum ventris obtinuerint », inter eos minime initae sint, sed tantum sponsalia, id est ritus ille, quo in veteri lege vir feminae iungebatur. Vide etiam, quae paulo ante tradiderat, numero scilicet septimo.

1189. Hieronymus porro, quanquam ab Epiphanio dissidet in eo quod de filiis a Iosepho antea receptis Epiphanius tradit: censet enim virginem Mariam virgini Iosepho fuisse connubio traditam: quod tamen attinet ad sumendam vocem nuptiarum in rigidiori significatione, easdemque nuptias [in hac scilicet significatione] amovendas a Virgine, prorsus cum Epiphanio consentit: id porro fatebitur, quisquis Hieronymum ipsum legerit. Eum itaque legas, obsecro.

1190. Chrysostomus explicationem utramque, quam ab initio posui, facile excipit: ac postremam sane manifesto. Audi integra Chrysostomi verba: « Virginis autem pronuntiatio nomine, non hic stetit, sed addidit, coniugem tuam, quam non ita vocasset, si vitiata fuisset. Coniugem vero hic sponsam vocat: quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos ante nuptias Quid vero significat illud accipere? Domi retinere: iam enim illam animo dimiserat Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes. Tradit autem, non ad nuptias, sed ut cum illa habites; tradit porro per vocem meam. Ut illam postea Christus tradidit discipulo, ita et nunc Iosepho traditur. Deinde rem obscure indicans, pravam suspicionem

Digitized by Google

non memoravit; sed honestiore congruentioreque modo conceptionis exposita causa, illam sustulit, ostendens eum, propter eamdem ipsam causam, qua timebat, et illam dimittere volebat, iure illam recipere, et retinere debere: sicque ex abundanti eius moestitiam resolvit. Non modo, inquit, illicito congressu pura est; sed etiam supra naturam uterum gestat ». Id ipsum de Chrysologo dic.

1191. Quaenam vera fuerit Arnoldi sententia, ex subsequentibus eius verbis volo, discas. En illa: « Habebat Ioseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum; sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph aequanimiter sibi eum in hoc servitio praeponi, quem digniorem se iudicabat; et ideo maxime, quia magistri electio sic negotium ordinabat ».

1192. Nec dissimilis est Nysseni meta: etenim in eadem ipsa oratione, quae « De Christi nativitate » inscribitur, et nobis obiicitur, haec de Maria sanctissima subiicit: « Si liberorum causa ducta fuisset a Ioseph, quomodo parituram angelo praenuntianti, se rem novam, et alienam audire prae se tulisset? » quasi diceret: Matrimonio quidem iuncta Iosepho Maria est, sed non causa liberorum, sed multo sublimiores ob causas, quas ego deinceps aliqua saltem ex parte recensebo

1193. Eadem porro adhibenda est Gregorii Magni verbis interpretatio, quae adhibita est Chrysostomi, Chrysologi, aliorumque Patrum, quos antea illustravimus, verbis. Id ne temere locutus existimer, integra Gregorii verba profero. « Sic quippe discipulum [Thomam indicat] Dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante nativitatem suam, habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans, et palpans testis verae resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimae virginitatis ». An porro verum matrimonium Mariae cum Iosepho negat Gregorius, qui semel atque iterum sponsum Mariae Iosephum fuisse ait?

1194. Nec alia a superiorum Patrum mente, ac scopo est Cyrilli Hierosolymitani mens, atque scopus. Scilicet is quoque perpetuam Mariae virginitatem asserere studet, et ab obiectionibus vindicare: cetera, quae adiungit, propterea adiungit, ut voces quasdam, quibus abutebantur ii, quibus Virgineus Mariae partus displicebat, ostendat, non in ea significatione fuisse adhibitas, qua adhibitas ii volebant: ut scilicet certo corruptam feminam indicent. Id quod dixi, is sane fatebitur, qui ad haec Cyrilli monita adverterit animum: « Despuamus et eos qui nativitatem Salvatoris ex viro et femina contigisse dicunt, qui eum ex Ioseph et Maria progenitum dicere ausi sunt, eo quod scriptum sit, « et accepit coniugem suam » (Matth. I, 24). Meminerimus Iacob, qui priusquam Rachelem sumeret, dixit ad Laban: « Da mihi uxorem meam » (Gen. XXIX, 21)... « Misit enim Deus Filium suum, » ait Paulus (Galat. IV, 4), non factum ex viro, et muliere, sed « factum ex mu iere » solum, hoc est ex Virgine: quod enim mulieris nomine vocetur etiam virgo, ante demonstravimus: ex Virgine enim natus est, qui animas virgines efficit ». Multa antea etiam de hoc argumento tradiderat

1195. Quanquam non desunt, qui in eorum sententia fuisse Cyrillum putent, qui Mariam matrimonii promissione tantummodo obligatam censent, cum ad eam angelus Gabriel advenit; de qua quidem opinione copiose deinceps agemus.

1196. Quam adhibuimus reliquis Patribus explicationem, nihil vetat, ne Bernardo quoque adhibeamus: diximus enim hanc esse veterum Patrum consuetudinem, ut quidquid illecebra sua in auditoribus excitare voluptatis igniculos posset, obscurioribus vocabulis obtegerent. An non tam laudabilem consuetudinem sequi debuerat Bernardus?

1197. Canonistarum sententias, si sibi forte adversentur, non multi facere theologi solent. Ceterum, ut in Gratiano consistam, quem fere iidem canonistae sequuntur, illius monita ad eum modum non pauci explicant, quemadmodum superiora Patrum loca explicavimus. Et revera tota fere quaestione secunda, causae vicesimae septimae ea ipsa Patrum loca allegat, quae nos antea attulimus, et explicavimus.

1198. Quid, quod ex cap. 9 et 10 (al. 11 et 12) libri I « De nuptiis et concupiscentia » ab Augustino editi allegat, quae mirifice sententiam nostram comprobant? En illa cap. 9: « Coniux vocatur ex prima fide desponsationis: quam concubitu non cognoverat Ioseph, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commistio... Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne... Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium:

Digitized by Google

sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla pudenda carnis concupiscentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato ». Vide etiam, obsecro, quae de hac quaestione tradit Petrus Damiani et Raynaudus.

QUAESTIO II. — Quomodo cum matrimonio a Maria cum Iosepho inito absolutum virginitatis votum, quod diximus a Maria factum, conveniat.

CAP. I. — Quaestioni propositae ex alibi traditis satisfit.

1199. Laudabiliter a Maria, tametsi virginitatis voto devincta, fuisse initum cum Iosepho matrimonium, is fatebitur, qui ea hic recolet, quae cap. 8, superioris Dissertationis diximus, seu potius ex antea dictis deduximus. Verum autem coniugium fuisse illud, is pariter fatebitur, qui nuper allegata Augustini verba expenderit: « Omne itaque nuptiarum bonum, » etc. Recole etiam haec tradidisse Augustinum: « Etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu ». Constat itaque coniugium a Maria cum Iosepho initum, et laudabile, et verum fuisse sine corporis commistione matrimonium, nec adversatum fuisse illud voto virginitatis antea ab eadem sanctissima Maria edito.

CAP. II. — Afferimus obiectiones eorum, qui secus sentiunt, easque dissolvimus.

1200. Quantum porro displiceant hactenus dicta iis qui ad essentiam matrimonii, corporum commistionem exposcunt, eorum conatus et disputatio declarant. Sic autem disserunt: Non aliud est matrimonium, nisi mutua corporum traditio ad gignendos, ideoque etiam alendos filios. Essentia itaque, et natura matrimonii consensum in eiusdem traditionis exercitium, ideoque in corporum commistionem, exposcit: idque ut alii multi, ita etiam apertissime docet Paulus apostolus, dum monet coniuges esse duos quidem, sed « in carne una » (Ephes. v, 31). Id ipsum alibi inculcat, dum scilicet monet non posse eosdem coniuges « se invicem fraudare » I Cor. VII, 5.'; id est privare usu, et exercitio coniugii. An vero is non fraudat coniugem, qui virginitatis servandae voto astringitur?

1201. Quid, quod ii ipsi SS. Patres, quos magistros colere, ac sequi debemus, apertissime docent matrimonium sine usu connubii consistere omnino non posse? Sane ex Augustino, et sancto Leone papa discimus. eam mulierem, cum qua non fuit commistio sexus, non pertinere ad matrimonium. Non pertinuit itaque ad matrimonium Virgo, cum qua, propter emissum virginitatis votum, nulla poterat esse commistio.

1202. Ambrosius quoque matrimonium perfici ait, et veluti compleri sexuum commistione. An ergo subsistit Virginis matrimonium, quandoquidem illi perfectio haec deerat, et complementum?

1203. Ecclesiasticae sanctiones id ipsum comprobant. Gregorius « nullum, et irritum esse declarat matrimonium, si conditiones contra substantiam coniugii inserantur: puta si alter alteri dicat: contraho tecum, si generationem prolis evites ».

1204. E theologis porro seligimus sanctum Thomam theologorum facile principem, docentem scilicet, matrimonium, quod hac lege, seu conditione fuisset initum: « Consentio in te, ut non cognoscas me, » verum matrimonium non esse. Porro, si Virgo absolutum virginitatis votum antea emiserat, ita consensit in matrimonium cum Ioseph, ut tacite saltem diceret: « Te coniugem utique accipio, dummodo me non cognoscas ».

1205. Ratio etiam theologica superioris capitis opinionem evertit. Aut enim sciebat Maria, dum nupsit, assensurum Iosephum voto virginitatis ab ipsa emisso, aut nesciebat. Si sciebat, cur nupsit, quasi virgo persistere ipsa non posset? An non consultius fuisset illi in parentum aedibus, ac tutela persistere, et dum postea paritura erat, se eam prodere, quam indicarat Isaias nobili illa prophetia: « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium? » Si nesciebat, temere ergo, et imprudenter nupsit, quasi potestatem non fuisset habiturus in illius corpus Ioseph. An non imprudenter nubit Deumque tentat adolescentula ea, quae voto virginitatis obstricta est?

1206. Dignitas etiam, ad quam Deus extollere decreverat Virginem, imo re ipsa extulerat, si virginem, nondum nuptam, ab Angelo recepisse vis Incarnationis in sacratissimo eius utero peragendae nuntium, matrimonio illius obest. Etenim propterea quia Deipara est, mundi Domina est, et creaturarum omnium Regina. Mulier vero, quae nubit, viro subditur suo, illiusque sub potestate est (Ephes. v, 22). An decet reginam omnium creaturarum viro fabro subdi? Hactenus, qui secus sentiunt.

1207. Sic porro iis singillatim satisfacimus. Matrimonii essentiam exhibet catechismus Romanus his verbis: « Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens ». Cuius quidem definitionis

Digitized by Google

pars prior de qua hic lis esse potest, ita statim in eodem catechismo explicatur: « Docendum est, quamvis haec omnia in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et coniugum copulatio, qua matrimonium consummatur; nihil horum tamen matrimonii vim et rationem proprie habere, nisi obligationem illam, et nexum, qui coniunctionis vocabulo significatus est ».

1208. Ex his vero, aliisque multis, quae theologi hoc de argumento saepe disserunt, facile assequimur, matrimonii essentiam sitam in eo esse, quod coniuges sibi invicem tradant ius, dominium, et potestatem corporis in usum matrimonialem: sic ut non possit coniux privare coniugem eo iure si velit coniux eo iure uti; quae quidem traditio convenire etiam potest cum scientia, qua tibi compertum est, coniugem non esse usurum iure suo, nam tum non privabitur coniux a coniuge sua potestate, et dominio corporis alterius coniugis; habet enim adhuc, habebitque ius in corpus alterius, tametsi non utatur, vel quod ipse per se nolit uti iure suo, vel quod Deus exposcat ab ipso, ne iure suo utatur.

1209. Fac Deum praecipere homini diviti, ne utatur iure suo, quod in divitias sibi a patre relictas, aut ab amico dono acceptas habet, neque nobiles incolat aedes, neque vestibus pretiosis induatur, quas tamen possidet, sed omnes opes suas ad egenorum, ac miserorum inopiam elevandam insumat, et propterea pauperem incolat aedem, et vilibus vescatur cibis; an non potestatem in divitias suas adhuc haberet homo ille, licet iis non uteretur, et rectissime eas illi dono dedisset amicus aut reliquisset pater, etiamsi Dei revelatione eidem amico, aut patri innotuisset non aliter usurum sibi tributis opibus amicum alterum, aut filium, nisi ut in pauperes eas distribueret, nihilque sibi retineret?

1210. Quia ergo, Deo revelante, vidit Maria sanctissima non aliter usurum potestate sui corporis Iosephum, nisi ad servandam pudicitiam, et famam eiusdem Virginis: ad alendum suis laboribus filium, quem ipsa per se, et sine Iosephi laboribus, ac ministerio alere non posset; ad eripiendum eumdem puerum ab insidiis Herodis, in regiones valde dissitas deducendo, quem ipsa per se ab iis eripere non potuisset: ad obtegendum denique mysterium, quod Deus per ea tempora occultum esse volebat, rectissime eam potestatem Iosepho dedit, probe Deo revelante noscens, quod crebro diximus, ea potestate Iosephum non abusurum, sed ea usurum ad eum modum, quo Deus eum uti volebat, et eos ob fines, quos in eo matrimonio statuit idem Deus.

1211. Hic porro adiicere libet, quae docet Theophilus Raynaudus hoc super argumento: « Vera explicatio concordiae, quam quaerimus, ex eo petenda est, quod matrimonium ratum contineat quidem consensum in traditionem iuris in copulam coniugalem, non contineat tamen consensum in usum illius iuris: nam cum matrimonium consistat essentialiter in ea traditione iuris in corpora, fieri non potest, ut qui init matrimonium, non consentiat in eam iuris traditionem. Quia vero usus illius iuris, est aliquid posterius, recte intelligitur, qui consentit in ius illud, posse dissentire circa usum eiusdem iuris. Consensus porro in copulam importatus in consensu traditionis mutuae corporum, non est formalis consensus in copulam, sed tantum radicalis, qui hoc operabitur, ut si is, qui votum non utendi eo iure emisit, retrocedat, fiatque votifragus utens coniugio, sit quidem sacrilegus, non tamen adulter: et vicissim, si fidem coniugi datam infringat, misceaturque cum altera, non sit dumtaxat fornicator, ut qui solutus cum soluta commiscetur, sed vere sit adulter ».

1212. His praepositis, iam reliqua facile dissolvo. Do, quod vis, matrimonium scilicet esse traditionem corporis sui ad gignendos, ideoque etiam alendos filios. Dedit hanc potestatem Iosepho Virgo, qua tamen noverat eum non usurum, nisi ad eos fines, quos modo explicavi, quique ab usu coniugii valde remoti sunt, sed tamen usus sunt veri matrimonii. An non pertinet ad coniuges pudicitiam alterius custodire, et protegere, filios alere, tuerique?

1213. Hoc ipso de argumento disserens Hyacinthus Serry, haec in rem praesentem tradit: « Tria in matrimonio distinguenda veniunt, substantia, usus, et finis. Substantia est mutua corporum traditio, seu traditio mutuae potestatis in corpus. Usus est copula coniugalis: per hanc enim tradita sibi potestate utuntur coniuges. Finis est procreatio prolis. Quare stare potest substantia matrimonii sine fine, stetitque re ipsa in Deiparae matrimonio. Imo nec defuit illi finis, sin minus ab ipsis coniugibus initio intentus, at saltem ab ipso Deo sacri illius coniugii conciliatore. Christus enim illius, et finis, et fructus fuit; non ex eo quidem natus, sed in eo, ut theologi de schola loquuntur. Eaque ratione ceteris omnibus coniugiis, etiam ratione finis praestantius fuit; de quo Augustinus lib. I De nuptiis, cap. 11: « Nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulte-

Digitized by Google

rium; sacramentum, quia nullum divortium ». His positis obiectionum solutionem aggredior.

1214. Quomodo accipienda sint priora Pauli, imo potius expressissima Dei in Veteri Testamento, Gen. II, 24, et Christi in Novo, Matth. XIX, 5, verba: « Sunt duo in carne una », interpretes non conveniunt. Hoc mihi tamen ex eorum interpretationibus eruere videor, esse quidem citra concubitum in matrimonio rato hanc unitatem, cui ultimum additur in eodem concubitu complementum. Seligo ex plurimis interpretibus Iansenium Iprensem, qui breviter, sed valde docte, unitatem hanc sic explicat: « Erunt duo in carne una », id est, erunt, non duo, sed una caro, ut explicuit Christus, Matth. XIX, 5; nempe unitate quam facit amor coniunctissimus coniugum, ut indicat Ambrosius lib. I Officiorum, cap. 32, unitate quam facit vinculum societatis indissolubilis, unitate mutui iuris, quo scilicet corpus alterutrius est utriusque, ut quidam, unitate originis. quia femina de masculi latere creata est, inquit August. lib. IV De civit., cap. 22.

1215. Denique maxime unitas ista hic locum habet, quae fit, quando vir adhaeret uxori, et concubitus initur, inquit idem August. lib. II Operis imperfecti contra Iulianum, n. 57, et alibi passim et fere communiter antiqui Patres qui in hoc secuti sunt Apostolum. Nam I ad Cor. VI etiam cum meretrice unum corpus fieri docet. Nam haec unitas est in coniugibus effectus, signum et complementum unitatum praecedentium.

1216. An vis fatear postremam hanc unitatem defuisse in matrimonio Iosephi et Mariae? Fatebor libens; sed dum hoc fateor, etiam moneo alias adhaesisse huic eidem matrimonio perfectiones, ac praestantias quibus quidem unitas Christi et Ecclesiae indicaretur. Quod mox ex Ripalda, atque adeo ex Magistro Sententiarum explicabo. Tu, si vis, Antoninum etiam sanctissimum virum consule. Haec ad primum Pauli locum dicta sint satis.

1217. Venio ad secundum. Monuit rectissime Paulus coniuges, ne alter fraudaret alterum usu scilicet corporis sui, ubi periculum incontinentiae adest An in Mariae et Iosephi coniugio periculum hoc suspicaris?

1218. Meminerint, porro, ii, qui nobis Patres obiiciunt, a nobis quoque Patres esse allegatos, et si iis suffecerint ea Patrum loca quae iam allegavimus, haec quoque adiici a nobis. Ambrosii haec monita sunt: « Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admistione cognoscitur » Augustini vero haec: « Coniux vocatur (Maria) ex prima fide desponsationis ». Et rursus: « In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas ventris ».

1219. At ne sine responsione obiecta Patrum loca permaneant, aio eos Patres qui monent eam mulierem, cum qua non fuit commistio sexus, non pertinere ad matrimonium, vel sumere mulierem cum qua non « commistio sexus », pro ea in qua exstat impedimentum ab « impotentia » et « defectu », vel utriusque coniugis, vel saltem alterutrius; tum enim matrimonium verum non est; vel sumere matrimonium, quatenus denotat omnimodam unionem Christi cum Ecclesia qua maior concipi non potest; etenim sine ea ipsa quam hic commemorant, unione, quam omnimodam esse fatemur, servatur adhuc repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia; quatenus illius caput Christus est cum membris suis (Christianis scilicet) connexum; fideles autem illi uniti membra unius corporis cum illo sunt, « diversum actum » quidem « habentia », efficientia tamen Ephes. IV, 16 totum corpus « compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuisque membri », etc.

1220. An negabis repraesentationem Christi et Ecclesiae in eo matrimonio eminere, in quo castitas adeoque virginitas et eximia charitas et animorum coniunctio inest, quatenus perfectissimam dilectionem matrimonium hoc repraesentat, qualis in Christo inest, et quam in Ecclesia militante optat esse Apostolus, sicut in Ecclesia triumphante procul dubio inest?

1221. Haec fere Ripaldae eximii sane theologi solutio est, quam prorsus hausit ex Magistro Sententiarum, cuius propterea monita hic describo: « Inde est quod quidam doctorum dixerunt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quae non experitur carnalem copulam. Ait enim Augustinus: « Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commistio sexus. Item Leo papa: Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter commistionem sexuum non habeat in se Christi et Ecclesiae sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium. Item Augustinus: Non est perfectum coniugium sine commistione sexuum. Hoc si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium, et inter Mariam et Ioseph non fuisse coniugium, vel non fuisse perfectum, quod nefas est sentire Tanto enim sanctius fuit, atque perfectius, quanto a carnali opere immunius.

Digitized by Google

Sed superius posita ea ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permistio sexuum, sed non pertinet ad matrimonium, quod expressam tenet figuram coniunctionis Christi et Ecclesiae; figurat enim illam unionem Christi et Ecclesiae quae est in charitate, sed non illam quae est in naturae conformitate. Est ergo et in illo matrimonio typus coniunctionis Christi et Ecclesiae, sed illius tantum qua Ecclesia Christo charitate unitur: non illius qua per susceptionem carnis capiti membra uniuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est coniugium; quia, ut ait Augustinus: In nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas ventris. Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis et dilectionis animorum qua inter se coniuges uniri debent; unde Apostolus ait (Ephes. v, 25, 28): « Viri, diligite uxores vestras, ut corpora vestra ».

1222. Quid vero, si dixerim in castissimo coniugio Mariae cum Iosepho expressissime etiam significari coniugium Christi cum Ecclesia? Id porro non temere dico; etenim, sicut ex purissimo Mariae et Iosephi coniugio servata utriusque coniugis castitate, conceptus est Sancti Spiritus opera, Christus, idemque, servata Mariae virginitate, natus est; ita ex purissimo Christi cum Ecclesia coniugio, servata utriusque puritate, concipiuntur filii, iidemque, servata Ecclesiae virginitate, prodeunt et Ecclesiae aggregantur. An horum imaginem aut speciem aliquam in aliis coniugiis reperire tu poteris? Id diu ante me indicarunt Patres apertissime, et expressis verbis tradidit Innocentius III doctissimus, quod quisque novit, saeculi tertii decimi scriptor. E Patribus Ambrosium seligo haec scilicet tradentem: « Ille sanctus, quem in figura futuri mysterii pia legis divinae praescripta signabant, eo quod solus sanctae Ecclesiae virginis, ad generandos populos Dei, immaculatae fecunditatis aperiret genitale secretum ».

1223. Ecce porro quae dixi, apertissima Innocentii III monita: « Isti sunt filii, qui fecunditatem afferunt, sed virginitatem non auferunt. Imo virginitatem anima non servaret, nisi tales filios procrearet, quia (Exod. XXIII, 26; Deut. VII, 14 maledicta sterilis quae non parit. Quod bene significatum est in coniugio Ioseph et Mariae, quoniam « Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto » (Matth. I, 18). — « Antequam convenirent, inventa est »: ecce virginitas in unitate; « in utero habens »: ecce fecunditas ». Adde, si vis, quae tradunt Augustinus seu alter, quisquis is est, auctor tract. seu libri IV, De symbolo ad catech., num. 1, in App., tom. VI; et Zeno Invit. IV ad fontem. (In edit. clariss. Baller. tract 33).

1224. Ceterum, ut sigillatim obiectis Patrum locis respondeam, sunt qui moneant obiecta verba omnino non reperiri in Augustino. Haec scilicet edocemur ab iis qui adnotationes elucubrarunt ad emendatum Gregorii XIII iussu Gratiani decretum: « Caput hoc non est inventum apud B. Augustinum, et videtur summa sequentis capitis ». Neque vero solutionem hanc enervat responsio Capisucchi monentis sententiam hanc quoad substantiam exstare lib. Soliloq., cap. 10, ubi sic legitur: « Nil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animum virilem quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest »; elici quoque ex his quae habet in lib. De bono coniugali, cap. 18, et forte alibi in iisdem libris haberi quibus a Magistro et Gratiano affertur. Quis enim nesciat librum Soliloquiorum Augustino demendum esse? Expresse vero non elici, neque ex libro De bono coniugali, neque ex cap. 5, lib. I, Contra Iulianum, quod nonnulli etiam allegant? Quid si respondeam non pertinere ad matrimonium consummatum, vel cum omnimoda significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia, uti nuper allegatus Magister Sententiarum explicat?

1225. Ut obiecta Leonis Magni verba illustremus, satis est ut hic recolamus quae Sententiarum Magister nuper allegatus de iisdem Leonis monitis tradit. Ceterum ii quos paulo ante laudavi, editores Gratiani ad hunc locum haec monent: « In codicibus Epistolarum Leonis impressis et manuscriptis, in epist. 90 et 92 Ad Rusticum, cap. 4, itemque apud Burchardum et Ivonem longe aliter habetur hic locus, nempe ad hunc modum: Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium ». Adiicit haec Capisucchus: « Ad quod etiam dici potest cum Soto in verbis Leonis damnari quaedam foedera perpetua, quae olim fiebant ad perseverandum cum concubinis, de quibus inquit D. Leo non pertinere ad matrimonium, quamvis per totam vitam cum suis amatoribus perseverent, quia cum eis non est celebratum nuptiale mysterium. Unde errore preli factum est, ut apud Gratianum legatur « nuptiale ministerium », loco verborum « nuptiale mysterium »; et « nuptiale mysterium » legi apud Leonem adnotatur post textum Gratiani, et hoc pacto sententia illa Leonis allegatur a Magistro loco citato ». Hactenus Capisucchus.

Digitized by Google

1226. Et hanc quidem rectissimam esse responsionem, sinceramque obiectorum verborum solutionem, ex ipsamet Leonis responsione plane constat. En illam: « Non omnis mulier iuncta viro, uxor est viri; quia nec omnis filius haeres est patris. Nuptiarum autem foedera inter ingenuos sunt legitima, et inter aequales; multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris exsisteret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahae: « Eiice ancillam, et filium eius: non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac ». Gen. XXI, 10; Galat. IV, 30). Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum: dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit: nisi forte illa mulier, et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur ».

1227. Ea porro responsio, quae obiecto Augustini loco a Magistro adhibita est, commode adhibetur obiecto Ambrosii loco: etenim, ut Ripaldae verbis utar, « disserit Ambrosius de perfectione matrimonii quoad significationem unionis Christi cum Ecclesia: non vero quoad veritatem, et sanctitatem ». Perfectissimum itaque matrimonium in se est, quod rite contractum est; tametsi fieri possit, ut abstinentibus a coniugii usu sponsis, non repraesentet omnimodam illam Christi cum Ecclesia unionem, quam optant, qui haec obiiciunt: qua de re recole, quae modo diximus. Ceterum hoc in loco secutus fortasse est Ambrosius vulgatum loquendi modum, quo quidem dicere consuevimus illud perfectum esse, quod omnem effectum assequitur. At, ne quid dissimulem, obiectum Ambrosii locum in praestantissima Patrum Benedictinorum editione minime inveni: atque adeo minime inveni librum, ex quo verba obiecta desumpta fuisse dicuntur, qui scilicet inscribatur « De Patriarchis »: sed tantum inveni librum « De Ioseph patriarcha, et De benedictionibus patriarcharum », in quibus libris nihil horum inest.

1228. Neque vero nostram persuasionem infirmant ecclesiasticae sanctiones: etenim Virgo sanctissima, dum matrimonium cum Iosepho iniit, non eam apposuit conditionem, per quam, monente etiam pontifice, matrimonium invalidum redditur, sed simpliciter, et pure se ipsam tradidit Iosepho coniugem, praevidens tamen, et certo sciens, eum potestate sibi tradita minime usurum: nec temere se Iosepho tradidit: etenim ad id eam permovebat Spiritus Sanctus, cui obsequi debebat illa. Recole, quae iam diximus.

1229. Haud multo aliter difficultatem hanc tollit, locumque etiam Sancti Thomae nobis obiectum illustrat Hiacynthus Serry vir utique doctus, cuius monita exscribere hic libet: « Aliud longe est, contrahere cum aliquo matrimonium, quem aliunde noveris generationem prolis se ipso evitaturum; aliud contrahere cum aliquo ea lege, et conditione contractui inserta, « si generationem prolis evitet ». Qui contrahit ea conditione contractui inserta, adversatur expresse fini matrimonii, eiusque substantiam destruit, talem ab eo conditionem exigendo. Atque hoc est, quod declaravit Gregorius IX, quod et docuit doctor Angelicus, irritum esse tunc matrimonium. At qui simpliciter contrahit cum eo quem aliunde novit se ipso generationem prolis evitaturum, excedit utut maxime a fine matrimonii, sed ei expresse non adversatur: ad illum finem veluti « negative » se habet, ut schola loquitur, adeoque substantiam matrimonii minime destruit. Atque hoc est quod egit Virgo Deipara: contraxit scilicet cum eo quem aliunde divina revelatione noverat non esse debitum petiturum; non contraxit tamen ea conditione, contractui veluti inserta, et postulata, ut debitum minime postularet. Idcirco stetit substantia matrimonii. Exemplum rei huius esto in contractu donationis. Si quis dicat: Do tibi domum meam, si eam non acceptes, contractus est nullus; quia ea non acceptatio exigitur a donatore, et quia exigitur, ludicram facit donationem, ipsamque destruit. At vero si dedero domum meam ei, quem aliunde noverim non acceptaturum, tunc non acceptatio erit exstrinseca contractui, ac veluti ex accidenti: atque ita contractus ipsius substantiam minime destruit. Ita plane in casu, quem expendimus ».

1230. Audi doctorem Angelicum rem illam totam paucis expedientem in IV Sentent., dist. 30, quaest. 2, art. 1 quaestiuncul. 2 ad 2: « Beata Virgo, antequam contraheret cum Ioseph, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat; et ideo non se commisit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati [matrimonii] deperiit: quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret ».

Digitized by Google

1231. At si ita est, inquies, licebit ei, qui castitatis voto se obstrinxit, matrimonium inire: quod tamen condemnant omnes.

1232. Id sic evita. Si votum castitatis solemne fuit, Ecclesia sanctionibus suis matrimonium irritum reddidit. Si votum simplex ediderit quispiam, is, generatim loquendo, peccat, quia periculo violandae castitatis sese exponit: quod periculum ut evitetur, ii ipsi, qui post contractum matrimonium voto castitatis mutua consensione sese obstringunt, ecclesiasticis sanctionibus seiuncti vivere iubentur. Validum tamen matrimonium illud est, et quamvis, qui vovit, rite petere non possit coniugale debitum, reddere tamen debet, si coniux illud exposcat.

1233. Dixi generatim loquendo: etenim, si Deus certa indubitataque iussione id tibi praecipiat, simulque doceat virginitatem tuam minime laedendam fore [quod in hoc, de quo agimus, matrimonio theologi statuunt; de Caecilia quoque simile quodpiam traditur], nec peccas, nec imprudenter id agis: nec imprudenter id agere videreris, si certo nosses nullum prorsus periculum violandae castitatis matrimonio inito te offensurum; quod fieri aliquando [tametsi perraro] posse, plerique monent: adducere vero exemplum soleant illius, qui absens per procuratorem matrimonium contraheret cum eo, quem certo scit nullo prorsus tempore ad se accessurum: veluti si perpetuo exsul, aut in carcere constitutus is sit, tu vero impediaris ad eum pergere.

1234. Iam reliqua prosequor. Si ea recoles, quae hactenus dixi, statim dissolves priorem a ratione theologica desumptam difficultatem. Num Maria nosset, dum Iosepho nupsit, propositum, vel, si vis, votum servandae castitatis ab eo editum, dubium est. At fac minime novisse: noverat sane Deum sibi adfuturum, nullamque vim subiturum illud, quod ea ediderat, virginitatis votum. Divino porro consilio se ad matrimonium ineundum permotam comperit; cui consilio parere necesse illi erat.

1235. Humillima porro Maria iugiter fuit, ideoque, antequam angelus Gabriel ad eam adveniret, nunquam se illudi permisit spe pariendi Unigenitum Dei. Eadem porro humilitas ab ea assecuta est, ut potestati Iosephi subiici non recusarit. Cur vero recusare id poterat, quando quidem Unigenitus Dei, ipseque Deus verus, esse subditus voluit et illi, et Iosepho? Itaque, etiamsi novisset se matrem Dei futuram fore [quod equidem tum novisse, cum Iosepho nupsit, minime puto], adhuc Iosepho se subdidisset.

1236. Atque id quidem illud ipsum dissolvit, quod a regia Mariae dignitate desumunt. Ceterum Maria concepto Christo probe noverat se Reginam mundi futuram fore quidem, quatenus creaturis omnibus praestantior effecta est, cum Dei Mater effecta fuit: at novit etiam suum, et Filii sui regnum, non futurum de hoc mundo: quam ob rem pauperrimam, humillimamque vitam perpetuo ducens, numquam ea de re conquesta est.

QUAESTIO III. — Quoto aetatis anno Maria et Ioseph matrimonium inierint. [CAP. I. de Maria aetate omittitur].

CAP. II. — Minime senem fuisse Iosephum, cum Mariam coniugem sumpsit.

1237. Solvenda est pars quaestionis altera: quonam scilicet aetatis suae anno Mariam coniugem Iosephus excepit. Dissident hic quoque interpretes et theologi. Ii, qui crinibus canum, et annis gravem Iosephum exhibent, ad hunc modum disserunt: Si traditionem sequimur, senem fuisse discimus Iosephum, cum Mariam suscepit uxorem. Senem nimirum nobis describunt apocryphi quidem, sed tamen valde vetusti libri; describit quoque Epiphanius. Cedrenus, Nicephorus pariter, et ingens poetarum cohors, e quibus Sannazarium, Scaligerum, Novidium seligit Theophilus Raynaudus, ego tantummodo Sannazarium proferam, et B. Mantuanum. Poetis iunguntur, quod fere solent, pictores: quos irridet, et vehementer redarguit clariss. Serry, cuius quidem consuetudinis causam Raynaudus putat esse, quod « verererentur, ne si iuvenem maritum speciosissimae Virgini adiungerent, vocarent in suspicionem illibatum Virginis pudorem: » quam tamen rationem refellit vehementer idem Raynaudus.

1238. Quid, quod coniecturas persequentes, adiiciunt non modo ex Evangelio innotescere defunctum fuisse Iosephum, cum Dominus Iesus est cruci affixus: etenim e cruce pendens Matrem suam Ioanni alendam, custodiendamque tradidit [atque id quidem coniugis, qui aleret, custodiretque, praesidio destitutam manifesto declarat]; verum etiam, eum nuptiis Canae Galilaeae minime interfuisse constat: nulla enim de eo mentio fit; imo nulla de eo fit mentio, postquam ex Luca assequimur ab eo et Maria repertum fuisse in templo Christum duodennem doctores « audientem et interrogantem eos: » quae quidem res haud obscure significat, haud multo post eum obiisse, ideoque valde provectum aetate fuisse, cum Mariam coniugem sumpsit: Maria enim diu post Christi mortem superstite, ipse in ipsa primi Christi adolescentia mortuus est.

1239. Sed paucis ea opinio nostris tem-

Digitized by Google

poribus placet. Itaque arbitrantur, si paucos quosdam vulgatarum fabellarum amatores exceperis, theologi omnes, et Scripturarum interpretes, a senectute remotum per illud tempus fuisse Iosephum, quo tempore illi Virgo Deipara nupsit. Allego paucos, sed probatissimos, Gersonem, Hesselium, Molanum, Baronium, Suarem, Vasquem, Theophilum Raynaudum, Capisucchum, Serry, Sandinum denique paucis ab hinc annis vita functum: et inter eos, qui a Romana Ecclesia alieni sunt, Montacutium.

1240. Quantum ego postremam hanc opinionem approbem, alibi ostendi. Quod alibi tradidi, hic ratum habeo, affirmoque, minime provecta aetate fuisse Iosephum, cum matrimonio iunctus est Virgini. Ad id porro demonstrandum hac ratione Raynaudus utitur: « Deus, praeter quam quod nihil facit indecore, unde a Pythagoraeis merito dictus est ipsum decens, adiutorem Virginis in peregrinationibus, et prole educanda, et famae bonae tutorem providere statuebat per huiusmodi coniugium: ad quorum neutrum usui esse poterat homo per aetatem ad opus nuptiarum inidoneus. Qui enim vacasset suspicione speciosissima puella homini centenario coniuncta alvo gerens? Quaeve ab capulari sene solatia, et vitae subsidia, ac peregrinationum levamenta exspectare potuisset? »

1241. Multo plura, non sine laude, ad opinionem hanc confirmandam (Exercit. 25), congessit clariss. Serry, quem, rogo, consulas. Mihi porro ea rationum momenta, quibus sententia haec innititur, quaeque praeclari nostri theologi recensent, et ego summatim ex Raynaudo retuli, exponere libet iis ipsis verbis, quibus ea exponit Montacutius vir summi nominis inter eos, qui ab Ecclesia Romana desciverunt, ut scilicet innotescat, quam probabilis sit ea opinio, quam apertissimus Baronii hostis amplectitur, et propugnat: « Est autem, inquit, haec opinio [Epiphanii, et aliorum, qui aetate multa provectum Iosephum affirmant, cum Mariam suscepit coniugem], ne quid gravius dicam, improbabilis; nam dabatur Maria in matrimonium Iosepho, per sapientissimam divinam dispensationem, ne malevoli et malitiosi Iudaei, Pharisaei in primis, Scribae, et sacerdotes, qui Christum deinceps tam capitali, et implacabili odio erant persecuturi, dicerent, quod non nemo ex iis blasphemavit, cum aliquo probabilitatis praetextu, meretricis illum filium exstitisse: et non Iosephi, ut putabatur, et putari debuit. Quod si senem tam decrepitum, et effaetis viribus duxisset, qui liberorum procreationi videretur non suffecturus, nequaquam haec suspicio amputata, sed magis fota fuisset; non ansa praecisa conviciandi, sed contumeliis potius, et blasphemiis causa satis rationabilis praeberetur. Nec hinc longe abeunt Salianus, Suarez, Vasquez Iesuitae. Secundo, non parum hinc decederet de laude continentiae Iosephianae: atque de auxilio efficaci divinae assistentis gratiae, quae si flammas reprimeret concupiscentiae in robusto viro, et aetatis iam confirmatae, ut cum coniuge iuvencula, et procul dubio venusta, virgo nihilominus permaneret, multum omnino effecisset: cum contra ab ipsa natura ille ardor aetatis in sene paene iam Acherontico, et mero silicernio soleat evanescere. Tertio ille recessus in Ægyptum, et peregrinatio tam longinqua, tot obsessa viarum difficultatibus a viro tam grandaevo, neque suscipi poterat satis commode, neque debebat tuto imperari; ipse enim, quem volebant datum B. Virgini curatorem et tutorem, tutela potius indigeret, et curatione. Addendum autem, nec videri hoc commentum suum cum Evangelii historia coniunctum; nam supervixit ad annum usque Iesu Christi duodecimum; neque probabile est senem pene centenarium ter quotannis e Nazareth Hierosolymam ad festa ascendisse. Quod si supervixit usque ad aetatem Christi triginta annorum, et ulterius, ut quidam arbitrantur ad prodigiosam paene aetatem per illa tempora perveniemus. Et non est improbabile, in vivis fuisse post Christi baptismum, et inceptum ministerium; cum ex dispensatione divina satis congrua, ut oculis suis videret in illo id impletum, quod ab initio promissum, diutius cum uxore virgine exspectasset; tum ex Evangeli sententia; nam, Matth. XIII, 55, ita de fabro patre eius loquuntur Nazarethani, ac de superstite: Nonne hic est fabri filius? Illius scilicet, qui tum inter ipsos versabatur; de quo, una cum matre, et sororibus dicunt: Nonne omnes apud nos sunt? ed adhuc clarius Ioan. VI, 42: Nonne hic est filius Ioseph, cuius novimus patrem et matrem? quae dicta non possunt, nisi perverse, in defunctum, et lumine cassum competere ».

1242. Hactenus, uti dixi, Montacutius, qui in rem suam etiam adducit Tornellium, cardinalem Toletum, et Castrium, quem in commentariis haec scripsisse ait « satis coniuncta, ut idem Montacutius affirmat, cum pietate, et ratione. — Si consideremus finem propter quem datus est Virgini Sponsus Ioseph, certi efficiemur, non adolescentem, qui et si pius, et iustus, non tamen esset tanta prudentia, aut virili fortitudine, ad custodiendam illam, et necessaria acquirendum, insuper et ad tot itinera peragenda, et a tantis periculis illam cum puero Iesu liberandam; quae omnia virum postulabant pru-

Digitized by Google

dentem, expertum, laboris patientem, et qui solari posset teneram Virginem tanquam pater, et tueri, tanquam vir ; nec adeo senem fuisse, ut volunt Epiphanius, et Cedrenus, qui octoginta annorum fuisse dicunt. Quod si coniicere licet, vir a triginta usque ad quadraginta annorum ». Quibus Castrii verbis recitatis, illius sententiae alios subscripsisse Montacutius affirmat: « Cui et alii subscripsere ».

1243. Revera, dum a senectute remotum Iosephum fuisse contendo, dum Virgo illi nupsit, non continuo iuventutis flore vigentem volo, sed Vasquem, Suarem, Capisucchum, aliosque minus antiquos secutus, « Maturae aetatis fuisse aio, de cuius scilicet castitate nihil timere quis possit, aut aliquid minus honestum suspicari; » vel si iuvenem esse vis, tibi minime obsistam, dummodo iuventutem intra eos coarctes terminos, quibus eas Gerson de hoc ipso argumento disserens coarctavit: « Sic autem existimo, inquit ille, Ioseph fuisse iuvenem, sicut iuventutis terminos ponit Isidorus, quos extendit a viginti octo annis, ubi terminat adolescentiam, usque ad annum quinquagesimum, quo tempore aetas tunc senectutis inchoat. Fuit igitur Ioseph, dum primo desponsatus est, sub quinquagesimo anno constitutus ». Recole quae tradit Castrius.

CAP. III. — Dissolvuntur ea, quibus eorum opinio innititur, qui senio provectum aiunt Iosephum, cum Maria illi nupsit.

1244. At quid [reponet hic quispiam], quid, inquam, respondendum est argumentis, quibus altera opinio innititur? Respondendum est apocryphos libros, quos primum allegarunt, si soli sunt, parum habere virium ad fidem promerendam: ideoque merito nos iis, quae narrant, fidem denegare.

1245. Atqui [fortasse inquies] soli non sunt, si iis suffragium suum adiiciunt Epiphanius, Cedrenus, et Nicephorus. Epiphanius, fateor, valde provecta aetate fuisse ait Iosephum, cum Mariam suscepit coniugem: at videtur id tradidisse, propterea quia fidem adhibuerit apocryphis narrationibus; nam ex iis discimus, sortis necessitate ad Virginis connubium adactum Iosephum, cum iam viduus esset: et hos esse libros, quos is allegat, dum veteres historias citat.

1246. En quid tradat libellus ille, quem Evangelium de nativitate Mariae appellant: « Secundum hanc prophetiam, cunctos de domo et familia David nuptui habiles non coniugatos virgas suas allaturos ad altare praedixit, et cuiuscumque post allationem virgula florem germinasset, et in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbae consedisset, ipsum esse, cui Virgo commendari et desponsari deberet... Proditus itaque est Ioseph: cum enim virgam suam attulisset, et in cacumine eius columba de coelo veniens consedisset, liquido omnibus patuit ei Virginem desponsandam fore ».

1247. Expressius autem Proto-Evangelium Iacobi: « Ultimam autem virgam accepit Ioseph, et ecce columba exiit de virga, et volavit in caput Ioseph. Et dixit sacerdos [summus] Iosepho: Tu es sorte divina electus, ut accipias virginem Domini in custodiam apud te. Et contradixit Ioseph dicens: Filios habeo, et sum senex ; ipsa autem est iuvencula, unde timeo ne forte ridiculus fiam filiis Israel ».

1248. En porro quid scripserit Epiphanius: « Eorum inscitia, qui neque sacras Litteras accurate callent neque in veterum historiarum lectione triti sunt, hos ipsos ab aliis ad alia transfert, et abripit, cum ex ingenio suo ac mente veritatis vestigia consectantur. In primis itaque cum beato viro Iosepho tradita est, quo illam sortis necessitas adduxerat, nequaquam ei ad copulationem est concessa, si, quod res est, asseverare volumus, cum utique viduus esset; sed propter legem tamen vir illius appellatur... Quomodo enim tam affatae senex aetatis virginem habere uxorem potuit, qui tot annis antea, priori coniuge esset orbatus? » etc. Et deinceps: « Quod in primis homo senex supra octoginta annos Virginem ad usum corporis non acceperit, sed divina potius providentia ad illam custodiendam est appositus ».

1249. Cedrenum porro, si antecessores non habeat probatissimos, non multo in pretio habere solent nostris temporibus historici. Quos autem proferre ille poterit? Sed procul dubio apocryphum Iacobi Proto-Evangelium is sequitur, cum haec scriptis prodit: « Cum annum decimum quartum attigisset [Maria], Iudaei eam usitata mulierum imbecillitate laboraturam rati, in templo eam deinde morari non sunt passi. Porro sacerdotes eius causa Deum precati sunt. Ibi Zacharias pontifex maximus Baptistae pater, duodecim senum cognatorum Mariae ferulas accepit, inque ara posuit, dicens: Ostende, Domine, cui Virgo haec debeat copulari. Floruit autem virga Iosephi fabri, atque huic octogenario in matrimonium tradita est, isque eam domum secum adduxit ».

1250. Nicephori hac in re auctoritatem contemnere videtur Theophilus Raynaudus haec scribens: « Nicephorus, qui senem exhibet tempore celebrati coniugii Iosephum, nec Patribus, nec Catholicis scriptoribus annumeratur, deestque illi etiam a cana vetustate auctoritas ». At mitius agit Monta-

Digitized by Google

cutius, negatque in eadem esse prorsus Nicephorum opinione, in qua sunt Epiphanius, et Cedrenus. « Hanc opinionem, inquit ille, sequitur Cedrenus... non Nicephorus, qui tamen ait γήρᾳ καὶ σεμνῇ πολιτείᾳ ἐκ πολλοῦ τὸ ἀξιόπιστον εἰληφώς, id est: « Senio et honestate morum bonae fidei existimationem consecutus ». Tamen [ne quid dissimulem] videtur Nicephorus ipse respexisse ad apocrypha modo allata: quam ob rem, si octogenarium non facit Iosephum, uti Epiphanius et Cedrenus faciunt, senio tamen provectum fuisse censet; « Senio et honestate morum, » etc.

1251. Sed ne veterum suffragatione destituti videamur, proferimus Augustinum, qui nos docet Iosephum ita Mariam suscepisse coniugem, ut filius eius putari posset Dominus Iesus. An vero putari potuisset illius filius Dominus Iesus, si in extrema senectute Mariam duxisset, et non potius « ridiculus factus fuisset filiis Israel », ut verbis utar Proto-Evangelii Iacobi ante allegati? En quae dixi Augustini verba: « Dicit autem Lucas evangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph, quia ita putabatur, ut per eius concubitum genitus videretur ». Ea itaque aetate erat [Augustino iudice], iisque viribus, ut prolem ex Virgine suscipere posset. An senio confectus, et attritis aetate viribus vir in spem procreandae prolis uxorem ducere potest?

1252. At, quod iam dixi, poetas, et pictores senilis aetatis Iosephi, cum Mariam duxit coniugem, vades advocant. Egregium revera subsidium, quasi Christianis etiam poetis, et pictoribus praestans Horatii monitum non conveniret,

. . . . . Pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas

Quod si vetustos poetas, et Christianos allegarent, quos scilicet novimus veterum traditionum fuisse retinentes, eorum auctoritatem vereremur, sed vades eos poetas, et pictores allegant, quos novimus veterum fabulas Christianae veritati miscuisse: quod facile innumeris propemodum exemplis ostenderem, nisi quisque iam nosset

1253. Ceterum, quod ad pictores attinet, argumentum ex eorum auctoritate deductum ad hunc modum reiicit Montacutius: « Exhibent illi satis amplam, et opportunam ridendi occasionem, et lubentiam, qui decrepitam huius viri aetatem probaturi, parietum picturas et fenestrarum producunt ex ecclesiis et monasteriis. Quod genus probationis si quid roboris haberet vel firmitatem, probari posset diabolum, Christi in deserto tentatorem, monachi cucullati indutum vestibus, aut assumpto habitu eremitae, ad Christum accessisse: nam ad illum modum solet in fenestris et parietibus deformari. Imo sequeretur ab hoc argumento, iuvenem exstitisse cum duceret Mariam: quia passim in Germania, quod testatur Gerson, forma, et figura iuvenili depingeretur in fenestris et parietibus ».

1254. Sed quis vetat, ne huc transferam, quod alibi tradidi, quodque dissolvit plane argumentum, quod a pictorum Iosephum senio detritum exhibentium consuetudine desumitur? En itaque illud. Profecto ad imaginem Virginis Deiparae quod attinet, eam adolescentulam, cum Iosepho nupsit, pingi novi, cum Iosephus senilem vultum gerens a pictoribus exprimatur. Si historicas tantum esse vis imagines has, a vero alienas, me facile assentiente, eas dices: neque enim aut tenellam, et vix duodennem puellam fuisse arbitror Virginem, cum Iosepho nupsit, aut octogenarium Iosephum, cum eam suscepit. Id sane tum alii multi, tum certe doctissimus P. Serry, luculenter ostendunt, quos subsecutus est vir non modica laude dignus Antonius Sandinus.

1255. At quid, si symbolicas esse dicam imagines has? Tum iure, meritoque Virginem Deiparam sub puellae, et Iosephum sub senis effigie, expressos dicam. Nimirum propterea Virgo pingitur puerili adhuc aetate florens, non modo ut noveris; viro incognitam eam fuisse, verum etiam ut intelligas, culpae cuiusque, etsi levis, expertem. Qua in re laudes, oportet, pictoris sedulitatem; etenim si [ut multi quidem putant] sacer libri primi Regum scriptor, ut Saulis pietatem, et innoxiam vitam indicaret, id vehementissime expressum arbitratus est, cum dixit: « Filius unius anni erat Saul », cur non poterit pictor, ut exprimat Mariae virginitatem, puritatem, et reliquas virtutes omnes et alienationem a vitiis, a quibus aliena esse consuevit puerilis, saepe inficitur provectior aetas, Mariam fingere [quoad eius fieri potest] tenellam, et puellulam? Ioseph autem propterea senex exprimitur, ut illius prudentiam, castimoniam, et virtutes reliquas omnes, quibus senectus homines ditat, ediscas. Ipse revera est vir, qui brevi temporis spatio « explevit tempora multa », et Virginem, sanctissimumque eius Filium sibi habuit comites, et obsequentes; quod senilem illius sapientiam mirum in modum innuit.

1256. Audite etiam Canisium virum pietate, doctrina, atque eloquentia praestantem, qui haec tradit: « Fortasse ingeniosa vetustas dedit hoc populi simplicitati, ut etiamsi Ioseph iunior fuisset quam pingitur, tamen pro seniore vulgo haberetur, ad depellendam videlicet rei amatoriae et coniugalis con-

Digitized by Google

gressus suspicionem. Hanc enim facile vel pareret, vel augeret vegetus, et viridi aetate iuvenis, qui cum nubili puella vel cohabitans, vel deambulans, in tabella spectantium oculis subiiceretur ». Id ipsum edocemur in notissimis illis versiculis:

Ergo Ioseph reputasse senem fecere seniles
In se virtutes; vel neu carnalis haberet
Suspicio de te quidquam carnale, Maria.

Proderit etiam consuluisse Suarez, et Toletum, quos allegat Sandinus.

1257. Non desunt tamen theologi, qui pictores, et poetas alia etiam ratione vindicent. Scilicet quanquam in eo reprehendunt, quod Iosephum, dum Virgini nupsit, et dum in Ægyptum euntem exhibent, vetulum, cascumque exprimant, quod procul dubio a veritate alienissimum est, tamen si seorsim ab his et veluti solitarium repraesentare iis contingat, senio provectum exhibere pictoribus sinunt. Tum scilicet Iosephum nobis exhibere creduntur, cum Iesu iam educato, et fortasse etiam laboribus Iosephi iam pridem assueto [quam ob rem filius fabri appellatus est] eum iam cursum expleverat, quem Deus ab illo exposcebat. Consule Toletum, et Suarem, quorum postremus haec adiicit: « Fortasse cum Ioseph esset maturae aetatis, et vir iustus, partim laboribus, partim corporis afflictionibus effecerat, ut provectioris, quam revera esset, aetatis appareret ».

1258. Superest postremum ex coniectura desumptum. Monuere nimirum ex evangelistarum silentio coniicere nos commode posse, haud diu postquam reperit in templo Christum duodennem doctores audientem, et interrogantem eos, Iosephum superfuisse: nulla enim deinceps de eo mentio fit: atque ex eo quidem indicari aiunt, haud diu post fuisse mortuum, aetate scilicet, ac laboribus, curisque confectum.

1259. Sed levissimum est deductum ex hac coniectura argumentum. Nimirum de Iosepho, post repertum in templo duodennem Christum, silent evangelistae, quia nulla apta de eo narratio se obtulit, item ut nulla ab eo tempore ad Christi usque praedicationem se obtulit Virginis mentio. Tum vero de ea meminere evangelistae, cum in ipsis fere praedicationis Christi primordiis adfuit Virgo nuptiis in Cana Galilaeae celebratis, et precibus suis a Christo consecuta est, ut aquam in vinum verteret. Nullam scilicet de Maria, et Ioseph ab eo tempore, quod a Christo in templo reperto ad illius praedicationem fluxit, mentionem fecere evangelistae, quia in privatis aedibus Christus perstitit, laboribus suis Iosephum adiuvans, et obsequium suum Mariae perinde ac Iosepho praestans.

1260. Num vero Christo praedicante adhuc viveret Ioseph, theologi, atque interpretes disputant. Profecto perstitisse affirmat Montacutius,, cuius monita iam retuli, et hic recolat, volo, lector. Idem porro Montacutius superfuisse adhuc censet, cum Christus aquam in nuptiis Canae Galilaeae convertit in vinum. Deductam vero ex Evangelistae silentio argumentationem ad hunc modum dissolvit: « Respondemus: primum fieri potuit, ut Ioseph vel aeger domi decubuerit: vel foras alicubi, operi intentus fabrili, pro more versaretur, atque ita non interfuerit: vel etiam interfuerit, sed non nominetur, quia non erat occasio nominandi; nam nec fratres nominantur, nec sorores: et tamen certum est, in vivis exstitisse. Ita certe non convincitur, Iosephum in vivis tunc exstitisse probabiliter tamen ita exstitisse teneri potest ».

1261. Sane, ut coniiciendo aliquid addamus, nullam de Iosepho mentionem Matthaeus facit, cum Magos exhibet Christum adorantes, illique munera offerentes: superstitem tamen tum novimus, et si interpretibus probabilibus fidimus, praesentem etiam. Sed propterea nulla illius facta mentio est, quia nullas partes ea in re habuit. Superstitem quoque deinceps, dum scilicet praedicationis munus exerceret, sibi persuasisse visus est clariss Serry, dum haec non admodum remota ab iis, quae docuit Montacutius, scriptis prodidit: « De illo [Iosepho] tamquam de viro adhuc in vivis degente, artemque suam exercente locuti videntur Iudaei, Ioan. VI. 42: Non hic est filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem? Et Matth. XIII, 55: Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas: et sorores eius apud nos sunt? »

1262. Num vero deinceps etiam superfuerit, adeo ut etiam tum viveret, cum Christus in cruce pro salute nostra mortem saevissimam sustulit, rursus quaeritur. Idem ille P. Serry quem modo allegavi, haec adiicit: « Imo non desunt Ecclesiae Patres, qui Iosephum Christo moriente, adhuc fuisse putent, Christumque nihilominus Virginem matrem Ioanni, non Iosepho, licet superstiti, commendasse, ut ea ratione palam significaret, nullum Mariam inter et Iosephum carnale commercium accessisse. Ita D. Chrysostomus, hom. 5 in Matth.; S. Ambrosius, lib. de inst. virg., cap. 6, epist. 5, lib. I; lib. II in Lucam, ad cap. I, et lib. X, ad cap. XXIII; S. Augustinus, serm. 81. De tempore; auctor Serm., De passione Domini, apud D. Cyprianum ».

Digitized by Google

1263. Plerique tamen paulo ante Christi praedicationem, Iosephum obiisse censent. Illius scilicet opera tunc minime egebat Christus: iamque conveniens esse videbatur, ut sanctissimam mortem oppetens, virtutum suarum ac sedulitatis fructum referret. En quid nos docet praestans theologus Suarez: « Quamvis verisimile sit, ut supra dicebam, ante tricesimum aetatis Christi annum fuisse vita functum, non tamen existimo statim post duodecimum annum obiisse. Dum enim Lucas, cap. II, ait descendisse Christum post duodecimum aetatis suae annum cum parentibus suis in Nazareth, et fuisse subditum illis, satis significat aliquot annis cum utroque vixisse, et non est incredibile vixisse Ioseph fere usque ad annos praedicationis Christi, ut illum simul cum Virgine suis laboribus sustentaret. Nullum ergo ex hac coniectura, pro contraria sententia sumi potes argumentum, praesertim cum tam in minori, quam in grandiori aetate homines mori contingat ». Consule etiam quae tradit Baronius. Quamobrem mirum non est, si evangelistae gesta Christi mundo Evangelium nuntiantis describentes, nullam de Iosepho mentionem faciant.

1264. Revera in Evangelio post verba illa Lucae II, 51, « Et erat subditus illis », nulla prorsus occurrit Iosephi mentio. Et Nazareni Matth. XIII, 55), cum Christi sapientiam admirarentur, haec pronuntiarunt: « Nonne hic est faber filius Mariae, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudae, et Simonis? Nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? » Cur autem, et Mariae, et Iacobi, et Iosephi, et Iudae, et Simonis, manifestato eorum nomine, mentionem faciunt, qui Iosephi tamen Mariae Sponsi ne nomen quidem indicant, nisi quia apud eos hi vivebant, ideoque notissima erant oppidanis illorum nomina; desierat autem Iosephus vivere, ideoque non admodum notum illius erat nomen: quam ob causam illud reticuere? Affine superiori argumentum eruitur ex iis Lucae verbis VIII, 20: « Mater tua, et fratres tui stant foris »; minime commemorato patre.

1265. Novi equidem his, et aliis huius generis argumenti solutionem minime ineptam adhiberi, in eo positam, quod Iosephus manum labore occupatus abesset nonnihil a Christo, ideoque illius praedicationi minime interesset. At novi etiam potuisse illum sequi Christum, nuptiis Canae Galileae interesse, et interdum saltem illius adesse praedicationi: in ipso enim itinere, labore suo victum sibi poterat comparare: quod saepe fieri videmus ab iis, qui eamdem artem profitentur, quam profitebatur Ioseph. Coniectura tamen, qua innitimur, valde probabilis est, et ea utitur Ioannes Thessalonicensis, ut obtendat « Iosephum iam tum diem obiisse, cum Dominus triginta annorum factus praedicare coepit ».

1266. Id si admiseris, statim nosces, cur morienti Christo non adfuerit Ioseph, ideoque cur idem Christus in cruce positus Matrem Ioanni commendaverit. An morienti Christo interesse ille poterat, an illi commendari Maria, si iam obierat? Sane, si in vivis adhuc [quod nonnulli suspicantur] degebat, et ideo morienti Christo non adfuit, quod aetate et laboribus fractus Nazarethi se in parvula aede continebat, non minus Mariam, quam Iosephum Ioanni commendasset: indiguisset enim maxime aliena ope, si tam miseram, uti nonnulli sibi persuadent, egisset vitam. Nullam tamen illius Christus, etsi piissimus, mentionem fecit.

1267. At quid reponis, inquies, iis Patribus, quos clariss. Serry allegavit? Repono: Chrysostomum procul dubio minime ab eorum esse sententia, qui Christo superstitem Iosephum describunt; neque enim, si fuisset id arbitratus, haec aliquando [commentariis scilicet illustrans locum Actorum I, 14: « Et erant unanimiter perseverantes in oratione] » dixisset: « Viden' quam vigiles essent in oratione perseverantes, idque unanimiter, quasi uno eodemque animo? Haec duo de illis testificatur, Ioseph fortasse mortuus erat: non enim fratribus credentibus, ipse non credidisset, qui ante omnes crediderat. » Quibus quidem postremis verbis haud obscure indicat probabile esse illud argumentorum genus, quod ab evangelistarum silentio desumpsimus.

1268. Ceterum in ea quae allegata est homilia, quinta scilicet in Matthaeum, hoc tantum docet, Christum propterea Ioanni Mariam commendasse, quod nullos se mortuo haberet filios ex ea sumptos, qui illam alerent. At tum praestantissima haec ratio est, si iam mortem Iosephus obierat; valde infirma, si adhuc in vivis degeret: potuisset enim ali a Iosepho Maria, tametsi filiis destituta. Sed verba ipsa Chrysostomi afferamus oportet: « Intelligendum relinquit... virum iustum, eam, quae sic mater effecta, ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse: nam si cognovisset eam, et uxoris loco habuisset, quomodo illam, quasi nullum habentem virum, discipulo commendasset, iubens eam in sua accipere? Quo pacto ergo, inquies, Iacobus, et alii, eius fratres appellantur? Quemadmodum et Ioseph vir Mariae esse existimabatur ».

1269. Eadem, me quidem iudice, mens est Ambrosii num. 47, alias cap. 7 [non 6, uti locum hunc allegat P. Serry, et revera diligentissimus Tillemont caput 7 allegat]; haec enim tradit: « Dignum quippe erat, ut

Digitized by Google

qui latroni veniam donabat (Luc. XXIII, 43), Matrem dubio pudoris absolveret: dicit enim ad Matrem; « Mulier, ecce filius tuus: » dicit et ad discipulum: « Ecce mater tua » (Ioan. XIX, 26, 27 : ipse est discipulus, cui Mater commendatur. Quomodo marito uxorem tolleret, si fuerat Maria mista coniugio, aut usum thori maritalis agnoverat? Claudite ora, impii, audite quid Christus loquatur. Testatur de cruce Dominus Iesus, et paulisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relinquat... Legatur Matri pudoris defensio, » etc Eadem quoque docet, cum commentariis illustrat vers. 26, cap. I Lucae: « Eodem autem tempore missus est angelus Gabriel, » etc. [Quae verba posita habes num. 4, lib. II Comment. in Lucam, edit. S. Maur. Simillima num. 133, lib. X in Lucam; sed haec mortuum potius indicant, quam adhuc viventem Iosephum.

1270. Ea porro Ambrosii epistola, quam citat P. Serry, illam esse puto, quae in editione Patrum S. Mauri LXIII locum obtinet in classe I. Etenim num. 109, in ea epistola haec exstant: « Ecce, inquit, filius tuus... Ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, et inter Matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus, non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, et hoc eius testamentum signabat Ioannes dignus tanto testatore testis ». Sed revera in his verbis nihil est, quod tum viventem Iosephum indicet, cum haec protulit Christus. Et revera Tillemont, dum ea Ambrosii loca allegat, in quibus innuere videtur sanctus doctor nondum tum obiisse Iosephum, epistolas omnino praeterit. Vide paginam 79, tomi I Histor. eccles.

1271. Quae de Iosepho et Ioanne apostolo tradit auctor Sermonis « De passione Domini » inter Opera Sancti Cypriani, paucos obtinuere suffragatores; digniorem enim ait fuisse Ioannem, cui Maria traderetur: quandoquidem dignissimum fuisse aiunt omnes et dignum Virgine coniugem Iosephum. Ceterum eadem videtur fuisse illi proposita meta, ac propositam Ambrosio diximus, ut scilicet nullos ostenderet habuisse filios ex Iosepho Mariam. Utcunque sit, ecce ipsa huiusce scriptoris verba, quibus alloquitur Christum: « Obsequium Virginis virgini discipulo tradis: ut iam non Ioseph tanti mysterii honoraretur praepositura, sed Ioannes; quia iam exigebat ratio, ut coniugii removeretur opinio: nec ultra pater Christi aestimaretur, qui eatenus vicem patris et coniugis tenuerat. Habebat Ioseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum: sed quia in Spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus et Ioseph aequanimiter sibi eum in hoc servitio praeponi, quem digniorem se iudicabat: et ideo maxime, quia Magistri electio sic negotium ordinabat ».

1272. Ex scriptoribus, quos allegat P. Serry, superest adhuc auctor serm. 81 inter Augustinianos: quem quidem sermonem reiecerunt PP. S. Mauri in Appendicem, ideoque inter suppositos Augustino. In Appendice porro locum obtinet XIII, et Caesario tribuitur, qui ex Ambrosii, libro De Ioseph, cap. 2 et 3, ipsos eosdem plerumque sensus, et eadem interdum verba retulit. Porro num. 4 in eo sermone haec exstant: « Vidit etiam [Ioseph Iacobi filius] aliud somnium, quod sol, et luna et undecim stellae adorarent eum (Gen. XXXVII, 9)... Hoc in illo Ioseph impleri non potuit, in nostro autem Ioseph, id est Domino Iesu Christo, somni illius sacramenta completa sunt; sol enim, et luna, et undecim stellae eum adoraverunt, quando post resurrectionem sancta Maria, quasi luna, et beatus Ioseph, veluti sol cum undecim stellis, id est beatis apostolis, incurvati et prostrati sunt ante eum: et impleta est prophetia, quae dixerat: « Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellae et lumen » (Psal. CXLVIII, 3).

1273. Nos porro monent PP. S. Mauri in adnotatione ad haec verba, ab Ambrosio, lib. De Ioseph, cap. 2, id fuisse verbis his explicatum: « Quis est ille, quem parentes, et fratres adoraverunt super terram, nisi Christus Iesus, quando eum Maria et Ioseph cum discipulis adoraverunt, Deum verum esse in illo corpore confitentes? De quo Sole dictum est: « Laudate eum, Sol, et Luna, etc. » Sed procul dubio haec Ambrosii verba nos minime cogunt, ut dicamus post resurrectionem id evenisse, neque etiam cogunt, ut dicamus eodem tempore et loco fuisse adoratum ab his, quos recenset Ambrosius: nempe Maria, Iosepho, et apostolis [neque enim novimus Mariam simul cum apostolis Iesum adorasse]: sed satis est, ut aliquando ab his et tempore, et loco dissitis, fuerit adoratus. An non Ioseph a mortuis excitatus Iesum mortis victorem adoravit?

1274. Monent quoque perperam ab huius sermonis auctoritate illusum fuisse Baronium [ad annum Christi 12], ut putaret eorum numero accensendum esse Augustinum, qui Iosephum Christi resurrectioni superstitem arbitrati sunt. Etenim, quod iam diximus, Caesario, non Augustino debemus sermonem hunc.

Digitized by Google

1275. **Hymnus XVIII.**
Iosephi munera ab aeterno praeparantur.

Festa nutritoris Iesu
Colant fideles servuli,
Qui humano pavit esu
Nutritorem saeculi.

2. Hic parituraе Virgini
Digne virgo coniugatur,
Et sic coelesti daemoni
Partus tunc occultatur.

3. Illibatus habitavit
Desponsatus cum Virgine,
Quam divina foecundavit
Gratia sine semine.

4. Ab aeterno praeparatur
Insignis Ioseph nomine,
Venerari quem dignatur
Christus natus ex Virgine.

5. Natum Virginis intactae
Virgo vir Ioseph aluit,
Grandiusculus a lacte
Quando cibari voluit.

6. Gloria summo parenti,
Laus eius Unigenito,
Et ab illis Procedenti
Par honor sit Paraclito.

(Brev. diversa saec. 15 et 16).

1276. **Memento.** — Universalis igitur Ecclesiae Pastoris Pii Papae IX vestigiis inhaerentes, qui pluries ad beatissimi Ioseph pedes universum fidelium gregem convocavit, rectoribus animarum valde commendamus, ut devotionem erga ipsum omni, qua possunt, ope promoveant, tum pios coetus in eius honorem instituendo, tum ad ipsius festa ceteraque erga ipsum officia omnes incitando. Sive in virtutibus exemplum, sive in necessitatibus adiutorium quaeratur, omnibus clamare non dubitent: *Ite ad Ioseph.*

Denique ad testandum nostrae provintiae erga Sanctum Patriarcham devotam mentem, et ad excitandum magis ac magis erga ipsum omnium amorem et fiduciam, illum supplices invocamus:

O beatissime Ioseph, tibi gratulamur et congaudemus, quod tali donatus sis honore et felicitate, quem Deus eligeret tamquam Mariae sponsum et Iesu nutritium ac custodem. Te cuiuslibet status peculiarem patronum agnoscimus ac reveremur. Impetra sacerdotibus ut puris manibus et mundo corde ad altare ministrent, et quem portare meruisti digne contrectare valeant. Impetra pastoribus ut commissum sibi populum fideliter in via Domini pascant et regant. Impetra religiosis utriusque sexus familiis, ut domus instar Nazarethanae coenobia sua componant, in qua relucebant paupertas, castitas et obedientia. Impetra coniugibus ut quae sui sunt muneris sancte ac religiose adimpleant. Impetra denique omnibus ut, post aerumnosos huius vitae dies, et ipsi inter brachia Iesu et Mariae spiritum Creatori suo reddentes, ad aeternae salutis portum tandem feliciter perveniant. Amen. (Conc. Prov. Burdigalen. ann. 1868).

XIX. — Sermo Ioan. Chrysost. Trombelli.

DE S. IOSEPH VIRTUTIBUS ET SANCTITATE: DEQUE CULTU ILLI ADHIBITO.

Mariae SS. vita et gesta diss. X, quaestio VI.

CAP. I. — Iosephi virtutes et sanctitatem exponere incipimus.

Multa de Iosephi sanctitate tradunt Patres, illosque subsecuti theologi, illam primo eruentes ex iis Evangelii verbis (Matth. I, 19: « Ioseph autem, cum esset iustus, et nollet eam traducere ». Etenim vox « iustus » si stricte et rigorose sumitur, omnium virtutum complexionem significat. Cum autem nihil vetet, ne stricte et rigorose hic eam sumamus, nihil vetabit etiam, ne virtutes omnes a Iosepho possessas dicamus.

1278. Maior [inquiunt] Chrysostomo viro eximio et probatissimo Scripturarum interprete innititur. Sic enim locum hunc interpretatur: « Iustum hic omni virtute praeditum dicit: ad iustitiam enim pertinet non esse avarum, estque iustitia omnis virtus: et hoc maxime sensu Scriptura iustitiae voce utitur, ut quando dicit: Homo iustus verax (Iob. I, 1. Et rursum: Erant ambo iusti Luc. I, 6 ».

1279. Quem quidem Graecum Chrysostomi locum expressius in rem nostram explicat vetustus Chrysostomi interpres Anianus, ad hunc scilicet modum: « Iustum hic in omni virtute dicit esse perfectum: est enim iustitia specialis quaedam, et ex parte iustitia, avaritiae vitio non teneri: est vero iustitia altera generalis, quae ex cunctis omnino perficitur: iuxta quem praecipue modum Scriptura solet appellare iustum: ut cum dicit: Homo iustus verax. Et rursus: Erant iusti ambo in conspectu Dei ».

1280. Approbat hanc interpretationem egregius Maldonatus his verbis: « Respondeo Ioseph vocari iustum, non quod iustitia una ex quatuor virtutibus moralibus praeditus esset, sed quod omni virtutum genere cumulatus, ut Chrysostomus adnotavit ».

1281. Neque eam displicuisse Calmeto, haec quae scriptis prodidit, aperte declarant: « Vulgo apud Patres est hic iustus vir probus, Deo carus, laudibusque omnibus viri honestissimi praeditus. Tres illae vocis significationes commode in unum colligi possunt, ut in Iosepho coaluisse censeantur omnia, quae nomine iusti menti offeruntur, sive hanc vocem de iustitia proprie dicta, sive de clementia, sive de absolutissima sanctimonia usurpemus ». Quibus

Digitized by Google

verbis ea summatim colligit, quae probabiles theologi de absoluta Iosephi iustitia tradunt, quaeque conveniunt cum iis, quae idem Calmet antea tradiderat.

1282. En illa: « Quid hoc loco significet Iusti appellatio, disputant interpretes Nonnulli enim de iustitia proprie dicta explicant, qua quis suum unicuique ius reddit, ac Dei sanctiones religiosissime servat. Cum Sponsam cerneret Iosephus uterum gerere, nefas sibi esse duxit, ulterius cum illa versari, ex ea Scripturae lege: Qui tenet adulteram, stultus est et impius. Quamobrem illam vel relinquere, vel dimittere meditabatur. Cum vero incertum esset, stuprum sponte passa fuisset, necne, illam neque probro obnoxiam esse voluit, neque legum severitati, quae adulteram lapidibus damnabant (Levit. XX, 10). Qua in re sanctissimas iustitiae leges secutus est. Iudicium non protulit ultra id quod noverat. Gravis Mariae uterus certum procul dubio argumentum erat, satisque causae, ut illam relinqueret: at neque certum erat illam adulterii ream esse, aut morte dignam.

1283. Alii nomen Iusti usurpant pro leni, miti, benigno. Norat utique Iosephus, licere sibi per legem, sed non cogi ream adulterii uxorem punire: utendum sibi clementia ducens, maluit recipere se ab illa, vel repudio eam abdicare, quam palam traducere, et probrosae morti exponere. Plane constat, in Veteri Novoque Testamento, nomen Iusti perinde esse ac misericordis, sicut et iustitiam pro misericordia accipi. Ut ex. gr. Psal. L, 16: Libera me de sanguinibus .. et exsultabit lingua mea iustitiam tuam. Et Psal. CXLII, 1: Exaudi me in tua iustitia. Ecclesiastes VII, 17: Noli esse iustus multum; id est, iuxta Hebraeos, noli in clementia esse nimius, ut Saul in Agagum regem Amalecitarum (I Reg. XV, 22-23). Apostolus, Rom. III, 25, de Christo: Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguinem ipsius, ad ostensionem iustitiae suae. Et alibi: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi. S. Ioannes (I Ioan. II, 1): Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, id est, misericordem. Nihil igitur prohibet, quin hanc interpretationem textui aptemus ».

1284. Quod si alteram interpretationem amplecteris, eorum scilicet, qui docent, ideo voluisse a Mariae contubernio secedere Iosephum, quia se putabat indignum ea sponsa, quam eam esse compererat quam praedixerat Isaias notissimis iis verbis (VII, 14): « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: et vocabitur nomen eius Emmanuel » ideoque Messiae Matrem; tum eximiae humilitatis exemplum praebuisse Iosephum dices: exi-mia enim humilitas in eo eminet, qui licet a Deo electus, ut Sponsus esset Matris divini Verbi, eo tamen munere se iudicavit indignum.

1285. Sed alterius sane praeclarissimae virtutis, obedientiae scilicet exemplum prodidit, cum statim angelo obsecutus est, et de Virginis Sponsae integritate minime dubitans, eam accepit. (Matt. I, 20-24).

1286. Aliud etiam deinceps obedientiae suae, fidei et patientiae expressissimum prodidit argumentum, cum ab angelo monitus, ut statim a somno exsurgeret, et Puerum sibi commissum, illiusque Matrem in Ægyptum deduceret, ibique regressionis mandata exspectaret (imminebat enim puero mors, quam crudelitas et suspicio nequissimi Herodis meditabatur: et procul dubio intulisset, nisi in tutissimum locum fuisset deductus Puer, illiusque Mater, illico paruit, et ea ipsa nocte Puerum et Matrem incolumes in Ægyptum deduxit.

1287. Commendat ea de causa plurimum Iosephum Chrysostomus, cuius verba Latinitate donata referre hic libet: « His auditis, Ioseph non est offensus, neque dixit: Ænigma est hoc: tu nuper dicebas: Salvum faciet populum suum: nunc autem nec seipsum potest servare; sed fuga nobis est opus, et peregrinatione, ac longinqua transmigratione? Contraria sunt haec promissioni tuae. Sed nihil huiusmodi dixit: fidelis enim vir erat, nec reversionis tempus inquirit, etiamsi angelus indefinite locutus esset: nam ait: Esto ibi usque dum dicam tibi: verum ille non ideo segnior factus est, sed paret et obtemperat, tentationesque omnes cum gaudio tolerat ».

1288. Non absimile obedientiae argumentum praebuit, cum ab angelo de morte Herodis, adeoque eorum omnium qui Christi necem moliti fuerant, monitus, iussusque in terram Israel regredi, statim ab Ægypto reversus est, Iesumque et Mariam Sanctissimam in terram Israel reduxit. Quid expressius his verbis? « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, et matrem eius, et venit in terram Israel » (Matth. II, 19-21).

1289. Eximium autem in Puerum et Mariam amorem, summam quoque prudentiam prodidit, cum (Ibid. 22, 23) « audiens quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire ». Quam ob causam « admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae, et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth ».

Digitized by Google

1290. Religionem summam et pietatem in Deum detegunt alii in proposito, quod habuit, figendi sedem suam in Iudaea, et fortasse in Ierusalem, utpote loco templo proximo, et fovendae pietati idoneo, ideoque relinquendi patrias sedes, consanguineos, et ea commoda, quae pauperibus etiam praebet patria. Atque id quidem exsecutioni mandasset, nisi a proposito suo removisset prava indoles Archelai, qui procul dubio Iesu et Virgini Matri necem inferre studuisset, si eos esse suspicatus fuisset, quos ex Oriente advenientes requisierant Magi.

1291. Alias virtutes, castitatem in primis, in Iosepho commendant Patres; sed hos recensere praetereo, quod deinceps, cum de muneribus Iosepho impositis agam, eos sim allaturus: illud certe constat, doctorum nostrorum sententia, eximias fuisse Iosephi virtutes, utpote illius qui nominis sui etymologiae respondens earum exercitatione atque usu plurimum profecit: « Coniice, inquit Bernardus, quis, et qualis homo fuerit iste Ioseph, et proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari ».

1292. Copiosius id exsequitur Adamus Praemostratens., cuius propterea monita hic referre operae pretium reor. En illa: « Quis putas iste est Ioseph? Fortassis animus est sincerus et purus: multis modis iuxta interpretationem huius nominis, quod est Ioseph, spiritualium virtutum augmentis ditatus ». Tum in sensu allegorico haec subiicit: « Nonne tibi videtur ad istud, iuxta hunc sensum, suspirare nomen, qui Patrem illum luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum descendit (Iac. I, 17), alloquitur, dicens: Multiplicabis in anima mea virtutem (Psal. CXXXVIII, 2)? Hic est, cui coniuncta Maria filium parit, cuius nomen est Iesus: pro eo quod superna sapientia [haec est enim Maria] fideli et devoto animo per internam inspirationem fructum confert salutis. Quis enim diffitetur sapientiam supernam sincero animo fructum salutis, sive intus in affectu purae dilectionis, sive exterius in effectu strenuae actionis administrantem, Mariam esse, Puerum Iesum (Luc. I, 27) Ioseph parientem? Ipsa pro sapore meo, ipsa, inquam, est Virgo incorrupta, et Mater fecunda desponsata viro, cui nomen est Ioseph, et nomen Virginis, Maria ».

1293. Solet porro Deus provectiorem virtutem, ac sanctitatem experimento comprobare, ita tamen, ut consolationes nonnullas intermisceat. Quid mirum itaque, si de eximia Iosephi sanctitate, nec leve, nec raro periculum Deus sumpserit, ita tamen, ut consolationes deinceps adiecerit veluti praemia exploratae Iosephi sanctitatis et virtutis. Id quod dixi, exhibere liceat ipsismet, quibus id proponit Chrysostomus, verbis, sed Latinitate donatis. Etenim post verba, quibus monet Iosepho in somnis locutum angelum: « Surge, accipe puerum et Matrem eius, et fuge in Ægyptum: futurum est enim, ut Herodes quaerat animam pueri », haec subiicit: « His auditis, Ioseph non est offensus: neque dixit: Ænigma est hoc: tu nuper dicebas: Salvum faciet populum suum: nunc autem, nec seipsum potest servare; sed fuga nobis est opus, et peregrinatione, ac longinqua transmigratione? contraria sunt haec promissioni tuae. Sed nihil huiusmodi dixit; fidelis enim vir erat, neque reversionis tempus inquirit, etiamsi angelus indefinite locutus esset, nam ait: Esto ibi, usquedum dicam tibi. Verum ille non ideo segnior factus est, sed paret et obtemperat, tentationesque omnes cum gaudio tolerat. Enimvero benignus Deus his laboribus dulcia miscuit: id quod etiam in sanctis omnibus observat: neque pericula, neque quietem continuam praestat; sed et his et illis permixtim positis, vitam iustorum ordinat: id quod etiam hic fecit: idque perpendas, velim Videt ille Virginem utero gestantem: ea de re turbatur, et admodum anxius est: adulteram enim puellam esse suspicabatur; sed statim adstitit angelus, qui suspicionem solveret ac metum eliminaret. Cum vidit natum Puerum gaudio magno perfusus est: rursumque gaudium huiusmodi periculum non parvum excipit. civitate perturbata, ac rege furente, Puerumque perquirente. At perturbationem illam aliud gaudium excipit: stella nempe, et Magorum adoratio. Rursus vero post hanc laetitiam, timor ac periculum: Quaerit enim, inquit, Herodes animam Pueri: iterum angelus significat ipsi, fugiendum et transmigrandum esse humano more; nondum enim miracula edere oportebat ».

CAPUT II. – Idem argumentum prosequimur, virtutesque alias, ac Iosepho imposita munera exponimus.

1294. Sed virtutibus eximie ornatum produnt munera Iosepho imposita, eaque ex Evangelio desumunt Patres, quorum monitis (nisi ego fallor) edocemur, ad subsequentia revocari ea posse: Custos et adiutor Virginis Mariae: custos, altor, et adiutor Domini Iesu, cooperator mysterii [1]) ineffabilis Incar-

(1) « Non est dubium, quin bonus, et fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris: fidelis, inquam, servus et prudens, quem

Digitized by Google

nationis : ex quibus, ut Bernardi verbis utar, consequitur « appellatio, qua licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei, et dictus, et creditus sit ».

1295. Summatim haec complector. Quod ad primum attinet ; Bernardus, quem nuper allegavi, comparationem instituens inter veterem Iosephum Iacobi filium et nobilem patriarcham, et Iosephum Deiparae coniugem, haec ait : « Iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri : iste Dominam suam Domini sui Matrem Virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit ». Quae quidem verba non ita accipias volo, ut tantummodo intactam reliquerit, verum etiam ut custodierit, ut in itineribus illi comes adhaeserit, a periculis, quae se in via crebro offerunt, servarit incolumem, laboribus suis aluerit, illius etiam famam a suspicionibus vindicarit, cunctaque praestiterit fidelis custodis munia : adeo ut rectissime monuerit Bernardus, fuisse eum a Domino « constitutum suae Matris solatium ».

1296. An vero negabis fuisse eum pariter constitutum custodem, altorem, et adiutorem Domini Iesu, seu, ut locutione crebro laudati Bernardi utar, « suae carnis nutritium », postquam adverteris laboribus suis, tenui quoque patrimonio suo eum aluisse plerique enim patrimonium aliquod, tametsi non valde amplum illi tribuunt) : atque id fortasse edocemur ab itinere ad Bethleemis oppidum susceptum, ut ibi profiteretur cum uxore sua : id est, ut hi quidem interpretantur, fundos, quicunque ii forent, aut suos, aut coniugis, coram praeside, aut alio statuto a praeside renuntiaret? Generatim Bernardus : « Cui [Iosepho] denique datum est quod multi reges, et prophetae, cum vellent videre, non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre, et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire ».

1297. Cooperatorem quoque ineffabilis mysterii Incarnationis affirmat Ecclesia, et nobis declarant ea quae evangelistae de eo narrant. Primo enim cum desponsatus Mariae fuerit, Virgineum conceptum, ideoque ipsissimum Incarnationis mysterium, angelo docente, novit, et connubii velamine contexit iis quibus absconsum volebat Deus, iis praesertim qui veluti adulteram detulissent, si Sponso minime iunctae tumentem ventrem detexissent. Alia etiam commoda ex eo connubio provenere, quae cum iam descripserim, hic ab eis referendis supersedeo. Haec tantum ex Bernardo describo : « Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione : quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum : cui tamquam alteri David incerta, et occulta sapientiae suae manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum huius saeculi agnovit ».

1298. Ex his vero Iosepho impositis muneribus, quibus ipse egregie satisfecit, ex eo etiam quod ex Maria coniuge sua, Spiritus Sancti opera, ortus fuerat Dominus Iesus, « pater » Iesu, non a vulgo tantum, sed a Maria ipsa appellatus est : qui quidem titulus adeo Iosephum supra sanctos reliquos extulit, ut « adiutorium Mariae simile » a Deo praeparatum, eumque uberrima gratia, donisque amplissimis dignitati suae ac muneri congruentibus didatum, dicerent doctores nostri.

CAP. III. — Nam sicut virtutibus, quas superiori capite exhibuimus, ita etiam virginitate praestiterit Ioseph : utriusque sententiae negantis scilicet et affirmantis, argumenta proferimus.

1299. Iosephi virtutes, quas aut recenset, aut certe indicat Evangelium, enumeravimus hactenus. At adhuc quaeritur, num virginitate praestiterit etiam Ioseph. Atque de ea quidem re Scriptura reticet. Video porro dissentientes hoc in argumento Patres, interpretes et theologos.

1300. Non pauci filios Iosepho tribuunt ; quod si admittimus, virginitate praestitisse denegabimus. In apocrypho Iacobi Protoevangelio haec legimus : « Ultimam autem virgam accepit Ioseph, et ecce columba exiit de virga et volavit in caput Ioseph. Dixit Sacerdos (summus) Iosepho : Tu es sorte divina electus, ut accipias Virginem Domini in custodiam apud te. Et contradixit Ioseph dicens : Filios habeo, et sum senex ; ipsa autem est iuvencula : unde timeo ne forte ridiculus fiam filiis Israel ».

1301. Venio ad Patres. Haec de iis tradit Theophilus Raynaudus. « Eam interpretationem de fratribus Domini, Iosephi filiis ex anteriore matrimonio, habet creditus Ambrosius in cap. 1 ad Gal., fere in fine. Nec reiicitur a vero Ambrosio lib. De instit.

---

constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem sibi fidissimum ». Bernard. hom. 2. ad Evang. verba Missus est, num. 16.

Digitized by Google

Virg., cap. 6, diserteque asseritur a plerisque Patribus, quos non satis commode explicat Vossius ad orat. 3, Gregorii Neocaesar., de Annuntiatione, dicens id esse assumentum haereticorum ad scripta Patrum ».

1302. Ut aliquos afferamus, Iosepho filios tribuit non modo scriptor ille, cui tribuimus orationes Gregorio Neocaesariensi adscriptas, verum etiam Eusebius Caesariensis, docens Iacobum Iustum Hierosolymitanum episcopum, « fratrem Domini » appellatum, fuisse Iosephi filium, ex alia scilicet coniuge ducta, antequam Mariam sponsam duceret.

1303. Tribuunt quoque Epiphanius, Hippolytus Thebanus, Sophronius et Theophylactus, haec expressissime tradens : « Fratres habuit Dominus, et sorores, Iosephi filios, quos genuit ex uxore fratris sui Cleophae : mortuo enim absque liberis Cleopha, Ioseph, iuxta legem, uxorem eius accepit, et pueros procreavit sex ». Hoc ipsum alibi inculcat ; imo adiicit, « Matrem Christi, filiorum Iosephi fuisse novercam ».

1304. Ab eadem sententia stat Euthymius: commentariis scilicet illustrans XII Matthaei caput, Iosephum affirmat habuisse filios et filias. Ab Œcumenio porro discimus, filios Ioseph dubitasse de Christo, de quo nunquam Ioseph illorum pater dubitaverat.

1305. Hos omnes praeivit Origenes: etenim cum in tomis super Matthaeum haec Matthaei verba explicaret: « Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simeon, et Iudas? » etc., eam, quam dicimus opinionem, censentem scilicet Iosephum, antequam Virginem susciperet coniugem, filios habuisse, iudicat ex Evangelio cui titulus est, « iuxta Petrum », aut ex Evangelio quod « Iacobi » dicitur, fuisse profectam, adiicitque sibi mirum in modum eam placere: quia et rationi sit consentaneum virilis virginitatis primitias fuisse Iesum, muliebris vero Mariam : nec plausibile sit, aliis virginitatis primitias ascribere.

1306. Mirum itaque non est, si Graecae Ecclesiae sensa veluti exhibens haec habeat Basilii Menologium: « Sanctus Iacobus primus Hierosolymorum episcopus... Cui autem Dei frater dicatur, hic fertur ex traditione sermo. Cum Ioseph sponsus terras suas ex priori coniuge filiis divideret, velletque partem sanctae Virginis Filio et Deo tradere, alii quidem minime assensere; Iacobus vero in suam illum partem cohaeredem accipiens, non modo Dei frater, verum etiam iustus est inde appellatus ».

1307. Cave vero putes haec tantum a Graecis fuisse proposita. Latini quoque Iosephi filios prodidere. Vetustissimus, itemque nobilis Pater Hilarius est: en tamen quid scriptis tradiderit: « Verum homines pravissimi hinc praesumunt opinionis suae auctoritatem, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariae filii fuissent, et non potius Ioseph ex priore coniugio suscepti ».

1308. Vetustissimus quoque, ac pariter nobilis Pater Ambrosius est; idem tamen indicat his verbis: « Potuerunt autem fratres esse ex Ioseph, non ex Maria: quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet ».

1309. His adde, si vis, quae habentur in Comment. Epistolae ad Galatas, quae quidem Commentaria, ne quid dissimulemus, nonnulli quidem Ambrosio tribuunt, alii tamen demunt, et vel Pelagio, vel Hilario Luciferiano, aut aliis non admodum praestantibus auctoribus tribuunt.

1310. His adiice Caietanum, theologorum eximium, et notissimum Scripturarum interpretem: is enim commentariis eamdem Epistolae ad Galatas partem illustrans eadem tradit. Adde coniecturam valde probabilem ex eo desumptam, quod ex traditione provectam Iosephi aetatem, dum Virginem uxorem duxit, assequimur. An ad decrepitam usque aetatem Iosephum caelibem vixisse vis, adversante Hebraeorum consuetudine, et fortasse etiam lege ipsa?

1311. Audivimus hactenus, quae ex Patrum auctoritate ac traditione desumunt, qui Iosephum, uti caeteris virtutibus, virginitate tamen praestantem fuisse negant. Audiamus nunc eos, qui hanc quoque virtutem Iosepho tribuunt. Haec habet Hieronymus Helvidium redarguens: « Tu dicis Mariam, virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex Virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus; relinquitur, eum virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari ».

1312. Eamdem sententiam inculcat, et approbat in Commentariis in Matthaeum, quae tametsi alibi allegaverimus, hic recolere non abs re est: « Quidam, inquit, fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam Melcham, vel Escham mulierculam confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus materterae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi minoris, et Ioseph, et Iudae: quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus

Digitized by Google

appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat ».

1313. Eidem opinioni, seu, si vis, persuasioni adhaesisse Augustinum censet Sixtus Senensis, dum eum ad hunc modum allegat: « Augustinus, serm. 14 in Nativit. Christi, Iosepho privilegium virginitatis ascribit his verbis: « Habe ergo, o Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate servata: sis autem et tu pater Christi cura castitatis, et honorificentia virginitatis... Gaude itaque, Ioseph..., quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ». Eumdem sermonem Augustino pariter tributum allegat Baronius.

1314. At dum in editione PP. S. Mauri sermonem hunc quaesivi, reperi eumdem esse, qui alias inscribitur in vetustissimis editionibus 17 De tempore, in aliis 18 de Sanctis: estque in Appendice 195 ad hunc modum inscriptus: « De annuntiatione Dominica 3: hocque de eo iudicium adiicitur: « Hominis est ineruditi, iudicio Lovaniensium. In codicibus admodum vetustis invenitur: unus ex illis, Corbeiensis, Ambrosium, ceteri fere Augustinum auctorem, sed immerito designant ».

1315. Scriptorem itaque valde vetustum allegamus, dum eum sermonem proferimus, qui in codicibus admodum vetustis exstat, at Augustinum non allegamus, sed scriptorem, qui ab Augustini praestantia abest. Idem dic, si proferimus serm. 18 De tempore, in Appendice 195, qui in editione Erasmi sic se habet: « Mariae Virginis uterum, Sponsi Virginis clausum; » legunt enim PP. S. Mauri « Sponsae Virginis », et monent sermonem istum tribui debere scriptori valde ab Augustini aetate et praestantia remoto.

1316. Augustinum ipsum porro proferimus, si sermonem illum, qui sub tit. De diversis 53 est, ad eum modum legas, quo legendum proponit clariss. Combefisius, Lovanienses secutus, ad hunc scilicet: « Ille qui proposuerat virginitatem, erat maritus eius, non ablator, sed custos pudoris: imo non custos pudoris, quia Deus custodiebat, sed custos pudoris virginalis maritus fuit, ne de adulterio gravida putaretur ». Discimus nimirum, et his verbis « maritus eius » Iosephum iam proposuisse (id est, et proposito, et reipsa professum fuisse) virginitatem.

1317. At dum eumdem sermonem contuli cum editis a Patribus Benedictinis, inveni ea, quae retulimus verba, in ea editione minime exstare, sed subsequentia: « Illa, quia proposuerat virginitatem, et erat maritus eius, non ablator, sed custos pudoris, etc. » Tum vero nihil obtines, quod in hoc argumento te iuvet. Quaenam vero lectio praestet, iudicaverit lector. Sed certe mihi verbis sensibusque coniunctior ea esse videtur, quam exhibet Combefisius. Et sane veluti seiuncta, neque apte collocata videntur esse ea verba: « Illa, quia proposuerat virginitatem »: neque vero video cur probatissimam lectionem a Lovaniensibus, et Vignerio etiam non temere sane propositam immutaverint PP. S. Mauri, nullamque reddant huiusce mutationis rationem.

1318. At si Augustino fautore etiam careat, non propterea opinio haec Patrum suffragatione destituitur. Adest scilicet Petrus Damiani haec expressissime tradens: « Nunquid ignoras Dei Filium adeo carnis elegisse munditiam, ut nequidem pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit Mater, Ecclesiae fides est, ut virgo fuerit et is, qui simulatus est pater ».

1319. A Baronio aliisque praeclaris viris in eamdem sententiam allegatur Bernardus, propterea, quia haec tradiderit: « Ille [Ioseph Iacobi filius] Domino suo fidem servans dominae noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui Matrem virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit ». At expressiora vellem ad Iosephi virginitatem asserendam Bernardi verba: adhuc enim ea, quae hic tradit, excipimus, si dicamus post anteactum coniugium, caelibem permansisse Iosephum, cum sponsus Virginis foret.

1320. Theodoretum (quem nos capite subsequenti excitabimus) superioribus Patribus iungit Baronius: in margine porro allegat Bedam, Albinum Flaccum, Bernardum (cuius verba modo attulimus), Anselmum, Rupertum: quibus adiicit Gersonem, Lippomanum, et recentiores alios: quibus adductis haec statuit: « Huic sententiae caeteri omnes, qui postea vixerunt, Latinorum orthodoxi scriptores consenserunt: adeo ut Petrus Damiani suorum temporum scriptor nobilissimus dicat magna fiducia, Ecclesiae fidem in eo esse, ut non modo Deipara, verum etiam putativus pater atque nutritius virgo habeatur ».

1321. Patres etiam ad id ipsum testificandum proferunt Toletus, Suarez, Spinellus quoque. Alios porro his adiicere facile possumus, nempe Sixtum Senensem, Baillet, Vincentium Gotti praeclarissimum cardinalem, Honoratum a S. Maria, Sandinum denique, adeo ut, si doctores eidem opinioni faventes attendas, ei adhaerere iure meritoque possis. Egregie praeclarus ille scriptor,

Digitized by Google

qui Bollandi studia consectatus Iosephi gesta descripsit: « Virginem sane vixisse Iosephum, ac mortuum esse, post Hieronymum tota Latinorum sensit Ecclesia. Virginem autem non quomodocunque, sed deliberati animi in vita omnem consequentem proposito, voti religione firmato, fit perquam credibile ex illo tam constanti tot annorum caelibatu ».

1322. Adeo sane sententia haec laudabilis visa est Montacutio in eorum doctorum numero, qui a Romana Ecclesia seiuncti, laudem non modicam apud suos retulerunt, ut, quamvis Baronio infensus esse soleat, Baronii tamen, et reliquorum doctorum nostrorum persuasioni adhaeserit, et eam vindicaverit.

CAP. IV. — Iosephum iugiter virginitatem servasse affirmamus: eamdemque sententiam ab obiectionibus vindicamus.

1323. His vero positis, valde laudabiles eos esse puto, qui toto vitae tempore virginitatem a Iosepho servatam affirmant: id enim nobis persuadet eorum praestantium virorum, quos iam allegavi, aliorumque etiam, quos scholastici saepe allegant, auctoritas. Valde verisimilis coniectura eidem opinioni etiam favet: quam quidem Baronius, Sandinus, aliique praestantes viri adducunt, et haec est: adiutorium, coniugem scilicet simillimum tum fore Virgini Iosephum, si sicut reliquis virtutibus praestabat quarum causa simillimus erat Virgini, etiam virginitate praestitisset: dilexit enim eximie virginitatem Christus Dominus: quod ut significaret, Virginem matrem dilexit, et Ioannem prae caeteris palam se diligere prodidit: quia eum « specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum », eamque ob causam moriens illi Virginem commendavit. An vero, si in caeteris adeo virginitatem dilexit, eam neglexit in Virginis Matris Sponso, et putativo patre suo, ut cum posset virginem eligere, eum elegerit, qui, si apocryphis fidimus, filiorum iam fuerat pater? Nihil minus.

1324. Perspexit huius argumentationis vim Montacutius, quem modo allegavi, et eam his verbis exposuit, quae propterea referre hic libet, ut ex iis constet huiusce sententiae firmitas: « Certe quidem, quantum probabilibus coniecturis agere licet, quomodo non homini virgini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo, ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eamdem iam senescentem, nonnisi virgini commendavit? Quibus illud addo, viduum nequaquam accepturum fuisse Mariam in uxorem: neque enim par, aut conveniens erat, ut aetate iam provectior, et sex liberorum pater, iuvenculam annorum vix quindecim in uxorem duceret. « Pari enim iugo dulcis tractus: » praecipue vir honestus, gravis, compositus moribus, et disciplina, qualis et describitur, et procul dubio erat. Non potuit carere iusta reprehensione τῆς λαγνείας, si iterum, tali statu, et conditione accederet ad connubium: nam quod custos seligebatur a sacerdotibus, non maritus B. Virgini, insulsam arbitror, et a pietate abhorrentem opinionem ».

1325. Addunt nonnulli aliam non contemnendam coniecturam; nescitur scilicet quaenam fuerit ea prior Iosephi uxor, ex qua genuisse tot filios apocryphi tradunt: et quanquam Eschae, aut Melchae cuiusdam nonnulli mentionem faciunt, id tamen a nullo probato auctore proponitur, adeo ut ad deliramenta id reiiciat Hieronymus iam allegatus An vero nullam de eo mentionem fecissent scriptores nostri, si aliquando exstitisset? Recole coniecturam alteram, quam ex praeclaro Bollandi consectatore paulo ante retulimus iis verbis significatam: « Virginem autem non quomodocumque » etc.

1326. Accedit ad haec haud difficilis solutio eorum argumentorum, quibus altera opinio innititur; quod ne temere dixisse videar, eorum solutionem aggredior, eum ipsum ordinem sequens, quo fuere illa proposita.

1327. Ea narratio, quam « Iacobi Proto-Evangelium » falso, licet vetusto titulo, appellare consuevimus, anilibus fabulis tota consuta est: et si sola sit, despicitur prorsus. Perperam itaque ad obtinendam fidem adducitur.

1328. Patrum itaque suffragium, quod iam diximus, adiiciunt. At duo advertamus oportet. Scilicet Patres hac in re secum consentientes minime esse: alterum, quaestionem, de qua disserimus, ex earum esse genere, quas « criticas » nonnulli, « problematicas » alii appellant, quaeque neque mores, nec fidem respiciunt: ex quibus quidem consequitur, licere nobis, quam volumus, partem sequi. Ad haec: videntur Patres, quos obiecerunt, haec tradidisse, ut se a gentilium, et haereticorum Mariae virginitatem oppugnantium difficultatibus exsolverent: se porro exsolvebant, si hypothesim, quam ab Evangelio ipso indicatam fortasse putavere, et quam certe improbare non poterant gentiles, iique, quos diximus, haeretici, sequerentur.

1329. Ceterum, ex iis, quae cap. 2, quaest. 1, dissert. 8 tradidimus, assequi facile possumus, aliunde dissolvi. Multa tradidit hoc de argumento Hieronymus adversus Helvidium disputans: quorum summa est: « Quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici, natura, gente, cognatione, affectu ».

Digitized by Google

Tum sic prosequitur: « Natura Esau, Iacob, duodecim patriarchae, Andreas et Petrus, Iacobus et Ioannes: gente, qua omnes Iudaei inter se fratres vocantur... Porro cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est patria, quas Latini paternitates interpretantur: cum ex una radice multa generis turba diffunditur, ut in Genesi (XIII, 8 : Dixit autem Abraham ad Lot: Non sit rixa inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, quia homines fratres nos sumus. Ibique: Et elegit sibi Lot regionem Iordanis, et elevavit Lot ab Oriente, et discesserunt unusquisque a fratre suo. Et certe Lot non est frater Abrahae, sed filius fratris eius Aram ».

1330. Alia etiam nec obscura, nec pauca ad id comprobandum exempla Hieronymus adducit, quae, si vis, apud eum consule. Quibus enumeratis adiicit: « Ex affectu fratres dici, qui in duo scinditur, in spiritale, et in commune: in spiritale, quia omnes Christiani fratres vocamur; ut ibi: Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Psal. CXXXII, 1)... Porro in commune, quia omnes ex uno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur: Dicite, ait Isa. LXVI, 5, his qui oderunt vos: Fratres nostri estis ».

1331. Quibus, aliisque etiam, quae idem Hieronymus recenset, exemplis positis, ad hunc modum Helvidium compellat: « Interrogo nunc, iuxta quem modum fratres Domini in Evangelio intelligas appellari. Iuxta naturam? Sed Scriptura non dicit, nec Mariae eos vocans filios, nec Ioseph. Iuxta gentem? Sed absurdum est, ut pauci ex Iudaeis vocati sint fratres, cum omnes, qui ibi erant hac lege Iudaei, fratres potuerint appellari. Iuxta affectum, humani iuris, ac spiritus? Verum si sic, qui magis fratres quam apostoli, quos docebat intrinsecus, quos matres vocabat, et fratres?... Restat igitur, ut iuxta superiorem expositionem fratres eos intelligas appellatos, cognatione, non affectu, non gentis privilegio, non natura: quomodo Lot Abrahae, quomodo Iacob Laban est appellatus frater », etc.

1332. Sed non uno Hieronymo innitimur. Consule rursus eos, quos cap. 3, quaest. 1, dissert. 8, allegavi: quibus haec adde ex Theodoreto: « Vocatur quidem [Iacobus] frater Domini, sed non erat natura, sed nec fuit Ioseph filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophae filius: Domini autem consobrinus. Habuit enim matrem Matris Domini sororem ».

1333. Iam porro ablata ea sunt, quibus potissimum innituntur qui Iosepho filios tribuunt, ideoque ablata est etiam ea probatio, quam ex Patrum auctoritate constituunt; attulere enim, quod iam dixi, explicationem eam Patres, veluti hypothesim ad eludendas gentilium et haereticorum captiosas argumentatiunculas, minime contemnendam. Sed advertas volo, eos ipsos, quos veluti opinionis suae vindices attulere, aliam hypothesim alibi attulisse, et eam ipsam hypothesim, quae Iosepho filios tribuit, fuisse acerrime ab Hieronymo probatissimo doctore, et in critices studiis valde exercitato, exagitatam, repulsamque. Recole, quae ex Commentario in Matthaeum posuimus. Porro auctoritas Hieronymi in hoc quaestionum genere non levi in pretio habenda est, ideoque probabile suffragium adiicit opinioni statuenti Iosephum iugiter vixisse caelibem.

1334. At firmius eadem opinio statuitur, cum theologorum omnium (si Caietanum exceperis, quem propterea Catharinus, aliique reprehendunt) auctoritas apertissime illi faveat. Non id temere a me pronuntiari is affirmabit, qui haec Honorati a Sancta Maria monita expenderit: « Illud etiam accidit aliquando, sententias minus auctoritate firmatas, quam contrariae, ubi tamen ab eis sit traditio, quique Ecclesiae consensus nuncupatur, multo probabiliores haberi iis, quae magno testimoniorum numero stipantur. Exemplo res clara fiet... Unus ferme est ex primorum saeculorum Patribus Hieronymus, qui pro Sancti Iosephi virginitate pugnaverit. Nihilo secius quamquam auctoritas Hieronymi obrui numero, et antiquitate omnium aliorum Patrum videatur, tamen cum isti adhaereat Ecclesiae consensus perpetuo sentientis, Sanctae Virginis sponsum caelibatum coluisse, fit longe probabilior, et tutior antiquorum omnium Patrum sententiis, qui Iosephum, aliam in matrimonio habuisse feminam, antequam ipsi Virgo nuptui traderetur, opinati sunt ». Consulat, obsecro, lector, quae eximius Melchior Canus de hoc consensionis genere statuit.

CAPUT V. — De cultu ab Ecclesia Iosepho Virginis sponso adhibito. Causas diu dilati cultus exponimus.

1335. Miratur Sanctus Bernardinus, propterea quia Ecclesia non ita solemnem iampridem Sancto Iosepho cultum detulerit, ut illius virtutes ac merita videbantur exposcere: « Denique, inquit ille, licet tantae fuerit dignitatis, et gloriae iste Sanctus, quod aeternus Pater eius primatus similitudinem sibi liberalissime super incarnatum Filium condonaverit, tamen Sancta Ecclesia non multum solemnitatem eius ordinavit ».

Digitized by Google

Atque huius quidem consilii ac consuetudinis Ecclesiae duas affert his verbis causas: « Primo quia ad limbum descendit, et ad vetus pertinet Testamentum; secundo, propter vitandum scandalum haereticorum; unde nec nominat eum patrem, nisi cum determinatione: scilicet putativum ».

1336. Quae paucis Sanctus Bernardinus, multo copiosius exposuit Isidorus de Isolanis, nonnulla adiiciens, quae Bernardinus minime attigit.

1337. Non ita tamen aut Sancti Bernardini, aut Isidori de Insulanis verba accipiat lector volo, ut veteris Testamenti sancti neglecti fuerint ab Ecclesia, nullisque sacris honoribus affecti: indubitatum est enim oratoria et basilicas in eorum honorem iamdudum fuisse erecta. Hoc modo Venetiis Sancto Moysi, Sancto Samueli, Sancto Ieremiae, et aliis fortasse veteris Testamenti sanctis nobiles sacras aedes fuisse aedificatas novimus: quae hodieque perstant: et, ne aliena tantum proferam, novit quisque Bononiae antiquissimam esse sacram illam aedem, quae Sancto Isaiae prophetae dicata est; vetusta est quoque illa, quae cum Nosocomio sibi adhaerente Sancti Iobi nomine decorata est; SS. Abraham et Abel invocamus in litaniis, quibus fideles praeparantur ad piam mortem: « S. Abel, ora », etc.; « S. Abraham, ora », etc. Et Sanctos patriarchas ac prophetas invocant litaniae Brixienses saeculi XIII eiusdem saeculi Missali quod nostra servat Bibliotheca) praepositae.

1338. Quin et multa Martyrologia Sanctorum veteris Testamenti memoriam recolunt: cuius quidem rei exempla nonnulla in margine indico. Quod si cultus sanctis adhibiti non leve argumentum praebemus, cum eorum nomen assumimus, a vetustissimis quidem temporibus, Sanctos veteris Testamenti cultos discimus ab Eusebio, narrante scilicet haec: « Eliae, et Ieremiae, atque Isaiae, et Samuelis ac Danielis nomina sibi asciscentes audire erat, et genuinum, ac germanum Israelem, qui proprie est eorum, qui in occulto sunt Iudaei, non solum operibus, sed propriis etiam nominibus exhibentes ». Idem discimus ex Procopio Gazaeo.

1339. Si porro haec non satis sint ad ostendendum, sacro cultu veteris Testamenti Sanctos primis ipsis Ecclesiae saeculis fuisse affectos, consule, obsecro, ea, quae hoc super argumento scriptis tradidit egregius Theophilus Raynaudus, prodidit quoque eruditus P. Iacobus Laderchius, nec contemnas volo, quae de hoc ipso argumento, licet multo brevius, docuit eruditissimus Meratus.

1340. At fac veteris Testamenti Sanctos non fuisse ab Ecclesia multum excultos, eorumque memoriam sacris solemnitatibus minime honestatem fuisse, an propterea Iosephum sacra solemnitate minime decorare debuit Ecclesia? Nihil minus. Ita scilicet ad Testamentum vetus pertinuit Iosephus, ut multo magis ad novum pertinuerit. Illius nempe cum Maria Sanctissima connubium primordia praebuit novo Testamento, quatenus illius occasione manifestari coepit divini Verbi incarnatio (Iosepho scilicet ipsi propter tumidum sponsae ventrem suspicioso, et quid sibi agendum foret ancipiti, et iis sacrosanctum mysterium occultatum, quibus divina Providentia occultandum duxerat. Aluit quoque puerum Iesum, in Ægyptum incolumem deduxit, et ab Ægypto in Iudaeam reduxit, multoque plura illi praestitit, quam Simeon, Ioannes Baptista, et Anna praestiterint, qui tamen ita ad vetus Testamentum pertinent, ut etiam inter novi Foederis sanctos recenseantur, et sacris solemnitatibus honestentur; Baptista vero in primis, cuius conceptio ipsa honorata est, ortus vero eximia solemnitate decoratus, nec mors neglecta ab Ecclesia.

1341. Quamvis ergo hi, cum mortem obierunt, in limbum descenderint, non propterea eorum memoria omissa est. Tametsi ergo Iosephus cum mortem obiit in limbum descenderit, id tamen minime vetuit, ne illius memoria in honore haberetur et pretio: praesertim cum praeclarissimorum virorum iudicio, in limbo non diu perstiterit, sed, resurgente Christo, resurrexerit, et si multos non contemnendos scriptores audis, cum eo in coelos ascenderit [1]. En quid ad priorem

---

[1] Pie quidem credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus Filius Dei pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut suam Sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam: sic etiam in die resurrectionis suae Sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum: ut sicut illa Sancta Familia, scilicet, Christus, Virgo et Ioseph in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc, et corpore, et anima, regnat in coelis, iuxta regulam Apostoli II Cor. 1, 7: " Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis ". Scriptum est enim, Matth. XXVII, 52: " Multa corpora sanctorum surrexerunt, qui dormierant " [id est obierant]; secundum enim Ier. hoc factum fuit, Domino resurgente, quia Dominus fuit " primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae ", ut dicitur Apoc. 1. Hic nihilominus enarratur per anticipationem, ut ostendatur quod virtute, et merito passionis eius hoc exstitit factum. Surrexerunt, inquam, cum Christo tamquam testes resurrectionis eius. Et hoc Matth. aperte subdit cum XXVII cap. ait: " Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ci-

Digitized by Google

Bernardini rationem, ad eam, quam secundo loco exhibet Isidorus de Isolanis, dicendum reor.

1342. Efficacior viris praestantibus visa est ratio altera, quam his verbis exposuit Sanctus Bernardinus: « Secundo propter vitandum scandalum haereticorum; unde nec nominat eum patrem, nisi cum determinatione, scilicet putativum »: fusius vero exponit Isolanus ratione prima, quam recole. Id ipsum inculcat Gerson, cuius verba referre hic placet:

Donec virginitas tua fixa fidelibus esset
Cordibus, inde minor est mentio de Ioseph acta,
Non subito totam se monstrat gratia mundo,
Nunc secus esse decet, dum toto creditur orbe
Copula virginea vobis sine labe fuisse
Munda, decens, cauta, coelesti par et honesta.

Scilicet non defuere insani haeretici, qui tradiderunt Dominum Iesum filium fuisse quidem Mariae, sed ex Iosepho communi ratione conceptum.

1343. In horum numero primas tenet Carpocras: « Cerinthus successit huius errori, et similitudini vanitatis, docens de generatione itidem Salvatoris, deque creatura angelorum in nullo discordans ab eo, nisi quia ex parte solum », etc. De Ebione haec discimus ex Philastrio: « Ebion, discipulus Cerinthi in multis et similiter errans, Salvatorem nostrum hominem de Ioseph natum carnaliter aestimabat ». Haud absimilia de eo narrant Epiphanius, xxx, 3; Theodoretus, et alii.

1344. Num Ebionitae eidem errori adhaeserint, disputant eruditi, Eusebius lib. III, Histor. cap. 27, haec scriptis prodidit: « Eum [Christum Dominum] simplicem ac vulgarem, nec alium quam hominem esse censebant, qui profectu virtutis iustus factus fuisset: ceterum ex viri cum Mariae concubitu procreatum ». Quanquam Cotelerius expressissime affirmat non inhaesisse huic errori Ebionitas omnes: nonnulli enim Virgineum Christi conceptum agnoverunt et professi sunt: scilicet ad sextum caput lib. VI, Clementis De Const. apostol., haec docet Cotelerius: « Postea divisi sunt [Ebionei] quia illorum nonnulli partus Virginei miraculum agnoverunt », etc. Vide etiam adnotat. (c), in editione Renati Massuet, appositam capiti 26 [olim 25] lib. I Irenaei.

1345. Pauli Samosateni et Photini discipulis eumdem errorem exprobrat Feuardentius Augustini librum De haeresibus allengas. Sed Augustini librum diligenter perlegens comperi Christum simplicem quidem hominem ab iis descriptum: sed Virgineum illius partum, expresse saltem, non fuisse improbatum: dixi expresse: nam de Pauli Samosateni asseclis habet haec Augustinus: « Nec eum [Christum] aliquid amplius quam hominem putant; » ideoque visi sunt communem reliquis hominibus nativitatem Christo tribuere. Photinus autem [ideoque illius discipuli] « non tacetur sane similia credidisse ».

1346. Num post horum tempora quisquam eorum, qui se Christianos dixerunt, tam impie, tam nequiter desipuerit, ego quidem minime novi, adeo ut puduerit eos ipsos, qui aliunde turpissime errarunt, huic apertissimo dogmati obsistere. Non defuere tamen qui Ioviniano et sociis eius errorem hunc tribuerent, nonnullis Ambrosii verbis ad id moti. En porro Ambrosii verba desumpta ex num. 4 epistolae ad Siricium, suo, et Mediolanensis synodi nomine conscriptae: est autem ea epistola in editione Patrum S. Mauri 42, classis primae: « Quanta dementia funestorum latratuum, ut iidem dicerent Christum ex Virgine non potuisse generari, qui asserunt ex muliere [fortasse legendum est: et mulieres] editis humanorum pignorum partubus virgines permanere. Aliis ergo praestat Christus, quod sibi, ut dicunt, praestare non potuit? » Sed haec sane verba non ita perspicua sunt, ut Ioviniano et illius sociis tam malesanus error appingi debeat. Et haud immerito PP. S. Mauri monuerunt « Generationem hic passim usurpari pro partu »; quamquam hanc etiam admonitionem adiiciant: « Quae [generatio] tamen proprie idem est, atque conceptio: cum generare non magis feminarum, quam marium sit ».

1347. Feuardentius antea citatus docet hanc [Ebionis] impietatem non modo suscitasse Samosatenos et Photinianos, ut tradit Augustinus lib. De haeres., cap. 44 et 45, sed haec adiicit: « Et hoc saeculo in eamdem impegerunt Servetiani, ac sequaces: cuius erroris Calvinianos dicunt se habere consortes ac patronos. » Num Servetus id proposuerit, nescio: Calvinianos tamen ab hoc errore remotos arbitror.

1348. Sed ut ad rem propositam revertamur, ne eximio honore Iosephum colens Ecclesia, ideo videretur colere, quod ab eo

---

vitatem, et apparuerunt multis ». Inter quos suscitatos pie credendum est, quod fuerit sanctissimus iste vir. Bernardini auctoritate ad id quod agimus evincendum, utitur Isidorus de Isolanis [Summa de donis S. Ioseph, parte IV, cap. 3]. Eum, si vis, consule. Id tamen definire non audet Gerson, cuius monita referre hic libet (Iosephina orat. pag. 783, tom. IV edit. Dupin):

Corpora multa, Iesu Domino moriente, sepulcris
Exsurrexisse, et venisse feruntur in urbem
Sanctam. Si tu, iuste Ioseph, patriarcha beate,
Ex illis unus fueris, si teque videndum
Uxori dederis maestae, definio neutrum
Re super hac; satis est animos pulsasse fideles.

Digitized by Google

Iesus genitus foret, honores, quos is egregiis meritis suis videbatur exposcere, minime illi tribuit: quos, exstincta etiam Carpocratianorum secta, illi minime dedit, quod metueret, ne eumdem errorem impii insanique homines [quorum copia primis ipsis Ecclesiae saeculis non defuit] temere atque imprudenter inde arriperent. Cavit nimirum saepe Ecclesia ab iis ipsis adhibendis, quae per se quidem bona, occasionem tamen aliquam praebuere incautis, ut in pravum verterent usum ea ipsa, quae per se optima erant, et sancte instituta.

1349. His a sancto Bernardino indicatis causis, aliam etiam adiici posse arbitror, hanc scilicet: Consueverunt fideles eorum sanctorum memorias sacra solemnitate recolere, quorum corpora, aut saltem monumenta, aut reliquias apud se servabant: reliquos vero sanctos iis, quas dixi, sacris celebritatibus colere perraro consueverant. Itaque in vetustissimis Kalendariis omissos non paucos apostolos intueberis, tametsi noverit Ecclesia « constitutos eos fuisse principes super omnem terram »: et sessuros super sedes duodecim ad iudicandas duodecim tribus Israel. Cum itaque Ecclesiae ipsae orientales Iosephi sponsi Mariae Sanctissimae corpore et reliquiis carerent [neque vero desunt, qui eum illorum sanctorum numero accenseant, quorum corpora Christo resurgente resurrexerunt: imo expressissime tradunt excitatum a mortuis, morti deinceps minime fuisse obnoxium], mirum non est, si Iosephi celebritatem non instituerint, illiusque memoriam non coluerint frequentarintque. Hanc tamen rationem, eam quoque quam quarto loco ponit Isolanus, monens scilicet consuevisse Patres veteres « Martyrum tantummodo festa percolere », ita accipias volo, ut quarto saeculo non neglexerint celebriorum quorumdam martyrum, tametsi alibi tumulatorum, celebriorum quoque episcoporum et monachorum sanctitate praestantium memoriam solemniter colere.

CAPUT VI. — Minime neglectum fuisse Iosephi; sed eius memoriam solemni etiam cultu fuisse saeculis minus remotis celebratam.

1350. Cave tamen putes neglectam fuisse Iosephi memoriam et sanctitatem. In Basilii Menologio peculiaris Iosephi minime indicatur. Sed fortasse id ex eo provenit, quod satis celebrem honoratamque Iosephi memoriam Graeci arbitrarentur, cum fugam in Ægyptum, et reditum ex Ægypto significarent, qua quidem occasione praeclara Iosephi merita recolerent. Quanquam non prorsus in sacris Graecorum libris neglectam Iosephi ipsius memoriam ea ostendunt, quae hoc de argumento docet clariss. Assemanus: « In Menaeis Graecis [ad diem 26 Decembris] Synaxis sanctiss. Deiparae, et S. Ioseph sponsi ». Rursus ad Dominicam infra octavam Nativitatis haec legimus: « Dominica post Christi Nativitatem, commemorationem peragimus sanctorum et iustorum Iosephi sponsi, David regis: et Iacobi fratris Domini ». Discimus quoque ex Assemano [pag. 502] « tam Davidis, quam Iosephi sponsi commemorationem a Graecis peragi duabus Dominicis ante et post Nativitatem: praeterea die 26 Decembris ».

1351. Haec etiam assequimur ex Martyrologio metrico Ecclesiae Graecae edito a L. Urbano Godof. Sibero, Lipsiae 1727, pag. 445 ad diem 27 Decembris:

> Sponsum Deiparae, Iosephum praedico,
> Qui solus est electus, ut tutorem agat.

In Menologio Cardin. Sirleti: « Celebritas Sanctae Dominae nostrae Dei Genitricis semper Virginis Mariae et sancti ac iusti Iosephi eius Sponsi ».

1352. At Latini multo expressius Iosephi memoriam in ecclesiasticis libris notarunt. Norunt eruditi omnes, praeclarissimum esse et vetustissimum Martyrologium, quod Florentinus edidit, et adnotationibus ac dissertationibus illustravit. Porro valde probabilis visa est multis eiusdem Florentinii, opinio putantis scilicet Iosephum Virginis sponsum significari, cum ad 20 Martii diem, primo loco haec traduntur: « In Antiochia S. Ioseph ».

1353. At claris Iosephus Simon Assemanus monet Iosephum illum, qui verbis his annuntiatur, martyrem esse; adducit autem tum alia nec contemnenda, nec pauca, tum certe Papebrochium, virum inclytum, monentem coli quidem a Latinis Iosephum ad diem 19 Martii: « Festo tamen non valde antiquo: quamquam Petrus de Natalibus praesumat ex Eusebii Caesariensis exemplaribus sumptum illud festum videri in antiquis, quae allegat Kalendariis. Sed vereor, inquit idem Papebrochius, ne quae in Hieronymiano Martyrologio legebantur verba: In Antiochia Ioseph, martyrem aliquem Antiochenum significent, iuxta ordinationum istius Martyrologii stylum: quod deinde, omisso nomine Antiochiae, applicaverint alii Iosepho sponso; ideoque mallem inter sanctos istius diei martyres, saltem sub dubio, actum fuisse a nobis de Iosepho Antiocheno ».

1354. His ex Papebrochio recitatis, haec subiicit Assemanus: « Verum non cum Iosepho sponso Antiochenum martyrem confundendo, sed alias ob mysticas rationes, a

Digitized by Google

Latinis Iosephum sponsum ad diem 19 insertum fuisse ex dicendis patebit ». Deinceps haec prodit: « Alia quaerenda est causa, cur in hodierno Romano [Martyrol.] Sanctus Ioseph sponsus ad 19 Martii potius, quam ad alium diem sit positus. Ego vero existimo eam fuisse diem Sancto Deiparae Sponso idcirco assignatam, quia antiqui Martyrologi in eum mensem coniicere solent quidquid ad Verbi incarnationem, seu Deiparae annuntiationem, et ad passionem, seu crucifixionem Domini spectans, certum non habet tempus. Sic Ioachimus, Sanctus Iosephus Deiparae sponsus... Iosephus ab Arimathea... Passio Sancti Iacobi fratris Domini... demum S. Latro, qui in cruce confessus est Christum ».

1355. Neque vero Iosephi sponsi memoria in Martyrologiis neglecta est. Vetustum, purumque Usuardi Martyrologium Iosephi quidem non meminit, sed illius Auctaria meminere. Noto in margine, quae ad Martyrologium Usuardi tradit egregius Sollerius.

1356. Quod de Usuardi Martyrologio dixi, de Adonis Martyrologio tu dic. Consului nempe Adonis Martyrologium ab eruditissimo Georgio evulgatum, et haec didici: in ipso Adonis Martyrologio Iosephi Virginis sponsi nomen desiderari: exstare tamen in aliis, quae Martyrologium Adonis sunt subsecuta, veluti in Fuldensi, in Ottoboniano, et in Vaticano Kalendario. Sane in aliquibus auctariis Martyrologii Adonis, Iosephum Virginis sponsum fuisse nuntiatum Baronius docet, cum in annotationibus ad Romanum Martyrologium haec scriptis prodidit: « De eo [Iosepho] hac die Ado, » et alii. Richenoviense Martyrologium his adiicit Assemanus, in quo ad 19 Martii diem haec occurrunt: « Bethlehem S. Iosephi nutritoris Domini ». Alia adiungit manu scripta Martyrologia clariss. Franciscus Maria de Aste, quem consule.

1357. Reliqua Martyrologia superioribus recentiora, quae consului, nec pauca, nec contemnenda, Iosephi memoriam cum laude habent. Nonnulla ex eis excerpsi, et haec sunt. Bellini, seu, ut verius dicam, Usuardi Martyrologium a Bellino auctum, et sub initium saeculi XVI evulgatum haec habet: « Natale B. Ioseph sponsi B. Virginis Mariae ». Martyrologium scriptum, et emendatum per Alexandrum de Peregrinis [Venetii 1560]: « Natale B. Ioseph sponsi B. et intactae Virginis Mariae ». Martyrologium a Maurolyco confectum: « Memoria B. Ioseph sponsi B. Virginis Mariae, qui Christi Servatoris sicut nutritor fuit, ita pater putari meruit », Dominicanum anno 1582 evulgatum: « Natalis B. Ioseph sponsi B. Virginis Mariae. Festum totum duplex ». In Martyrologio quod Galesinius condidit, haec sunt: « Sancti Ioseph Confessoris. Hic sponsus B. Mariae fuit: cuius laudes plurimorum Patrum sermonibus celebratae sunt ». Romanum porro a Baronio editum sic se habet: « In Iudaea natalis S. Ioseph Sponsi B. semper Virginis Dei Genitricis Mariae ». Romanam porro editionem reliquae exscribunt.

1358. Cave tamen putes in recentibus tantum Martyrologiis, et in veterum Auctariis Iosephi nomen fuisse positum. Haec lego in Bollandianis SS. Actis: « Pene inducimur in suspicionem, quod Ioseph ille, qui in aliis omnibus vetustissimis exemplaribus, et in multis quidem solus nominatur ad XIII Kal. Apriles, noster hic sanctissimus patriarcha sit, qui in Antiochena Ecclesia [nam in Antiochia habent tam Maximinianum praedictum ad XIV Kal., quam cetera omnia ad XIII] cultum habuerit antiquissimum: quique variantibus per librariorum socordiam exemplaribus, primum inter duos dies vagus, deinde etiam utrique diei ascriptus fuerit, atque ita in duas personas distractus: eo facilius quod codices, qui ad XIX diem Sanctum Iosephum exhibebant, hac fere formula uterentur: « In Bethlehem S. Ioseph nutritoris Domini: » ita praecipuae vetustatis et ante annos fere octingentos exarata mss. Richenoviense prope Constantiam, Patricianum Neapoli apud PP. Theatinos inter Caraccioli schedas asservatum, Cardinalis Barberini fragmentum insertum codici 1852, Fuldense reginae Sueciae, item Trevirense S. Martini, et aliud S. Mariae ad gradus, inferioris aliquantum aetatis: quibus accedit Ecclesiae Aquileiensis Kalendarium, quod in Vallicelliana Bibliotheca Romae transcriptum exstat, tam vetus, ut minime nobis putaverimus negligendum ».

1359. Tamen non defuit, qui suspicaretur, aut non tam vetustos esse codices istos ac censuit Papebrochius, aut his ipsis, qui citantur, libris, additamenta aliqua fuisse facta, in quorum numero collocant, quod de Iosepho Virginis Sponso traditur: neque enim, inquiunt, in iis Martyrologiis, quae deinceps summa cum diligentia perquisita sunt, Iosephi nomen occurrit, nisi fortasse in minus vetustis, aut additamentis deinceps factis. Et sane idem ille egregius scriptor qui in Bollandiano opere vitam Sancti Iosephi edidit, docet Sancti Iosephi cultum a Carmelitis in Ecclesiam Latinam fuisse invectum. Porro Carmelitae ex Oriente saeculo XIII in Occidentem venere. Indubitatum est tamen [quod deinceps dicam] saeculo XII Bononiae cultum fuisse Sanctum Iosephum, ideoque antequam Carmelitae in Italiam venirent. Si itaque Bononiense iis temporibus elucubratum Martyrologium haberemus, Martyrologium habe-

Digitized by Google

remus quod ad illam aetatem accederet, quae vetustissimis Martyrologiis tribuitur.

1360. Kalendaria porro, quae Iosephi, de quo agimus, nomen habent, si recensuero, longam eorum seriem retexam necesse est. Mantuano vetustissimo, quod edendum tradidi clariss. Zachariae, non autographa quidem Kalendario ipsi, sed tamen vetusta, et quae XIV saeculum indicat, manu, additur ad 19 diem Iosephi memoriam ad hunc modum brevissime expressa: « Ioseph ». Breviario in haedinis pellibus confecto, quodque saeculo XIV, aut fortasse sub initium XV conscriptum esse videtur, et a nobis servatur, praeponitur Kalendarium, in quo antiqua manu, quaeque saeculum XV exhibet, additur: « S. Ioseph nutritii Salvatoris, confessoris ».

1361. In Breviario Mediolanensi, quod referente clariss. Georgio initio anni 1465 scriptum est, duo exstant Kalendaria, quorum alterum haec habet: « S. Ioseph confessoris, et Calcerii mar ». In reliquis porro, quae manu exarata sexaginta fere nostra servat bibliotheca, quorum series a decimo saeculo exordium ducit, continuaturque per XVI totum, raro invenimus nomen Ioseph: invenimus tamen in codice sub initium saeculi XV conscriptum, qui codex post Kalendarium habet statim confessionem generalem: « Confiteor Deo », etc., et Bononiae scriptus est: exstat enim in Kalendario Sancti Petronii nomen: invenitur etiam in Breviario saeculo XV scripto, quo canonici nostrae congregationis utebantur: « S. Ioseph sponsus Virginis Mariae ». Et plurimos habemus ecclesiasticos libros iam pridem typis editos, in quibus Iosephi nomen in Kalendario positum est.

1362. Festivitates in sanctorum honorem institutas potioribus cultus iis adhibiti argumentis esse accensendas, ignorat nemo. Porro festum diem in Iosephi Virginis sponsi honorem iamdudum esse institutum ea, quae ex Martyrologiis et Kalendariis desumpsi, non obscure declarant, indicant enim Martyrologia, et Kalendaria ecclesiastica, aut ubique, aut certe in aliquibus ecclesiis actas solemnitates. Sed si expressissima adduci vis festivitatis in Iosephi Virginis sponsi celebratae exempla, statim obsequor. Vetustas synodales Constitutiones Bononienses a Bernardo scilicet episcopo latas anno 1525 typis edidit Augustinus Zanettus, Laurentii Campegii cardinalis, et episcopi Bononiensis vicarius, et suffraganeus generalis. Porro sub rubrica 93 haec occurrunt: « Festum resurrectionis dominicae... Ex mense Martii... S. Ioseph confessoris ». Haec porro festivitas tanta cum solemnitate ac laetitia Bononiae celebrabatur, ut nobilis equorum cursus, in quo praemium equo omnium primo metam appellenti destinatum erat, in ea via fieret, quae Ecclesiae S. Ioseph responderet: quae via Galeria appellabatur, appellaturque etiamnum.

1363. Eiusdem festivitatis multis in locis solemniter celebratae manifesto argumenta nobis praebent vetusta Missalia et Breviaria. Ea seligo, quae nostra possidet bibliotheca. Alia bibliothecae aliae praebebunt. Missale monasticum « secundum consuetudinem Vallis Umbrosae » hanc habet Missam: Introit. « Gaude, sancte Ioseph, Pater Ecclesiae: prae cunctis patribus ditatus munere: custos Dominicus, Sponsae puerperae Mariae providus, et dux castissime: dux esto supplicum in coeli culmine. — Psal. Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph. ℣. Gloria Patri. — Orat. Deus, qui fidelissimo patriarchae Ioseph incomparabilem thesaurum tuae Genitricis servandum tradidisti: cuique, pro specialium praerogativa meritorum, temetipsum in filium tribuisti: ipsius nobis tribue meritis et precibus terrena despicere, et corda nostra tibi casta tabernacula praeparare. Qui vivis. — Epistola: Quanto tempore haeres parvulus est. Fol. XIV. Grad. Ioseph pater amabilis, et sponsus pudicitiae: cui desiderabilis thesaurus munditiae datur: qui in cunabulis lactatur, Sol iustitiae. — ℣. Huius matrem deprecari per te, Ioseph, petimus: eius natum supplicari iacens in praesepibus nobis tribuat laetari semper in coelestibus. — Tractus: Gaudens gaudebo in Domino: et exsultabit anima mea in Deo meo. ℣. Quia induit me ornamento salutis, et indumento laetitiae circumdedit me. ℣. Sicut sponsum adornatum corona: et tanquam sponsam ornatam monilibus suis. ℣. Habitabit in unum iuvenis cum Virgine: et morabuntur in filiis suis. ℣. Laetabitur enim sponsus super sponsam: et exsultabit in eis Deus eorum. ℣. Super muros tuos, Ierusalem, posui custodes, tota die, et nocte laudabunt nomen Domini. — Evang. Cum esset desponsata Mater Iesu. — Fol. VIII, Offert. Erant Ioseph, et Maria mirantes super his, quae dicebantur de Iesu: et benedixit illi Simeon: et ut perfecerunt omnia, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth. — Secreta. Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine, per haec sancta commercia, Sanctus tuus patriarcha Ioseph: qui etiam Filii tui Domini nostri Iesu Christi Matrem suscepit electam: ad parandam tibi plebem perfectam. Qui tecum, etc. — Comm. Tolle puerum, et matrem eius, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri. — Postcomm. Sit nobis, quaesumus, Domine, per haec sancta, quae sumpsimus,

Digitized by Google

B. Ioseph patriarchae solemnitas praesidium salutare: qui pretiosae sponsae suae Virginis matris filium in praesepio meruit adorare. Qui tecum, ect. ».

1364. In Missali Carmelitano anno 1509 Venetiis cura Lucae Antonii de Giunta edito, haec exstant: « In festivitate beatissimi Ioseph sponsi gloriosissimae Virginis Mariae, et nutritii Christi duplex, etc., ut unius confessoris non episcopi. — Gloria in Excelsis. — Evang. Cum esset desponsata. Require in Vigilia Nativitatis Domini. — Orat Omnipotens, et mitissime Deus, qui Beatum Ioseph iustum filium David, Beatae Mariae Virgini tuae matri sponsum praevidisti: tuumque nutritium elegisti: da, quaesumus, ut eius precibus, et meritis Ecclesia tua tranquilla pace laetetur: et ad perpetuae visionis tuae consolationem aeternam perducamur. Qui vivis, et regnas. — Secreta. Deus, qui per angelum tuum Sancto Ioseph revelasti tuae Virginis matris Mariae partum de Spiritu Sancto ab aeterno esse ordinatum: ita et nobis corda nostra per huius solemnitatis sacramentum illuminare digneris, ut in coelestibus semper habitare possimus. Qui vivis et regnas. — Postcomm. Deus, qui virginem Sanctum Ioseph tuae matri Virgini Mariae matrimonialiter sociari voluisti, ut in virginali coniugio Filii tui Domini nostri Iesu Christi, ad deceptionem diaboli custos et nutritius esset: da nobis, quaesumus, ut eius precibus et meritis Ecclesia tua pace tranquilla laetetur, et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducamur. Per eumdem.

1365. « Missale Romanum anno 1550 Lugduni editum hanc Sancti Ioseph Missam exhibet. — Introit. Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini, in atriis Domini Dei nostri. — Psal. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc. Gloria in excelsis Deo dicitur. — Orat. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut B. Ioseph unigeniti Filii tui Matris sponsi intercessione, ab omnibus adversitatibus liberemur. Per eumdem Dominum nostrum Iesum, etc... — Lectio libri Ecclesiastici. Dilectus Deo, et hominibus: cuius memoria in benedictione est... legem vitae, et disciplinae. — Grad. Congratulamini mihi omnes, qui Virginem Mariam diligitis. ℣. Hodie festum est mariti Virginis Ioseph; huic coelorum Regina desponsata est. Hunc pastores Christum quaerentes, cum Maria invenerunt. — Tractus. O patriarcha inclyte, nos, Ioseph, recto tramite ducas ad coeli sidera. ℣. Per Christum, quem tractasti: cum casta puerpera, praesepio cum gaudio devote reclinasti. — Evang. secundum Matthaeum, cap. 1. In illo tempore cum esset desponsata... sicut praecipit ei angelus Domini. — Offert. Veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius. — Secreta. Debitum tibi, Domine, nostrae reddimus servitutis suppliciter exorantes, ut suffragiis B. Ioseph nutritoris Filii tui Iesu Christi Domini nostri, in nobis tua munera tuearis: cuius honoranda festivitate laudis tibi hostias immolamus. Per Dominum, etc. — Communio. Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. — Communio. Adesto nobis, quaesumus, misericors Deus, et intercedente pro nobis B. Ioseph confessore tuo, tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum, etc ».

1366. « Missale Romanum anno 1552 Venetiis apud Gregorium de Gregoriis editum haec habet: — Introit. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beati Ioseph: de cuius solemnitate gaudent angeli, et collaudant Filium Dei. — Psal.: Exsultate, iusti, in Domino: rectos decet collaudatio. ℣. Gloria Patri, et Filio. — Item in Missis votivis. — Introit. Iustus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini: in atriis domus Dei nostri. — Psal. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. ℣. Gloria — Oratio. Da nobis, Domine, beati Ioseph sponsi Genitricis Unigeniti tui Iesu Christi Domini nostri solemnitatibus gloriari: ut eius semper, et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per eumdem. — Epistola. Dilectus Deo, et hominibus. — Graduale. Domine, praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi. — Tractus. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. ℣ Gloria, et divitiae in domo eius, et iustitia eius manet in saeculum saeculi. — Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. In illo tempore, cum esset desponsata mater Iesu... a peccatis eorum. — Offertorium. Veritas mea, etc. — Secreta. Debitum tibi, Domine, etc. — Communio. Ioseph fili David, etc. — Post communio. Adesto nobis, quaesumus ».

1367. In Missali Romano, anno 1552 Venetiis apud Hieronymum Scotum edito, Missa S. Iosephi ad eum modum se habet, atque ea, quae in Missali Gregorii de Gregoriis exstat; tantummodo Postcommunio sic se habet: « Omnipotens, sempiterne

Digitized by Google

Deus, qui B. Ioseph, putativum patrem Iesu Christi Domini nostri, in terris esse constituisti, concede, ut sicut suae virginitati gloriosam semperque Virginem Mariam Spiritu Sancto desponsatam fuisse dignoscimus: ita per haec sancta, quae sumpsimus, eius precibus adiuti, puris et castis mentibus ad te pervenire valeamus. Per, etc. ».

1368. Celebratissimum Missale sacri ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, quod consului, Lugduni apud haeredes Iacobi Iuntae 1553 editum, eam Missam habet, quam exscripsimus ex Vallombrosano Missali, quod quidem haud obscure declarat vulgatam fuisse missam illam, et apud multos exceptam. Porro quis nesciat sacros ordines vetustos ritus constanter retinere, nec facile novos in eos induci? Putamus itaque Missam, quam ex duobus his Missalibus retuli, antiquam esse, et iam pridem in horum ordinum ecclesiis celebratam.

1369. Porro Missale Romanum anno 1554 Venetiis per Octavianum Scotum impressum hanc Missam habet: « Gaudeamus omnes, etc. — In Missis votivis. Iustus. — Orat. Da nobis, quaesumus, Domine, B. Ioseph sponsi Genitricis Unigeniti tui Iesu Christi Domini nostri solemnitatibus gratulari, ut eius semper et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per eumdem, etc. — Lectio libri Sapientiae (Eccli. xix, 1 seqq.)... et disciplinae. — Grad. Domine, praevenisti, etc. — Tractus. Beatus vir... in saeculum saeculi. — Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. Cum esset desponsata... a peccatis eorum. — Offert. Veritas mea, etc. — Secreta. Debitum tibi, etc. — Praefatio in solemnitate eiusdem. Æterne Deus, qui electum famulum tuum Ioseph virginali palma praemunitum Virgini semper eius sponsae consociare dignatus es: ut deitate Iesu Christi Filii tui honesto sub titulo mundus dotaretur. Quem laudant etc., prout in Praefatione Sanctissimae Trinitatis. Comm. Ioseph filii David. — Alia communio. Ioseph fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram ».

1370. Missale Romanum anno 1558 apud Hieronymum Scotum, item alterum 1561 Venetiis pariter in Officina libraria a Serena editum, ipsissimam Missam exhibet, quam exhibet Missale Romanum anno 1552 Venetiis pariter editum, si eam precem excipias, quam Postcommunio appellamus: habet enim precem alteram, quam exscripsi ex Missali 1550: Adesto nobis, quaesumus. Idem die de Missali anno 1558, quod Venetiis excudit Ioannes Gryphius, adeoque de reliquis Missalibus, quae edita sunt, antequam S. Pius V eam missam in Missale eius iussu emendatum inferret, quam nunc etiam recitamus, adeo ut supervacaneum sit unumquodque Missale sigillatim designare, atque exscribere.

CAP. VII. — Adduntur alia cultus a fidelibus Iosepho delati argumenta.

1371. Minime neglectum a fidelibus fuisse Iosephum, is, ut puto, sibi persuadebit, qui superioribus capitibus tradita expenderit: multa tamen adhuc supersunt, quae eximiam erga sanctum virum fidelium pietatem declarant. A precibus illis exordium sumo, quas clerus exsolvit, et divinum Officium appellare solemus.

1372. Vir inclytus Ioannes Gerson, ut Iosephi cultum apud fideles promoveret, eas, quas dicimus preces, seu divinum Officium composuit, quod quidem inter libros ab eo conscriptos, et typis editos habemus in editione a clariss. Dupinio elaborata col. 731 et subseq. tomi IV, praesertim vero col. 736, in qua Officium ipsum a Gersone compositum describitur. In sermone etiam de Nativ. B. M. V, [qui sermo exstat col. 1345 et seq. tom. I, III, eiusdem editionis] ait optare se, « de celebritate Virginalis coniugii Ioseph cum Maria, vel de ipsius felici transitu fieri solemnitatem, quatenus ita Mariae meritis et intercessione, tamque potentis et imperiosi quodammodo patroni apud sponsam suam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, reddatur Ecclesia unico viro, et certo summo pontifici sponso suo vice Christi ».

1373. In Breviario Romano an. 1501 Venet. edito notatur in Kalendario duplex maius: in Officio vero ipso primi Nocturni lectiones desumuntur ex sermone Sancti Augustini, secundi vero ex sermone Sancti Bernardi, tertii autem Nocturni ex homilia Origenis. Isidorus de Isolanis, quem saepe allegavi, et Missam, et Officium proposuit, quod fideles in eiusdem Sancti Patriarchae festivitate recitarent. In nullo Missali, aut Breviario Missam eiusmodi aut Officium inveni, quam ob rem coniicio, iis non fuisse usos ecclesiasticos viros.

1374. Usos tamen novimus multos Breviario quod condidit Card. Quignonius, in cuius Breviarii Kalendario notatur Sanctus Ioseph hoc modo: « Ioseph confessor duplex minus ». In Officio autem ipso legitur homilia Sancti Bernardi ad evangelica verba: « Missus est angelus Gabriel », quae quidem homilia Iosephi laudes, merita ac dignitatem praedicat.

1375. At in Breviario Romano, quod appellabant de Camera, secundum morem

Digitized by Google

S. Romanae Ecclesiae, quod Venetiis anno 1525 editum est in aedibus Gregorii de Gregoriis, sumptu, et impensis nobilis D. Andreae Thoresani, exstat Officium Sancti Ioseph, in quo antiphonae, hymni et lectiones cum oratione, omnino propriae sunt; quae quidem omnia sustulit Sanctus Pius V, quod mirum non est: multa enim dubia veluti certa traduntur, multa ex apocryphis desumpta sunt, hymni quoque ipsi inelegantes sunt adeo, ut procul dubio displicerent iis, qui in ecclesiasticis ipsis precibus nitorem quemdam amant, et linguae puritatem. Hoc tamen Officium, quodcunque illud sit, alia Breviaria retinuere, veluti illud quod anno 1551 Venetiis impressum est in Officina haeredum Lucae Antonii Iuntae: illud quoque quod anno subsequenti, id est 1552, in eadem officina cusum est.

1376. Haec porro Missalia et Breviaria dum recensui, et ex parte exscripsi, minime contendi, tum coepisse fideles Sancti Iosephi festivitatem agere, cum eamdem festivitatem in vulgata Missalia et Breviaria invexere: quod quidem Sixti IV iussu [si Merato alibi allegato credimus] peractum est. Scilicet Petrus de Natalibus saeculi XV scriptor, cum in suum sanctorum Catalogum Sanctum Iosephum Virginis sponsum inducat, haud obscure indicat, iamdudum celebrem fuisse Sancti Iosephi in Ecclesia memoriam: atque id mihi efficacius persuadet mentio, quam facit fratris Bartholomaei Tridentini, qui quidem [quod crebro dixi] medio fere saeculo XIII vitas conscripsit, et actus eorum sanctorum, quorum celebritas Romae, et Tridenti agebatur. Sed iamdudum, in aliquibus scilicet locis, fuisse actam Sancti Iosephi festivitatem, haec eiusdem Petri de Natalibus verba declarant: « In quodam tamen antiquissimo Kalendario, in cuius exordio rubrica ponebatur: quod ex vetustis Eusebii Caesariensis exemplaribus sumptum fuerat (1): scriptum reperi festum Ioseph sponsi Dominae nostrae XIV Kalendas Aprilis. Cui ex antiquitate, et exemplaris origine satis fidem adhibui ». Alibi dixi, ordinis nostri canonicos sub initia ipsa nostrae congregationis, Sancti Iosephi festivitatem solemni officio celebrasse. Antiquiora fortasse iis sunt Breviaria ea, quae Parnassus Marianus recenset [sunt vero Sancti Donatiani, Ecclesiae Burgensis in Hispania, Romanum vetus, etc.]. Ex iis porro allegantur hymni, seu rhythmi in laudem S. Iosephi compositi, quos procul dubio ecclesiastici viri in Sancti Iosephi Officio canere consueverant.

1377. Invocatio etiam inter potissima cultus argumenta recensetur; ideo enim aliquem invocamus, ut is nobis opituletur et opem ferat; fidimus ergo in illius potestate et pietate erga nos. En porro in solemnibus Bononiensibus litaniis Iosephum invocatum, et has quidem litanias vidi ego in veteri codice ab optimo Iosepho Cupino metropolitanae ecclesiae sacrista et parocho mihi commodatas; et eas typis edidit eximius Pontifex Benedictus XIV: S. Benedicte... S. Barbatiane. S. Gilberte. S. Ioseph. S. Ilare. Monet quoque eximius Benedictus XIV, in litaniis quae dum Pontificatum Romanum gereret S. Pius V, recitabantur, fuisse invocatum Sanctum Ioseph; atque id quidem se didicisse affirmat ex libello « De septem Urbis ecclesiis » a Panvinio evulgato.

1378. Ego quoque deinceps monebo in quibusdam vetustis Ritualibus, in litaniis quae in commendatione animae, seu praeparatione ad mortem recitantur, Sancti Iosephi nomen proxime post Sanctum Ioannem Baptistam fuisse recitatum.

1379. Sed eiusdem invocationis eximium argumentum nobis praebet Gerson in Iosephina, ex qua nonnulla delibo:

Nuper in austera vir religione probatus
Dum peragrabat iter sub finem noctis opacae,
Ventis ac pluvia simul, ac errore viarum,
Turbatus vestri meminit, Ioseph atque Maria.
Orans hospitium; mox villa petita patescit.

Et paucis interpositis, sic ipse Iosephum invocat:

Magne Ioseph, magno velut imperiose patrone,
Cum desiderio petimus, fer opem, nostri miserere,
Coelica suscipiat nos tandem patria tecum.

Alibi etiam sic Iosephum invocat:

O nimium dilecte Deo, cui sponsa frequenter
Blanda Iesum gremio posuit, fidenter adimus
Hunc thronum, residet ubi gratia salvificans nos.
Strenuus et liber ac, psalmo testante, beatus.
Hinc uxor tua tecum, sicut vitis abundans.
Te dominum sponsumque vocat, nos redde beatos.

1380. Ne vero miretur lector me, dum de cultu Iosepho Virginis Sponso a fidelibus adhibito ago, saepe Bononiensia monumenta allegare. Noverit scilicet civitatem nostram

(1) Error aliquis hic irrepsit: num in codicem, quem vidit Petrus de Natalibus, num in eius scriptum, num in editum eius librum, viderint alii. Plerique putant Eusebii Caesariensis Chronicon indicari: sed fortasse indicatur Martyrologium, quod antiquitus Hieronymo tribuebatur, legendumque est: " ex vetustis Eusebii Hieronymi exemplaribus sumptum fuerat „: ab exemplaribus scilicet Martyrologii, quod Eusebio Hieronymo tribuebatur.

Digitized by Google

in earum numero esse, quae se studiosam augendi cultus Iosepho delati et significandae suae erga eum venerationis potissimum ostendit. Indubitatum scilicet est, anno ipso 1178 exstitisse sacram aedem Iosepho Bononiae erectam praeclaram sane, quippe quod ab ea sumebant nomen loca illi propinqua et domus in iisdem locis aedificatae; dicebantur enim aedificatae in Burgo S. Ioseph; quae quidem denominatio haud obscure innuit antea eam sacram aedem dudum fuisse erectam, neque eam ignobilem; etenim ab exiguis et minus antiquis ecclesiis Burgi denominatio minime desumitur. Sed quam diu ante eum annum erecta fuerit minime novimus, et fortasse antiquissima ea fuit.

1381. Sane eximius Benedictus XIV docet anno 1123 « exstitisse Bononiae in via Galeriae ecclesiam in honorem Sancti Ioseph dicatam ». Sed quaecunque fuerit eiusdem aedis antiquitas, en quae ex authentica et autographa Sancti Salvatoris charta discimus: « A. D. M. CLXXXIII, secundo die intrante mensis Martii, indictione prima, test. Ugo Tracortese et Rolandus de Turclo, Landulphinus de Ouro, Albertinus de Maliaco, Arrardinus de Gislerio, Bernardus de Scasi; chartam vendit. Vice emphyteosis fecit dominus Girardus prior S. Mariae de Reno, praesentibus et consentientibus fatribus suis, scilicet domno P. Ugo et domno Lanfranco et domno Petro presbytero et domno Rodulpho de Ponteclo et domno Ugo Vedrane et domno Oderico et Tigrinuzo et Girardo de Galietano et domno Michaeli et Enrico de casa sua quam habent in Burgo Sancti Ioseph pro pretio IV lib. Pisan. IV sold. 15 minus, in persona Girardi de Accarisio et Guidoni et alio suo fratri et eorum haeredibus usque in tertiam personam peractam et in quartam ad renovandum et pensionis nomine singulis annis vos et vestri haeredes cum et suis successoribus in Kalend. Martii unum Veronensem exhibeatis », etc.

1382. Erat porro, quod diximus, ea aedes in nobili via quam Galeriam appellamus erecta exstatque adhuc, sed mutato nomine et ecclesiae patrono. Etenim cum Sanctus Pontifex Pius V iussisset, moniales quae extra urbem degebant Bononiae ingredi, eae, quae S. Mariae Magdalenae monasterium extra portam Saragotiae constructum incolebant, in monasterium atque aedem de qua diximus et qua religiosi qui Mariae Servi appellantur, potiebantur, introductae sunt; contra vero monialium aedem obtinuerunt iidem religiosi; qua occasione nomen ipsum sacrarum aedium mutatum est dictaque aedes S. Iosephi quae antea S. Mariae Magdalenae, dicebatur, et contra S. Mariae Magdalenae, quae S. Iosephi appellata fuerat.

1383. Num alia S. Iosephi nomine erecta aedes, ea, de qua hactenus egi, vetustior sit, ego quidem minime novi; novi tamen neque ignobiles, neque paucas iamdudum Bononiae etiam fuisse erectas illiusque festam diem solemniter apud nos celebratam.

1384. Quoniam vero temporibus iis quibus Baptista Mantuanus, celebris ea aetate poeta, vixit, paucissimae erant, neque fortasse admodum nobiles sacrae aedes quae Sancti Iosephi nomine erectae essent, nostra autem valde nobilis, ad eam respexisse arbitror eumdem Baptistam Mantuanum qui procul dubio diu Bononiae perstitit), dum haec cecinit:

Post decimam lux non a tua est, tua templa sacerdos
Velat, et ad numerum tibi tinnula verberat aera
Verrit humum: legit areolis nova gramina tonsis,
Et postes vernare facit, frondere columnas,
Albentes splendere aras, redolere sacellum
Tura cremat, lentoque super myrrham infriat igni.

1385. Inter ea argumenta quibus alicui sancto cultum atque obsequium nostrum testatum volumus, est nominis eiusdem sancti assumptio; qua de re consule quae Dissertatione 6 de Sanctorum cultu tradidi. Porro iamdudum consuevere fideles Iosephi nomen assumere: atque id quidem manifesto declarant ea quae in margine pono. Cum autem celebris non sit alterius Sancti Iosephi memoria; neque enim aut Iosephi ab Arimathea aut Iosephi qui dictus est Iustus (Matth. XXVII, 57; Act. I, 23) frequens devotio apud fideles fuit, reliquum est ut dicamus a Iosepho Virginis Sponso nomen sumpsisse, ideoque ritu eo eumdem Iosephum honorare ac colere studuisse. Atque hac etiam cultus significatione praecelluisse Bononienses ex vetustis monumentis discimus.

1386. Certo novi in Archivio Canon. regular. S. Ioannis in Monte exstare duo monumenta autographa, anno 1198 confecta, in quorum priore (quod V Idus Ianuarii anni 1198 confectum esse dicitur) haec exstant: « Ego quidem in Dei nomine Iosep, gratia divina favente prior S. Victoris et S. Ioannis in Monte, » etc. Complectitur porro alterum venditionem petitae terrae, positae in Castellione, factam Iacobo de Brittinoro. Quae venditio facta dicitur VIII Kal. Augusti anni pariter 1198. Alibi etiam recensentur canonicorum ipsorum nomina; haec scilicet: « Ego Iosep prior S. Victoris et S. Ioannis in montem. m. s. — Ego Guidoctus subdiac. — Ego Ioannes diac. SS. ex mandato Pbri Mainardi. — Ego Pbri Iosep et vice Wizzardi de Placito. — Ego Pbr. Martinus. — Ego Pbr. Ioannes. — Ego Christianus diaconus. — Ego Pbr. Gualfredus ». (Willelmus Notarius).

Digitized by Google

1387. Porro ex his facile coniicis, usitatum fuisse apud ecclesiasticos saltem viros in nostra civitate Iosephi nomen: nam e decem canonicis, qui hic recensentur, duo Iosepi nomine honestabantur: novere porro eruditi omnes idem priscis temporibus fuisse Iosephi ac Iosepi nomen, et promiscue in Martyrologiis, Kalendariis, et veteribus scriptis ea nomina accipi. Duo adhuc hic exempla recenseo ex nostris historiis desumpta. Primum est Iosephi Tuschi, qui seditionem popularem Bononiae excitavit anno 1228. Alterum Iosephi Tencararii nobilis in primis viri, quique saeculo XIII vixit, fuitque pater Zoanis, seu Zoenis [Ioannis, scilicet] Tencararii antea archipresbyteri Bononiensis Ecclesiae, deinceps Avenionensis episcopi.

1388. Saeculo porro XVI, et subsequenti valde aucta est fidelium erga Iosephum Virginis sponsum veneratio. Persuasum scilicet illis fuit [nec temere persuasum] multum virium habere apud sanctissimam Deiparam, atque adeo apud Iesum ipsum Iosephi deprecationem, atque interventum, quem ut obtinerent, ipsum invocarunt, illiusque opem ac suffragationem poposcerunt. Sed si in reliquis necessitatibus ad Iosephum confugerunt, ad eum potissimum, in omnium necessitatum maxima, morte scilicet, confugerunt, eum deprecantes, ut Deo amici, illique acceptissimi caducam hanc et calamitatibus undique redundantem vitam obirent. Felicissimam scilicet mortem assecutus est Ioseph, Iesu ac Maria sibi praesidibus, cui similem dum nos cupimus, ad eum confugimus. Eam ob causam in vetustis Ritualibus, fortasse non paucis, eae litaniae, quas Ecclesia recitari iubet, ut aeger ad sacram mortem praeparetur, disponaturque, Iosephi nomen subsequitur nomen Ioannis Baptistae, ideoque praeit apostolorum et reliquorum sanctorum nomina et invocationem (1): quem quidem morem in solemnibus etiam litaniis servari iussit optimus pontifex Clemens XI.

1389. Huius porro, quem dixi, cultus Iosepho adhibiti non levia argumenta sunt eae Missae, et sacra Officia, quae in Breviarium Romanum induxit fidelium pietas, donec solemni S. Pii V iussu in Breviario Romano a se constituto ritu duplici positum est. En quid de hoc Officio nos docuit eruditissimus Meratus: « Ioseph. In Appendice Gregorii cum hoc titulo nutritoris Domini. Renovavit festum Sixtus IV.

1390. « Pius V mutavit Officium, quod prius erat totum de eodem propriissimum. — Praecepit diem populo festum Gregorius XV cum decreto sacrae Rituum congregationis 8 Maii 1622. — Duplex secundae classis a Clemente X die 29 Novembris 1670; et Sacra Rituum Congregatio approbavit Hymnus proprius in primis Vesperis ad Matutinum, et Laudes, ac antiphonae ad Magnificat, et Benedictus: die 21 Novembris 1671; Officium S. Ioseph sponsi B. Mariae Virginis cum novis antiphonis, versibus, lectionibus primi nocturni, responsoriis, et capitulis approbavit, ac in festo eiusdem recitari mandavit Sacra Rituum Congregatio die 3 Februarii 1714, annuente Clemente XI, sub die 4 eiusdem mensis, et anni: et hoc decretum datur in nostro Indice sub numero 256 ».

1391. Indulsere porro Sacra Rituum Congregatio, et Romani Pontifices, ut peculiare Officium, et Missa Patrocinii S. Iosephi nonnullis in locis, et ab aliquibus sacris collegiis et socletatibus recitaretur: quo indulto nos quoque potiti sumus, dum nostrae congregationis generali procurationi praeesset P. D. Ioannes Albertus Grandi, qui deinde ad episcopatum Clodiensem promotus multa cum pietatis et episcopalis sollicitudinis laude commissum sibi sacrum munus gessit, et sanctissima morte complevit.

1392. **Hymnus XIX.**

De Iosephi patrocinio praeconium.

LAUDENT aetherei sidera verticis,
Subducti resonet machina ponderis,
Dum Patrocinium carmine supplices,
O Ioseph, petimus tuum.

2. Te votis genitrix alma Teresia
Tutorem coluit nostra piissimum:
Pressuris capiens tegmen in omnibus
Largo munere congruum.

3. Vexatur rigidis dum cruciatibus,
Et morbis teritur languida corporis,
Humanos medicos sentit inutiles,
Prorsus immedicabilis.

4. Serpit vix genibus dum paralytica,
Immensis premitur tacta doloribus,
Te supplex medicum quaerit, et invenit,
Plusquam vota capesserent.

5. Non solum reparas corporis organa:
Sed mentis dubiae dirigis abdita;
Arcanis animae coclica mysticis
Doctor lumina suggerens.

6. Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Ioseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

(Hymnus ad Vesp. festi Patrocinii S. Ioseph, ex Brev. Carmelit. Discalceat).

(1) In Rituali, quod inscribitur " Sacra baptizandi institutio „ editumque est Venetiis apud Dominicum Nicolinum, anno 1573 in ordine Commendationis animae pag. 13, haec habentur: " B. Abraham. S. Ioannes Baptista. S. Ioseph. Omnes sancti patriarchae et prophetae „. Idem prorsus servatur in altero rituali antiquiori edito Venetiis apud Iuntas, anno 1558, pag. 17.

Digitized by Google

1393. **Memento.** — In iis quae disserui privatam Iesu Christi vitam adumbrans, duo notata sunt. Alterum n. 23, (pag. 76) ubi fidenter nimis asseruerim S. Iosephum fuisse fabrum lignarium, cum SS. Patres plures, quos inter S. Hilarius in Matth. Cap. XIV, 12; S. Ambrosius in Luc. Lib. III, n. 2; S. Petrus Chrysol. Serm. 48; Ven. Beda in Marc. Lib. II, Cap. 6, ferrarium dixerint.

Sed obvia est difficultatis solutio. Mitto Evangelium Infantiae n. 38, et apocryphis reliquis forte vetustius Evangelium Iacobi n. 9; certe S. Iustinus M. Sichemita, quique ab aetate Domini propius abfuerit, Dial. cum Tryphone n. 88, fabrum lignarium eum dicit. Item Celsus penes Origenem Lib. VI, nn. 36, 37. At praeterea id innuit ipsa vox τέκτων; quamquam enim Hesychius et Suidas eam artificem quemlibet universim significare animadvertant, attamen usu et consuetudine loquendi speciatim lignariis fabris denotandis adtributa est. V. Aristoph. Aves v. 1154 seqq: Xenophon. Agesil. Cap. I, n. 26; Pollux Onomast. Lib. VI, Capp. 24 26: fabros ferrarios appellant potius σιδηρεύς, σιδηρουργός, χαλκεύς. Accidit hic quod in aliis quoque linguis usuvenit, ut nomina generica ad aliquam subalternam speciem significandam quandoque contrahantur. Ita italice " Artista „ quemlibet significat qui artificium aut opificium aliquod exerceat, deflexum tamen speciatim est iis qui artes liberales colant; " Virtuoso „ et " Virtuosa „ iis qui musicen calleant.

Nec obsunt Patres, quippe Evangelistarum verba, ut adsolent. ad allegoricum sensum trahunt. Ita e. g. S. Hilarius I. c. " Sed plane hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem saeculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humane „ etc. Nempe Matthaei verba ad caelestem Iesu Christi patrem transfert, eiusque omnipotentem virtutem ut efferat, in exemplum sumit ferrum, quod quamquam metallorum rigidissimum, ille subigere et mollire pro lubitu queat.

Iure itaque mihi videor asseruisse Christum, qui cum dives esset, pauper pro nobis factus est (I Cor. v. 9) homini quem assumpserat (S. Ambros. de Fide ad Gratian. Lib. v. Cap. 3). hanc posuisse legem, ut vel diurnam operam locans (Iob VII, 2; Matth. XX, 2); vel prout occasio ferret, opera redimens (Exod. II, 9; Tob. II, 19), lignaria arte vitam sustentaret. (Card. Segna, " Libellus Retractationum, „ n. 3).

XX. — Sermo Ioan. Chrysost. Trombelli.

DE ARTE QUAM S. IOSEPH EXERCUIT.

Mariae SS. vita et gesta, dissert. XXVII, quaest. 2.

CAP. I. — Quaerimus num aurifex: num nobilis architectus is fuerit: num faber ferrarius. Argumenta recensentur, quibus nituntur opiniones istae.

Fuisse subditum Mariae et Iosepho puerum Iesum, dum puer adhuc esset, illisque paruisse, compertissimum faciunt ea, quae superiori capite diximus. At in quo se illius obedientia ac demissio potissimum exercuerit, ab interpretibus disputatur. Scientiis et liberalibus artibus operam minime dedisse, ex celeberrimo illo Evangelii Ioannis loco assequimur: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (Ioan. VII, 15) Non quod nolim prima ipsa litterarum elementa eum non fuisse assecutum [haec enim discunt populares ipsi, et magna pars artificum et ignobilium], sed quod, uti dixi, in iis studiis, quae « litteratos homines » constituunt, se minime exercuisse Iesum Dominum censeam: neque enim, si in iis sese exercuisset, potuissent mirari Iudaei iis notissimis verbis quae iam retuli: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » Fabulis itaque accensentur ea, quae de puero Iesu scholas frequentante commenti sunt haeretici illi, quos merito redarguit Irenaeus, ad quem lectorem allego.

1395. In quo ergo se exercuit per eam aetatem Iesus? In eo se exercuit, in quo bonae indolis pueri pauperibus parentibus orti sese exercere solent: ut scilicet,. quantum fert illa aetas, parentes adiuvent in iis ministeriis, quibus illi dant operam. Haec tum ab aliis quidem, tum expressissime a Basilio didici, haec scriptis mandante: « In prima quidem aetate subditus parentibus, omnem laborem corporalem leni ac obedienti animo cum ipsis sustinuit. Cum enim homines illi essent iusti quidem et pii, sed pauperes, et rebus ad vivendum necessariis non admodum instructi: cuius rei testis est praesepe quod venerando partui inservivit: erant, ut verisimile est, laboribus corporis assiduis dediti sic, ut hac ratione res necessarias sibi ipsi compararent. Iesus autem, ut ait Scriptura, his subiectus, laboresque cum ipsis perferendo, obedientiam suam prorsus declaravit ».

1396. In quanam porro arte se exerceret Maria, subsequenti Dissertatione inquiremus; hic quaerimus, in quanam se exercuerit Ioseph, cui operibus adiutor fuerit Iesus,

Digitized by Google

primum quidem [prout aetas illa ferebat] in pueritia, tum deinceps toto illo tempore, quo privatam in patria aede vitam egit: quam ob causam non « filius fabri » tantummodo Matth. XIII, 55), verum etiam expressissime « faber » (Marc. VI, 3) est dictus: ex quibus quidem locis haec eruit Caietanus: « Apud Matthaeum dicitur « fabri filius »; apud Marcum vero « faber », cum articulo, scilicet « ille faber »; ut intelligamus utrumque esse dictum, et quod erat « filius fabri », et quod erat « faber »: personaque certa fabrilis artis significatur per articulum. Hinc autem habemus unde satisfiat curiosis quaerentibus quid fecerit Iesus usque ad tricesimum annum: vacabat enim exercitio fabrili. Et hoc valde congruit testimonio humano, quod non vacavit litteris, non scientiis, non doctrinae legis ».

1397. Sed quoniam voces hae « faber », « artifex », et affines aliae, latam habent significationem, et fere sumuntur ad eos omnes denotandos, qui nec litteris, nec vilicatione, aut rurali exercitio, sed tamen manuum opere sibi comparant victum,quaeritur adhuc quaenam fuerit ars ea, in qua se Iesumque a pueritia ipsa [nisi plane fallimur] exercuerit Ioseph. Hugo a S. Caro, quem Maldonatus et Sandinus etiam allegant, Hilscherus quoque aurificem fecisse creditur. Haec revera habet Hugo de Christo: « Sedebit conflans et emundans argentum », etc.

1398. At non propterea aurificem Iosephum, ideoque Christum, effecisse Hugonem arbitror: non modo quia respexisse tantummodo videtur ad propheticum illud: « Et sedebit conflans, et emundans argentum » (Malach. III, 3), illudque allegorice Christo assignasse, verum etiam quia, ut monitis clariss. Mazochii utar, « qui conflat aurum, et argentum, nec is, et aeris flandi gnarus est, uti constat ex illis singularibus, quae in nummis visuntur, A A A, auro, argento, aere flando feriundo »; tum haec adiicit idem Mazochius ad eorum sententiam refellendam, qui ab Hugone aurificem constitutum Iosephum volunt: « At idem Hugo, quia ad Matthaei XIII, 55, producit Hieronymi verba: « Qui in principio omnia fecit... qui fabricatus est auroram et solem », etc.; hinc ab eodem Hilschero quasi, et structorii artificii patronus Hugo ponitur ».

1399. Mirum sane, quod Hugo a S. Caro aurificem Iosephum fecisse dicatur, neque ea opinio Zachariae Chrysopolitano tribuatur: eadem enim Malachiae verba Zacharias de hoc ipso argumento agens excitat. En quae is tradit: « Marcus ait, Dominum dictum fabrum, Matthaeus fabri filium. Utrumque dici potuit: credebant enim eo esse fabrum, quo fabri filium: at vero in illorum errore veritas latet: vere enim erat filius fabri, qui per ipsum « in principio omnia fecit »: qui « operatur Spiritu Sancto, et igni », qui « fabricatus est auroram et solem », Ecclesiam primitivam et sequentem. Pater Christi, et Christus in magna domo huius mundi diversis generis vasa fabricant, et vasa irae, Spiritus igne molliendo, in misericordiae vasa commutant: unde Malachias ex persona Patris, ait de Filio: « Et sedebit conflans et emundans argentum ».

1400. Placuit tamen aliis, ab iis fortasse Scripturarum locis quae Zacharias Chrysopolitanus, aliique Patres allegant: « In principio omnia fecit »; qui « fabricatus est auroram et solem », permotis, nobilem « architectum », et ut aliis appellare libuit, « ingeniarium » Iosephi adiutorem Christum describere.

1401. Haec didici ex Theophylo Raynaudo: « Novitas, verius simplicitas, qua aliqui consulentes honori [ut putabant] Sancti Iosephi, negarunt eum sive lignarium, sive ferrarium, aut etiam coementarium opificem fuisse, dixerunt autem fuisse nobilem architectum ad varias artes, quem vulgo « ingeniarium ». Apud nullum ex tot auctoribus, qui de Sancto Iosepho scripserunt, qui eam assereret, mihi occurrit. Refert tamen illam Matthias Naveus oratione 13, de Sancto Iosepho, qui ait eos causatos nobilitatem Sancti Iosephi, quam dedecebat vile opificium manuarium: additque advocatos ab eis in suam sententiam evangelistas Matthaeum c. XIII, Marcum VI, qui Iosephum generali voce, nulla adhibita restrictione, vocant « fabrum »: quod nomen in architectum nobilem ad varias artes, et industrium machinatorem affabre quadrare opinantur. Quam eorum cognitionem « ex devota zelosaque pietate » processisse admittit supra Naveus ».

1402. Porro opinionem hanc subsequenti disputatione idem Theophilus Raynaudus reiicit: « Haec est manifesta heteroclisis, omnibus retro Patribus et doctoribus incomperta, nec satis cohaerens cum narratione evangelica, quae Christum a Iudaeis per contemptum fabri filium [ut putabatur], appellatum prodit, et eo nomine causam praebuisse admirationi refert, quod litteras sciret qui non didicisset, quippe a patre opifice ad studia litterarum nequaquam adhibitus. Quae omnia non absurde de filio opificis manu sua victum parantis, cuiusmodi est faber lignarius, aut ferrarius, iactari potuerunt, spectato usu communi, de filio autem nobilis architecti non item. Adversatur praeterea haec novitas divino consilio, quod

Digitized by Google

non nobilem secundum carnem attento praesenti tunc statu, sed humilem opificem Filio unigenito ascriptitium patrem providit, ut exemplo esset mortalibus ad calcandam saecularem nobilitatem, ut egregie observat Augustinus, lib. De catechiz. rud. cap. 22. Omnes praeterea congruentiae, sive ab hoc, sive ab illo opificio petitae, quas Patres superius adducti proposuerunt, evanescunt, iuxta hanc novitatem. Neque enim vel cum Iustino in Dialogo cum Tryphone dici potest fabro adiunctum Christum iuga fabricasse, quia dicturus erat: « Tollite iugum meum super vos (Matth. XI, 29); nec cum Hieronymo in cap. VI Marci patrem putativum habuisse fabrum dici poterit, ut ostenderetur eius vere filium esse, qui « fabricatus est auroram et solem ». Maxime item cum Chrysostomo, hom. I in Matth., fas erit affirmare ex fabri uxore conceptum, Christum, quia « per lignum salutem nostram erat consummaturus ». Aeque item corruunt allusiones ad ignem, quas Patres adhibent, qui Iosephum dixerunt fuisse fabrum ferrarium. Quare facessat ista non pietas, sed simplicitas, atque nugacitas, quae honori Sancti Iosephi consultum vult per ea, quae iuxta saeculum minus iacent: cum tamen Deus stulta mundi et contemptibilia praelegerit ». Haec, quae ex Theophylo Raynaudo retuli, facile ea reiiciunt, quae quaest. 5, dissert. 24 ex Baptista Mantuano recitavi, quibus quidem eximium, et in elegantioribus artibus sese exercentem artificem describit Iosephum:

Ipse Myron laudasset opus, laudasset et ipse Praxiteles, nec Phidiaco cessisset honori.

1403. Fabrum ferrarium innuunt Hilarius, is quoque, qui Theophilus Antiochenus dicitur: rectene, an secus, iudicaverit lector: Chrysologus, et Beda, quibus nonnulli Zachariam Chrysopolitanum adiungunt; expressissime vero id affirmant Leander et Isidorus Hispalenses...

CAP. II. — Argumenta producimus, quibus permoti alii lignarium artificem, coementarium alii, figulum, et pannorum tinctorem alii Christum Dominum fuisse aiunt.

1404. Audite porro, quae edisserant ii, qui lignarium artificem Iosephum, ideoque etiam puerum Iesum fuisse affirmant. Antiquissima est, inquiunt, eorum opinio, qui lignarium fabrum Iosephum fuisse putant, ideoque etiam Iesum in laboribus a Iosepho enutritum. Adeo antiqua ea sane est, ut eam in apocrypho quidem, sed tamen vetustissimo « Evangelio infantiae » edoceamur. Traditur quippe in eo portas, multralia, cribra, et arcas confici consuevisse a Iosepho, eumque opificiorum istorum adiutorem habuisse Dominum Iesum: quem deinceps exhibet in solio regio conficiendo, et protendendo occupatum.

1405. Neque vero apocrypha tantum producimus. Probatissimus itemque antiquissimus scriptor Iustinus est, Palaestinus quoque, ideoque, nisi valde probabilis coniectura nos decipit, quae egerat Christus, et tamen evangelistae scriptis minime tradiderant, probe calluit. Is tamen expressissime lignarios artifices Iosephum et Iesum nobis exhibet, quatenus eos exhibet opificia ruralia ex ligno conficientes. En quae in Dialogo cum Tryphone legimus: « Et cum ad Iordanem venisset Iesus, et Iosephi fabri lignarii filius censeretur... lignarius adeo et ipse haberetur [ut qui quandiu inter homines versatus est, lignaria opera talia faceret, puta aratra et iuga: quo et iustitiae symbola prae se tulit, et actuosam vitam], Spiritus Sanctus... in eum advolavit ».

1406. Iustino iure meritoque Origenem iungimus, seu potius Celsum [referente Origene] Christianos irridentem, quod « lignum » celebrarent, propterea quia ligno affixus fuit Christus, ideoque in eo mortem ignominiosissimam subire compulsus, propterea quoque quia idem Christus fuisset faber (lignarius scilicet, aliter Celsi scomma, atque irrisio Christianos omnino non affecisset). Vulgatissima itaque Origenis tempore opinio invaluerat, qua credebatur lignarium artificem fuisse Christum. Sed praestat ipsa Celsi scommata [referente Origene] adducere: « Deinde cavillis in lignum ludens, ex duplici capite illud incessit, dum ait lignum a nobis idcirco celebrari, aut quia magister noster affixus patibulo est, aut quia is faber erat... Si propterea confictum est lignum vitae, quia faber ille (Iesus) erat: ergo si sutor fuisset, nobis obtruderetur nescio quod « corium sanctum »; si faber marmorarius, aliquem « beatum lapidem »; si ferrarius, « ferrum charitatis ».

1407. Quamquam autem Origenes negat « in Evangeliis ab Ecclesia receptis Iesum dici fabrum », id tamen indubitatum est: et quamvis fortasse ab eo codice, quo Origenes utebatur, id abesset, non aberat procul dubio ab eo, quo usus Iustinus erat, neque ab eo quo usus Basilius est, neque ut verbo dicam, ab iis codicibus, quibus usi sunt ii Patres, qui lignarium artificem affirmant Iosephum, ideoque Christum: e quibus Patribus nonnullos statim allego.

1408. Basilius, procul dubio laudatissimus idemque valde antiquus scriptor est. Is tamen apertissime iis favet, qui lignarium fa-

Digitized by Google

brum fuisse Iosephum aiunt. « Pauper, inquit Basilius, [Christus erat] quod non divitis alicuius, sed fabri lignarii filius secundum carnem dictus est ».

1409. Eidem sententiae favet Operis imperfecti in Matthaeum scriptor, Ariana labe nonnihil quidem infectus, ceterum non ignobilis. « Ideo, inquit, et Maria desponsata erat fabro lignario, quoniam et Christus sponsus Ecclesiae omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus ».

1410. Quonam saeculo elaboratae sint interpretationes Syriaca et Arabica, critici disputant. Antiquae sane eae sunt, et valde celebres. Eae tamen lignarii artificis filium habitum fuisse Christum testantur. Pulchre haec in Synopsi criticorum edocemur: « Fabri, vel ferrarii, ut est in Evangelio Hebraeo utriusque editionis, vel potius lignarii, ut Syrus et Arabs accipiunt ».

1411. Vulgatissimam quoque fuisse saeculo IV opinionem hanc, ea comprobant quae ex Sozomeno et Theodoreto assequimur: quanquam vero in ea descriptione nonnihil Sozomenus et Theodoretus discrepent, ea tamen varietas rei nostrae minime obest. Potuit enim utraque narratio vera esse: potuit quoque eadem res, tametsi per se verissima, diversa ratione narrari, ideoque describi. Utcunque sit, en quae narrat Sozomenus: « Cum Iulianus adversus Persas expeditionem pararet, eoque bello confecto, Christianos se male mulctaturum minaretur, ac per ludibrium diceret: Fabri filium nullam ipsis opem afferre valiturum: respondens ille ita praedixit: At hic fabri filius arcam illi ligneam apparat ad tumulum ».

1412. At Theodoretus ita eamdem responsionem describit, ut doceat paedagogum Christianum quemdam eamdem responsionem expressissime Libanio sophistae fecisse. En quae tradit Theodoretus: « Hic cum esset impius, et victoriam propediem exspectaret, minasque Iuliani animo revolveret, religionem nostram deridens, quaesivit ex paedagogo, quidnam ageret fabri filius? Ille divina repletus gratia, id quod brevi futurum erat, praedixit: Loculum enim, inquit, fabricatur universi Conditor, quem tu scilicet per ludibrium fabri filium appellas ».

1413. Id expressissime tradit S. Fructuosus.

1414. Posterioribus saeculis ea etiam opinio invaluit, cuius rei testem volo esse Sanctum Thomam commentariis Sancti Matthaei Evangelium illustrantem; haec enim scripsit: « Ipse enim putabatur filius Ioseph, qui non erat faber ferrarius, sed lignarius. Quamvis etiam possit dici filius fabri, qui « fabricatus est auroram et solem » (Psal. LXXIII, 16) ». Eos, si vis, Patres adiice, qui « dolantem » describunt Iesum; quamvis enim « mystice » hi loquantur, seu, si appellare ita vis, « allegorice », respicere videntur tamen ad eam artem quam idem Christus professus fuerat, quamque exercens, « dola » et affinibus instrumentis ad lignum elaborandum utebatur. Atque haec sane opinio nostris temporibus adeo vulgata est et communis, ut ab omnibus fere excipiatur, consueverintque iamdudum pictores puerum Iesum in lignaria officina Iosepho adiutorem coloribus exprimere.

1415. Adiiciunt porro theologi et interpretes ad ipsum comprobandum coniecturam fortasse non contemnendam: scilicet Christus similitudinibus deductis a iugo, ab aratro, aliisque instrumentis quae lignarii artifices construunt, saepissime utitur. Quod quidem pristinum vitae genus a Christo ductum indicare videtur, aut certe ad illud respicere. In hac tamen coniectura non multum innitaris volo: cum enim Hebraei agriculturae dediti essent, et magna ex parte addicti, ii praesertim, quos alloqui et sermonis pascere solebat Iesus, populares scilicet et ignobiles, mirum non est, si similitudines adhiberet ex agricultura depromptas, ut clarius id quod intendebat, explicaret.

1416. At his non terretur clariss. Mazochius. « Murariam », seu, uti saepissime appellat, « materiariam » artem a Iosepho, ideoque a puero Iesu exercitam fuisse docet. Atque id quidem hac disputatione persuadere nobis studet. Voce ΤΕΚΤΩΝ utitur evangelista Matthaeus (XIII, 55) ad denotandam artem quam profitebatur Iosephus: ὁ τοῦ τέκτονος υἱός. Marcus quoque, VI, 3, Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων: « Nonne hic est faber? — Filius fabri ». At vox τέκτων, si « proprie », et in sua ac rigorosa significatione accipiatur, « materiarium » artificem denotat. « Materiarius » ergo artifex fuit Ioseph, ideoque etiam puer Iesus adiutor et comes Iosephi. Maiorem huius syllogismi negare audebit nemo, cum vocem ipsissimam a Matthaeo adhibitam referat. Minor vero facile ostenditur innumeris paene exemplis, quae optimi scriptores praebent, quaeque laudatus Mazochius mirifica eruditione describit. Si ergo proprie ac rigorose locutum volumus Matthaeum, is artificem « materiarium » nobis indicavit Iosephum.

1417. Quod si vocem τέκτων latiori significatione praeditam fuisse affirmes, quod quidem facile ostendes non paucis sane exemplis, quae ipse non dissimulat: con-

Digitized by Google

firmat quoque eorum interpretatio, qui verterunt « fabri », quae pariter vox latissimam habet significationem: reponit id quidem verum esse, sed si « rigorose » ac « proprie » loqui volumus, vertendam esse eam vocem « materiarium », seu, si vis, « constructorem » et « fabricatorem »: atque in hunc sensum vocem hanc adhibet Hieronymus, et nonnulli alii Patres. Ii porro qui vocem τέκτων verterunt « fabrum », vocem τέκτων non sumpserunt in ea vera ac rigorosa significatione ac notione, quam de se vox illa habet: neque etiam ii sumpserunt, qui coarctantes significationem vocis « fabri », Iosephum et puerum Iesum ferrarios fabros fuisse affirmant.

1418. Sed iam vertendus est sermo ad eorum opinionem, qui figulum, aut pannorum tinctorem nobis exhibent Iesum. Innititur porro utraque opinio illepido et male consuto « Evangelio Infantiae »; in cuius 36 capite describitur Iesus cum aliis pueris « sodalibus suis varias ex tuto formas fingens, asinos, boves, volucres, et alia his similia ». Quod est expressissime Iesum figulum facere. Numero porro subsequente, id est 37, ludens in tinctoria officina exhibetur Iesus. An non vero lepidissima sunt ea, quae ibi narrantur? « Respondebat Dominus Iesus: Cuiuscunque panni colorem mutare volueris, hunc ego tibi immutabo; statimque pannos ex cortina producere coepit. singulos illo colore imbutos, quem tinctor desiderabat, donec omnes eduxisset ».

1419. Aurificibus Iosephum, ideoque puerum Iesum, minime accenseo iis de causis, quas num. 7, cap. 1, attigi: neque nobilem architecturam eos fuisse professos mihi persuadeo. Consule numerum septimum eiusdem cap. 1, mihique, ut puto, assentieris.

1420. Qui ferrarios fabros Iosephum et Iesum exhibent, ego quidem minime despicio, sed eorum opinioni minime assentior: scilicet vetustos Patres suffragatores ii allegare minime possunt: ii scilicet qui allegentur, si Leandrum et Isidorum exceperis, mystice locuti sunt, et [quod iam dixi] ad creationem a Verbo peractam respexerunt. Leander porro et Isidorus laudabiles scriptores sunt quidem, sed eos Iustino, Basilio et Fructuoso praeferre non audeo, quos lignaria ars haud temere suffragatores allegat. Et propter horum, aliorumque, quos superiori capite citavi, auctoritatem, quodque etiam vulgatissima ea opinio sit, nulloque valido argumento oppugnetur, iis assentior, qui artifices lignarios Iosephum, et Iesum in Iosephi officina a pueritia ipsa per multos annos deinceps etiam commorantem, fuisse asseverant.

1421. At inquiet hic aliquis: Mazochii opinionem et argumenta non tanti facis, ut ab iis in eiusdem Mazochii opinionem inducaris? Plurimi sane Mazochium facio, virum scilicet eruditione et ingenio praestantem; at neque is a communi opinione prorsus recedit, et si recedit ut vocem « fabricator », aut aliam affinem substituat voci « faber »: fabricatorem vero « materiarium », seu coementarium artificem esse velit, ego quidem ab illius opinione discedo: video enim apertissime antiquitatem illorum favere opinioni, qui fabrum « lignarium », aut certe « ferrarium » [quamquam, uti dixi, non admodum antiqui ii sunt, qui ferrarios fabros faciunt Iosephum et Iesum] Iosephum et Iesum nobis exhibeant. Atque id quidem nobis persuadet, revera fabrum appellari commode posse eum, quem Graecus codex appellat τέκτων; aut si coarctanda ea vox est, eam a traditione antiquissima coarctari ad « lignariam artem »: cui ut faveam, vetustissimos, eosque probatissimos Patres adduxi, nullo in pretio habens quae « Evangelium infantiae » nos docet. Quis enim putidissimum et puerilibus fabulis refertissimum scriptorem in pretio habeat, quem merito tota antiquitas contempsit irrisitque? Eam ob causam, nemo, quem ego noverim, figulum aut pannos tingentem nobis exhibuit Christum, tametsi in apocrypho illo et nugacissimo opusculo id edoceamur?

1422. Porro ex hactenus dictis ii refelluntur, qui Christi pueritiam, imo infantiam ipsam in precibus ad Deum fusis tantummodo exactam putant. An haec discimus ex iis praeclarissimis magistris nostris, quos iam allegavi; qui Christum scilicet « operi manuum » intentum exhibent? Ii pariter refellentur, qui Christum paupertatem suam ostiatim emendicando sublevantem, victumque ab aliis exposcentem describunt.

1423. An is victum emendicavit, quem veteres omnes Iosephi adiutorem in officina, et laboribus adiutorem et comitem fuisse tradunt? Nihil ab aliis, ut se alerent, efflagitavit, quem, ut verbis Hieronymi utar, « usque ad triginta annos parentum paupertate contentum, ignobilem » vixisse novimus Quanquam dum operi manuum et laboribus intentum Iesum Dominum facio, non continuo minus intentum precibus ad Patrem fundendis facio, neque ab illo somnum, cibum, et reliquas nostrae humanitatis necessitates, et aerumnas arceo. Piissimus quis non faciat Iesum, « sanctum, innocentem, impollutum et segregatum a peccatoribus? » (Hebr. VII, 26.) Porro si piissimum facimus Iesum, saepissime etiam pro salute nostra orantem Patrem faciamus oportet: in quibus precibus si adiutores illi Iosephum et Mariam iungimus, id agimus,

Digitized by Google

quod simillium veri est, et a viris doctissimis traditum. Necessitates vero, et aerumnas nostras subiisse, certa res est. Novimus scilicet, si peccatum excipis, similem nostri prorsus fuisse Dominum Iesum, nostraeque humanitatis conditionem et calamitates fuisse passum: atque ut haec declaret, nobis eum exhibet Paulus « tentatum per omnia pro similitudine absque peccato ». (Hebr. IV, 15).

1424. Nihil ergo vetat ne iis adhaereamus, qui docent Dominum Iesum, dum in Iosephi aedibus cum Maria et Iosepho morabatur, « omne tempus suum tribus distinxisse temporibus, unum quo laudavit Deum ore suo, aliud quo manibus ei serviebat, tertium quo corporis infirmitati compatiens necessaria tribuit ei iuxta modum ». Pias hortationes, et sacra colloquia alii adiungunt.

1425. **Hymnus XX.**

Pia ad Virginem et Ioseph invocatio.

Ave, Ioseph Sponsa,
Laus et honor Sponsi:
Spes nostra Maria,
Digna Mater Dei.

2. Ave, Ioseph sancte,
Ioseph semper virgo;
Matris Dei Sponse,
Cuius Sponsa Virgo.

3. O miranda Virgo
Floris virginalis
Mater; et imago,
Norma puritatis.

4. Ioseph admirande,
Tuam praecellentem
Sacrae coeli turmae
Stupent sanctitatem.

5. Eia, dulcis parens,
Cordisque regina,
Esto nobis clemens
Mater, et patrona.

6. Ioseph regum proles,
Regis regum pater,
Domus Dei praeses,
Esto nobis pater.

7. Trinitati sanctae,
Salus, honor, virtus,
Iesu, Ioseph, Sponsae,
Hymnus sit aeternus. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

1426. **Memento.** — Iosephus quum ad conspectum increscentis Mariae uteri perturbaretur, admonitus est divinitus, quid rei Dominus pararet humano generi. Itaque vir per omnia et iustus et pius, reliquo omni tempore abstinuit ab ea, nihilque fuit aliud in domo, quam praetextus famae virginis, minister infirmi sexus et tenerae aetatis pueri. Non est quod quisquam continentiam hanc Iosephi et Mariae miretur: fecerunt hoc idem multa coniugum paria, quae memoriae sunt prodita, velut Iulianus martyr et Basilia, Chrysanthus et Daria Alexandrini, Henricus Caesar et Sinegunda, Amos, Malchus, et alii pene innumeri, qui litterarum monumentis non sunt mandati. Exemplum Mariae peperit imitationem, imitatio confirmat fidem exempli, ut quia fecerunt illi maximi, ad faciendum incitati sint minores: et quia hi fecerunt, non dubitetur de illis. Quod si in minoribus causis constat fides, cur in maioribus haerebitur? verisimilius est potuisse id contingere in matre Christi, quam in uxoribus servorum. Sive id erat Iosepho iam tum, quum illam sibi desponderet, fixum et destinatum animo, non commisceri feminae, sed ab eius contactu conservare se purum, ut Deus cuius consilium ad grande illud arcanum deducebat virginem, talem illi socium applicarit: qui illi ut in vita omni, sic in proposito animi esset concors. Sive ille vir religiosus horrore divinae maiestatis, non ausus est turpitudinem in locum sacrum inferre, in templum videlicet longe quam illud Hierosolymorum sanctius et sacratius. Sive utrumque est, et propositum firmavit occasio. Philippum Macedoniae regem memoriae traditum est quum haberet persuasum, Apollinem draconis imagine cum uxore sua Olympiade cubuisse, non est deinceps ad eam ausus accedere. Quiddam de Platone Atheniensi haud absimile accepimus: nisi forte hoc de Philippo, et Platonis patre, sit credibile, non sit de Iosepho: et validior sit apud stultorum animos superstitio, quam religio vera apud sapientes: et umbrae pietatis apud impios, quam apud pios solida ipsa et vera. Sed certe levissimum erat numini, matrem conservare integram. Desponsam autem esse Dominus voluit virginem: noluit enim ex infamata nasci matre: maluit aliquos de origine sua quam de matris pudicitia dubitare. Quippe originem ipse suam magnitudine atque admirabilitate operum facile erat asserturus atque approbaturus. Nitori autem virginis non conveniebat, ullam prorsus quantumvis levem maculam aspergi: quae res puellarem animum supra quam dici potest conturbasset et confudisset. Quid, quod ii qui filium Iosephi faciunt Dominum, ut Iudaicus furor ac rabies, Mariae castitatem non putant se accusare, ut quae nihil censeatur fecisse contra legem; qui vero de virgine male sensissent, etiam Christi infamassent originem, ita virginis dedecus commune fuisset ambobus. De Christo vero patre dubitatio nullam alterutri parit ignominiam, quia nihil existimatur commissum contra legem coniugii. Pertinet hoc quoque ad exemplum Ecclesiae, ne aliae feminae opinionem de se negligant, tanquam in hoc matris Domini sui non dissimiles, quae de pudicitia male audivissent. Ceterum ex matre sine patre nasci, grandi hoc mysterio non carebat. Alioqui cur fuisset turpius patrem habere quam matrem, cum praestantior sit vir, quam femina? Sed nefas erat, homo quisquam diceretur eius pater, qui patrem haberet Deum. " Ludovicus Vives. De veritate fidei ".

Digitized by Google

XXI. — Sermo Chrystophori de Castro.

MARIA VIRGO IOSEPHO DESPONSATUR.

Historia Deiparae V. Mariae, cap. IV.

Cum I) ad nubilem aetatem pervenisset Virgo, et sacerdotes, quibus curae erat, de tradendo eam viro inter se agerent, II) opportunum nacti tempus, quod multi ad solemnia Encaeniorum festa celebranda, e variis urbibus, praesertim ex Mariae consanguineis, Hierosolymam adventarent, de re cum illis conferunt, quod indecorum iam videretur formosam adolescentulam inter sacerdotes versari. III) Definitum ergo est oportere matrimonio tradi puellam. IV) Quo consilio ad eam delato, qua decuit animi submissione, id nulla ratione fieri posse, ingenue respondit, tum quod parentes se divino cultui dedicassent, tum maxime quod uni Deo suam ipsa virginitatem consecrasset. Rem novam et omni consideratione dignam sacerdotes admirantes, V) dubii haerent. Nam dignitatem Virginis contemplantes, cuius praeclara virtus, et excellens sanctitas in omnium ore versabatur, divinum quiddam abditum in ea esse arbitrabantur ac definito consilio illam ad id compellere non audebant, nec quid agerent sciebant; hinc enim, quod Dei esset iure consecrationis, alteri dare, qui dominus illius fieret, sacrilegium esse iudicabant, inde autem obstabat consuetudo inveterata, qua nulla feminarum aliena esse a matrimonio permittebatur. Praeterea Virginis debito putabant satisfactum, si sacerdoti cuipiam nuberet, quicum in divino cultu perseveraret: ac legi adversari id advertebant, quae unicam parentum haeredem alii, quam ex eadem cum Virgine familia, viro tradi prohibebat. Rem omni ex parte VI) dubiam ad Deum more solito deferunt consulturi, quod de sua Virgine fieri vellet requirentes: responsum ex oraculo est, ut omnes, qui Hierosolymis tunc aderant ex familia Davidis matrimonio apti convenirent, atque uni illi desponderetur virgo, qui divina sorte eligeretur, ea in Sponsam futurus observantia, ut eam ne attingere quidem auderet, sed custodis tantum, ac patroni munere fungeretur. Interea Deum summis precibus obsecrabat ipsa, ne ab ea, in qua erat, mente, se dimoveri pateretur: sed admonita divinitus itidem est, ne metueret, ipsam Deo praecipuae curae esse, tantum sacerdotum consiliis assentiret. Igitur cum Virginis parentes convenissent quotquot ex Davidis familia liberi reperti sunt, nutu divino obtigit VII) sors Iosepho VIII) Bethlehemitae, in fabrelignaria arte perito, et qui quod X) profecta aetate esse vir, pius, et iustus, et eiusdem cum Virgine propositi, nam XI) castitatem coluerat semper, ad id munus obeundum omnium selectissimus divinitus habitus est. Electo iam sponso, unus e sacerdotibus, Maria Virginem apprehensis, XII) de more, utriusque dextris, XIII) in sponsam tradit virgini Iosepho, mense XIV) Decembri, inchoato per tres menses, anno aetatis virginis XV) decimoquarto, tantum XVI) ad custodiam, curam eius gerendam, non ad usum coniugalem. XVII) inito cum omnium gratulatione tam casto coniugio, cum singuli ad suas regrederentur urbes post Encaenia celebrata, Iosephus sponsam consanguineis, qui summe illam, ob illustrem, quae de ea erat, opinionem, observabant, XVIII) Nazaretham reducendam permisit. Ubi XIX) in domo, quam ei, ut unicae haeredi, parentes reliquerant, habitavit. Ipse vero XX) Bethlehemum ad suos profectus est, praestolaturus ibi opportunum tempus, de rebusque suis dispositurus paraturusque ea, quae ad celebrandas nuptias necessaria videbantur.

TESTIMONIA.

1428. I. « Ad nubilem ». — Gregorius Nyssenus episcopus in Orat. de humana Christi generatione: « Sacerdotes autem, quandiu parvula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis aedibus educarunt: sed cum iam adolesceret, consulebant quidnam agerent de sacro illo corpore, ne Deum offenderent ». Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Itaque ad quartum decimum annum usque pervenit: tum pontifex publice denuntiabat, ut virgines, quae in templo constituebantur, et hoc aetatis tempus implessent, domum reverterentur, et nuptiis secundum morem gentis et aetatis maturitatem, operam darent ». Simeon Metaphrastes, in Orat. de vita et dormitione Sanctae Mariae: « Cum vero crevisset puella, consilium coeperunt (sacerdotes) quidnam sacro illi corpori facientes non peccarent in Deum ». Nicephorus, lib. I, Historiae ecclesiasticae, cap. 7: « Postquam autem adolevit consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur ».

1429. II. « Opportunum ». — Hieronymus, in Historia de ortu Mariae: « Praecepit ut ad festivitatem, quae imminebat, omnes ex Hierosolymis et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de re tam dubia faciendum esset ».

1430. AUCTOR. Cum certum omnibus sit

Digitized by Google

mense Martio Virgini laetum nuntium de Christi conceptu renuntiatum, ut suo loco explicabimus, et divinus Evodius, quem infra num. 20 referemus, affirmat, quarto post desponsationem mense, id ab Gabriele allatum, sequitur desponsam Virginem mense Decembri, qui quartus est ante Martium; quo in mense cum Encaeniorum festa celebrarentur (nam 25 die Novembris incipiebant perdurabantque usque ad tertium Decembris per octo dies, ut dicitur I Mach. IV et II Mach. I et X), non absque ratione animadversum est sacerdotes occasionem nactos hoc tempore fuisse tractandi cum Virginis consanguineis, qui ad festum accesserant, de eius desponsatione. Praeterea enim per hosce dies confecta res creditur, in quibus et ipsa Virgo concepta est octavo Decembris, ut cap. 2, num. 3, diximus.

1431. III. « Definitum est ». — Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Tunc pontifex publice denuntiabat ut virgines, quae in templo constituebantur, et hoc aetatis tempus implessent, domum reverterentur, et nuptiis secundum morem gentis, et aetatis maturitatem, operam darent ».

1432. AUCTOR. Et hoc quidem verosimile est, et propterea actum est de Virgine Maria despondenda; nam et ad consecutionem eorum, quae sequuntur, haec aut similia praecessisse, non est praeter rationem historiae et gestorum veritatem.

1433. IV. « Quo consilio ». — Gregorius, Nyssenus episcopus, in Oratione de Sancta Christi Nativitate: « Interdixi, inquit, mihi consuetudinem viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? Haec Mariae vox declarat ea, quae ex historia incerti auctoris commemoravi non esse penitus absurda », et cetera, ut supra cap 3, n. 16. Hieronymus in Historia de ortu Virginis: « Cui mandato cum ceterae pronae paruissent, sola Virgo Domini Maria hoc se facere non posse respondit, dicens se quidem et parentes suos Domini servitio mancipasse, et insuper seipsam Domino virginitatem vovisse quam numquam viro aliquo commistionis more cognito, violare vellet », Simeon Metaphrastes in Oratione de vita et dormitione Deiparae: « Est, inquit, mihi prohibita cum viro consuetudo: quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognosco? Haec vox Mariae, est demonstratio eorum quae arcane et occulte narrantur », et cetera, ut supra cap. 3, num. 16.

1434. AUCTOR. Iam tibi constat, candide lector, probari Gregorio et Metaphrastae historiam illam incerti auctoris, qua dicitur, Virginem sacerdotibus votum suum explicuisse, qua de re iterum redibit sermo sequenti capite.

1435. V. « Dubii ». — Gregorius, Nyssenus episcopus, in oratione dicta: « Etenim naturae legi illam subiicere, ut cuipiam in matrimonio collocata serviret, absurdissimum videbatur; instar enim sacrilegii fuisset, si muneris Deo sacrati homo dominus fieret: legibus enim erat constitutum, ut maritus dominaretur uxori. Mulierem rursus inter sacerdotes in templo versari atque in sanctis aedibus conspici, nec lex, nec gravitas permittebat ». Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Pontifex vero in angustia constitutus animi, cum nec contra Scripturam, quae dicit « Vovete et reddite », votum infringendum putaret, neque morem genti insuetum introducere auderet, praecipit ad festivitatem, quae imminebat, omnes ex Hierosolymis et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset: quod cum fieret, omnibus in commune placuit Dominum super hanc rem esse consulendum ».

1436. Simeon Metaphrastes in Oratione de vita et dormitione Deiparae: « Consilium ceperunt, quidnam sacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent: eam enim legi naturae subiungere; et eam dare in servitutem ei, qui illam duceret, videbatur absurdissimum: existimatum est plane sacrilegium, si divini donarii homo fieret Dominus, quandoquidem a lege est constitutum, ut maritus esset dominus coniugis; ut autem in templo versarentur mulieres cum sacerdotibus, et inter sanctos viderentur, nec lege permittebatur, nec res erat honesta ». Nicephorus lib. II, Historiae ecclesiasticae, cap. 7: « Consilium sacerdotes agitarunt quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur; sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent atque in servitutem coniugalis legis redigerent, quae simul Deo dicata esset: e diverso autem puellam eo aetatis flore in sacratiore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam, et decoram esse videbant ».

1437. AUCTOR. Multa simul animadversa sunt in Virgine a sacerdotibus, quae merito anxios tenebant, et sollicitos; nam primum non poterant illi non fidem habere, quam omnes multis rationibus admirabantur: deinde nec satis fiebat Deo, cui consecrata erat puella, si nuberet sacerdoti, qui cum et ipsa poterat cultui divino esse addicta, quia suam virginitatem dicarat; praeterea viro tradi ad rem uxoriam erat prohibita: ex alia parte videbant contra consuetudinem populi, tum etiam perire genus parentum Virginis, quae unica erat illis

Digitized by Google

haeres: haec ergo omnia merito sacerdotes compulerunt, ut Deum consulerent.

1438. VI. « Dubiam ». — Gregorius Nyssenus in Oratione de Sancta Christi Nativitate: « Deliberantes igitur in hanc sententiam divinitus convenerunt, ut eam connubili nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius dumtaxat esset idoneus ». Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Et cunctis quidem orationi incumbentibus, pontifex ad consulendum Deum de more accessit; nec mora, cunctis audientibus, de oraculo et de propitiatorii loco, vox facta est, requirendum esse, cui virgo illa commendari, et desponsari deberet: cunctos de domo et familia David nuptui habiles, non coniungatos, virgas suas allaturos ad altare praedixit; et cuiuscumque post allationem virgula florem germinasset, et in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbae consedisset, ipsum esse, cui virgo commendari, et desponsari deberet.

1439. Erat autem inter ceteros Ioseph, homo de domo et familia David, grandaevus: cunctis vero virgas suas, iuxta ordinem, deferentibus, solus ipse suam subtraxit: unde cum nihil divinae voci consonum apparuisset, pontifex iterato Deum consulendum putavit. Proditus est itaque Ioseph: cum enim virgam suam attulisset et in cacumine eius columba de coelo veniens consedisset, liquido omnibus patuit ei virginem desponsandam fore ». Germanus, archiepiscopus Constantinopolitanus, in Oratione de Virginis oblatione: « Tunc autem Dei nutu et consilio sacerdotum de ea datur sors ». Simeon Metaphrastes in Oratione de vita et dormitione Deiparae: « Eis vero de his consultantibus, a Deo datur consilium, ut eam quidem dent viro nomine desponsationis, is autem talis esset, qui ad virginitatis aptus esset custodiam ». Nicephorus, lib. I Historiae, cap. 7: « Saepe itaque et multum re deliberata, divinitus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui qui ad templum sedulo esset, sponsae nomine commiterent, eum vero talem esse debere, cui recte virginitatis custodia demandaretur ».

1440. VII. « Sors Iosepho ». — Gregorius Nyssenus in oratione dicta: « Ad hoc autem munus aptissimus inventus est Ioseph ex eadem tribu et patria, qua erat Virgo ». Epiphanius, haeresi 78, Contra Antidicomarianitas: « Primum ergo quando Virgo tradebatur ipsi Iosepho sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, non tradita est ipsi ad coniunctionem, si vere dicere oportet, sed propter legem quidem vir illius vocatus ». Et in Ancoratu, ad medium: « Hic Ioseph senex exsistens secundum necessitatem sortibus missis in viduos, et non habentes uxores, in singulis tribubus, in virgines in templo, eo quod consecrati essent in templo primogeniti filii masculi et feminae, accipit iuxta sororem Sanctam Virginem Mariam ex qua secundum carnem natus est Dominus noster Iesus Christus ». « Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Erat autem inter ceteros Ioseph homo de domo et familia David », et cetera, ut supra num. 6. Germanus, archiepiscopus Constantinopolitanus, in Orat. de oblat. Mariae: « Tunc autem Dei nutu et consilio sacerdotum de ea datur sors, et sorte eligitur Ioseph iustus ». Simeon Metaphrastes, in Orat. de vita et dormitione Deiparae: « Inventus est itaque Ioseph, qualem quaerebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat Virgo ». Gregorius Cedrenus in Compendio historiae: « Cum annum 14 attigisset, Iudaei in templo eam deinde morari non sunt passi. Porro sacerdotes eius causa Deum precati sunt. Ibi pontifex duodecim senum cognatorum Mariae ferulas accepit, inque ara posuit dicens: Ostende, Domine, cui virgo debet copulari. Floruit autem virga Ioseph fabri, atque huic octogenario in matrimonium tradita est ». Nicephorus, lib. I, cap. 7: « Porro non alius ipso Iosepho visus est esse magis idoneus ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret; eiusdem enim tribus erant: insuper vero et senio et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consecutus esset ».

1441. AUCTOR. Ne tibi praeter rem videatur, signo visibili electum fuisse Iosephum a Deo, animadverte in Scriptura sacra sortis nomine accipi divinam voluntatem signo externo declaratam, qua ostenditur eligiturque is qui quaeritur. Sic num. 17, floribus et agmidalis germinantibus in virga electus est Aaron in sacerdotem; sic divina sorte quaesitus est praevaricator Acham, Iosue VII; sic I Regum X, sortibus electus est Saul; sic divina sors cecidit super Matthiam Actuum I, quam sortem appellasse Scripturam ait Dionysius Areopagita, De ecclesiastica hierarchia, cap. I, divini quiddam et praecipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. Quod si huiusmodi sortes tam frequentes erant ad ostendendos eos, qui vel ad munia aliqua eligebantur, vel ut punirentur; quod et in lege evangelica contigit aliquando ut futuri episcopi columbae adventu declararentur, quid mirum si ad eligendum eum qui futurus erat Sponsus Virginis, custos et patronus, et Dei Filii nutritius, sorte divina floreret, virga et columba in eius fastigio consideret?

Digitized by Google

1442. VIII. « Bethlehemitae ». — Lucas, cap. II, 4 : « Ascendit Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David ». Iustinus Martyr, Dialogo contra Tryphonem : « Cum professionis primae tempus venisset in Iudaea, tum Quirino praetore, Iosephus Nazarethae oppido ubi habitabat, Bethlehem, ubi erat, profitendi causa, venit ». Epiphanius haeres. 79, Contra Nazarenos : « Nam et ipse Dominus Iesus Nazarenus vocabatur, propterea quod in Nazareth civitate, quae nunc vicus est, educatus esset in domo Ioseph, natus vero secundum carnem in Bethlehem ex Maria Virgine desponsa ipsi Ioseph, qui in eamdem civitatem transmigravit, postquam a Bethlehem digressus in Galilaea habitavit ». Simeon Metaphrastes in Oratione de vita et dormitione Deiparae : « Idcirco Iosephum et Mariam qui etsi cives essent Bethlehemitae, ea terra dimissa (quod multis saepe accidit, ut dimissis iis, quae ipsos tulerunt, mallent in aliena habitare civitate), ipsi quoque habitabant in Nazareth, compellebat in Bethlehem edictum ». Nicephorus, lib. I, cap. 12 : « Cum Ioseph simul cum Sponsa Maria in patriam suam, ut ibi censeretur, iret ».

1443. IX. « Fabrelignaria ». — Matthaeus, cap. XIII, v. 55 : « Nonne est fabri filius ? » Iustinus Philosophus, et Martyr in Dialogo cum Tryphone Iudaeo, post medium : « Cumque venisset Iesus ad Iordanem, ut tunc putabatur Iosephi materiarii fabri filius, ipse quoque obscurus, ut Scripturae praedixerant, et pro fabro habitus : solebat enim, dum inter homines degeret, aratra fabricare iugaque, ut per has figuras iustitiam doceret, et re ipsa fugam otii ». Ambrosius, serm. 16, in Natali Domini : « Nonne hic est filius Ioseph fabri et mater eius Maria est? ». In hoc quoque adverte mysterium. Faber pater dicitur Christi et plane Pater Faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, et plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit; faber, inquam, est, qui ordinavit Moysi tabernaculum, arcam testamenti instituit, templum Salomonis erexit. Hic autem faber circa arbores curvo utitur ferramento, sicut in Evangelio legimus, dicente Matthaeo : « Iam securis ad radices arborum posita est ». (Matth. III, 10). Hoc enim agit totum, ut utiles coelestis fabricae arbores in futuro componat, infructuosas vero evulsas radicitus flammarum consumat incendio ».

1444. Chrysostomus, serm. 30, in Epist. ad Rom. cap. 1 : « Quando quidem adeo erant inflati, et Paulus apud eos praedicaturus esset Iesum fabri lignarii putatum filium ». Auctor Op. imperfecti in Matth. hom. 1 : « Sed ut per omnia filii paternae nativitatis paternum imitarentur exemplum, ideo et Maria desponsata erat fabro lignario, quoniam et Christus sponsus Ecclesiae omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus ». Et hom. 32, in Matth. cap. XIX : « Tanquam si ita invidiose respondeant : Tu autem homo vilissimus fabri lignarii filius, quomodo destruis quod ille constituit ? » Sozomenus, lib. VI Hist. eccles., cap. 19 : « Cum Iulianus bellum esset contra Persas facturus, et minatus fuisset se post bellum Ecclesias graviter afflicturum, et petulanter insultaret Filium fabri, nihil illis afferre posse subsidii, vir quem dixi modo, hanc de eo pronuntiavit sententiam. Iste fabri Filius arcam ei ligneam ad mortem parat ».

1445. Theodoretus lib. III Hist. eccles. cap. 23 : « Antiochiae vir quidam optimus, qui longo tempore puerorum paedagogum ageret, familiaris erat, quippe eruditior quam vulgus paedagogorum esse consuevisset principis doctorum temporis illius. Libanius hic fuit, ille apud sophistas nobilis, qui impius, et in exspectatione victoriae Iuliani imaginans minas, quaerit a paedagogo illo per derisionem nostrorum, quid faceret fabri Filius? At ille repletus divina gratia, quod paulo post eventurum esset, praedixit : respondit enim sandapilam concinnare Fabricatorem huius universitatis, quem tu, inquit sophista, per risum fabri Filium nominasti. Nec multis postea diebus nuntiatum de morte furiosi imperatoris, ipseque in sandapila allatus est : et iactantia minarum evanuit cum maxima gloria Dei ». Nicephorus, lib. X Historiae, cap. 35 : « Cum Iulianus exercitum in Persas duceret, et Libanius illudens ad sanctum illum virum diceret, quidnam faceret fabri filius, respondens ille, Ligneam, inquit, arcam ad mortem imperatoris tui elaborat, et parva intercessit mora, cum mortuus ille adductus est ».

1446. AUCTOR. Quoniam nomen fabri, quod Graece dicitur τέκτων, generale est omnibus artificibus, ideo alii ex Patribus Iosephum fabrum ferrarium fuisse putarunt, ut Hilarius, cap. 14, in Matth. : « In hoc notatur Dominus, inquit, a suis, et quanquam et docendi prudentia, et operandi virtus admirationem commoveret, infidelitas tamen eorum, virtutem iudicii non recepit. Non enim credunt haec in homine Deum agere, quin et patrem ipsius, matrem, fratresque nuncupant, et paternae artis quodam opprobrio lacessunt : sed plane hic, fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem saeculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae ».

Digitized by Google

Et Petrus Chrysologus sermone 48: « Dicebant: Hic est fabri filius, sed cuius fabri filius, non dicebant. Dicebant fabri filius, ut arte vili ars lateret auctoris, et Deitatis nomen fabrile nomen absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit, non malleo, sed praecepto: qui elementorum membra, non ingenio, sed iussione compegit; qui massam, saeculi, auctoritate, non carbone conflavit; qui solem non terreno igne, sed supremo calore succendit; qui lunam, tenebras, noctem firmavit et tempora; qui stellas variata luce distinxit, qui cuncta fecit ex nihilo, et fecit, o homo, tibi, ut opificem operis aestimatione pensares ».

1447. Et Leander, Hispalensis archiepiscopus, libello De institutione virginis ad Florentinam sororem, cap. 22: « Sed et Iosephus, cui desponsata fuerat, cum esset iustus, erat tamen pauper, ita ut victum et vestitum artificio quaereret, quippe faber ferrarius fuisse legitur ». Isidorus, in Regula monachorum, cap. 5: « Et Ioseph iustus, cuius Virgo Maria desponsata exstitit, faber ferrarius fuit ». Item Beda lib. II in Marc. cap. 23: « Non autem sine certi provisione sacramenti Dominus in carne apparens faber, et fabri filius aestimari ac dici voluit, quin potius etiam per hoc se eius ante saecula Filium esse docuit, qui fabricator omnium in principio creavit coelum et terram; nam etsi humana non sunt comparanda divinis, typus tamen integer est, quia Pater Christi igne operatur et spiritu: unde et de ipso, tamquam de fabri filio, praecursor suus ait: « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne » (Matth. III, 11). Qui in domo magna huius mundi diversi generis vasa fabricat, imo vasa irae sui spiritus igne molliendo in misericordiae vasa commutat ». Denique Anselmus in Matth. XIII: « Paternae artis opprobrio, ait, eum lacessunt, qui revera filius erat fabri, quem summus Fabricator omnium genuerat, et qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu Sancto et igne baptizat: qui etiam diversi generis vasa fabricat, imo vasa irae Spiritus igne molliendo in misericordiae vasa commutat ». Verum quia prior sententia et dicentium auctoritate, et fidelium omnium applausu iam diu comprobata est, ea nobis et certior videtur, et dignior.

1448. X. « Provecta ». — Epiphanius, haeres 51: « Aut solum vir vocatus est (Ioseph), eo quod desponsatus fuit cum senex esset, annorum plus minus octoginta ». Et haeres. 78, contra Antidicomarianitas: « Et post multos annos accipit Mariam viduus agens annum viduitatis suae fortasse octogesimum, et ultra ». Hieronymus in Historia de ortu Mariae: « Erat autem Ioseph homo de domo et familia David grandaevus ». Georgius Cedren.: « Atque huic octogenario in matrimonium tradita est ». Nicephorus lib. I Historiae, cap. 4: « Porro non alius ipso Iosepho visus est magis idoneus ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret, insuper vero, et senio et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consecutus esset ».

1449. AUCTOR. Si consideremus finem, propter quem datus est Virgini sponsus Ioseph a sacerdotibus divino inspirante Spiritu, certi efficiemur, non adolescentem, qui etsi pius et iustus, nec tanta esset prudentia, aut virili fortitudine ad custodiendam illam, et necessaria acquirendum, insuper et ad tot itinera peragenda, et a tantis periculis illam cum puero Iesu liberandum: quae omnia virum postulabant prudentem, expertum, et laborum patientem: et qui solari posset teneram Virginem tamquam pater et tueri tamquam vir: nec adeo senem fuisse, ut volunt Epiphanius et Cedrenus, in Compendio historiae, qui octoginta annorum fuisse dicunt, cum ad ea munera subeunda, et tot itinera conficienda non fuisset accommodatus: esset ergo, si coniicere licet, vir a triginta usque ad quadraginta annos natus.

1450. XI. « Castitatem ». — Hieronymus lib. Adversus Helvidium: « Tu dicis Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vindico, ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur, Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus, relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari ». Augustinus, serm. 14, De nativitate Christi: « Habe, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur angelorum: sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate servata, sis autem et tu pater Christi cura castitatis et honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris Genitricis saeculis christianis nulla sit zelotypia ». Et infra: « Gaude itaque, Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii, quia per meritum virginitatis, ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ».

1451. Beda, lib. II, in Marc. cap. XXIII; et in caput II Ioannis: « Non defuere, qui Ioseph virum semper Beatae Virginis Mariae putarint ex alia uxore genuisse eos, quos fratres Domini Scriptura appellat; alii

Digitized by Google

maiore perfidia alios eum ex ipsa Maria post natum Dominum generasse putarunt. Sed nos, fratres charissimi, absque ullius scrupulo quaestionis, scire et confiteri oportet, non tantum beatam Dei genitricem, sed et beatissimum castitatis eius testem atque custodem Ioseph, ab omni prorsus actione coniugali permansisse immunem ».

1452. Petrus Damianus, epist 11, ad Nicolaum pontificem, cap. 4: « Numquid ignoras Dei Filium adeo carnis elegisse munditiam, ut ne quidem de pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit mater, Ecclesiae fides est, ut fuerit virgo, et is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de Virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur, et hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis: a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnet in coelis? » Anselmus, in XII et XIII Matth. et a Galat. 1: « Fratres Domini non filii Beatae Mariae, iuxta Helvidium; nec filii Ioseph ex alia uxore, iuxta quosdam sunt putandi: sed potius sunt filii illius Mariae, quae dicitur mater Iacobi Minoris, et Iosae, et Iudae: fratres autem apud Iudaeos solent dici cognati ». Rupertus, lib. II in Cant.: « Pascitur inter lilia ». Quaenam sunt lilia? nisi amicus dilecti Ioseph, et ego dilecta, cui dicit: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias »: vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima ». Et super c. 1 Matth. repetit verba Hieron.

1453. AUCTOR. Gravis quaestio est, tantam propter auctorum sacrorum varietatem: Num Iosephus antequam duxisset Virginem, fuisset alteri coniunctus? Nam quamplurimi ita fuisse affirmant, ut quidem Mariae virginitatem tueantur, contra haereticos, quod in Evangelio fratres Domini et sorores numerentur, qui si non sunt ex Maria Virgine, ut non sunt, debent esse Iosephi ex alia uxore. Verumtamen cum supra, cap. 1, n. 11, satis fuse ostenderimus hos fratres non potuisse filios esse Iosephi, quod mater eorum Maria Iacobi viveret una cum Dei Genitrice: nec probari posse duabus uxoribus coniunctum fuise Iosephum, simul viventibus, et apud omnes sit exploratum, praeter hos, nullum alium filium ab auctoribus tribui Iosepho, satis apertum debet esse, constans, nulli uxori fuisse coniunctum, praeterquam Virgini Deiparae, ac propterea castitatem coluisse, ut iam relati Patres dixerunt.

1454. XII. « De more ». — Tobiae VII, 15, 16: « Et apprehendens dextram filiae suae, dextrae Tobiae tradidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos impleatque benedictionem suam in vobis: et accepta charta fecerunt conscriptionem coniugii ».

1455. AUCTOR. Ex hoc loco et aliarum gentium consuetudine, apud Persas et Medos, quod refert Arrianus, De gestis Alexand. lib. III, similiter et apud Assyrios, facile colligetur, et hunc morem in usu fuisse Hebraeis.

1456. XIII. « In sponsam ». — Evodius primus post Petrum episcopus Antiochiae, in Commentariis suis, praecipue in epistola, quam Phos inscripsit, relatus a Nicephoro, lib. II, cap. 3: « Deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita ». Gregorius Nyssenus in Orat. de sancta Christi Nativitate: « Sacerdotum ergo consilio Ioseph puellam sponsam accepit: quae tamen coniunctio sponsalia non est egressa ». Chrysostomus, in Orat. de Annuntiatione Mariae: « Audi, quod de hoc viro, et de Virgine dicat propheta: « Dabitur hic liber obsignatus viro scienti litteras » Isa. XXIX, 11), id est, Virgo plane immaculata. A quo dabitur? A sacerdotibus utique. Cuinam viro? Fabro Ioseph ». Et infra: « Cum igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt, nuptiarum tempus exspectantes, verum eam, ipse suscipiens integram conservaturus ».

1457. Augustinus, serm. 14, De Nativitate Domini: « Turbatur Ioseph homo iustus, quod Mariam de templo Domini acceperat et nondum cognoverat, et gravidam sentiebat ». Et infra: « Gabriel dicit ad Ioseph: « Virga Aaron annis siccata plurimis, sine aqua revixit, in templo floruit, nuces produxit, quos clausa sub tecto produxit ». Damascenus, lib. IV, c. 15: « Quia ergo observabat virgines nostrae salutis inimicus, propter Isaiae praedictionem, dicentis: Ecce Virgo concipiet et pariet Filium et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus, ut deciperet eum, qui semper in sapientia gloriatur, ipse qui deprehendit sapientes in astutia illorum, in desponsationem puellae Ioseph a sacerdotibus traditur, ut novus liber litteras scienti; nam desponsatio custodia Virginis erat et virgines observantis depulsio ».

1458. Germanus, episcopus Hierosolymitanus, in Orat. de Virginis obtat: « Tunc autem Dei nutu, et consilio sacerdotum de ea datur sors, et sorte eligitur Ioseph iustus, et hanc Sanctam Virginem divino consilio, ex templo Dei ab eius accepit sacerdotibus, ad inescandum mali auctorem serpentem, ne tamquam Virginem aggrederetur puellam

Digitized by Google

ab omni labe alienam, sed tamquam ad sponsam ad eam accederet ». Simeon Metaphrastes, in orat. De vita et dormitione Mariae: « Inventus est itaque Ioseph, qualem quaerebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat Virgo, et ex consilio sacerdotum despondet Virginem: coniunctio autem processerat usque ad desponsationem ». Epiphanius presbyter Constantinopolitanus in Vita Virginis: « Alebatur autem ex templo, donec propter aetatem non deceret illam inter sacerdotes versari, et Sponsum Ioseph virginitatis suae custodem accepit ».

1459. XIV. « Decembri ». — Evodius loco iam relato apud Nicephorum, lib. II Hist., cap. 3: « Deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita, apud quem cum menses peregisset quatuor, ab angelo Gabriele laetum illud accepit nuntium ».

1460. AUCTOR. Cum certum omnibus sit, quod etiam sequenti capite ostendemus, mense Martio conceptum Christi Virgini a Gabriele annuntiatum, et quartus ante Martium mensis sit December, sequitur hoc mense ex Evodii sententia desponsam Virginem Iosepho.

1461. Diversum affirmat Epiphan. presbyter, in Vita Virginis, nempe non hoc mense 4 ante conceptionem Christi, sed duos ante menses traditam Virginem Iosepho, asserit enim oblatam Virginem tertio anno, et in templo egisse annos undecim et sex menses, cum Iosepho deinceps sex menses, decimo quinto peperisse. Quae si ita se habet cum oblata fuerit die 21 Novembris, eodem die complevit undecim annos, quos degit in templo. Insuper et sex menses sequenti Maio in quo velle videtur Epiphan. Virginem accepisse Iosephum, apud quem inquit degisse menses alios sex, qui complentur 21 Novembris a quo die usque ad 25 Martii, quo Virgo Christum concepit, supputantur quatuor menses, et quatuor dies atque hoc die ex supputatione Epiphanii, nata erat Virgo annos quatuordecim, sex menses, et septemdecim dies, sicque non decimo quarto sed decimo quinto anno concepit, peperitque Christum anno decimo sexto inchoato per tres menses et septemdecim dies.

1462. Ex quo vides, nec sibi constare Epiphanium dum dicit Virginem anno decimo quinto peperisse Christum: ex eius enim supputatione sequitur potius concepisse decimo quinto et peperisse decimo sexto anno, nec Evodio et aliis, qui dicunt annos undecim traduxisse in templo, et anno decimo quarto Iosepho traditam, quo ipso anno, 25 Martii concepit; ergo sequenti decimo quinto peperit. Verior ergo est sententia Evodii, quae dicit quatuor menses ante denuntiationem traditam fuisse Iosepho Deiparam.

1463. XV. « Decimo quarto ». — Evodius, ibid.: « Siquidem trimula cum esset, in templo est praesentata, et ibi in Sanctis sanctorum traduxit undecim annos ». Hieronymus, in Historia de ortu Mariae: « Itaque ad quartum decimum annum pervenit ». Germanus, archiepiscopus Constantinop. in Orat. de oblat Mariae: « Mansit autem de cetero in Sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus, usque ad secundam aetatem. Tum Dei nutu, et consilio sacerdotum de ea datur sors, et sorte eligitur Iosephus iustus ».

1464. AUCTOR. Si quidem Virgo nata est 8 Septembris die, a quo usque ad 8 Decembris inveniuntur integri tres menses, sequitur desponsam Virginem, anno decimo quarto per tres menses inchoato; et cum integrum complesset annum decimum quintum, ab eo die, quo concepta est, nempe 8 Decembris, quo fortasse desponsata fuit Iosepho. Confirmat hoc, quod diximus num. 2, in Encaeniis actum esse de Virgine desponsanda.

1465. XVI. « Ad custodiam ». — Evodius ubi supra: « Iosepho ad custodiam est tradita ». Origenes, hom. 6, in Luc.: « Quare Deus cum semel Salvatorem iudicaret nasci ex Virgine, non elegit puellam absque sponso, sed eam potissimum, quae iam fuerat desponsata? Et, nisi fallor, haec causa est: Debuit de ea Virgine nasci, quae non solum sponsum haberet, sed, ut Matthaeus scribit, etiam viro tradita fuerat, licet eam vir necdum nosset, ne turpitudinem Virginis habitus ipse monstraret, si virgo videretur utero tumenti: unde eleganter in cuiusdam martyris Epistola scriptum reperi, Ignatium dico episcopum Antiochiae, post Petrum II, qui in persecutione Romae pugnavit ad bestias: Principem saeculi huius latuit virginitas Mariae, latuit propter Ioseph, latuit propter nuptias, latuit quia habere virum putabatur ». Et hom. 1, ex variis locis Matthaei: « Quae fuit necessitas, ut desponsata esset Maria Ioseph? nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam Virginem nulla penitus inveniret: vel ideo fuerat desponsata Ioseph, ut nato infanti vel ipsi Mariae curam videretur gerere Ioseph, sive in Ægyptum transiens, sive inde denuo veniens ». Et infra: « Ioseph vir eius »; virum eum appellavit contra Iudaeorum pravitatem, ut adversus Virginem non saevirent: propterea, et desponsata fuit ipsi Ioseph, ut supra dictum est; si enim non fuisset desponsata Ioseph, omnium bonorum increduli, et inimici Iudaei lapidibus eam occidissent ».

Digitized by Google

1466. Eusebius Emissenus serm. in Vigilia Natalis Domini: « Primum autem quaerendum est, cur beata Maria desponsata fuerit? Multae rationes reddi possunt. Si enim virum non habuisset, nulla ei excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur; melius ergo fuit, ut semper Virgo ad tempus non virgo putaretur, quam accusata secundum legem lapidaretur. Indigebat propterea viri auxilio multis modis Virgo Maria, quia secundum Dei dispositionem in Bethlehem paritura erat, et eam simul cum Filio in Ægyptum fugere oportebat ».

1467. Basilius, De humana Christi generatione: « Per desponsationem nuptiarum initia expressa sunt; simul autem ut et Ioseph domesticus puritatis Mariae testis esset, et ne praeterea calumniatoribus illa foret obnoxia, ut virginitatem commaculans, Sponsum habuit vitae sanctae custodem ». Affertur et alia ratio a quodam ex antiquis: « Ut Mariae virginitas saeculi huius principem diabolum lateret, nupta Ioseph fuit, ut nuptiarum nomine suspensus facile deciperetur: virgines namque in primis observabat, e quibus unam parituram ex propheta cognoverat, dicente: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium ». Gregorius Nyssenus, Oratione de sancta Christi Nativitate: « Deliberantes igitur in hanc sententiam divinitus convenerunt, ut eam connubii nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius dumtaxat esset idoneus, ad hoc autem munus aptissimus inventus est Ioseph ».

1468. Ambrosius, lib. I in Luc. cap. 1: « Ea potissimum electa est, ut Dominum pareret, quae erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur impleta est? Fortasse, ne diceretur, quod concepit ex adulterio: et bene utrumque posuit Scriptura, ut et desponsata esset, et virgo: Virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravi salvus corruptelae videretur insigne praeferre: maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem Matris iniuriis astruendam ». Infra: « Quid autem Iudaeis, quid Herodi possit ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quinetiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, et delere iniuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum: quid quod etiam fides Mariae verbis maior asciscitur, et mendacii causa removetur. Videtur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans; causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum; non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariae falleret principem mundi, qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum ». Et libro De institutione virginis, cap. 6, eadem refert.

1469. Epiphanius, haeres. 78: « Primum quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, non tradita est ipsi ad coniunctionem, si verum dicere oportet, sed propter legem quidem, vir ipsius vocatus; iuxta consequentiam vero, ex Iudaeorum traditione ostenditur, quod non coniuctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quo conservaretur in testimonium futurorum, quod non spuria dispensatio adventus in carne accessit, sed quae testimonia haberet in veritate extra semen viri in Spiritu Sancto dispensata in veritate ». Chrysostomus, hom. 4, in Matth.: « Cuius tandem rei gratia non antequam desponderetur Virgo concepit? Ut videlicet mysterium interim quasi obumbratum lateret, et ut Virgo omnem prorsus occasionem malignae suspicionis effugeret ».

1470. Auctor Imperfecti op. in Matth. hom. 1: « Ideo autem, et desponsata, et domi habita, ut desponsatio ipsa fidelis esset, et fornicationis opprobrium a matre repelleret, et virginitatis gratiam nascituro Domino reservaret: sic enim, quia in domo sponsi peperit, infideles Iudaei dixerunt: « Nonne hic est Iesus filius Ioseph? » Quanto magis si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant: Nonne hic est filius meretricis; nam quemadmodum in ea, quae in domo viri concepit, intelligitur conceptio maritalis, sic in ea quae extra domum concepit est suspecta conceptio. Magis ergo voluit Dominus, ut haberet Mater eius maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur ». Hieronymus in Matth. 1: « Quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Ioseph origo Mariae monstraretur; secundo, ne lapidaretur a Iudaeis, ut adultera; tertio, ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium ».

1471. Martyr Ignatius, etiam quartam addidit causam, « ut partus, inquiens, eius celaretur diabolo, dum putat non de virgine, sed de uxore generatum ». Et libro Adversus Helvidium: « Si cui autem scrupulus commoveatur, quare desponsata, et non potius sine sponso, sive ut Scriptura appellat, marito Virgo conceperit? sciat triplicem fuisse rationem, primo, ut per genealogiam Ioseph, cui Maria cognata erat, origo quoque Mariae monstraretur. Secundo, ne iuxta legem Moysi, ut adultera lapidaretur a populo. Tertio, ut

Digitized by Google

in Ægyptum fugiens haberet solatium custodis potius, quam mariti ».

1472. Augustinus, lib. De sanct. virginit. c. 4: « Desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam voverat ». Damascenus, lib. IV Fidei orthod., cap. 15: « Quia ergo observabat virgines nostrae salutis inimicus, in desponsationem puella Ioseph a sacerdotibus traditur, ut novus liber litteras scienti; nam desponsatio custodia Virginis erat, et virgines observantis depulsio ». Germanus, archiepisc. Constantinopolitanus, in Orat. de oblatione Mariae: « Hanc sanctam Virginem divino consilio, ex templo Dei ab eius accepit sacerdotibus, ad inescandum mali auctorem serpentem, ne tamquam Virginem aggrederetur puellam ab omni labe alienam, sed tamquam ad sponsam ad eam accederet ».

1473. Beda, lib. I in Luc. c. III: « Multas ob causas Salvator, non de simplici virgine, sed de sponsa voluit nasci: primo videlicet, ut per generationem Ioseph, Mariae quoque nosceretur origo; deinde ne velut adultera lapidaretur a Iudaeis, malens aliquos de suo ortu, quam de pudore dubitare parentis: simul, et virginibus impudicis occasionem tollens, ne Matrem quoque Salvatoris dicerent, falsis suspicionibus infamatam; tertio, ut in Ægyptum fugiens, et inde rediens haberet solatium viri, qui integerrimae virginitatis custos pariter, ac testis exsisteret; quarto, ne partus eius diabolo pateret, qui se eum de Virgine natum cognosceret, forsan quasi certis hominibus eminentiorem, morti tradere timeret ».

1474. Theophylactus, in Matth. I: « Quare Deus permisit, ut ipsa desponsaretur, et omnino suspicionem daret hominibus, quod cognosceret, eam Ioseph? Ut haberet in adversis curatorem; nam hic in fuga eius in Ægyptum, curam eius habuit, et servavit eam; est et alia causa, ut lateret diabolum, et propterea desponsata est; diabolus enim cum audisset, quod virgo uterum gereret, observabat virgines; ut igitur deceptor decipiatur, desponsat semper Virginem Mariam ».

1475. Epiphanius, presbyter Constantinopolitanus in Vita Virginis: « Sponsum Ioseph virginitatis suae custodem accepit ». Anselmus, in Matth. I: « Quare de sponsa Christus Virgine voluit nasci? Multis de causis, ut scilicet per Ioseph generatio texeretur et Maria ab infamia defenderetur, et ne de fornicatione damnata lapidibus obrueretur; et etiam ut haberet qui eam procuraret, et puerum, et eam in Ægyptum duceret et reduceret, et eius nutritius esset; denique est et alia principalis causa, ut diabolo partus Virginis celaretur, ut cum eam gravidam videret, a sponso cui liceret, etiam in desponsationis tempore gravidatam esse putaret ».

1476. Rupertus, lib. I in Matth.: « Idcirco illam sponsum habere Spiritui Sancto complacuerat, ut quomodo falsus fuit Saul cum ungeretur rex David, ita falleretur Herodes, sive habitans in Herode diabolus, in hoc sacramento Regis Domini: ac si diceret in secretis suis, Virum unum de populo accipiat Virgo haec, et sit ei desponsata, ut, dum conceperit, et pepererit, dicat. Quia virum duxi, quia nuptias celebravi: atque ita sicut Samuelem tunc liberavit immolatio vituli, quasi ob causam nullam aliam venisset in Bethlehem, ita Virginem hanc ab omni quaestione liberet existimatio carnalis commercii ».

1477. Euthymius, in Matth. I: « Quam ob causam non est impraegnata priusquam desponderetur? Ne occideretur, utpote suspicione de ea habita quod corrupta esset: cui enim persuadere potuisset cum viro se non esse congressam: propter hoc ergo post desponsationem, impraegnatur, ut verisimile sit ex viro concepisse, et ita periculum evadat. Praeterea ut in necessariis habeat subministrationem, et procuratorem, eo maxime tempore, quo in Ægyptum fugiendum erat ». Et in Luc. I.: « Desponsata erat Virgo, ut diabolum lateret Christi nativitas, audierat enim prophetas annuntiasse, quod esset e Virgine nasciturus, ideoque virgines observabat; ut si quam in utero gestare videret, circa hanc fraudulentiae suae laqueos apponeret: placuit itaque Deo ut Virgo, quae in habitaculum suum segreganda erat, viro desponsata esset, ut hac relicta indesponsatas improbus ille observaret.

1478. Bernardus, hom. 2, in Missus est: « Mirum, cur desponsata fuerit, non nuptura? Dic, quaeso, quis eam videns desponsatam et gravidam, non potius diceret corruptam, quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini; tolerabilius vero, atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione. Sed non poterat, inquit, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, ut eius nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere daemones, quod scirent homines. Oportebat autem a principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum, ut sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit, ita primus a femina Virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte appelleretur ». Et infra: « Necessario igitur desponsata est Maria

Digitized by Google

Ioseph quando per hoc, et a canibus sanctum absconditur, et a Sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae parcitur, quam famae providetur; quid sapientius, quid dignius divina Providentia? uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris ».

1479. AUCTOR. Ex his omnibus quae hic, et num. 5, 6, 7 et 13, dicta sunt, constat, sacerdotibus his, qui tradiderunt Virginem Iosepho, manifestum fuisse ex divino oraculo eam ob rem Iosepho traditam ad id muneris electo, ut Virginem eam, sicut Deo se consecrarat, custodiret, ac curam eius haberet, eique in omnibus prospiceret; at Dei id praecipientis fines fuerunt hi omnes, quos Sancti Patres assignarunt, inter quos unus erat, ut diabolo celaretur sacer fetus; hoc est, ut Origenes et Ambrosius, et quidam alii insinuarunt, ut diabolo etiam scienti gravidam Virginem, et non ex homine, praecluderetur via ad intentandam necem Virgini, ne fetus cum illa periret; nam si absque sponsatione conciperet, facile suaderet Iudaeis, ut illam interficerent; at sponsata, difficile; nemo enim crederet non de Ioseph fuisse conceptum: tum etiam vel sic suaderet Iudaeis Virginem illam matrem vere esse, et ita impediretur nostra redemptio, dum nullus Iudaeorum filium eius odio prosequeretur, atque ita non interficeretur.

1480. Si enim cognovissent, ait Ambrosius eo loco, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent, hoc est, numquam me redimi Domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit ut vinceret; vel certe partus Virginis celatus est diabolo virtute divina, ne studiosior esset in Virgine speculanda, quamvis natura sua id posset facile cognoscere? Constat enim ex August. lib. III De Trinit. cap. 7 et 8, daemonem virtute divina a multis impediri, quae posset.

1481. XVII. « Initio coniugio ». — Matthaeus, cap. I, vers. 18: Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, etc. Et v. 12: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Lucas, cap. I, vers. 26: Missus est angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph». Ambrosius, lib. II in Luc. cap. 1: « Nec te moveat quod frequenter Scriptura coniugem dicit, non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit: et ideo qui nolebat dimittere, fatebatur acceptam ». Et lib. De institut. virgin. cap. 6: « Desponsata viro coniugis nomen accepit, cum enim initiatur coniugium, tunc coniugii nomen asciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis; denique cum iungitur puella coniugium est, non cum virili admistione cognoscitur ».

1482. Augustinus, lib. II, De consensu evangelistarum, cap. 1: « Non est fas, ut Ioseph ob hoc a coniugio Mariae separandum Evangelista putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo pepererit Christum; hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugibus, etiam servato pari consensu posse permanere, vocarique coniungium, non permisto corporis sexu, sed custodito mentis affectu ». Et lib. De nupt. et concup. cap. 21: « Absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur, imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae carius concordiusque servata sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluptariis affectibus animarum: cur ergo non coniuges, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph et Maria, qui concumbere non coeperunt?

1483. AUCTOR. Quod autem multi ex Sanctis Patribus affirmant Virginem desponsatam Iosepho, non nuptam; et Iosephum sponsum, non maritum fuisse, Abdias in Vita Bartholomaei, lib. VI Historiae apostolicae: « Ioseph, ait, desponsatam, verum minime nuptam Mariam Virginem habebat ». Et Origenes, hom. 17, in Luc.: « Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, unde approbent non habent ». Et hom. 1, in diversos: « Dehinc inventa non congrue putatur ab ipso beato Iosepho Sancto, qui pene licentia maritali, licet eam non contingeret, futurae tamen, ut putabatur, uxoris, omnia noverat ». Et infra: « Si tibi uxor nominatur, si desponsata tibi habetur, non tamen tibi uxor est ».

1484. Hilar. can. 1, in Matth.: « Quotiescunque de utroque fit sermo, mater potius Christi, quia id erat, non uxor Ioseph est nuncupata, quia non erat ». Epiphan. haeres. 78: « Accepit Mariam, velut etiam Evangelium habet: desponsata enim, inquit, Maria, et non nupta ». Hieronym. in Matth. 1: « Non ab alio inventa est, nisi a Ioseph, qui paene licentia maritali futurae uxoris omnia noverat ». Et Adversus Helvidium frequenter: « Cum evangelista dicit: Antequam convenirent, proximum nuptiarum tempus ostendit, et in eo iam rem fuisse, ut quae prius sponsa fuerat, esse uxor inciperet ». Et infra: « Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus ».

1485. Chrysost. hom. 4, in Matth., nec nomen Virginis memorasse contentus addidit: « Coniugem haud ita vocaturus, si corrupta fuis-

Digitized by Google

set: coniugis autem nomine sponsam intellexit ». Et infra: « Copulat non in foedus solemne coniugii, sed in consortium communis habitaculi ». Bernard. hom. 2, in Missus est: « Mirum, cur sponsata fuerit, non nuptura ». Et infra: « Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat, vel potius quia iuxta alium evangelistam, non vir simpliciter, sed vir eius dictus est, merito appellatur, quod necessario putatur: debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit reputari, sicut et pater Salvatoris non quidem esse, dici meruit, ut putaretur esse; nec vir ergo Matris, nec Filii pater exstitit, quamvis certa et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit, et putatus ».

1486. Similia dicunt Cyrillus Hierosolymit. cateches. 12; Gregor. Magnus, hom. 26, in Evang.; Theophil. et Euthym. in Matth. 1. Hoc ergo dictum, in quo dissentire sancti videntur, sic est intelligendum. Quod attinet ad rationem contractus initi, et ad pactionis coniugalis vinculum perfectissimum fuisse coniugium et matrimonium, ut dixerunt Ambrosius et Augustin. et vere Iosephum virum, coniugem, ac maritum appellari Mariae: ipsamque nuptam, coniugem et uxorem Iosephi: et eo maxime, quod, ut ait Augustinus, lib. 1 De nuptiis et concup., cap. 11, « omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, et sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium solus ibi nuptialis concubitus non fuit ».

1487. At si consideremus accidentariam huius contractus perfectionem, quae consistit in copula, quia haec non fuit in illo coniugio reperta; et quia in communi usu sponsae iam corruptae, matres factae coniuges uxoresque vocantur, ideo Sancti Patres summopere caverunt, ne his appellationibus existimaretur Virgo humano modo mater facta: quod, sponsae nomen maxime ostendit, quod Virgini desponsatae convenit, nunquam usque ad nuptiarum celebritatem corrumpi permissae; quod inferius, ex more Scripturae, verum esse ostendemus. Hac ratione dixit Bernardus eadem actione fuisse Ioseph virum Mariae, qua fuit pater Christi; quia sicut putabatur Christi pater, ita putabatur ex Virgine Christum genuisse.

1488. Quod si ulterius inquiras, « si verum fuit coniugium inter Mariam et Iosephum, quomodo excusari potest a crimine Maria, quae cum castitatem vovisset, consensit in coniugium illud? siquidem virginitatem voventibus non solum nubere, sed velle nubere, damnabile est? » dicendum excusari maxime; nam matrimonium contrahere illum qui castitatem vovit, propterea damnabile est, quod exponit se certo periculo votum frangendi per copulam: qui ergo non fuerit in hoc periculo, sed certus potius conservandam mutuo castitatem, non peccabit. Itaque si nulla adhibita explicita conditione de servanda castitate contrahat, verum facit matrimonium; si certus de non habenda copula, sanctum.

1489. Et hoc modo contraxit Virgo certa divino oraculo Iosephum Sponsum non consummaturum matrimonium; sed ad cetera omnia ministranda coniugem futurum. Sunt tamen qui existiment ante annuntiationem, non fuisse ratum matrimonium, inter Ioseph et Mariam, desponsam tantum Virginem, ut post ratum facerent coniugium, quod Luc. 1, ad desponsatam dicitur angelus missus, ea vero promissa tantum dicitur, non tradita. Verum de ea re dubitari non debet, cum ex eo loco, et Luc. 11, 4: Ascendit Ioseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore; et ex illo Matth, 1, 18: Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph; colligatur certum, verum initum matrimonium inter Ioseph et Mariam. Unde et subiecit angelus (Ibid. 20): « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; nomen enim desponsatae illis in locis non pro promissa tantum, sed pro coniugata usurpatur, quae nondum tamen ad usum pervenerit coniugalem.

1490. XVIII. « Nazaretham ». — Lucas, cap. 1, vers. 26: « Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Virginis Maria ». Hieronym. in Hist. de ortu Mariae: « Igitur nuptiarum iure de more celebrato, Virgo Domini Maria, ad domum parentum suorum in Galilaeam reversa est ».

1491. AUCTOR. De reditu Virginis ex Hierosolymis Nazaretham, ubi eam angelus invenit, non potest dubitari: et traditam consanguineis, et concivibus, qui post celebratum festum in Galilaeam revertebantur satis est et rationi, et historiae filo consentaneum.

1492. XIX. « Et in domo ». — Hieronym. in Hist. de ortu Mariae: « Virgo autem Domini Maria ad domum parentum suorum in Galilaeam reversa est ». Et lib. De locis Hebraicis: « Nazareth viculus in Galilaea, iuxta montem Tabor, unde et Dominus noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est, habetque ecclesiam in loco, quo angelus ad Beatam Mariam evangelizaturus intravit; sed et aliam ubi Dominus est nutritus ». Ildefonsus, serm. 5, De Mariae Assumptione: « Ut humano usu loquamur, ubi erat corpore, quando angelus a Deo mittebatur ad

Digitized by Google

eam? utique in domo parentum ». Beda, de locis sanctis, cap. 16: « Nazareth muros non habet, sed magna aedificia, duasque grandes ecclesias: una est in medio civitatis super duos fundata cancros, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans; altera vero est ecclesia, ubi domus erat, in qua angelus ad Beatam Mariam venit ».

1493. AUCTOR. Iosephus non videtur domum aliquam hactenus habuisse Nazarethae, quod in ea ad hoc usque tempus non habitarit, quoniam Bethlehemites erat, ut iam diximus, n. 8. Unde colligitur Mariam constitutam in domo sua, quae ei iure haereditario, defunctis parentibus, servabatur a cognatis. In hac domo angelus laetum illud nuntium annuntiavit, ex hacque egressa est ad Elisabetham, et inde post tres menses reversa est in domum suam, non in domum Iosephi. Quod vero Patres mox referendi plane affirmant Virginem Iosepho tunc traditam, et in domo eius habitasse, quam sit certum iamiam, explicamus.

1494. XX. « Bethlehemum ». — Hieronymus, in Historia de ortu Mariae: « Igitur nuptiarum iure de more celebrato, ipse quidem in Bethlehem recedit civitatem, domum suam dispositurus, et nuptiis necessaria procuraturus ». Ioannes Chrysostomus in Imperfecto op. in Matthaeum, hom. 1: « Sicut historia quaedam non incredibilis, nec irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, Ioseph absens erat. Nec enim conveniens est putare praesente Ioseph, introisse angelum ad Mariam, et dixisse quae dixit, et Mariam respondisse, quaecumque respondit, si concedamus angelum potuisse intrare ad eam, et loqui plane; confestim Mariam abiisse in montana cum festinatione, et introisse in domum Zachariae, et salutasse Elisabetham, et mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit, praesente Ioseph, quia necesse erat ut absentationis eius, et mansionis diutinae requireret causas ».

1495. AUCTOR. Gravis hic sese offert difficultas, ex qua historiae evangelicae ad Virginem spectantis magna ex parte veritas elucebit: « Num Iosephus statim post initum Hierosolymis matrimonium, Virgine remissa Nazaretham, Bethlehemum redierit, tempus ibi nuptiarum celebrandarum exspectaturus, an potius ipsemet Virginem reduxerit Nazaretham, ibique in propria secum domo habuerit usque ad nuptiales solemnitates ». Communis haec est Patrum sententia, statim ab inito coniugio, Iosepho Virginem traditam, et mox Nazaretham eo deductam, ibique in propria domo custoditam. Sic Evodius apud Nicephorum, lib. II Histor. cap. 3; Ioannes Chrysostomus, hom. 4, in Matth.; Auctor Imperfecti op. in Matth. hom. 1; Germanus patriarcha Constantinopolit., Oratione de oblatione Mariae; Epiphanius presbyter Constantinopolit., in Vita Virginis; Bernard., hom. 2, super Missus est; Euthymius, in 1 Matth.; Nicephorus, lib. 1 Historiae, cap. 8.

1496. Ducti sunt hi auctores ad hoc asserendum, primo consuetudine quadam inveterata, quam dicunt a Iudaeis observatam; et colligit eam Chrysostom. homil. 43 in Gen., ex Gen. XIX, historia Lot, qua erat in usu, ut a die desponsationis usque ad tempus nuptiarum sponsis sponsae traderentur custodiendae, ut earum ipsi eo pudicitiam servarent, studiosius, quo sibi ipsi fideliores exsisterent. Secundo, quia si aliud effectum fuisset non id commodi ex hoc sacro matrimonio consequeretur Deus, quod nitebatur, nempe ut dum concepisset virgo in domo sponsi Ioseph, Iosephi esse existimaretur conceptus, et non ex fornicatione habitus, si non nupta concepisse videretur: cogimur ergo affirmare etiam ante solemnes nuptias fuisse Virginem sub custodia Iosephi.

1497. Certioribus alii convicti rationibus in ea sunt sententia, ut existiment Iosephum post initum matrimonium rediisse Bethlehemum patriam suam, tempus nuptiarum spectaturum, et necessaria paraturam ex more, nec profectum Nazaretham usque ad reditum Virginis ex visitatione Elisabethae, quando inventa est a Iosepho habens in utero. Sunt autem eorum rationes huiusmodi.

1498. *Prima*, quia Iosephus Bethlehemito oppido propinquo venerat Hierosolymam, inscius de futuro matrimonio; nec ulla ratio cogebat, ut relicta omnino patria, et re sua familiari, ad ignotam terram imparatus abiret Nazaretham videlicet, non prope distantem.

1499. *Secunda*, quia si cum Virgine abiisset, non potuit cum ea cohabitare usque ad solemnitatem nuptiarum ex veteri Iudaeorum consuetudine, variis ex Scriptura animadversis exemplis comprobata, usque ad Christum, qua erat consuetum, sponsas ante multum tempus desponderi solitas, et interim permanere in parentum domibus, aut tutorum, donec per nuptiarum solemnitatem sponsi traditas accepissent; nunquam enim usque ad nuptias, nec custodiendae sponsis permittebantur, et hoc est quod vocat Scriptura, « sponsam accipere sponsum, et iura post initum verbis contractum solemniter, rei emptae possessionem aut haereditatem adire »: quod nisi per solemnem traditionem, et nuptiarum celebrationem non fiebat.

Digitized by Google

1500. Hanc consuetudinem, quoniam diversa est ab ea, quam in usu fuisse Iudaeis dixerunt Patres pro superiori sententia citati, novem Scripturae sanctae testimoniis, et exemplis confirmabimus.

1501. Primum, ex Gen. XIX, 8: « Dixit Lot: Habeo duas filias, quae necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos ». Et vers. 14: « Egressus itaque Lot locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius: Surgite, et egredimini de loco isto; cumque esset mane, cogebant eum angeli dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias, et apprehenderunt manum eius, et manum uxoris, et duarum filiarum, eduxeruntque eum ». Ex hoc loco constat duas filias Lot iam desponsatas fuisse duobus illis generis, ut etiam advertit Ambros. lib. I, De Abraham, cap. 6, maritos vocans, et Chrysostom. hom. 43, in Gen., unde morem illum colligit, et tamen extra domum habitasse usque ad acceptionem, siquidem egressus est de domo, ut eos moneret de fuga, et nec noctu, nec mane domi erant. Insuper et virgines erant filiae, et generos vocat, qui accepturi erant filias suas: hoc est, solemniter per nuptias in possessionem earum venturi, ut eis iam tanquam uxoribus uterentur.

1502. Secundo, Gen. XXIV, Rebecca sponsa iam facta, ducta est ad Isaac, qui introduxit eam in tabernaculum Sarae matris suae, et accepit eam uxorem, hoc est, solemniter nuptias celebravit, et possessionem eius accepit usu matrimoniali.

1503. Tertio, Gen. XXIX, desponsata est Rachel Iacob pro servitute septem annorum, quibus finitis, ait: « Da mihi uxorem meam, quia iam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam »; qui (Laban) vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias, et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum; et infr.: « Imple hebdomadam dierum huius copulae, et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo servitурus es mihi septem annis aliis. Acquievit placito, et hebdomada transacta Rachel duxit uxorem ». En usque ad nuptias nec datam sponsam a patre sponso, nec acceptam; unde usque ad nuptias non fiebant extra parentum potestatem, nec sponsis permittebantur. Quod autem asserit de hebdomada copulae, hoc est, ut ait Augustin., et Eucherius, Quaest. in Gen., consuetudinem fuisse Iudaeis septem diebus nuptias celebrare, ut constat ex Samsonis nuptiis, Iudic. XIV. Sic enim iuvenes facere consueverant.

1504. Quarto, Genes. XXXVIII, 2: « Et accepta uxore ingressus est ad eam »; ergo aliud erat accipere solemnitatem a congressu.

1505. Quinto, Deut. XX, 7, dicitur: « Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam, vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam? » August., Quaest. in Deut. quaest. 31: « Accepit, duxit uxorem ». Declarat et Ioseph, lib. IV Antiq., cap. 8: « Praeter hos, inquit, qui desponsata uxore, nondum eam domum duxerunt, ne harum rerum desiderio sibi parentes servantes se relictis voluptatibus in gratiam uxorum, parum fortiter rem gerant ». Philo, lib. De fortitudine: « Edicitur enim, ait, ut si quis aedificavit domum, necdum immigravit in eam; sive plantavit novellam vineam opera sua, necdum advenit tempus vindemiae; sive sponsam habeat virginem, necdum celebravit nuptias, abstineat a militia ».

1506. Sexto, Deut. XII, 23: « Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, lapidibus obruetur vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et cetera ». Gregor. Epistola ad Mauritium imperat. et refertur quaest. 27, cap. 2, Qui desponsatam. « Et illud, ait, in Deuteronomio: Si quis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro, vel in quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui violavit, non quae iam uxor erat, sed quae a parentibus uxor fieri debebat ». Ex quo colligitur sponsas sub cura parentum fuisse, a quibus uxores fieri debebant, hoc est, usque ad nuptias, non sub cura sponsorum: quod explanat Philo, lib. De specialibus legibus: « Si quis, inquiens, post epulum nuptiale cum puella non maritali affectu, sed tamquam cum meretrice libidinis causa congressus calumniose vertat se ad occulta crimina, dicendo a se deprehensam non virginem, vocetur universus senatus, et adsint etiam accusatae parentes communem causam acturi; in tali enim controversia, quando de castitate corporis quaeritur non imminet periculum soli filiae, sed etiam eius curatoribus, non modo quia usque ad suum tempus non custodierunt natae pudicitiam, verum quia vitiatam ab alio desponderunt pro virgine ». Ecce ad parentes, tutoresque spectabat usque ad nuptias etiam desponsatae puellae virginitatem custodire, non ad sponsos.

1507. Septimo, Iudic. XIV Samson despondit sibi Philisthaeam, et post aliquod tempus venit pater eius, et fecit filio suo Samson convivium; sic enim iuvenes facere consueverant; et omnes convocavit ad nuptias celebrandas per septem dies. Hoc est illud, « quam quaeso, ut mihi accipiatis uxorem, et hanc mihi accipite »; et usque ad acceptionem non habitavit cum ea, quousque iratus remisso mulieri nuntio res suas sibi

Digitized by Google

habere iussit; ac ita dimisit eam, ut constat etiam ex Iosepho, lib. v Antiquitatum, cap. 10.

1508. Octavo, Tob. VI, 18, dixit angelus Tobiae. « Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea ». Tobias autem despondit sibi Saram, Tob. VII, et post desponsationem, celebratis solemniter nuptiis, accepit eam et statim secum deduxit in domum patris sui.

1509. Nono, I Mach. IX, 37 seq. habetur: « Post haec renuntiatum est Ionathae, et Simoni fratri, quia filii Iambri facerent nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Madaba filiam unius de magnis principibus; et ecce tumultus, et apparatus multus, et sponsus processit, et amici eius, et fratres eius, obviam illis cum tympanis, et musicis, et ramis multis ». Quam historiam Ioseph. lib. XIII Antiquit, cap. 1, sic refert: « Eodem tempore nuntiatum est Ionathae, et Simoni fratribus, quod Amarei filii celebraturi essent nuptias, et adducturi sponsam ab oppido Gabatha, filiam illustris cuiusdam inter Arabas, eamque puellam introducendam cum pompa sumptuosa, et splendida. Ut vero in conspectum venit sponsus cum virgine et amicorum comitatu, ut fieri solet in nuptiis, coorti ex insidiis omnes ad unum interfecerunt ».

1510. Ecce morem deducendi sponsam in domum sponsi, et exeundi illi obviam, quem Christus in illa parabola Matth. XXV, repetivit, tamquam usu communi frequentem, cum decem virgines, quae commitabantur sponsam exierunt cum lampadibus obviam sponso, cum quo intraverunt ad nuptias: quae consuetudo etiam gentilibus frequens fuit, ut constat in Statio in Epithalamio Stellae et Violantillae: et multis aliis, quae adducit Neapolitanus Alexander lib. II Genialium dierum, c. 5, et super eum Tiraq.

1511. Ex quibus omnibus certo certius colligitur eam fuisse Hebraeis consuetudinem, ut ante nuptias sponsa non traderetur sponso, nec ad custodiam. Hoc enim vel parentum erat munus, vel tutorum; in nuptiis vero tradi solitam, et inde deduci in sponsi domum. Et hoc significavit angelus Matth II, cum Iosepho dixit: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ».

1512. Tertia, quoniam aliqui ex Patribus indicant Virginem quidem habitasse in domo parentum suorum, Iosephum autem in separata domo vel cognatorum, vel conducta; sic Eusebius Emissenus, Serm. in Vigilia Nativitatis, et Anselm. in Matth. I; unde frequenti sponsam visitatione una cum parentibus custodiret Adnitar probare nec in urbe Nazaretha propter hanc rationem degisse quia pro comperto haberi debet Iosephum nihil novisse eorum quae cum angelo tractavit Maria, nec de eius discessu in domum Zachariae, nec de his, quae dicta sunt ab Elisabetha, et gesta in eius domo, donec post reditum nocte admonitus ab angelo est, Matth. II, de foetu dato divinitus; quod ita esse probamus satis superque infra cap. 6, n. 8 et 10, et cum nisi gratia sponsae ad urbem Nazaretham abiisse credatur, quod non esset eius patria, et causa cessaret, profecto et rationi et fidei satis consonum est non fuisse in urbe Nazareth, tunc Iosephum, sed Bethlehemi, donec tempus accederet nuptiarum. His igitur rationibus mihi persuadeo, veram esse historiam de ortu Virginis supra adductam, Chrysostomi etiam auctoritate probatam.

1513. Quoniam vero ad priorem superioris sententiae rationem satis responsum est, posteriori satis faciemus dicendo, satis provisum fuisse famae et honori Virginis, quod Elisabethae revelatum est mysterium, et domui eius universae declaratum, et inde ad ceteros cognatos delatum; tum etiam postea, dum revelatum Iosepho, apud quem iam non bene audiebat Sponsa, eius enim erat deferre, si adultera putaretur. Verum hoc adhibito remedio tam certi et iusti, innocentiae Virginis, et coelestis testes mysterii satis erant, ut eam omni periculo liberarent, eiusque honori consulerent; praesertim cum iam virum Iosephum cum ea deinceps habitantem vidissent, nihil erat cur suspicarentur malum, qui non tam curiose alienam sponsam speculabantur; maxime cum non liceret Sponso Iosepho congredi cum Sponsa, ut dicunt Tertullianus, Chrysostomus et Augustinus infra relati, cap. 6, num. 12, ac proinde nec sic contegeretur foetus domestica Iosephi habitatione.

1514. « Paulo post ». — Hieronymus, in Historia de ortu Mariae: « Ioseph igitur a Iudaea in Galilaeam veniens desponsatam sibi virginem uxorem ducere intendebat: iam namque tres fluxerant menses, et quartus instabat ex eo tempore, quo sibi desponsata fuerat ». Auctor Imperfect. in Matth. hom. 1: « Sicut historia quaedam non incredibilis, nec irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas. Ioseph absens erat, nec enim conveniens est putare praesente Ioseph introiisse angelum ad Mariam, et dixisse quae dixit, et Mariam respondisse quaecumque respondit. Si concedamus angelum potuisse intrare ad eam, et loqui: plane confestim Mariam abiisse in montana cum festinatione, et introiisse in domum Zachariae, et salutasse Elisabeth, et mansisse cum ea mensibus tribus possibile non fuit praesente Ioseph;

Digitized by Google

quia necesse erat ut absentationis eius, et mansionis diutinae requireret causas. Postquam autem rediit peregre, post tot menses, et invenit eam gravidam, et forsitan ei comminatus est, quasi sponsus, et de iudicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus ».

1515. AUCTOR. Ex eo, quod ignoraverit Ioseph, ut dicimus n. 10, conceptum Virginis, recte colligitur eum his omnibus absentem fuisse. Qua de re cap. 4, num. 20, sumus latius locuti. Incidit autem hic Iosephi adventus in finem mensis Iunii, tribus transactis mensibus a conceptu Filii Dei, et paucis amplius diebus a desponsatione, iuxta Hist. de ortu Mariae, at iuxta dictum Evodii supra relatum cap. 5, num. 1, sex menses transierant a desponsatione Virginis.

1516. « Ut nuptias ». — Eusebius Emissenus, Hom. in Matth. 1: « Quid est antequam convenirent? Antequam in una domo habitarent: nondum enim convenerant, nondum simul habitabant, ille in sua et illa adhuc in sua domo manebat ». Chrysostomus, Orat. de Annuntiat. « Quae enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Cum igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt nuptiarum tempus exspectantes ». Hilarius, Pictaviensis episcopus, cap. 1, in Matth.: « Igitur ne qua de partu eius ambiguitas exsisteret, ipse concepti ex Spiritu Sancto Christi testis assumitur, ut dehinc, quia desponsata esset, in coniugem reciperetur ». Ambrosius lib. II, in Luc.: « Non autem te moveat, quod eam coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur ».

1517. Hieronymus, lib. Adversus Helvidium, cap. 1: « Igitur cum evangelista dicat, priusquam convenirent, proximum nuptiarum tempus ostendit, et in eo iam rem fuisse, ut quae prius sponsa fuerat, esse uxor inciperet; quasi dixerit: Antequam oscula, amplexusque miscerentur, antequam rem agerent nuptiarum, inventa est habens in utero ». Et in Hist. de ortu Mariae: « Ipse quidem in Bethlehem recedit civitatem, domum suam dispositurus, et nuptiis necessaria procuraturus ». Strabus, in 1 Matth.: « Antequam convenirent, ostendit proximum tempus nuptiarum, in quo nuptiarum solemnia celebrantur. Et nollet eam, quam desponsaverat in coniugium ducere, ne videretur, quod ignorabat celare, voluit occulte dimittere eam, id est tempus nuptiarum mutare »

1518. Haymo, in Matth. 1: « Antequam convenirent, id est, antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, ut illa quae erat sponsa fieret uxor, voluit occulte dimittere eam. Quomodo occulte? Ut nec duceret eam uxorem, sed permitteret manere sponsam, ut erat, nec causam diceret propter quam eam relinquebat ». Rabanus, in 1 Matth.: « Noli timere accipere eam nuptiali conventu, et assidua cohabitatione ». Remigius, in Matth. 1: « Hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, id est, quando ea, quae fuerat sponsa, incipit esse uxor. Est enim sensus, antequam convenirent, id est, antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent ». Anselmus, in Matth. 1: « Desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduam cohabitationem, et interim erat sub custodia mariti sui uxor, et frequenti visitatione, donec solemnia nuptiarum celebrarentur ». Zacharias Chrysopolita, lib. 1, cap. 5: «. Antequam convenirent, id est, nuptiarum solemnia celebrarent, inventa est in utero habens ». Bernardus hom. 2, super Missus est: « Mos Iudaeorum erat, ut a die desponsationis suae, usque ad tempus nuptiarum sponsis sponsae traderentur custodiendae ».

1519. AUCTOR. Iosepho et Mariae id accidit, quod modo Christianis coniugibus, qui post ratum verumque matrimonium sponsi facti, coniuges solemni nuptiarum fiunt celebratione.

1520. « Ignorabat ». — Iustinus Philos. et Martyr, Dialogo cum Tryphone Iudaeo: « Ioseph quoque Mariae sponsus, cum prius voluisset sponsam eiicere, quod putaret e viro, id est, e stupro gravidam, per nocturnam visionem monitus est retinere uxorem suam, edoctus ab angelo, e Spiritu Sancto conceptum esse foetum in utero, ideo non eiecit eam ». Ammonius Alexand. in Harmonia quatuor Evangel: « Sed Gabrielis paranymphi nunptio gravida, Luc. 1: » quae res maritum Ioseph sacramenti nescium traxit in admirationem, ut nisi divino fuisset edoctus oraculo, consilium de Virgine deserenda, ita ut conceperat animo, haud dubie implesset ».

1521. Eusebius Emissenus, hom. in Matth. 1: « Intellexit hoc tandem Ioseph, et sponsam sua gravidam esse cognovit, mirabatur igitur et circa sponsam suam zelo ipso movebatur Quid faceret? Prodere eam timebat, ne occideretur: dimittere eam cogitabat, quod et sibi facile et periculosum esse sentiebat; daret enim ei libellum repudii, sic enim praecipit lex? » Basilius, Orat. de humana Christi generatione: « Hoc ignorans ab initio, talis nominari uxoris maritus metuens, voluit eam occulte dimittere ». Ambrosius, lib. De institutione Virginis, cap. 3: « Quid autem praeiudicat Mariae si coelestis consilii mysterium Ioseph non intellexit,

Digitized by Google

et putavit virginem non esse, quae praegnantem videret? ».

1522. Epiphanius haeres. 78, contra Antidicomarianitas: « Cum iustus esset, quaerebat non infamare ipsam, sed clanculum dimittere, ut qui pravus quidem fieret, si infamaret ipsam, non autem factus est, velut angelus docet dicens: Ne metuas assumere Mariam uxorem tuam, quae nondum facta est uxor, etsi in suspicione peccati apud te est, at neque sic est, velut putas ».

1523. Ioannes Chrysostomus, hom. IV in Matth.: « Propterea evangelista dixit, quid iusto illi acciderit ante notitiam, ut nequaquam de his, quae post notitiam rei sunt facta dubitaret; et certe si Maria talis fuisset, qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis auctoritate puniri: sed Ioseph non solum maius, verum id quoque, quod erat minus pariter indulsit. Nostis profecto, nostis, quam impotens res sit zelotypia. Propter quod ille bene huius rei non ignarus aiebat, plenus est enim zelo furor viri eius, non parcet in die vindictae ». Et rursus idem: « Inexorabilis, inquit, est sicut infernus zelus; et nos quidem plerosque novimus velle animam potius amittere, quam in tormentum zeli, atque huiusmodi suspicionis incidere. Quamquam hic quae tandem diceretur esse suspicio, ubi ipse uteri tumor videbatur arguere suspectam? Sed tamen ita erat ille vir ab huiusmodi passione mundus, ac liber, ut ne in minimis quidem Virgini vellet inferre moestitiam ».

1524. Auctor Imperfect. in Matth. hom. I: « Cui inventa est in utero habens de Spiritu Sancto? Sine dubio Sponso suo Ioseph, qui zeloso amore se admonente vitam circumspiciebat Mariae; nam sicut historia quaedam non incredibilis nec irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, Ioseph absens erat: postquam autem rediit peregre post tot menses, ut invenit eam gravidam manifeste, forsitan et comminatus est quasi sponsus, et de indicio Dei terruit eam quasi vir timoratus ».

1525. Hieronymus, in Hist. de ortu Mariae: « Interea paulatim utero puerperae intumescente, puerperam se manifestare coepit, nec hoc latere potuit Ioseph; nam sponsi more liberius ad Virginem introiens, et familiarius cum ea loquens, gravidam esse deprehendit. Æstuare itaque animo, et fluctuare coepit, quia ignorabat quid sibi potissimum esset faciendum; nec enim eam traducere voluit, quia iustus erat, nec fornicationis suspicione infamare, quia pius ».

1526. Augustinus, epist. 34, ad Macedonium: « Unde Ioseph, cui Virgo Maria mater Domini fuerat desponsata, cum eam comperisset esse praegnantem, cui se noverat non esse commistum, et ob hoc nihil aliud quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit: nam haec voluntas eius etiam iustitiae deputatur, ita quippe de illo scriptum est: « Et cum esset homo iustus, et nollet eam divulgare, statuit eam occulte dimittere ». Haec eo cogitante apparuit illi angelus, qui doceret esse Numinis, quod ille putaverat criminis ».

1527. Et sermone 14, De Nativitate Domini: « Nescit interea Ioseph Mariae Sponsus, quid cum Maria ageret angelus; subitoque Ioseph intuitu familiari, et licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam: vidit eam gressibus gravari, intellexit Mariae uterum gravidari, turbatur Ioseph homo iustus, quod Mariam nunquam de templo Domini acceperat, et nondum cognoverat, et gravidam sentiebat, et quam non meruerat in coniugii honorem, iam haberet in coufusionem, secumque diu aestuans disputat dicens: Unde hoc contingit quod evenit? Non cognovi, non tetigi, non violavi, non gravidavi, heu! heu! quid contigit? Quid putas evenit? Per quem Maria sic cecidit? Quem sibi plusquam me adulantem invenit? » Et infra: « Quid ergo faciam? Quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, consilium quaero, nec penitus invenio; prodo adulterium, aut taceo propter opprobrium? Si prodidero adulterium quidem, non consentio, sed naevum crudelitatis incurro, quia secundum libri Moysi sententiam, lapidandam esse cognosco; si tacuero malum, consentio, et cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est. adulterium prodere peius est, ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio ».

1528. Petrus Chrysologus serm. 146: « Quid est quod sic zelo sponsi sponsae periculum comparatur? Quid est quod virtus tanta putatur crimen, salus certa discrimen? Quis excusat sponsam, quam conceptus accusat? Aut quid proficiet defensor eternus, quando facti testis internus assistit? ».

1529. Theodoretus, dialog. I: « Quoniam enim Ioseph ignorans mysterium, adulterium suspicatus fuerat, Sancti Spiritus efformationem aperte doctus est ». Et in psal. LXXI: Sicut lana imbrem recipiens, nullum fragorem emittit, et stillicidia instar roris in terram delata, sensum nullum auribus praebent: sic Domini conceptio facta est, nec ipso sponso resciscente, qui cum ipsa habitabat; deinde enim post uterum aliquam indignitatem suspicatus, occulte dimittere eam voluit, verum ab angelo edoctus fuit coelestem esse foetum, et non humanum ».

1530. Euthymius, in Matth. I: « Traducere

Digitized by Google

dicebatur, quando vir ad concilium ducebat uxorem, de qua suspicionem habebat, ipsamque accusabat; et ita manifeste eam a domo propria dimittebat: quod nolens facere Ioseph, voluit clam dimittere, ut et ipse nulli obnoxius crimini secundum legem maneret, eas iubentem dimittere, quae aliunde in utero haberent ». Nicephor. lib. I Hist. cap. 8: « Interim ei venter tumescere, et Ioseph de ea, quod minus deceret suspicari, mysterium ignorans, quin etiam occultam ab ea discessionem meditari, quod vir iustus esset, et rem actam eliminare, atque vulgare nollet ».

1531. AUCTOR. Quod Iosephus tertio a conceptu mense deprehenderit gravidam sponsam, non est mirandum; cum eo fere mense uteri tumor in praegnantibus incipiat apparere; dicitur enim, Gen. XXXVIII, 24: « Ecce post tres menses nuntiaverunt Iudae; Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere ». Origen. hom. I, De divers. Theophylact. in Matth. I et Bernard. hom. 2, in Missus est, Origenem secuti, existimant Iosephum cognovisse mysterium Christi in utero Virginis concepti, et pro summa in eam reverentia voluisse recedere. Sed si cognovisset, cur diceret evangelista: « noluisse Virginem traducere, quod esset iustus », hoc est, tanquam adulterii ream ad concilium ducere, aut denuntiare, divulgareque? quid opus erat edoceretur ab angelo in ea natum de Spiritu Sancto esse? aut unde quave ratione cognoverat, si ei non fuerat revelatum?

1532. Auctor imperfecti in Matth. hom. I, existimat Virginem Iosepho Sponso ea re anxio iureiurando adhibito dixisse, se eius rei nesciam, atque ita partim illum credidisse in ea divinum quid esse: quod maxime vitae conversatio commendaret Virginem: et ideo magis credebat castitati, quam utero eius, et plus gratiae, quam naturae. Et quidem si illud auferatur mendacium, quod hic auctor imponit Virgini, quam alii Patres dicunt, nec verbum quo se excusaret protulisse, se rem Deo reliquisse, cuius erat, digna est et Iosepho et Virgine existimatio, quod tanti fuerit ponderis apud Sponsum Sponsae castitas, et probata sanctitas, ut uterus gravidus, quem oculis suis intuebatur, non satis esset, ut adulteram iudicaret, sed ut dubius tantum, suspensusque maneret: quae est expositio Hieronym. in Matthaeum. « Hoc, inquit, testimonium Mariae est, quod Ioseph sciens illius castitatem et admirans quod evenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat; » et Petri Chrysologi serm. 145, dicentis: « Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiae testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris: urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus, quod evenerat, continere; cogitat dimittere, et dicit Deo totum, quia quod homini diceret, non habebat ».

1533. « Gabriel ». — Eusebius Emissenus, in Matth. I: « Ecce nuntius coelestis, ecce Gabriel consiliator Virginis, eiusque conscius castitatis, cui haec secreta erant commissa, cui haec mysteria revelata fuerant, apparuit Ioseph in somniis ». Augustinus, serm. 14, De natali Domini: « Ecce iterum Virginis ille paranymphus non homo, sed Gabriel, angelus ille conspicuus, coeli cursor aequissimus, medio noctis libramine dicit ad Ioseph in visione ». Christianus Druthmarus, in Matth. II: « Sicut Deus omnipotens inter ceteros archangelos Gabrielem qui fortitudo Dei dicitur, ordinavit ad annuntiandum mysterium Salvatoris nostri, quem etiam et huic Iosepho locutum esse credimus ». Haymo in Matth.: « Istum angelum Gabrielem archangelum possumus intelligere, qui nuntiaverat B. Mariae: idem ipse apparuit B. Ioseph in somniis ».

1534. AUCTOR. Satis est verisimile archangelum Gabrielem conceptus divini conscium, monuisse et eumdem Iosephum, ut Virginis, cui custodiendae datus erat, honori bonoque nomini consuleret, eique pro dignitate inserviret.

1535. « Accepit ». — Origenes hom. I, in diversos: « Securus et intrepidus accipe eam secundum legis praeceptum, uxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum consuetudinem et coniunctionem longe alienam ». Basilius, Orat. de humana Christi generatione: « Excitatus Ioseph accepit uxorem suam cum affectu, dilectione, et omni diligentia domesticos concernente, pro uxore illam habuit, a nuptialibus vero congressionibus abstinuit ». Hilarius, can. I, Matth. « Ipse Ioseph concepti ex Spiritu Sancto testis assumitur, ut dehinc quia desponsata esset in coniugem reciperet ». Ambrosius lib. II in Luc. I: « Non autem te moveat quod eum coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur ». Haymo, in Matth. I: « Postmodum, sicut sequentia Evangelii huius narrant, surgens a somno fecit sicut praeceperat ei angelus, convocavit amicos suos, et fecit convivium nuptiarum, et accepit Beatam Mariam in uxorem ».

1536. AUCTOR. Hanc nuptialem celebrationem probant quae dicta sunt, n. 9, tum etiam proprietas verbi accipere, quae nulla est alia, quam nuptias celebrare, aut in uxo-

Digitized by Google

rem sponsam accipere, quam probavimus, cap. 4, num. 20, variis Scripturae testimoniis. Quod autem Patres, ut notavimus c. 4, num. 17, dicunt, sponsam quidem virginem, numquam tamen nuptam; et sponsam ad eius nuptias non pervenisse, nuptiarum nomine non illam solemnitatem, sed copulam, quae ex illa consequebatur, ordinarie intelligunt: quia nunquam ante illam solemnitatem licebat sponso cum sponsa congredi: ut his verbis affirmat auctor Imperfecti in Matth. hom. 1, explicans causas, propter quas apparuit angelus Iosepho: « Tertio, inquit, ut intelligens Ioseph sanctam conceptionem, diligentius se in futurum custodiret ab illa, quam prius; prius enim servavit propter disciplinam iustitiae, postea autem et propter timorem partus huiusmodi ».

1537. Et August. serm. 14, De Natali Domini: « Ego cum licentiam haberem maritalem ante thorum nuptiarum puellarem, non vexavi pudorem, timui, multumque pertimui, quod in illo Moysitico libro legis sententiale verbum perscriptum cum legeretur audivi, quod quaecunque virgo paternam domum foedaverit adulterio, morienda lapidibus subiacebit; similiter et vir, qui pudoris vestimentum patri non detulerit, coramque testibus replicaverit, pudorisque signaculum non demonstraverit, moriendus et ipse cum virgine erit. Utrosque ergo libidinarios haec Moysis sententia ferire voluit: hanc Moysis sententiam praecavebam, ipsam que luxuriam in meo corpore refrenabam ». Et ante eos Tertull. lib. De velandis virginib. cap. 11: « Et ideo penes Israel illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam sanguine maturitatem: ita ante hunc indicem acerba res est ». Iosephus ergo ad Virginis nuptias, hoc est, ad amplexus non pervenit, ante solemnitatem quidem, ne legem transgrederetur, quia id facere prohibebatur, post eam vero et ne suo proposito divinoque consilio adversaretur.

1538. « In fabrili » — Marcus, cap. VI. 3: « Nonne hic est faber, filius Mariae, frater Iacobi, et Iose, et Iudae, et Simonis? » Iustinus, philosophus et martyr, in Dialogo cum Triphone: « Cum fabri lignarii filius haberetur, informis videlicet, quemadmodum Scripturae annuntiaverant, apparens, faberque et ipse putaretur esse, fabrilia namque, cum in hominibus esset, faciebat opera aratra et iuga conficiens ». Basilius, in Constit. monast. c. 5: « Cum prima sua aetate parentum suorum imperio esset subiectus, et labores corporis omnes aequo una cum ipsis animo, illis obediens toleravit; verisimile est enim, cum homines illi essent, et iustitiae et pietatis cultores, tenues tamen, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, et hac ratione quotidianum sibi victum quaeritare. Porro Iesus cum his, ut divinae Litterae praedicant, esset subditus, sine dubio in perferendis etiam, una cum ipsis, laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam ».

1539. « Victum ». — Basilius Constitut. monast. c. 5: « Cum prima sua aetate » et cetera ut supra num. 7. Leander Hispalensis, lib. De institutione virginum: « Sed et Iosephus, cui desponsata fuerat, cum esset iustus, erat tamen pauper, ita ut victum et vestitum artificio quaereret ».

1540. AUCTOR. Si pauperes erant, ut notavit Origenes, homil. 8 in Levit., et Chrysostomus, hom 67 in Matth., et Christus in discendis litteris non occuparetur, procul dubio in aliqua arte exercebatur. Et in qua certius, quam in ea quam exercebat Iosephus? de qua supra, cap. 4, num. 9, satis multa diximus.

1541. « Mortuus est ». — Epiphanius, haeres. 78, contra Antidicomarianitas: « Sed neque post reditum ab Ægypto idem Ioseph multis annis vixit: quartus enim annus erat Salvatori, Ioseph autem quartus supra octuagesimum, quando ex Ægypti regione revertebatur, et permansit aliis octo annis Ioseph superstes, et in duodecimo anno, ascendentibus illis Hierosolyma, quaesitus est, quando non reperiebatur in itinere. Post hos annos moritur Ioseph, et educatus est non amplius a Ioseph, sed in domo Ioseph, unde non amplius dixit Evangelium, quod venit pater ipsius, et fratres, sed, « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant ». (Matth. XII, 47). Sed neque quando dicebant ad ipsum in Idumaea. « Nemo haec faciens in occulto esse vult; si haec facis manifesta te ipsum, » non dixit quod dixerit ad ipsum pater eius, sed fratres eius solum, velut Ioseph non amplius exsistente secundum corpus. Deinde in ipsa consummatione, quando Salvator in cruce pendebat, velut habet Evangelium secundum Ioannem, conversus, inquit, vidit discipulum, quem diligebat Dominus et dixit ipsi de Maria: Ecce mater tua; et eidem dicit: Ecce filius tuus (Ioan. XIX, 26, 27); si vero fuissent filii Mariae, et si fuisset ipse vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni, et Ioannem Mariae? » Hieronymus, Adversus Helvidium: « Praesertim cum Evangelium Ioannis testetur praesentem eam illic fuisse, quando illam de cruce Dominus iam viduam, ut matrem, Ioanni commendabat ». Georgius Cedrenus, in Compendio historiae: « Videns eum Baptista dixit: « En Agnus Dei ». Quo audito, Andreas et Ioannes Iesum secuti sunt: eo Nazarethem reverso Iosephus moritur.

Digitized by Google

1542. AUCTOR. Cyprianus Sermone de passione Domini, paulo post medium; Ambrosius in Luc. I et lib. De institutione virginum, cap. 6; lib. X Epistolarum, epist. 79; Chrysost. hom. 6 in Matth. et hom. 3 in Acta Apostolorum; August. serm. 81, De tempore, et Arnobius, abbas Bonaevallis, tract. in verba Domini: Mulier, ecce filius tuus: affirmant Iosephum vixisse, etiam cum Christus passus est; nam inde probant illum non fuisse virum Virginis, hoc est, eam non cognovisse, quod alii, nempe Ioanni commendata sit, non ipsi Ioseph. Verum certius est, illum obiisse prope baptismum Christi, quod asserit Cedrenus in Compendio historiae, et satis colligitur ex Evangelio, in quo nulla fit eius amplius mentio, cum sermo fit de Maria, et fratribus aliis; et cum invitari oporteret ad nuptias Cana cum sponsa sua, nihil de hac re dicitur, quasi iam vita excessisset. Et quidem, cum Luc. II, dicatur Christi subditus fuisse Iosepho et Mariae, cum esset duodecim natus annos, non est dubitandum aliquod tempus supervixisse. Et cum Marci VI, concives eius Nazareni dicant: « Nonne hic est faber filius Mariae, frater Iacobi, et Iosae, et Iudae, et Simonis? nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? » et Matthaei XIII, 55: « Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Iose, et Simon, et Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? » ostendunt profecto, iam obiisse, siquidem nullam de illo mentionem faciunt sicut de aliis, qui apud eos erant. Et cum Luc. IV, 22, dicerent iidem: « Nonne hic est filius Ioseph? » et Ioannis VI, 42: « Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem: quomodo ergo dicit hic, quia de coelo descendi? » etiam ostendunt non multo ante excessisse Iosephum.

1543. **Hymnus XXI.**

Iosephi Iesus pueri custodis celebretur gloria.

ATROX tyrannus infremit,
Caedem iubet dirissimam,
Ut opprimat, qui condidit
Terrae polique machinam.

2. Servas, Ioseph, infantulum,
Iesuque Iesus avolas:
Quales genus mortalium
Tibi rependat gratias?

3. Herode tandem mortuo,
In Nazareth reverteris:
Cum rege regum maximo
Fabrile munus perficis.

4. O te beatum millies!
Amoris inter Principes,
Iesum, facemque cordium,
Amore fundis spiritum.

5. Quanta coruscas gloria,
Cum Matre nunc et Filio!
Qualis tibi potentia!
Quanto potiris gaudio!

6. Ioseph, pater Fidelium,
Iesu, tibi, cum Virgine,
Iungatur et cor supplicum
Æternitatis foedere.

7. Uni Deo ter Maximo
Sit sempiterna gloria:
Ioseph, Mariae, Filio,
Per saecla sit laus omnia. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

1544. **Memento.** — O S. Ioseph, Redemptoris mei Christi Iesu fidelis oeconome ac nutritie, castissime Virginis Deiparae Sponse: ego N. N., te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me nunquam te derelicturum, nec permissurum ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen. (Manuale pietatis ex oper. S. Gertrudis).

XXII. — Sermo Georgii Colvenerii.

DE DESPONSATIONE B. M. V. CUM S. IOSEPH.

Kalend. Marian. 23 Ian.

CUM beatissima Virgo iam annos undecim in templo pie sancteque transegisset, et proinde iam aetatis annum 14 complevisset (trium enim erat annorum et trium fere mensium, cum in templo praesentaretur) visum est sacerdotibus, non esse eam ulterius in templo relinquendam, sed viro seu adolescenti alicui eiusdem tribus et stirpis coniugio sociandam. De tempore anni quo id factum est, Petrus Auratus, ut ex ipsius epistola audivimus, circa hoc tempus, id est 22 aut 23 Ianuarii, factam esse arbitratur, hoc est duobus mensibus ante Gabrielis Archangeli Salutationem, quam praecessisse certum est ex cap. I Lucae. Cedrenus, ad annum 48 Augusti imp., scribit Beatam Virginem sex mensibus, postquam est matrimonio tradita, a Gabriele laetum de salute mundi nuntium accepisse, et proinde totidem mensibus desponsationem praecessisse.

1546. Verum, tanquam antiquiori; magis credendum videtur Evodio, in cuius epistola apud Nicephorum lib. II, cap. 3 Hist. eccles., quam Lumen inscripsit, haec verba leguntur: « Trimula cum esset (Beata Maria) in templum est praesentata, et ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos undecim. Deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam

Digitized by Google

est tradita, apud quem, cum menses peregisset quatuor, ab angelo Gabriele laetum illum accepit nuntium ». Sic ille. Quibus conformia sunt quae supra, die 19 Ianuarii, ex Epiphanio, et Gregorio Nysseno recitavimus. Hanc sententiam de Desponsatione facta quatuor mensibus ante angelicam Salutationem sequuntur Canisius, lib. v De beata Maria, cap. 1; Christophorus a Castro, in Historia Deiparae, cap. 4, num. 14; Lucas Pinellus, in Meditationibus de vita B. Mariae, in historia Annuntiationis; Carolus Stengelius ord. S. Benedicti, in Histor. vitae S. Ioseph, cap. 2. Ioannes Baptista Laurus ubi supra, dicit eam fuisse desponsatam 25 die Novembris his verbis: « Cuius (scilicet Catharinae Alexandrinae dies festus cum in 25 Novembris incurrat, ac Deipara, exacto a contractis nuptiis quadrimestri, festivissimum ab angelo nuntium audierit, illo ipso quinto ac vicesimo Novembris die Iosepho et ipsa nupsisse deprehenditur ». Sic ille.

1547. Possent forte diversae hae sententiae conciliari distinguendo duplicem desponsationem: unam per verba de futuro, alteram per verba de praesenti factam, sed non solet inter eas tanta esse temporis distantia. Intelligitur autem haec festivitas de Desponsatione per verba de praesenti, quae facit matrimonium. Vocatur tamen beata Virgo ab evangelistis desponsata, quia, etsi inter eam et Iosephum, verum, ratum ac legitimum fuerit coniugium, non fuit tamen copula carnali consummatum. Sponsi autem et sponsae nomen durare solet donec matrimonium fuerit consummatum...

1548. Cur autem conveniens fuerit ut viro desponsaretur, et matrimonio coniungeretur, rationes quatuor habet Hieronymus in Commentario super 1 cap. Matthaei, quae leguntur in Romano Breviario in homilia Vigiliae Nat. Domini. Ambrosius quinque, lib. II in Lucam cap. 1, et totidem Petrus Paludanus in IV, dist. 30, q. 2, art. 2, sed plerasque diversas. Totidem quoque Beda homil. De festo Annuntiationis. Albertus Magnus in IV, dist. 30, art. 8, q. 1, tres. Idem in Mariali, cap. 38, et in Bibliis beatae Mariae ad cap. 1 Matthaei quatuordecim. Sanctus Thomas in Summa, part. III, q. 29, artic. 1, ubi quaerit: An Christus nasci debuerit de virgine desponsata, duodecim, quatuor nimirum ex parte Christi, tres ex parte matris, et quinque ex parte nostri, seu propter nos. Sunt autem istae: Prima, ne ab infidelibus, tanquam illegitime natus, abiiceretur. Secunda, ut consueto modo eius genealogia per virum describeretur. Tertia, ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Unde S. Ignatius ait eam fuisse desponsatam, ut partus eius diabolo celaretur, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum, inquit Hieronymus ubi supra. Locus autem Ignatii est in Epistola ad Ephesios. Quarta, ut a Ioseph nutrirentur. Quinta quia per hoc beata Virgo redditur immunis a poena, ne a Iudaeis lapidaretur ut adultera. Sexta, ut per hoc ab infamia liberaretur. Septima, ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur. Octava, quia testimonio Ioseph comprobatum est Christum ex Virgine natum. Nona, quia ipsa verba Virginis Matris magis credibilia redduntur, suam virginitatem asserentis. Decima, ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Undecima, quia per hoc significatur universalis Ecclesia, quae cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo. Duodecima, ut per hoc quod Mater Domini fuit desponsata et Virgo, in personas ipsius et virginitas et matrimonium honoretur contra haereticos alteri horum detrahentes. His duodecim adiungit quatuor alias Albertus Magnus in suo Mariali, cap. 38.

1549. Postremo hic aliquid dicendum de pictura desponsationis. Quod S. Ioseph male pingatur tanquam capularis senex (quam picturam iam olim praedictus Gerson reprobavit), ostendemus ad diem 19 Martii. Desponsatio communiter hoc modo depingi solet: Astant beata Maria et Ioseph sacerdoti, qui manus eorum coniungit. Iosephus ramusculum, seu virgam florentem tenet in manu, et advolat columba. Sic Duaci depicta est in antiqua vitrea fenestra sacelli S. Mauronti in collegiata ecclesia S. Amati. Sed haec ex libello apocrypho desumpta videntur, qui est apud Hieronymum titulo, De nativitate beatae Mariae. Ex eo enim citant Petrus Auratus, in libro Gallico De imagine virtutis, hoc est de vita B. M. V. cap. 8, et Stengelius, cap. 2 Historiae S. Iosephi. Verum doctorum virorum iudicio fabulosus est ille tractatus, et Hieronymo indignus, ut scribit Molanus, lib. II De picturis, cap. 29.

1550. Leguntur tamen his similia in antiquo Melbodiensi Breviario in Officio proprio de Sancto Ioseph. Nam in primis Vesperis antiph. quarta sic habet: « Praeceptum a sacerdote templi egreditur, ut quicunque de domo David inconiugati inveniuntur, singuli virgas siccas in manibus portent, ut appareat miraculose, cui Virgo Maria desponsari debeat. Quinta: Ioseph, cum suis consanguineis, ad templum vadit ob imperium sacerdotis, virgam siccam portans videntibus cunctis, sed postea eam recipit a sacerdote virentibus foliis ». Antiph. ad Magnificat: « Coelesti pontifex ductus oraculo, virgae florentis Iosepho viso miraculo, atque columbae apparentis indicio, iubet Mariam

Digitized by Google

tradi Ioseph connubio, ut impleretur divina dispensatio ». Sic et in Antidotario animae in oratione quadam pro defunctis habetur: « Quando desponsatus est Ioseph beatae Mariae Virgini, Deus per columbam ostendit sibi signum, postea sortitus est virginem ».

1551. Sic ibi. S. Antoninus, part. IV, tit. 15, cap. 6, § 2, scribit summo sacerdoti revelatum, ut omnes de tribu Iuda afferrent virgas ligneas, et tunc manifestaretur cui desponsanda erat. Postea refert floruisse virgam Ioseph et columbam apparuisse. Idem habet ante eum Ludolfus in Vita Christi, part. I, cap. 3, et post utrumque Iacobus Bergomensis in Vita beatae Mariae. Inter recentiores R. P. Ioannes Augustinus confalonerius soc. Iesu Mediolanensis, in Vita Beatissimae Virginis Mariae, in meditatione de desponsatione eius ita loquitur de Iosepho: « Cuius tantummodo virga floruit ex multis viris, qui Sanctissimam Virginem deposcebant. Citat autem ad eius rei probationem Hieronymum Gratianum, lib. I De vita S. Ioseph, et S. Germanum patriarcham Constantinopolitanum. Quae omnia si veritate nitantur, dicendum foret miraculosam fuisse hanc desponsationem, et vel ob hoc, festo die colendam. Sed haec apud me fidem non habent, nisi ab antiquitate fulciantur.

1552. Proferemus igitur, quae de hac re apud Patres reperire potuimus. In primis huc faciunt, quae ex Gregorio Nysseno, et Epiphanio, qui meminit sortium, recitavimus die 19 huius mensis. Deinde quae habet Sanctus Germanus, patriarcha Constantinopolitanus, qui circa annum Domini 700 floruit. In oratione de festo Praesentationis beatae Mariae, postquam narravit, quomodo in templo fuerit oblata et enutrita usque ad secundam aetatem: « Tunc, inquit, Dei nutu, et consilio sacerdotum, de ea datur sors, et sorte eligitur Ioseph iustus, et hanc Sanctam Virginem divino consilio, ex templo Dei ab eius accipit sacerdotibus ».

1553. His conformiter Georgius Cedrenus, in Compendio hist. ad annum 48 Augusti imperatoris, ita scribit: « Cum iam annum XIV attigisset, sacerdotes eius causa Deum precati sunt. Ibi Zacharias pontifex maximus, Baptistae pater, 12 senum cognatorum Mariae ferulas accepit, inque ara posuit, dicens: Ostende, Domine, cui virgo haec debeat copulari. Floruit autem virga Iosephi fabri, atque huic in matrimonium tradita est, isque eam domum secum abduxit, etc. Elapsis autem sex mensibus, princeps angelorum Gabrielus ei apparuit, laetumque de salute mundi nuntium attulit. Id ea, donec peperisset, occultum habuit ». Hactenus Cedrenus, verbis quibusdam interpolatis, quae ad rem praesentem non pertinebant.

1554. Hugo Farsitus, quem manuscriptum habeo, in libro, De miraculis Beatae Mariae in urbe Suessionensi factis, part. I, cap. 9, ubi de puero in visione rapto, et Spiritu divino afflato retulisset, quod ab initio mundi omnem historiam retexens, totam narrationem suam rhythmice digerebat, de nova etiam lege textum Evangelii, et actus Domini sic ordine recensebat, tamquam omnia in libro legeret, et dictata ab aliis pronuntiaret, haec verba adiungit: « Super sanctitate etiam et virginitate Ioseph, qui fuit custos et Sponsus sacrae Virginis inter cetera ait: Qui tenet sceptrum florentis virgae custos erat gloriosae puellae », etc. Floruit hic auctor anno 1120. Eum 50 circiter annis subsecutus Gotofridus Viterbiensis; part. XIV Chronicorum. de signo, quo beatam Mariam Iosepho tradendam significabatur, ita canit:

Sorte ferente Dei, signum fit ab aethere coeli,
In scapulis Ioseph tunc alba columba resedit;
Hanc et ei sponsam stans synagoga dedit.

1555. Denique Michael Glycas, part. III Annalium, pag. 288, scribit in hunc modum: « Cum ad annum aetatis 14 pervenisset, hac de re pontifices, ut par erat, inter se consultant, et precibus Deum implorant. Inde Iosepho desponderetur, Deo per virgam, quae germinaverat, ut omnino id fieret, monente. Haec probabilitatem aliquam dictae picturae ed historiae conciliant. Quae si non recipiantur, dici poterit per illam ramusculi picturam significari virginitatem Beati Ioseph, ut habet Molanus ubi supra.

1556. Meditandi copiam praestabunt rationes illae, quas ex Sancto Thoma allegavimus. Cum autem festivitates, quae in Ecclesia celebrantur in commemorationem divinorum beneficiorum institutae sint, iure merito haec ab omnibus observabitur, in qua recolimus admirabilem divinae providentiae dispensationem, quae in hac desponsatione multipliciter relucet. Hoc enim coniugio Virgo gravida ab infamia praeservata fuit, et a poena legis immunis. Sic divinae ac stirpis regiae Proli provisum fuit de tutore et educatore, et teste virginitatis matri. Sic ablata est omnis occasio Iudaeis et Herodi Christum repellendi, tamquam illegitime natum. Sic datum est exemplum hoc virginale coniugium imitandi, quod et factum est. Hinc in oratione quadam panegyrica quinquaginta retuli coniugum paria, et interea aliquot regum et principum, qui illibatam in matrimonio virginitatem perpetuo coluerunt. Pertinet huc 4 meditatio Francisci Costeri.

Digitized by Google

1557. **Hymnus XXII.**

Laete canamus Iosephi praeconia.

Tibi, Ioseph, praeconia
Laete canunt praecordia;
Tu, cum choris coelestibus
Nostris adesto cantibus.

2. Regis supremi coelitum
Custos, pater, dux crederis:
Sponsusque Matris virginum,
Virgo, maritus Virginis.

3. Tu stirpe natus regia,
Corona Patrum nobilis
Vatumque fulgens gloria,
Solamen almae Virginis.

4. Fugam parabas anxius,
Matrem stupens et Virginem:
Adest ab alto nuntius,
Sponsoque tradit coniugem.

5. O quanta, Ioseph, dignitas!
Iussis tuis inflectitur
Matris Dei sublimitas,
Tibique Iesus subditur.

6. Qui cuncta verbo conficit,
Fabri vocatur Filius
Mandata fabri perficit
Qui iura dicit Regibus.

7. Ioseph, pater Fidelium,
Iesu, tibi, cum Virgine,
Iungatur et cor supplicum
Æternitatis foedere.

8. Uni Deo ter Maximo
Sit sempiterna gloria:
Ioseph, Mariae, Filio,
Per saecla sit laus omnia. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

1558. **Memento.** — O beatissime Ioseph, quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod unigenitum eius Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis paterno affectu amplexus fueris! Utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus, et patrocinio adiutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum Iesum simili amoris ac reverentiae affectu complectar in sanctissimo altaris Sacramento, quo mereear eumdem posthac aeternum complecti in coelis. Amen. (Manuale piet. ex oper. S. Gertrudis).

XXIII. — Sermo Georgii Colvenerii.

DE VIRTUTIBUS, DONIS ET TRANSITU S. IOSEPH.

Kalend. Marian. 19 Martii.

Ut autem his aliquid adiiciamus, quam varios et diuturnos labores exantlaverit in obsequio Christi et coniugis suae Beatae Virginis Mariae, utrumque in Ægyptum deducendo, suis laboribus nutriendo, ac deinde reducendo, quis cogitare sufficiat? Hinc merito de ipso solet olim canere in proprio huius festi Officio Melbodiensis Ecclesia:

Praebet Matri et Puero sanctum obsequium:
Sic enim decebat benignum nutritium.

Et infra:

Honorat Christus Ioseph suum baiulum,
Qui sedule nutrivit ipsum Parvulum,
Dignum in coelis illi reddens praemium.

Quam fuerint autem Beata Virgo Maria et Ioseph, ut decet coniuges, in omnibus laboribus coniuncti, ex his patet: Simul proficiscuntur Bethlehemum ad censum, quem Caesar indixerat persolvendum. Curam habet coniugis in puerperio, cum illa peragit omnem Purificationis ritum, simul ferentes Puerum ex ea natum in Ierusalem. Simul properant in Ægyptum, fugientes a facie Herodis, simul ibidem habitant, et post septennium cum Filio revertentur. Pergunt simul Hierosolymam ad Paschalem et alias solemnitates celebrandas. Christum perditum simul quaerunt et inveniunt, et simul cum eo domum revertuntur.

1560. Sanctissimo Iosepho recte hoc tribueris elogium: Quod fuerit Angelus vita, Archangelus officio, Principatus regum victoria, Potestas supernaturalium operatione, Virtus Deiformi perfectione, Dominatio animae gubernatione, Thronus corporea Dei receptione, Cherubim secretorum cognitione, Seraphim amoris divini fervore. Hunc igitur oremus, ut impetret nobis horum novem angelorum ordinum erga Deum praestare obsequia, et sua erga Sponsam suam, et Filium eius officia.

1561. Porro antequam de beato ipsius transitu ex hoc mundo disseramus notandum, non esse pingendum specie senilis aetatis. Quod autem de grandaeva aetate beati Iosephi quidam scriptum reliquerunt, desumptum est ex apocrypho libro de ortu Beatae Mariae apud Hieronymum. Sed nervose illud refellit Molanus lib. III De picturis, cap. 29, et lib. III, cap. 12, citatis bonis auctoribus, et allatis firmis rationibus.

1562. Citat autem nominatim Hesselium in dist. 28, lib. IV Sententiarum, ita commentantem: « Epiphanius in haeresi Antidicomarianitarum narrat fabulam, quod Ioseph Mariam duxerit, cum iam annum suae viduitatis ageret fortassis octogesimum, et amplius. Verum nullo modo convenisset virum centenarium, et imbecillem senem, adhiberi Mariae in custodem, cui fugiendum esset in Ægyptum cum Puero et Matre eius, et inde redeundum. Nec decebat eum aliorum filiorum amore esse distractum, qui curam tantae Virginis et prolis esset gesturus. Confirmavit fabulam pictorum car-

Digitized by Google

nalitas, qui ex sua libidine de Ioseph iudicantes, putant non aliter eum se continere potuisse a Virgine, nisi senex, et per aetatem provectam impotens ad commistionem fuisset, plurimum derogantes gratiae Dei, quae tam efficax esse potest in adolescentibus ipsis, atque in alius aetatis hominibus. Credo igitur conformius esse evangelicis Litteris, si Ioseph credatur fuisse iuvenis, fortis et valens, qui potuerit industria et labore aetatis, Virginem defendere, et urgente periculo, mox Puerum in Ægyptum deferre, et reducere, ac suis laboribus nutrire. Certe incontinentiae suspicione non caruisset Maria, si virum centenarium habuisset. Et vanus est carnalium timor. Facilius continet Deum timens iuvenis virgo, quam impotens, et libidini assuetus senex. Quanto magis autem hic Ioseph qui multo excellentior fuit Ioseph filio Iacob? » Ita Molanus ex Ioanne Hesselio.

1563. Idem docet Locrius, lib. v Mariae Augustae, cap. 12. Ad probandum Iosephum iuvenem fuisse, manifestam affert Scripturam Gerson ubi supra Isaiae LXII: « Habitabit iuvenis cum virgine, et gaudebit sponsus super sponsam ». Quae verba de eo habet Breviarium Brugense ecclesiae S. Donatiani in 2 responsorio. Sed et Glossa interlinearis illud: « Habitabit iuvenis cum virgine », exponit caste et sobrie, sicut Maria cum Ioseph, Chrysantus et Daria. Similiter Liranus, et specificat, ut Ioseph et Ioannes cum Maria, Valerianus cum Caecilia, Chrysantus cum Daria, et plures alii, hanc perfectionem imitantes, ut habetur in collationibus Patrum, et in aliis pluribus locis. Sic ille.

1564. Rursus iuvenem fuisse, non senem, asserunt Wendelinus Stambachus in IV, dist. 30, dub. 6, et Ioannes Viguerius in Institutionibus theologicis, cap. 20, § 9, allegans eamdem Isaiae Scripturam, et hanc duplicem rationem adiiciens: « Virgo non evasisset infamiae notam, si vir eius fuisset senex et decrepitus, prout olim non revelata veritate pingebatur, nec fuisset Virgini solatio, vel adiutorio, sed taedio ». Item Ioannes Maior in cap 1 Matthaei sub finem. Sed et Gerson ubi supra, se crebro notasse dicit in Allemania Iosephum fuisse depictum in aetate iuvenili.

1565. Consequenter disserendum an virgo fuerit, quando beatae Virgini matrimonio coniunctus est. Quamvis non desint ex Patribus Graecis, quos recenset in sua historia, cap. 2, Stengelius et Estius in commentario ad caput IX I Epist. ad Cor. v. 5, qui Iosephum iam ante aliis nuptiis copulatum fuisse asserant, et filios genuisse, ut nominatim Sanctus Epiphanius haeresi 28 et 78, sunt tamen non pauciores, nec auctoritate inferiores, qui semper virginem permansisse testantur.

1566. In primis Hieronymus Contra Helvidium: « Tu dicis, inquit, Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo Filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non càdit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari ». Et paulo ante qui opinantur eos, qui in Evangelio fratres Domini appellantur, esse filios Ioseph ex alia uxore, dicit id non tam pia, quam audaci temeritate confingere: et in commentario ad cap. XII Matthaei ad apocryphorum deliramenta reiicit. Id enim desumptum est ex fabuloso Iacobi protevangelio, in quo refertur Ioseph viduum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequam Maria ei desponsaretur. Neque profecto congruit dignitati beatissimae Virginis, attribuere ei virum non virginem, sed prius uxoratum, et e priori coniugio liberis onustum, et eorum cura distractum, cui custodia demandanda erat pueri Salvatoris, simul et Matris, inter pericula persequentium.

1567. Augustinus ser. 14 De Nat. Domini; Theodoretus in cap. 1 Epistolae ad Galatas: Beda et Alcuinus in cap. II Ioannis; Petrus Damianus lib. 1, epist. 6, ad Nicolaum Pontificem Romanum, ubi loquens de incarnatione Filii Dei, sic ait: « Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater. Ecclesiae fides est id est pia credulitas) ut virgo fuerit et is, qui simulatus est pater ». Rupertus Tuitiensis super 1 cap. Matthaei, ubi repetit verba Hieronymi. Hugo Victorinus, in cap. 1 Epistol. ad Gal., q. 5, et post eos scholastici doctores. Et in primis Petrus Lombardus in cap. 1 Epist. ad Galat., ad illa verba: « Nisi Iacobum fratrem Domini, » ubi sic ait: « Hic est Iacobus Minor, qui dictus est frater Domini, ideo quia hic Iacobus filius fuit Ioseph, qui pater Iesu dictus est. Sed non est hoc ratum, cum Ioseph virgo fuisse credatur ». Sic ille.

1568. Sanctus Thomas in cap. 1 eiusdem Epist. lect. 5, postquam retulit quosdam dicere Iosephum ante beatam Virginem aliam habuisse uxorem, de qua filios Iacobum et alios genuit, ita subdit: « Sed hoc est falsum, quia, si Dominus Matrem Virginem noluit nisi virgini commendare custodiendam, quomodo sustinuisset sponsum eius virginem non fuisse, et sic perstitisse?

1569. « Idem docent Petrus Paludanus in IV, dist. 30, q. 2, art. 2; Iacobus de Valentia episcopus Chrysopolitanus in canticum Ma-

Digitized by Google

gnificat, dignitate, 4; Sanctus Bernardinus Senensis tom. III, in serm. de S. Ioseph; Pelbartus in Stellario coronae beatae Virginis, lib. I, part. VI, art. 3, cap. I, in fine. et lib. VIII, part. II, art. 3, cap. 4, ubi bonos citat auctores et rationes. Ioannes maior in IV, dist. 30, quaest. 4, sub finem. Ioannes Eckius in serm. de S. Ioseph; Laurentius Cuperus in lib. De vita et genealogia B. Annae, cap. 6; Spinellus in tract. De virginibus, num. 14; Aloysius Lipomanus in Vitis sanctorum, tom. VII, ante serm. tit. Chrysostomi de Annuntiatione, qui est tom. II Surii, et Gerardus Vossius in notis ad eumdem sermonem 3 de Annuntiatione Gregorii Neocaesariensis, quem eius auctorem esse comprobat.

1570. Petrus Canisius lib. II de beata Maria, cap. 13. in quo late Iosephum a singulari prudentia, iustitia, sanctitate et castitate commendat, et ad probandam ipsius virginitatem citat auctores a me ante productos, Hieronymum, Augustinum, Bedam, Alcuinum, Rupertum, Hugonem Victorinum in lib. De coniugio beatae Mariae, qui non exstat in ipsius operibus, Thomam et Gersonem. Ioannes Lorinus in cap. I Actorum ubi pro ea re citat quoque Sanctum Bernardum. Denique iuvenem et virginem fuisse multis docet Franciscus Toletus in cap. I Lucae annot. 59, et Augustinus Torniellus in suis Annalibus anno mundi 4050, num. 8 et 9, qui ei 38 annos aetatis tribuit, quando beatam Virginem sibi desponsavit. Habes insuper pro virginitate Sancti Ioseph divinum testimonium supra die 23 Ianuarii n. 5, ex Hugone Farsito.

1571. Denique Collecta antiqui Breviarii Brugensis idem testatur, quae sic habet: « Deus qui Mariam Virginem Ioseph virgini, ut ex convirginali coniugio virginum Sponsus nasceretur et custos, matrimonialiter sociasti: fac nos per utriusque intercessionem ipsum diligere virginitatis auctorem Dominum nostrum Iesum Christum », etc. Cui similis est prima Collecta huius festi in Schultingio...

1572. Nunc paucis dicendum, quam artem Iosephus exercuerit. Fabrum fuisse constat ex Evangeliis. Sed quoniam diversae sunt huius artis species, disputatur an fuerit faber ferrarius, an lignarius. Ferrarium fuisse astruunt Hilarius can. 14, in Matth.; Leander archiepiscopus Hispalensis de Instit. virginum, c. 22; Isidorus in Regula monachorum, c. 5; Beda super cap. VI Marci; Ansel. in cap. XXIII Matth. At alii non pauci, praesertim scholastici, fabrum lignarium fuisse communiter asserunt.

1573. In primis Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone post medium, de Christo sic ait: « Ioseph materiarii, vel, ut habet alia versio, lignarii fabri Filius ». Et post pauca: « Solebat enim, dum inter homines degeret, aratra fabricare, iugaque, ut et per has figuras iustitiam doceret, et reipsa fugam otii ». Chrysostomus ser. 30, in cap. I Epist. ad Romanos: « Quandoquidem adeo erant inflati, et Paulus apud eos praedicaturus esset Iesum fabri lignarii putatum filium » etc. Auctor Operis imperfecti in Matth. homilia prima: « Sed ut per omnia filii paternae nativitatis paternum imitaretur exemplum, ideo et Maria desponsata erat fabro lignario: quoniam et Christus sponsus Ecclesiae omnem salutem hominum, et omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus ».

1574. Idemque asserit hom. 32, in cap. XIX Matth. Ambrosius serm. 16, qui est de Natali Domini, et in cap. III Lucae, ubi tamen dubie loquitur. Nicephorus, lib. X Histor. cap. 35: « Cum Iulianus exercitum in Persas duceret, et Libanius illudens, ad sanctum illum virum ludimagistrum institutionibus probe eruditum) diceret: Quidnam fabri faceret filius? respondens ille: Ligneam, inquit, arcam ad mortem imperatoris tui elaborat ». Eamdem historiam multo ante refert Sozomenus, lib. VI Hist. eccles. cap. 2, et Theodoretus lib. III, cap. 18.

1575. Sed et fabrum lignarium fuisse teste Sixto Senensi in Bibliotheca sancta, lib. VI, annotat. 62, et Molano ubi supra lib. III, cap. 12, omnis pene scholasticorum consessus asserit, et lib. II, cap. 29, dicit hanc sententiam esse communiorem, sicut et Gerson in Passionem Domini part. II, ad text. 3, et communem opinionem esse pariter fatetur Iacobus Bayus, lib. I Institut. religionis Christianae, cap. 168. Sanctus Thomas in expositione super Matth. cap. XIII, ad illa verba: Nonne hic est fabri filius? sic ait: « Ipse enim putabatur filius Ioseph qui non erat ferrarius, sed lignarius ». Sic ille.

1576. Idem tradit historia Orientalis, referente Gratiano, inquit Stengelius in Vita S. Iosephi, cap. 10, et passim picturae demonstrant, dum ei serra apponitur. Et in Kalendario Syrorum, quod est in Brevario Maronitarum, die 12 Ianuarii, Ioseph vocatur faber lignarius, quomodo eum vocat Ludolfus Saxo in vita Christi part. I, cap. 13. Idem Pelbartus in Stellario, lib. I, part. VI, art. 3, cap. I, et lib. VIII, part. II, art. I, ubi id late deducit. Sanctus Antoninus in Summa theol. part. IV, tit. 15, c. 7, § 1. Christus secundum Chrysostomum carpentarius erat, in hoc omnes laborare docens, pro sustentatione sui, et suorum.

1577. Idem docent inter recentiores Pe-

Digitized by Google

trus Galesinius in suis Notationibus ad Martyrol. Romanum die 19 Martii; Baron, tom. I Annal. anno Christi 12; Estius in Notationibus ad cap. XIII Matthaei; Costerus, Meditat. 4 et 24 de Beata Maria; Ioannes Busaeus in Enchiridio piarum medit. medit. 4, de Vita Christi: « Aspice, inquit, illum servili praecinctorio praecinctum, et per domum currentem, ut nunc Sanctum Ioseph, nunc Beatam Virginem iuvare queat, dolandis asseribus, haurienda aqua, domo everrenda, foco construendo », etc.

1578. Petrus a Gogni de Vita beatae Mariae, cap. 19; Stengelius ubi supra cap. 2, et 13: Matthias Navaeus, in orat. 6, de Sancto Ioseph, et complures alii. Quibus accedit, quod Iosephum ut suum patronum colant fabri lignarii, non autem ferrarii, quorum patronus est Sanctus Eligius. Patet etiam ex plerisque supra citatis auctoribus Christum quoque eamdem artem fabrilem exercuisse, tametsi id quidam negent, quos citat Stengelius cap. 13 Vitae sancti Iosephi. Non enim solum dixisse leguntur Iudaei Matthaei XIII, 55: « Nonne hic est fabri filius? » sed etiam Marc. VI, 3: « Nonne hic est faber, filius Mariae? » ergo et ipse artem fabrilem cum Iosepho exercebat.

1579. De felicissimo Ioseph ex hoc mundo transitu, praesente videlicet Iesu Christo, et coniuge ipsius beatissima Virgine Maria ipsum consolantibus, et omni obsequio assistentibus, agit dictus Stengelius cap. 14. Ubi ex Sancto Bernardino in serm. de Sancto Ioseph tom. III, et Gersone in Iosephinis, et serm. De Nat. beatae Mariae considerat. 3, scribit eum resurrexisse ad vitam immortalem inter eos, qui cum Christo resurrexerunt, Matth XXVII, 52, 53. Qui tales erant, ut adhuc a viventibus, quibus apparuerunt, cognosci possent. Cuius sententiae astipulatores plurimos citat recentiores. Denique de gloria ipsius in coelis, patrocinio, et miraculis agit idem cap. 15, et ult. Recenset ibidem septem dolores praecipuos, quos in hac vita sustinuit, quos breviter recensebimus.

1580. Primus est dum videns beatam Virginem gravidam, dimittere eam voluit. Secundus, dum vidit Christum infantem iacentem in stabulo, aeris et frigoris iniuriis expositum. Tertius in circumcisione, dum Christi sanguinem vidit effluentem. Quartus, dum audivit verba Simeonis dicta ad Sponsam suam: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Quintus, in fuga ad Ægyptum propter Herodianam persecutionem. Sextus, dum in reditu ex Ægypto ad Iudaeam, audivit Archelaum Herodis filium ibidem regnare. Septimus, quando Hierosolymis puerum Iesum amiserat, de quo ait Beatissima Virgo Maria Lucae II, 48: « Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ».

1581. Addit ibidem et septem gaudia eiusdem. Primum, dum perplexus, videns gravidam Virginem, volensque eam occulte dimittere, misso ad eum angelo consolatus est, quando ab eo audivit: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Secundum, quando vidit angelos Christum in praesepio iacentem adorare, et divinas ei laudes concinere audivit, et a pastoribus intellexit. Tertium, quando imposuit Christo infanti dulcissimum nomen Iesus, quod ei fuerat revelatum. Quartum, dum a Simeone audivit futurum, quod Christus Dominus auctor esset resurrectionis et salutis humani generis, Luc. II, 34. Quintum, quando ingressus Ægyptum vidit idola cum praesentiam Christi ferre non possent, in terram confracta concidisse, non aliter quam Dagon coram arca, I Reg. V, 4. Sextum, quando monitus ab angelo, ut cum Matre et Filio in Iudaeam reverteretur. Septimum, quando invenit Iesum in templo Hierosolymitano inter doctores disputantem. Ex quibus omnibus docendi, scribendi et meditandi de hoc beatissimo viro cuivis latissimus patet campus.

1582. **Hymnus XXIII.**

Pia Iosephi erga Deum Puerum officia.

NASCENTE Rege coelitum,
Praesepe, Ioseph, instruis:
A Matre primus omnium.
Fructum salutas Virginis.

2. Tu, cum choris coelestibus,
Sponsa, Magis, Pastoribus,
Gaudens adoras parvulum,
Summi Parentis Unicum.

3. Palpas, foves, amplecteris
Sponsae Mariae Filium:
Stupes madentem lachrymis,
Perenne coeli gaudium.

4. Stupes deorum maximum,
Qui cuncta nutu temperat,
Factum virum novissimum,
Qui lacte Matris victitat.

5. O quanta vota principum,
Et quot Patrum suspiria,
Ut cernerent infantulum,
Quem sancta gestant brachia!

6. Ioseph, pater Fidelium,
Iesu, tibi, cum Virgine,
Iungatur et cor supplicum
Æternitatis foedere.

7. Uni Deo ter Maximo
Sit sempiterna gloria:
Ioseph, Mariae, Filio,
Per saecla sit laus omnia. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

Digitized by Google

1583. **Memento.** — O S. Ioseph, qui tamquam pater et manuductor Christum Iesum in pueritia et iuventute per omnes peregrinationis humanae vias fidelissime deduxisti: mihi, obsecro, in vitae meae peregrinatione tamquam comes et ductor assiste, nec umquam permitte, me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis praesidium, in aerumnis solatium: donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et sanctissima Sponsa tua Maria, omnibusque Sanctis, aeternum in Deo Iesu meo exultem. Amen. (Manual. piet. ex oper. S. Gertrudis).

XXIV. — Sermo Benedicti Papae XIV.

DE DESPONSAT. B. M. V. CUM S. IOSEPH.

De festis B. M. V. cap. 1.

Quod ad qualitatem attinet voti virginitatis, quam vovit Beata Virgo, utrum scilicet sub aliqua conditione, an vero absolute et simpliciter eo se alligaverit, docet divus Thomas III part., q. 28, art. 4, tempore legis Mosaicae virorum et feminarum fuisse partes praecipuas ut liberos gignerent; ideoque Beatam Virginem, antequam Sancto Iosepho nuberet, virginitatem vovisse sub ea tamen conditione, id si Deo placeret: « Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse: sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divina commisit arbitrio ». Et in IV Sentent., dist. 30, q. 2, art. 1, q. 1, ad primum ita ait: « Beata Virgo fuit confinium veteris et novae legis, sicut aurora confinium est diei ac noctis: et ideo votum eius sapuit novam legem, in quantum virginitatem vovit; et veterem, in quantum conditionem apposuit ».

1585. Sed haec sententia quibusdam non probatur, quod votum nulla conditione apposita perfectius sit, quam quod pendet a conditione. Praeterea illa conditio inest in omni promissione et voto, ut disputat Estius § 4, loc. cit. Nos vero, quin opus sit a divi Thomae doctrina recedere, existimamus, Beatam Mariam virginitatem diversis vovisse temporibus, modo conditione addita, modo nulla conditione apposita.

1586. Antequam nuberet Beata Virgo, saepenumero de vovenda virginitate cogitavit; quod quidem se vehementer cupere Deo declaravit; sed cum id legis consuetudini adversari videret, vovit virginitatem, ea tamen apposita conditione, quam modo memoravimus. Id autem Deo placere divinitus facta est certior; ac propterea, antequam nuberet, absolute vovit virginitatem: quamobrem divus Thomas cit. part. III, quaest. 28, art. 4, ad primum, diserte ait: « Postquam autem ei innotuit, hoc esse Deo acceptum, absolute vovit, antequam ab angelo annuntiaretur », Illud autem votum, quod, antequam Sancto Iosepho nuberet, absolute voverat, matrimonio inito cum Iosepho rursus renovavit; quod eruitur ex ipso divo Thoma, in IV Sentent., dist. 30, quaest. 2, art. 1, quaest. 2, ad secundum: « Beata Virgo antequam contraheret cum Iosepho, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat ». Vide Gottum, part. I, tom. IV, De Verit. relig. Chr. cap. 3, § 7, num. 48.

1587. Verum si beata Virgo, antequam matrimonio cum Iosepho iungeretur, virginitatem perpetuam voverat, suboritur ea, quam proposuimus, quaestio qui ei licuerit sui corporis, quod Deo iam consecrasset, matrimonio inito potestatem viro dare; cum praesertim iuxta canonum decreta nullius roboris sit matrimonium sub conditione contractum liberorum non procreandorum, ut videre est in decretali: « Si conditiones » De conditionibus appositis. Quaestionem hanc primus proposuit quidam, cuius nomen est incompertum Hugoni a Sancto Victore XII saeculi theologo, ut constat ex eius libro, De perpetua Mariae virginitate.

1588. Responsio tamen in proclivi est. Generatim enim verissimum est nefas esse corporis, quod Deo per virginitatis votum femina consecraverit, matrimonium ineundo potestatem viro dare; sed minime id verum est in hoc singulari casu, in quo qui virginitatem vovit, divinitus cognovit alteri coniugi iam certum esse virginitatem perpetuo colere, ut plane contigit in coniugio Beatae Virginis cum Sancto Ioseph. Ea enim antequam nuberet, monita a Deo fuerat, ne de virginitate, quam perpetuo coleret, esset sollicita; Ioseph enim cum ea idem plane sentire. Itidem verissimum est, irritum esse coniugium, quod sub conditione contrahitur non procreandi liberos. At minime verum est, nullius roboris esse matrimonium, quod, semota illa conditione, ut plane in matrimonio Beatae Mariae contingit, contrahitur cum praescientia, vel nullos inde fore liberos, vel, si qui exstiterint, eos non humana opera esse procreandos.

1589. Docet id Sanctus Thomas, in IV Sentent., dist. 30, quaest. 2, art. 1, ç. 2, ad secundum: « Beata Virgo antequam contraheret cum Ioseph, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propositum non fuit conditionaliter in

Digitized by Google

consensu appositum: talis enim conditio cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret ».

1590. Quaeritur hic, quoto aetatis anno beata Maria Iosepho nupserit; quot annos itidem natus Iosephus beatam Mariam uxorem duxerit. Beatam Mariam quatuordecim annos natam, communis est fere omnium sententia: id enim aetatis est, cum puellae concipiunt. Saxius, tom. I, De laudibus Beatae Mariae, pag. 59: « Et ex multis, inquit, quos legi scriptoribus, fere omnes in hac sententia sunt ». Iosephum vero octoginta natum annos Beatam Mariam in matrimonium duxisse, non fit illi verisimile; quam sententiam Sancti Epiphanii haeres. 51, omnino reiicit.

1591. Neque enim facile quis crediderit Virginem summa senectute viro nupsisse. Iosephus autem, qui iam id esset aetatis, viarum molestias itinerumque qui potuisset perferre? Nec si tam grandis natu fuisset Iosephus, qua senectute illum fuisse existimat Epiphanius, et pingunt nostri pictores, satis honori tum Beatae Mariae, tum etiam Filii contra Iudaeorum calumnias fuisset consultum. Porro de Iosephi senectute inde orta est opinio, quod aliam antea uxorem in matrimonio habuisse, ex eaque liberos suscepisse credatur; quod a vero quantum absit, demonstravit Baronius in Apparatu num. 61, cui assentitur Andreas Schmidius, licet heterodoxus, in Prolusione Mariana III, t. LXXVII Miscellaneorum Bibliothecae Cardinalis Passionei.

1592. Atque haec de huius festivitatis mysterio. Reliquum est, ut quaedam de eius institutione attingamus. Carnotensis quidam canonicus qui saeculo XV migravit e vita, scripsit in Testamento suo, ut in die sui obitus capitulum solemnem de Sancto Iosepho commemorationem faceret, quod cognitum haberet, Sancti Iosephi laudem in Beatae Virginis laudem redundare. Ioannes Gerson Parisiensis Universitatis doctor et cancellarius, qui praecipua quadam devotione Sanctum Iosephum colebat, monuit defuncti voluntatem impleri posse tripliciter. Inter eas rationes perficiendi quod canonicus ille mandaverat, proposuit Officium Desponsationis Beatae Virginis cum Sancto Iosepho, quod ipse etiam composuit. Narrat Georgius Colvenerius in Kalendario Beatae Virginis, ad diem 23 Februarii scriptum quidem fuisse Officium a Ioanne Gersone, sed intercidisse.

1593. Nunc vero in Ioannis Gersonis operibus omnibus, quae formis Antuerpiensibus edita sunt anno 1706, tom. IV, pag. 731, binae apparent eiusdem auctoris Epistolae de Officio desponsationis; atque ibi Officium illud exhibetur integrum; et pag. 742 duorum Codicum manuscriptorum fide monemur, iussisse legatum Pontificis festivitatem Matrimonii Sancti Ioseph celebrari. Si legato obtemperatum fuit, certe eius iussui paruit vel Ecclesia Carnotensis, vel regio tota, quae eius legationi esset subiecta.

1594. Propterea legimus saeculo XVI, Paulum III Ioanni Calvo Fratrum Minorum commissario concessisse facultatem, ut Fratres Minores, Sororesque Officium Desponsationis Beatae Virginis cum Sancto Iosepho recitarent expressum ex Officio de Nativitate, mutata voce Nativitatis in Desponsationis et adhibito evangelio proprio: « Cum esset desponsata, » donec novum de hac festivitate Officium componeretur. Illis vivebat temporibus Petrus Dore ordinis Praedicatorum magni vir nominis ob plura quae scripsit opera, cuius Catalogum confecit Iacobus Echard., tom. II De scriptoribus illius ordinis, pag. 203. Huic Paulus III mandavit, ut Officium proprium componeret; illiusque Pontificis litteras, quibus mandatum eius continetur, apud citatum Colvenerium reperias. Officium autem a Petro conditum concinnatumque Pontifex probavit, ut videre est apud Bollandistas ad diem 19 Martii in Vita Sancti Ioseph, § 7. Utrum autem Officium illud ad universalem Ecclesiam extensum fuerit, antequam Breviarium Romanum reformatum esset, neque negare possumus, neque affirmare. Illud ex Sacrae Rituum Congregationis Regestis apparet, post Breviarii reformationes pluribus Ecclesiis intra Italiam et extra recitandi eius Officii facultatem esse concessam, atque in omnibus ecclesiasticae ditionis regionibus recitari ex Indulto Benedicti XIII, die 22 Augusti 1725.

1595. **Hymnus XXIV.**

Iesu Ioseph et Mariae laudes.

En vagit in praesepio
Qui solus orbem condidit:
Lac Virgo praebet Filio,
Tam mira Ioseph suspicit.

2. Qua mente, pro mortalibus,
Tam sancta, tam sublimia,
Coelestis aulae Spiritus
Cernunt agi mysteria.

3. O ter beata Trinitas,
Iesu, Ioseph et Maria:
Mirabilis communitas,
Coetusque nostri regula.

4. Hanc Trinitatem laudibus,
Noster chorus sic efferrat,
Ut hanc sequatur actibus,
Moresque sanctos exprimat.

5. Iesus, Ioseph et Maria,
Orbis fidelis gaudium,

Digitized by Google

Coetusque nostri gloria,
In corde regnent omnium.
6. Ioseph, pater fidelium,
Iesu, tibi, cum Virgine,
Iungatur et cor supplicum
Æternitatis foedere.
7. Uni Deo ter Maximo,
Sit sempiterna gloria:
Ioseph, Mariae, Filio,
Per saecla sit laus omnia. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

1596. **Memento.** — Ambo fuerunt ab aeterno, prae omnibus Sanctis, ad duplicem omnium celsissimam dignitatem electi: Maria, in Matrem Christi naturalem; Ioseph, in eius Patrem legalem. Ambo regali ex progenie illustres. Ambo in utero matris sanctificati: Maria, quia sine labe originali concepta; Ioseph, quia speciali privilegio a primaeva culpa ante nativitatem mundatus. Ambo ab omni actualis peccati sorde longe alieni. Ambo in ministerium Verbi incarnati assumpti: Maria, ut carnis substantiam daret; Ioseph, ut eamdem aleret et nutriret. Ambo qui primi votum virginitatis emiserunt, et in matrimonio coelibatum coluerunt. Ambo Christi Parentes nuncupati. Ambo propter infantem Christum varios labores innumerasque aerumnas perpessi. Ambo in Christi infantia, pueritia et iuventute, individui eius comites ac dilectissimi familiares. Ambo viginti annos et ultra sub eodem tecto, in domuncula Nazarethana, conversati. Ambo, sicut et communi societate, ita et vinculis charitatis, muneris et obsequii, intime sibi invicem devincti. Tandem, ambo anima et corpore gloriosi, cum divino Triumphatore Iesu in coelo perenniter conregnantes. (Iamar, Theol. S. Iosephi, anteloq.).

XXV. — Sermo Francisci Costero.

DE DESPONSATIONE B M. V. CUM S. IOSEPH, ET DE HAESITATIONE EIUSDEM S. IOSEPH.

De vita et laudibus B. M. V. Meditat. V et XI.

DE DESPONSATIONE B. VIRGINIS.

CONSIDERA primo, cum annum aetatis decimum quartum Virgo explesset, et corporis habitu procerior iam nubilis videretur, sacerdotes quibus virginum cura incumbebat, de marito huic virgini tradendo, viro optimo, qui a sanctis eius moribus non esset alienus, inter se deliberasse: atque praeter ceteros placuisse Iosephum ex eadem tribu, et progenie David, nobilem quidem virum, sed tenuem, qui arte fabrili vitae necessaria parabat; gravem quoque et modestum, aetatis non quidem senilis, ut nonnulli arbitrantur, sed maturae, qui et labores educandae familiae, et variarum profectionum molestias ferre posset. Hunc igitur conveniunt, eique Virginem Sanctissimam quibus possunt et decuit nominibus commendant.

1598. Considera secundo Virginem Beatam ad Iosephi vocatam colloquium, ei propositum suum votumque servandae virginitatis secreto exposuisse, atque ad similem castitatis voluntatem cohortatam esse. Iosephum autem, virum utique iustum, Virginis commotum oratione, suam etiam virginitatem, quam hactenus conservaverat inviolatam, Deo, consecrasse, Virginemque in Sponsam et uxorem, non attingendam, sed conservandam consuetis ritibus palam accepisse. Fuit enim verum Mariae et Iosephi matrimonium, sed castum, virginale, angelicum: ad cuius imitationem multi deinde coniuges castitatem in matrimonio coluerunt, Caecilia et Valerianus; Ursula et Etherius; Henricus II imperator et Chunegundis, aliique permulti, quorum institutum beatus Augustinus (Epist. 45) in voto castitatis Armentarii et Paulinae coniugum vehementer commendat.

1599. Considera tertio, Dominum elegisse quidem nasci ex Virgine, ut virginitatis excellentiam commendaret, quam ipse quoque sanctissime coluit, omnibusque qui eam colere vellent, tamquam tutissimam proposuit atque consuluit; sed variis de causis voluisse Matrem esse coniugem. 1. Ne pateret Iudaeorum calumniis, si extra matrimonium peperisset; 2. ut conservatorem haberet suae pudicitiae, testemque virginitatis; 3. ut Filius Dei infantulus, viri labore ed industria educaretur, et variis periculis eriperetur; 4. ut diabolum lateret partus Virginis inviolatae; 5. ut Mater Domini consequeretur merita praemiaque triplicis status, virginum, coniugum et viduarum. Nam Iosephus (ut auctor est Beatus Epiphanius, haeres. 78) decessit non multo post annum aetatis Christi duodecimum.

1600. Considera quarto, cur fabro lignario nupta sit Mater Dei, nempe quia Mater futura erat illius magni Fabri, qui coelum terramque verbo perfecit. Tibi hic cavendum ne cum haereticis de castissima Mariae virginitate per hoc matrimonium quidquam detractum esse putes, sed eius angelicam admiratus puritatem, quantum tibi Dominus dederit, imitari contendes.

POST INITUM MATRIMONIUM.

1601. Considera primo, per istud sanctissimorum coniugium, nuptiis pro more celebratis in Nazareth, ubi Iosephus domicilium habebat, abiisse, et mutua sibi castaque officia exhibuisse. Iosephus enim vir simplex, iustus, prudens, coniugis suae per quam de nobilitate virginitatis edoctus fuerat, sanctitatem admiratus, venerari eam

Digitized by Google

coepit ut Dominam. Contra, Virgo memor virtutis obedientiae, ad nutum obsequebatur marito. Magna erat animorum conjunctio, magnusque thesaurus sanctitatis in hac domo occultus latebat.

1602. Considera, secundo domum hanc Matris Dei singulari privilegio ita vallatam angelis in custodiam Virginis deputatis, ut inimico humani generis nullus patuerit in hanc familiam accessus. Nullae igitur hic unquam rixae, nulla animorum alienatio, nullae diabolicae tentationes; sed charitas, gaudium, et pax in Spiritu Sancto. Notandae enim sunt Scripturae quae de custodia hac sanctissimae Virginis loquuntur: « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, de fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos » (Cant. III, 7, 8). Et iterum: « Quid videbis in Sunamite; » hoc est, in Virgine Maria, quae verum Elisaeum Christum suscepit hospitio (IV Reg. IV, 12), nisi choros castrorum? (Cant. VII, 1) hoc est, angelorum multitudinem, inter quos media incedit, daemonibus terribilis ut castrorum acies ordinata. Si enim Elisaeo prophetae circumfusi erant innumeri angeli, qui sanctum virum ab hostium omnium tuerentur insultu; quot putas Matris et tutelae, et honori designatos a Filio Dei angelos, qui tantam Virginem tuerentur, ac ministrarent, et eam quocunque euntem, honoris causa, ut Dominam suam prosequerentur? Tu itaque hanc Dominam tuam venerare; eius honorem adversus insaniam haereticorum tuere, eius laudes apud omnes praedicare stude. Etenim ut Iosephus quidquid gloriae habet, illud ex Virgine hac est consecutus: ita tibi a Deo cumulatissime scias restituendum, quidquid ad honorem Matris Christi contuleris.

DE HAESITATIONE IOSEPHI.

I. — *Cum desponsata esset Mater Iesu Maria Ioseph antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* (Matth. I, 18, 19).

1603. Considera primo, Virginem beatam ex Zachariae domo revertisse, utero nonnihil tumente, ad sponsum maritumque suum Iosephum, cui cum nihil de angelico nuntio incarnationis Filii Dei retulisset, tum ex humilitate, tum quod is fortassis non adhibuisset insolitae et nunquam auditae rei fidem, tum quod non dubitaret ab eodem Spiritu Sancto ei revelatum iri, qui Elisabethae inspiraverat, Iosephus, vir iustus, hoc est, omni virtutum genere instructus, ut vidit et certo cognovit gravidam, nihil insolenter egit, nihil exprobravit, nihil apud affines est questus, nihil cuiquam indicavit, multa secum ipse cogitavit, et valde anxius quid esset acturus haesit. Oculi, qui videbant uterum, iudicabant adulteram, cum qua manere putabatur consortem esse peccati: contra, Virginis ab ineunte aetate nota sanctitas, et angelica puritas animum remorabatur ne iudicium firmaret. Itaque elegit quod videbatur tutissimum, nempe, ut occulte dato libello repudii dimitteret Virginem, quam ante tres quidem menses uxorem duxerat, nuptiasque celebrarat, sed corporum coniunctione non consummaverat matrimonium, unde licet uxor esset, poterat adhuc dici sponsa, faciliusque dimitti. Discis 1. permissam esse hanc dubitationem in Iosepho, ad fidem nostram confirmandam. Si enim marito qui custos est castitatis uxoris, et cuius detrimento iniuriaque violatur a coniuge castitas, satisfactum est de inviolata uxoris virginitate, nobis utique nullus relinquitur dubitandi locus. Discis 2. etiam viros sanctos, nonnunquam tentationibus sub imagine boni occurrentibus pulsari, ne tu animum abiicias, si aliquando tentatione non solum oppugneris, sed etiam vincaris.

1604. Considera secundo, « antequam convenirent »; non indicari quod postea convenerint in opus matrimonii. Significatur enim aliquid factum praeter consuetum ordinem, ea phrasi qua dicimus: Iudex protulit sententiam, antequam causam cognosceret, partesque audiret. Medicus praescripsit pharmacum, antequam de morbo plene edoctus esset. Dominus Iesus sciebat litteras antequam disceret. His enim verbis non significatur postea vel iudicem audisse partes, vel medicum instructum de morbo, vel Christum didicisse litteras; sed haec facta non esse cum viderentur fieri debuisse. Ante conceptionem praecedit congressus mariti. Hic autem non praecessit. Tu Sanctissimae Virginis Dominae tuae angelicam divinamque castitatem admirare, et in hac sancta familia utriusque coniugis venerare puritatem. Quod enim Iosephus Sponsam suam recens nuptam statim a nuptiis tot mensibus domo abesse patiebatur, argumento esse potest, quod eam duxerit animo casti coniugii, cuius pudicitiam conservaret, non violaret.

1605. Considera tertio, « inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Quod non est intelligendum quasi Iosepho constitisset gravidam esse opera Spiritus Sancti, sed quod Virgo adverteretur a Iosepho gestare uterum, cum gravida esset non opera hominis, sed auctore Spiritu Sancto. Discis

Digitized by Google

nunquam temere iudicare, etiam quae mala tibi videantur, sed in adiaphoris quidem quae bene fieri possunt et male, de proximis optime sentire. In aliis vero rebus, quarum malitiam apud te excusare nequis, cogitare latentem aliquam subesse bonitatem quam tu ignoras, quae factum a peccato vindicet. Ora porro sanctissimam Dominam tuam ne ullo unquam tempore a te discedat, vel a suo te obsequio removeat.

II. — *Haec cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (Matth. 1, 20, 21).

1606. Considera primo, Iosepho de repudio cogitanti, secundum quietem apparuisse angelum, qui dubitantem confirmaret; ut Dei misericordiam discas, quae non permittit pios diutius affligi. Apparuit autem angelus in somnis, quia in nocturna quiete mens est aptior divinis colloquiis. Unde etiam Ecclesia nocturnis horis Deum laudare consuevit. Et licet somnia observanda non sint, seu, naturalia, seu quae diabolica illusione eveniunt, illa tamen non sunt reiicienda si qua immittit Deus. Siquidem illa tametsi somnia, occurrantque homini dormienti, adiunctam tamen habent certitudinem, qua nihil de visione dubites aut veritate. Tu nocte quando ad quietem accedis, omni honestate te compones, ut habeas astantes et custodientes angelos, qui ab illusionibus daemonis corpus tuum mentemque conservent.

1607. Considera secundo, ante conceptionem non fuisse ab angelo admonitum Iosephum, ut dubitatio tentatioque tam insignem revelationem praecederet: tuque eius dubitatione in fide confirmareris, et simul tentationis disceres utilitatem, quae sicut Iosephum instruxit de Filii Dei incarnatione; ita non sine magno emolumento spirituali immittitur Christianis.

1608. Considera tertio, et expende angeli verba plena suavitatis et sapientiae. 1. Nomen Iosephi exprimit, quia iustorum nomina nota sunt angelis in coelo, a quibus iniusti ignorantur. 2. Addit nobilem Davidis familiam; ut meminisset Messiam ex ea familia nasciturum, ex qua sibi Mariam duxerat uxorem. 3. Depellit metum. Hoc enim proprium est boni Spiritus, consolari, et timorem auferre, scrupulosque excutere. Metus enim Iosephi erat non de infamia, aut de incommodo temporali, sed ne eam servaret uxorem, quam adulteram timebat, sicque Dei praeceptum peccato violaret. 4. Docet incarnationis modum, qui a Spiritu Sancto profectus esset. 5. Imponit ei curatoris Filii Matrisque officium, dum iubet ut Virginem non dimittat, sed uxorem accipiat, hoc est, retineat, Filioque nascituro, tanquam pater putativus, nomen Iesu imponat. 6. Indicat Pueri munus et conditionem, qui salvum faceret populum suum a peccatis eorum; quod cum a nemine praestari posse sciret quam a solo Deo [nemo enim remittit peccata, nisi solus Deus (Matth. IX, 6)], simul intelligeret hunc puerum et hominem esse et Deum. Ex his discis Sancti Iosephi dignitatem, qui et de tantis mysteriis ab angelo docetur, et ad tantum munus curatoris Dei, Matrisque evehitur. Tu singulari pietate hunc Virginis Sponsum cole, utque te Virgini, apud quam plurimum omnino valet, commendare dignetur, precaberis.

III. — *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum et vocavit nomen eius Iesum.* (Matth. 1, 22. 25).

1609. Considera primo, hanc Isaiae prophetiam, sive ab angelo ad Iosephi instructionem recitata fuerit, ut volunt nonnulli; sive ab evangelista pro suo more allata, valde confirmare tum Virginis inviolatam integritatem, tum incarnati Verbi divini mysterium. Siquidem 1. pro signo miraculoque dictum est Achab quod virgo concipiet. Nullum est autem miraculum, si iuvencula pariat tradita viro. Deinde vox עַלְמָה « Alma », sed ut est apud Isaiam cum הָ demonstrativo הָעַלְמָה « Haalma », significat singularem iuvenculam absconsam, quae adhuc in puellaribus annis in cura est custodiaque parentum; quae vox pulchre convenit Virgini Mariae, quae utroque parente destituta, Sanctissimi viri Iosephi custodia servabatur, adhuc puella, nondum plene decimum quintum aetatis annum egressa, ut ait Evodius. Nomen porro Emmanuel, id est, Nobiscum Deus, indicat Deum per hunc infantem singulari quodam modo futurum nobiscum, quali modo nunquam antea cum humano genere fuerat, nimirum ut in terris humana carne videretur, et cum hominibus Deus homo conversaretur. Hoc nomine autem dicitur vocandus Christus, non quia sic compellandus, sed quia reipsa talis futurus. Ita enim dicitur quoque appellandus Deus, Fortis, Admirabilis, etc., quia futurus erat

Digitized by Google

Deus, et qualis ceteris nominibus designabatur.

1610. Considera secundo, Iosephum nihil haesitasse, statimque angelicis verbis obtemperasse, ut discas 1. viri Sancti obedientiam; 2. angelicorum verborum efficaciam quibus tantam Deus virtutem addiderat, ut nullo negotio viro Sancto persuaderent. Hoc enim est peculiare verbo Dei, ut afficiat hominum corda, seseque insinuet, ac suaviter inducat voluntatis assensum. Retinuit igitur coniugem suam Iosephus, quam dicitur accepisse, hoc est, ad eius curam; quam voluntate saltem deposuisse videbatur, revertisse.

1611. Considera tertio, « et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum », non significari quod postea cognoverit, sed quid prius non fecerit. Necessarium enim erat christianos probe institui de fide virginitatis Matris Dei, ut Christum scirent, non ab homine patre, sed a sola Matre hominem natum, sicut genitus est ex Deo Patre Deus. Proinde affirmat evangelista intactam a viro Virginem peperisse, quae tamen post partum Virgo mansit intacta. Sicut Christus post hostes debellatos pergit sedere ad dexteram Patris, de quo tamen dicitur: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ». (Psal. CIX, 1, 2). Iosephus sane qui Virginem ante partum veneratus est ex angelica admonitione, eamdem utique multo magis post partum coluit et observavit, intactamque reliquit, quando Virginis sanctitatem praestantiamque testatam vidit a pastoribus, ab Anna prophetissa, a Simeone sene, a Magis regibus, adeoque a nato Infantulo, quem revelante angelo Filium Dei iam esse cognoverat. Itaque eam in posterum non ut coniugem, qua se agnoscebat indignum, sed ut Dominam, Dei Matrem, suamque apud Deum Filium Advocatam, Patronam et Mediatricem habuit et coluit. Tu eamdem Dominam venerare, et diligenter cave, ne quid committas purissimis eius oculis indignum.

1612. **Hymnus XXV.**

Virginibus Christi parentibus cantica.

SPONSUM Mariae virginem,
Sponsamque Ioseph virginem,
Christi parentes virginis,
Nostris colamus canticis.

2. Matrem sibi dat virginem
Iesus, corona virginum:
Sponsumque Matri comparem,
Ioseph Davidis filium.

3. Pars sancta, coniux optima,
Viro paratur optimo:
Maria sacratissima
Ioseph datur sanctissimo.

4. O quanta, Ioseph, gratia
Tuae datur custodiae!
Princeps polorum maxima,
Tuae subest potentiae.

5. Uni Deo, ter maximo
Sit sempiterna gloria;
Ioseph, Mariae, Filio,
Per cuncta sit laus saecula. Amen.

(Ven. Ioannes Eudes).

1613. **Memento.** — O S. Ioseph, cui Iesus hic in terris sese subiecit, prompteque obedivit, quemque singulari semper honore et amore prosecutus est: quomodo idem in coelis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit? Ora pro me, o S. Ioseph, gratiamque impetra, in primis ut peccata omnia serio detester et fugiam, presertim ista N. N., vitam in melius emendem, constanterque me virtutum studio impendam, praesertim istarum N. N. Ab his N. N. tentationibus et peccandi occasionibus, quibus anima mea in periculum damnationis induci posset, et ab afflictione ac miseria hac N. (nisi divinae id voluntati, meaeque saluti adversetur) liberer. In his tamen et aliis omnibus, totum me divino arbitrio et dispositioni, tuaeque paternae fidei, o S. Ioseph, subiicio et committo. Amen. (Manuale pietatis ex oper. S. Gertrudis).

XXVI. — Sermo Francisci Costero.

DE SECUNDO DOLORE BEATAE VIRGINIS ET DE AFFLICTIONE S. IOSEPH EX FUGA IN ÆGYPTUM. DE REDITU EX ÆGYPTO.

De Vita et laud. Deiparae Mariae Virginis, medit. XIX et XXI.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. (Matth. II, 13.)

CONSIDERA primo, cum Iosephus nihil mali suspicatus, cogitaret de habitatione in patria sua Bethlehem, ut puerulus Messias tamquam filius Davidis in Bethlehem, iuxta Michaeae vaticinium (V, 2), natus et educatus susciperetur: aliud visum esse divinae Providentiae, quae alibi voluit Filium Dei nasci, et alibi educari, ut plura loca eius ornaret praesentia, et ut in obscuris locis viveret obscurius, sed in clarissimo loco palam moreretur.

1615. Considera secundo, angelum non Mariae apparuisse, sed Iosepho, dignitate quidem inferiori, sed officio marito: ut discas Deum dirigere superiores, licet minus dignos, ad subditorum utilitatem, propter officium, quod non ad suum, sed ad aliorum commodum administrant. Tu igitur venerare superiores tuos, per quos te Deus moderari dignatur. Illis enim dictum est: « Qui vos

Digitized by Google

audit, me audit » (Luc. x, 16), ut tu securus eos audias.

1616. Considera tertio, angelum apparere in somnis, quia non solum interdiu vigilantibus, sed noctu quoque dormientibus assistunt angeli; ut tu incubiturus examine conscientiae, doloreque peccatorum quae illo die a te mala commissa fuerint, deleas, et angelica te praesentia dignum exhibeas, nocteque evigilans ad Deum astantemque angelum primas cogitationes tuas convertas, quia nocturnae cogitationes sunt vehementiores seu in bonum seu in malum.

1617. Considera quarto, « Surge et accipe puerum ». Exigit a superioribus diligentiam, ab inferioribus promptam, caecam, constantem obedientiam. Res molesta praecipiebatur, nempe ut media nocte cum familia surgeret, et per tenebras ignotaque loca fugeret, obtemperandum tamen erat ad nutum.

1618. Considera quinto, Dominum cum Matre sanctissima non alio quam in Ægyptum abiisse. 1. Ut non minus se pro inimicorum salute natum esse declararet, quam pro amicis et iustis. Ægyptii autem erant hostes populi Dei, quem olim sub Pharaone, gravi servitute oppresserant. 2. Ut tibi significaret se et ab infantia diabolo (quem Pharao rex Ægypti praefiguravit) bellum indixisse, et nullam vitae suae aetatem, sine labore utilitateque tua transmississe.

1619. Considera sexto, iuberi eos ab Ægypto non abire iniussu angeli. 1. quidem ut securissimam eorum ducas esse vitam, qui in rebus omnibus a maiorum voluntate dependent. Illi namque ne errent, diriguntur, et ut ab imperante Deo laboris mercedem accipiant, nihil iudicio suo, sed aliorum mandato aggrediuntur. 2. vero, quia nunquam abesse possunt angeli Dei ministri, ubi praesens adest Christus. Si igitur tecum habeas Dominum tuum Iesum, vel in communione sacra, vel in collegio virorum iustorum, in quorum medio se affirmavit perpetuo futurum, ne dubites adesse protectores angelos, qui tui curam suscipiant. Ora igitur sanctissimam Matrem, ne te unquam cum suo Filio deserat, sed tecum Christo et angelorum exercitu muniat, dirigat, periculisque eripiat.

DE REDITU EX ÆGYPTO.

Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens : Surge et accipe Puerum et Matrem eius, et vade in terram Israel. Defuncti sunt enim qui quaerebant animam Pueri. (Matth. II, 19, 20).

1620. Considera primo, hanc frequentem angelicam admonitionem, ut discas tunc optime dirigi hominem, quando ab angelis, qui sunt natura superiores, regitur. Sicut enim terrena omnia a coelestibus corporibus, sole, luna, sideribus; in fructibus suis producendis, et operationibus pendent : ita homines a Deo, sanctisque Dei angelis, qui sunt administratorii spiritus Hebr. I, 14, in omnibus dirigi merito deberent. Indignum quippe est, ut omnes quidem irrationabiles creaturae sequantur coelestium influxum ; at vero homo, qui ut coelo tandem ascribatur, solus creatus est; solus a terra, cupiditatibus, inquam, terrenis regatur. Tu divinum influxum admitte divinarum inspirationum, admonitionum, obedientiae.

1621. Considera secundo, iam tertio in somnis admoneri Iosephum, ut tu ad viri huius sancti exemplum bonis te cogitationibus et officiis interdiu occupes, quae noctu loco malorum somniorum suaviter recurrant. Sicut enim ex nocturna quiete fere pendet hominis diurna constitutio, ita ex diurnis actionibus nocturna quies somniorum accipit causas.

1622. Considera tertio, « Surge et accipe ». Excitat ad surgendum et agendum. Nam sicut ignis nunquam otiosus calorem suum etiam ad externa remotioraque diffundit, ita Spiritus Sanctus eum quem semel suo calore replevit, excitare solet ad aliorum salutem et perfectionem procurandam.

1623. Considera quarto, « Accipe Puerum et Matrem »; non amplius dicit coniugem tuam, ut pius maritus Sanctissimam Virginem non iam pro coniuge haberet, sed pro Domina sua, et Matre omnipotentis Dei. Tuque eam hoc titulo honoris, nempe Matris Dei agnoscas et venereris, quo titulo nullus alius vel maior est in universa creatura, vel gratior Virgini. Praeponitur autem Puer Matri, tamquam Deus creaturae, sed cum Matre coniungitur, ut scias : 1. Gratissimum esse Christo honorem illum, qui cum Matris suae honore coniunctus est ; tum quia ille honor memoriam habet incarnationis suae, qua delectatur; tum quia per Matrem suam gaudet a nobis honorem et laudem accipere; per quam ad nos omnia bona tulit. 2. Non habiturum Christum Patrem, qui vel Ecclesiam, vel Sanctissimam Virginem noluerit habere Matrem.

1624. Considera quinto, non dici ab angelo ad quam civitatem abire debeat, ut occasio daretur in dubiis Deum orationibus consulendi, Deus enim, cuius sunt deliciae esse cum filiis hominum (Prov. VIII, 31), delectatur frequentibus nostris orationibus.

1625. Considera sexto, Christum voluisse in Israeliticam regionem reverti, atque in infantia inter Iudaeos educari, ut a puero notus Israelitis, non abiiceretur tanquam alienigena. Tu ab infantia assuesce Christo, ut adulto non sit tibi novus et ignotus.

Digitized by Google

1626. Considera septimo, rediisse Dominum mortuo Herode Iudaeorum rege, post quem nullus fuit a Romanis rex praefectus terrae Iudaeorum, ut scires Christum esse verum Iudaeorum Regem: qui licet externam administrationem non admiserit, vere tamen animas a diaboli servitute, ut rex, incipiebat eripere.

1627. Considera octavo, « Defuncti sunt enim qui quaerebant animam Pueri ». Spes namque peccatorum statim perit; et quisquis animam huius pueri quaerit ad mortem (quod omnes peccatores machinantur), aliquando defungetur cum impio Herode vita humana, et eius commodis privabitur, et anima corporeque morietur, in vita superstite Puero: et qui Ecclesiam, huius Pueri corpus mysticum, cum Herode persequitur, interibit ille quidem cum Herode, sed perseverabit Ecclesia, adversus quam portae inferi praevalere non possunt. Tu Virginem Matrem ora, ut Pueri anima tibi animae vitam conservet.

Qui consurgens accepit Puerum et Matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre eius, timuit eo ire (Matt. II, 21, 22).

1628. Considera primo, Iosephum cum infante et Virgine statim consurrexisse: 1. Ut promptam te doceret obedientiam, quae mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, oculos visui, manus operi, pedes itineri, totumque componit hominem ad mandatum exsequendum imperantis. 2. Ut non solum diei tempus, sed partem etiam noctis Deo tribuas, nec sit tibi grave mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. 3. Ut scias Dominum tuum continenter die nocteque pro te esse sollicitum; hoc est enim quod per prophetas saepius inculcat: « Misi ad vos servos meos prophetas de nocte consurgens », etc. Ierem. XXV, 4).

1629. Considera secundo, insignem obedientiae subordinationem, dum Iosephus paret angelo, Virgo Mater Iosepho, Infantulus Matri, ut tu ad Christi Dei tui imitationem libens pareas superioribus non modo supremis, sed etiam subordinatis atque immediatis, saepe namque plus meriti in eiusmodi obedientia cernitur, quam si supremis obedias.

1630. Considera tertio, tres orbis totius praestantissimos homines, Dei Filium, Dei Matrem, Dei nutritium, pauperum more ex Ægypto reverti; contemplare quid egerint, quos inter se contulerint sermones, quibus hospitiis vesperi excepti fuerint, quomodo victitarint, quam prompte Dei iussu hoc iter confecerint, nulla animi molestia aut cunctatione; perfecti enim viri ad omnem Dei voluntatem aequabiles sunt.

1631. Considera quarto, « Quod Archelaus regnaret »; hoc est, praeesset non regia auctoritate, sed toparchae. Mali in hac vita imperant quandoque bonis, quo boni exerceantur, eorumque commodis provideatur; post hanc autem vitam ipsi miserrimi coguntur parere daemonibus, ad aeternam peccatorum suorum vindictam. Ubi porro mali habent imperium, ibi nullus est locus Christo. Tu ergo cave ne regnet peccatum in mortali corpore tuo.

1632. Considera quinto, Christo Domino, cum sanctissima Matre nusquam locum, non in diversorio, non Bethlehem, non in universa terra Iuda, adeoque non esse illi ubi caput suum reclinet: ut tu non ambias in terris locorum spatia, sed inquiras patriam coelestem. Orabis igitur Beatam Virginem, ut eius precibus meritisque nihil terrenum desideres, sed animum ad coelestia convertas.

Et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae, et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur. (Matth. II, 22, 23).

1633. Considera primo, rursus Iosephum admoneri ab angelo, ut discas numquam deesse posse vel coelestes inspirationes, vel angelicas consolationes, vel sana divinaque consilia ubi adest Christus.

1634. Considera secundo, cur Dominus secedere voluerit in civitatem Nazareth, et non adolescere in terra Iuda. Cuius rei causae sunt: 1. Ut in loco remotiore et obscuro quietior esset ab insidiis hostium. 2. Ut patria videretur esse ignobili: ne tu in externa hac mundana patriae aut generis nobilitate glorieris. 3. Ut sacrum illud cubiculum, in quo humanam carnem susceperat, educatione sua, continuaque praesentia honoraret, quod deinde cubiculum piis Christianis ad auxilium consolationemque commendaret. Hoc enim angelicis manibus in Italiam in montem Lauretanum translatum, solatio est piis fidelibus, qui magna veneratione illos parietes exosculantur, quos infantulus Iesus infantuli more manibus contrectavit, et praesentia sanctificavit. 4. Ut Nazaraeus vocaretur, hoc est, floridus, omnique virtutum genere ornatus.

1635. Considera tertio, Christi Domini non solum vitam et mores, sed ipsum quoque cognomen a prophetis esse praedictum: 1. Ut tu singula quae Christum quoquo modo attingunt, venerare; quandoquidem res tam exigua, quale est Christi cognomen, tot

Digitized by Google

saeculis a prophetis variis est praenuntiatum. 2. Ut de Dei in te bonitate bene speres, cui omnia tua etiam minutissima curae sunt, iuxta illud: « Capillus de capite vestro non peribit » (Luc. XXI, 18). Roga sanctissimam Dei Matrem, ut virtutum floribus cum Christo orneris.

1636. **Hymnus XXVI.**

Ad virginale connubium invocatio.

O Virginale vinculum,
Connubium mirabile:
In quo Creator syderum,
Sol nascitur de sydere.
2. O unitas amabilis,
Coetusque nostri formula:
Iesu, Ioseph, et Virginis
Unum cor, una regula!
3. Hanc unitatem vocibus
Noster chorus sic concinat,
Ut corde, vita, moribus,
Hanc diligenter exprimat.
4. Uni Deo ter maximo
Sit sempiterna gloria:
Ioseph, Mariae, Filio,
Per cuncta sit laus saecula. Amen.
(Ven. Ioannes Eudes).

1637. **Memento.** — O S. Ioseph, qui in suavissimo Iesu clientis tui, et dulcissimae Sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o S. Pater, cum Iesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet; illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Iesu et Mariae brachiis expirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Iesu, Maria, Ioseph. Amen. (Man. piet. ex oper. S. Gertrudis).

XXVII. — Sermo Francisci Costero.

DE TERTIO DOLORE BEATAE VIRGINIS ET DE AFFLICTIONE S. IOSEPH, AMISSO PER TRIDUUM FILIO. DE CONVERSATIONE IESU CUM MARIA ET IOSEPH IN NAZARETH.

De vita et laud. Deiparae Mariae Virginis, medit. XXIII et XXIV.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, etc. (Luc. II, 42).

CONSIDERA primo, quod totis duodecim annis nihil legatur Dominus Iesus fecisse, sed multa incommoda passus esse, ut tu docturus alios non temere hoc munus suscipias, nisi prius studiorum laboribus aliquid sis perpessus; et prius tacere quam loqui dideris. Voluit porro Dominus auspicari hoc duodecimo aetatis anno, quo incipit vigere rationis usus; tum ne videretur hactenus communi quadam ignoratione siluisse; tum ut nos doceret ab ineunte aetate de Deo verba facere, et divinis potius quam profanis litteris operam impendere.

1639. Considera secundo, puerum Iesum cum parentibus quidem Hierosolymam adiisse, et in templo adorasse, sed illis discedentibus, in templo remansisse illis non rogatis: 1. Ne parentibus metu quodam recusantibus parum obediens fuisse videretur. 2. Ut qui hactenus tanquam homo obtemperasset ad nutum Matri, nunc palam declararet se etiam in coelis alterius naturae et conditionis habere Patrem; simulque te doceret, ut divinum imperium semper mandato parentum praeferre memineris.

1640. Considera tertio, nulla beatae Virginis Matris aut Iosephi nutritii culpa puerum Iesum relictum in templo: variis enim modis potuit se Dominus parentum conspectibus subducere, et qui forte in civitate visus esset parentibus in comitatu, Hierosolymis nemine advertente manere. Dubium enim non est quin magnus fuerit hominum comitatus, et puer libenter se etiam iunxerit aliis, quibus propter morum suavitatem atque prudentiam erat gratissimus; patiebaturque beata Virgo alios eius frui colloquiis et eruditione, ut pietatis aliquid a Filio haurirent. Discis beatae Virginis liberalem charitatem, quae Filium suum ex animo communicabat aliis, cum interim ipsa maneret Filii Mater; tum ut ab ea et per eam, Filium Iesum petas, tum ut dona tibi a Deo collata libenter in aliorum utilitatem conferas; quantumcunque enim communicas aliis, tibi omnium fructus manebit. Nam sicut Virgo Mater se non sibi soli, sed nobis quoque noverat Filium peperisse, ita tu non tibi, sed Ecclesiae dona Dei accepisti.

1641. Considera quarto, quid toto triduo Christus Dominus egerit, ubi victitaverit, ubi cubaverit, quae incommoda puer duodennis, sine pecunia pertulerit, tum quid parentes eodem triduo fecerint: 1. enim nihil solliciti, arbitrabantur eum esse inter cognatos et notos, et apud ipsos cibum oblatum sumere. Vesperi autem diligenter requisitum non invenientes, non parum fuere perculsi, Mater praesertim, cui omnis Filii absentia molestissima erat. Doluerunt igitur, et obortis haud dubie lacrymis de reditu cogitaverunt, nullam impatientiae, iracundiae, impotentiaeque dederunt significationem, sed cum non ignorarent Filium esse Dei, sapientia gratiaque repletum, certo sciebant, non sine magno consilio, se demissis, remanere voluisse. Doluerunt tamen, quod metuerent. 1. Aliquam a se datam esse causam

Digitized by Google

istius occulti discessus. 2. Ne se relictis tanquam indignis, aliorum se curae committeret. Sancti enim homines seipsos semper suspectos habent. 3. Ne quid puerulo incommodi accideret; tametsi enim non ignorarent esse Deum, sciebant tamen humanam assumpsisse naturam, ut instar aliorum hominum communibus incommodis subiectus esset.

1642. Considera quinto, Dominum Iesum non inveniri inter cognatos et notos, non in viis, non in diversorio, sed in Ierusalem, visione pacis, in conscientia pacata, quae nulla inquietudine perturbatur. In templo, in corde Dei cultui consecrato, ubi orationum incensa et mortificationum sacrificia offerentur. Tu illic cum Virgine Matre Christum quaere; eumque roga, ut sapientia sua tuam instituat mentem.

Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius, et videntes admirati sunt. Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. (Luc. II, 46-48).

1643. Considera primo, cum prima die Hierosolymis abiissent, secunda dia eodem revertissent, tertia die non alibi quaesivisse Puerum, quam in templo, ibique non inter pueros ludentem, sed inter viros doctos de rebus gravibus disserentem, proponentem, audientem, et respondentem invenisse. Et quia Dominus voluit hoc actu quasi radium emittere divinae suae sapientiae, et aliquam sui notitiam aperire, nemini dubium esse debet, admirabilia a Puero et proposita fuisse et responsa, tantaque prudentia, gravitate atque modestia, quae pueri aetatem excederet et conditionem.

1644. Considera secundo, Virginem sacram, ut verisimile est, non se ingessisse in hominem turbam, praesertim virorum gravium atque doctorum, sed pro virginali verecundia finem disputationis exspectasse, ut animarum salus, quam videbat a Filio procurari, per se non impediretur.

1645. Considera tertio, tacuisse Iosephum tamquam qui sibi conscius esset hunc Puerum ad se non pertinere, ut tu scias sanctissimae Matris eam auctoritatem in suum Deique Filium, quam nemo sanctorum sibi audeat arrogare.

1646. Considera quarto, verba singula: Fili. Magna dignitas. Audet homo Deum appellare Filium. Tu hanc Matrem tantae dignitatis Dominam ex animo venerare. « Quid fecisti nobis sic? » non est obiurgatio non querela, non indignatio, sed humilis modestaque pro materna in Filium libertate interrogatio, cum doloris praeteriti significatione. Scio, inquit, Fili mi, te iusta de causa a nobis ad tempus recessisse, sed cur, quaeso, me huius rei consciam esse noluisti? Alia mecum secreta tua communicare consuevisti, multa de passione tua, de morte, de humani generis redemptione, aliisque mysteriis ex Scripturis me docuisti; secretum autem hoc tuum consilium cur me celare voluisti? Ita olim quasi admirans dicebat Eliseus de muliere Sunamitide: « Anima eius in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi (IV Reg. IV, 27). « Ecce pater tuus » Ioseph erat pater, non quia genitor, sed quia maritus Matris. « Et ego » Magna Virginis humilitas, quae sibi praeponit Iosephum. « Dolentes quaerebamus te ». Disce etiam Matrem Virginem cum dolore quaesiisse absentem Filium, et quidem nulla sua culpa amissum, ut non mireris si tibi subinde divina consolatio subtrahatur, quo ardentius quaeras Deum virtutique inhaerescas. Sed a te frequenter tua culpa recedit Dominus, vel peccatis vel negligentia fugatus. Roga Virginem Matrem, ut quem ipsa hoc triduo percepit dolorem, illum tu quoque divini Spiritus recessu persentiscas, eumque pro virili recuperare studeas, etiam desertis amicis, omnibusque rebus posthabitis.

Et ait illis: Quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos, et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. (Luc. II, 49, sqq.)

1647. Considera primo, cuiusmodi fuerit Christi Domini verbum ab evangelistis primo loco scriptum. Graviter sane istud protulit, eoque non se hominem modo, sed et Deum indicavit. Non reprehendit parentes, quod se hoc triduo quaererent; sed docet se non quaerendum instar pueri, qui a via et a parentibus aberasset. Vult sane a te quaeri Dominus, vult a te audire: Domine, quid fecisti mihi sic? multa in me beneficia tua contulisti; cur igitur abscondis vultum tuum a me, et ponis me quasi contrarium tibi?

1648. Considera secundo, primam a Christo lectionem institui de obedientiae virtute, tamquam nobilissima, omnibusque Christianis maxime commendanda. Qui namque superioribus suis obedit, is utique in negotiis versatur Patris coelestis. Tu igitur tentationibus omnibus, quae officia obedientiae impedire conantur, his Christi verbis occurre: Quid me quaeritis, mihique molesti estis? negotium ago Dei, exsequor Dei mandata; et in his quae Patris mei sunt oportet me

Digitized by Google

esse. Oportet me esse, hoc est, totus esse debeo, ut nihil loquar, nihil agam, nihil cogitem, nisi de perficienda coelestis Patris voluntate.

1649. Considera tertio, neque parentes plene, neque astantes prorsus intellexisse Christi verbum. Et quidem Sanctissima Virgo non ignorabat quis esset ille Pater, in cuius negotiis oporteret ipsum esse: nondum tamen statim plene intelligebat, quae essent illa negotia, quia disputationem Filii cum doctoribus non audierat. Alii vero, inter quos te quoque ipsum inveniri putes, verbum hoc Christi de obedientia non capiebant; nihil enim difficilius ab hominibus intelligitur, quam caeca obedientia.

1650. Considera quarto, Dominum, qui prius Deo Patri per se imperanti obedientiam praestiterat, nunc parentibus Dei loco iubentibus, obtemperavisse. Perfectissima fuit autem etiam haec obedientia, qua aeterna Dei sapientia, summa potentia, infinita maiestas. ad nutum Virgini Mariae eiusque marito Iosepho obedientem sese exhibuit; hominibus, inquam, simplicibus, pauperibus, mundoque contemptis, ut tu non intueare quis ille sit cui obedias, sed quis ille propter quem obedias qui est Deus creator et moderator omnium, cuius auctoritate, voluntate et loco superiores tui te gubernant.

1651. Considera quinto, Christum descendere cum illis, qui ascendere nondum poterant cum ipso; frequenter enim ad te descendit misertus infirmitatis tuae. 1. Non poteras eum capere in maiestate sua; descendit itaque ad naturam factus homo. 2. Oppressus peccatis ad coelum oculos attollere non valebas, venit ad te sub familiari specie panis. 3. Difficile tibi erat molestumque, de Deo rebusque divinis meditari; facilem tibi viam demonstrat divinae voluntatis intelligendae, quam stravit in obedientia. Tu igitur qui vides tot modis se Deum accommodasse tibi; aequum est, ut te vicissim eius moribus accommodes ac voluntati, rogesque sacratissimam Dei Matrem, ut quae optime novit, quibus Filius gaudeat rebus, quibusque delectetur, te ad eius voluntatem efformare dignetur.

DE CONVERSATIONE SACRATISSIMAE VIRGINIS USQUE AD ANNUM CHRISTI TRICESIMUM.

Mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo. (Luc. II, 51).

1652. Considera primo, quanta veneratione Mater et Iosephus prosecuti sunt hunc Puerum toto hoc tempore quo apud parentes adolevit. Nam postquam in templo respondisset Matri: « Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? » magna humilitate siluerunt, neque aliquid amplius addiderunt. Et quia cum aetate paulatim magis magisque declarabat se plus esse quam hominem, ipsi quotidie in verba moresque eius intenti singula admirabantur, et in omnibus gratias Deo referebant, praecipue Virgo Mater: quae sicut plura de Filio noverat, ita nihil patiebatur sibi e mente excidere.

1653. Considera secundo, duos hos coniuges, cum scirent sibi a Deo hoc munus unice commendatum, ut Filius iste ipsorum opera et ministerio educaretur, nihil praetermisisse officiorum, quod ipsi impenderent. Igitur Virgo se Filio sedulam in omnibus exhibebat ministram, et primo quidem diligenter investigabat et observabat, quid ei esset acceptissimum. Deinde vero hoc ipsum exsequebatur omni promptitudine et constantia. Tu observa sanctissimae Virginis in omni obsequio humilitatem, qua non tam Matrem, quam ancillam sese existimabat, charitatem plus quam maternam, qua agnoscebat se Matrem sui Creatoris; prudentiam ne quid divinos Filii oculos offenderet; sedulam pietatem, qua Filio nihil deesse patiebatur.

1654. Considera tertio, quid in hac sancta familia singulis temporibus locisque factum sit, praesertim, a Dei Filio et Virgine Matre; contemplare ut diebus sacris Deum in Synagoga domique coluerint, diebus profanis etiam externis operibus vacaverint; praeterea ut hieme frigoris incommoda, aestate solis calores coelique iniurias patienter tulerint; tum quid mane, vesperi, noctu et interdiu fecerint; demum quomodo domi et foris, quomodo soli et cum aliis se habuerint. Haec diligenter in Filio observavit Mater, ut ad Filii mores suam quoque vitam ipsa componeret, tuque ipsius prudentiam imitatus, utriusque virtutes moribus tuis exprimeres...

Nonne hic est faber filius Mariae? (Marc. VI, 3.)

1655. Considera primo, Christum Dominum in iuventute non dedisse litteris operam, sicut cognoscebant Iudaei, cum de eo dicerent: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (Ioan. VII, 15). Neque tamen munus praedicationis ante annum aetatis tricesimum obiisse, licet privatis subinde colloquiis cives suos instruere niteretur; neque etiam otio fuisse deditum, quia sciebat hominem ad laborem esse natum. Exercuit igitur cum nutritio Iosepho artem fabrilem; unde etiam a suis audiebat: « Nonne hic est faber? » Hac autem arte et sibi et Matri victum parabat. B. Iustinus scribit,

Digitized by Google

Christum solere aratra iugaque fabricare, ut per has figuras iustitiam doceret, et reipsa fugam otii. Tu disce otium omne vitare laboribusque ea parare, quibus et pauperum subveniatur necessitati, et tibi merita bonorum in coelis crescant.

1656. Considera secundo, Christum Dominum tuum manibus laborantem, sudore madentem, suo confecta labore vendentem, pecuniam vel Matri vel Iosepho reddentem. Nihil hic ab eo indecorum, nihil ad quaestum, nihil fraudulenter gerebatur, ut exemplo praeiret omnes operarios et negotiatores, quorum labores et negotia his suis officiis consecravit.

1657. Considera tertio, provectiore iam aetate Christo Domino ut nutritii opera iam amplius non indigeret, Iosephum Virginis Sponsum atque maritum ex hac vita (ut ait B. Epiphanius haeres. 78) migrasse. Itaque Christus Matrem educabat, viduam solabatur, pleniusque de rebus coelestibus docebat, eaque omnia praestabat Matri, quae Christi commendatione ei postea exhibebat discipulus Ioannes de quo scribitur: « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua ». (Ioan. XIX, 27.) Qui enim docere voluit discipulos suos atque fideles, quomodo honorandi ipsis essent parentes; nempe non verbis tantum externaque reverentiae caeremonia, sed subsidio corporali; hoc utique manuum suarum laboribus agere voluit, ut charissimae Matri nihil deesset.

1658. **Hymnus XXVII.**

Iosephi praeconia sancta.

IOSEPH sancte et fidelis,
Cuius laudes sunt in coelis,
Ecclesiâ te commendat,
Curia coelestis laudat.
2. Ioseph castus, timoratus,
Virtuosus nominatus,
Te populus catholicus,
Coeli laudat exercitus.
3. Ioseph Davidis filius,
Tu Iesuli nutricius,
Tua sancta praeconia
Signavit virgo florida.
4. Ioseph, sponsus matris Christi,
Cui solus adfuisti
In omni necessitate
Vitae castae puritatis.
5. Ioseph, pater Salvatoris
Putativus, intus, foris,
Cui thesaurus absconditus
Creditus Dei filius.
6. Quem concepit florum flos
Sicut rosam coeli ros
Et tangit sine macula,
Munda manet in saecula.
7. O custos huius Virginis,
Divinitus prae ceteris,
Electus atque dilectus,
Iustus, bonus, pius, rectus,
8. Ora deitatis Natum
Pro salute nobis datum,
Ut post huius vitae statum
Finem nobis det beatum.
9. Ora Matrem deitatis,
Florem iunge puritatis
Ut det nobis cum beatis
Lumen verae claritatis.

(Orat. ms. Carthusian. saec. 15).

1659. **Memento.** — Si sacram Scripturam scrutemur, egregias certe figuras mirandasque adumbrationes detegemus, circa connexiones et habitudines quibus in posterum Maria et Ioseph erant devinciendi. Ut ad exempla deveniamus: ubi Maria asimilatur « Paradiso voluptatis, » quem fluenta supernae gratiae irrigant, Ioseph nobis apparet sicut « Cherubim » qui constitutus est custos huius paradisi. Iterum, si Maria dicitur « Columba » de qua loquitur Salomon, Ioseph verus est « Noe » qui in cellam suam introducit hanc columbam, et ab ea accipit ramum olivae, hoc est symbolum pacis, et pacem ipsam mundi, iuxta verba Apostoli, quem in utero immaculato gestiebat. Dein, si Maria vocatur « Virga Iesse, » Ioseph eiusdem Virgae Iesse ostenditur « Radix ». Et rursum, si Maria appellatur « Arca Testamenti, » in qua obnubilabatur Sanctus sanctorum, Ioseph ipsum est « Velum » huius purissimae Arcae, quo mysterium intus latens oculis Iudaeorum occludebatur. Tandem, si Iesus declaratur « Propitiatorium » Legis evangelicae, nonne Maria et Ioseph duo illi « Cherubim » qui, alis ex amore expansis, ad invicem conversi, Salvatorem mundi in praesepi recubantem contemplantur, admirantur, atque sine intermissione adorationibus suis prosequuntur? (Jamar, Theolog. Mariana anteloq.).

XXVIII. — Sermo Raymundi Iordani seu Idiotae.

DE DESPONSATIONE VIRGINIS MARIAE CUM S. IOSEPH

Piae lect. seu contemplat. de B. Virgine, pars XII contemplat. 1.

SINGULARIS Sponsa, singulari virginitate desponsata, Beatissima Virgo Maria, quae Deo ordinante desponsata fuisti Iosepho viro iusto, non lubrica intentione, nec carnali concupiscentia, sed consensu virgineo, et ut conceptus gloriosus uteri tui virginalis diabolo celaretur; et impudicitiae infamia a te penitus tolleretur. Gravidata es, Virgo Maria Sanctissima, Sancto Spiritu operante; tumescit alvus tua virginea, suspicatur senex Sponsus, unde hoc processit: non vult te traducere, sed occulte dimittere. O gloriosa Virgo Maria, iam in tenera aetate posita, mundus incipit dare tibi quod suum est,

Digitized by Google

scilicet temeraria, et mala iudicia, et tribulationes.

1661. Sed Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui semper tecum fuit, te non reliquit, tibi non defuit; sed mox tibi voluit subvenire; misit angelum suum consolatorem, intra secreta cubiculi; Ioseph admonet, ita dicens: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est » (Matth. 1, 20). Credit iustus verbis angeli, mutat propositum; traducit te Virginem Sponsam; unitur in Deo amborum animus virgineus, intentione sincera; unus alteri mutua, et pudica ac incorrupta dilectione devincitur. O sancta coniunctio animorum! o vera amicitia! o dilectio virginalis! exaltaris Ioseph in tam deifica coniuge tibi data. O Virgo virginum, intacta permanent viscera uteri tui virginalis, ornata conceptu mirabili; providentia divina adest, ne de te sinistra suspicio oriatur, qui te fecit, et gravidavit te mente et corpore praeservavit, ut Virgo perpetua permaneres.

1662. **Hymnus XXVIII.**

Iesu, Ioseph et Mariae laudis canticum.

O veneranda trinitas,
Iesus, Ioseph et Maria,
Quam coniunxit divinitas
Caritatis concordia.
2. Mater virgo puerpera
Parit in diversorio,
Cui Iesus sugit ubera,
Gaudet Ioseph obsequio.
3. Hic virgo servit virgini
Humili benignitate,
Sed virgineo germini
Ampliori caritate.
4. Magna laus humilitatis
In Ioseph, sed in Virgine
Maior, et in deitatis
Prole laus est in culmine.
5. Hunc humilitatis thronum
Trinis distinctum gradibus
Tantumque gratiae donum
Nunc extollamus laudibus.
6. Ut humilitatis vitam
Suis sequi suffragiis
Donetur et per gratiam
Æterni frui gaudiis.
7. Amen dicamus singuli
Huic sacro coetui trino,
Laudes canentes servuli
Uni trinoque Domino.

(Codex Paris 3639 saec. 15-16).

1663. **Memento.** — Ioseph etiam, quem virum Maria non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacrae virginitatis et castissimae fecunditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: « Ioseph fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». (S. Fulgentius Ep. Ruspensis, epist. 17).

XXIX. — Sermo Bedae Seeauer.

DE DESPONSAT. B. M. V. CUM S. IOSEPH.

Novendialis exercit. pro festis VII princip. B. V. Mariae, pars II.

Cum textus evangelicus asserat Virginem fuisse desponsatam, num id de contractis solum cum Iosepho sponsalibus, an vero de ipso matrimonio rato sit intelligendum? Qui sentiunt tempore Annuntiationis tantum fuisse contracta sponsalia, non vero matrimonium ratum iam intercessisse, hisce fundamentis stabiliunt placita sua: Angelus dixit Iosepho post reditum Mariae ad Elisabeth, Matth. 1, 20: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Ex quibus verbis erui potest illam nondum accepisse in coniugem, sed solum in sponsam. Praeterea cit. loc. vers. 18, Beatissima Virgo dicitur inventa habere in utero, antequam convenirent. Ergo id factum est ante coniugium.

1665. Verum ly « accipere » non debet sumi pro actu inchoato, sed continuato, qui loquendi modus usitatus est in sacris Paginis. Sic etiam, Ioan. II, 11, dicuntur discipuli credidisse in Iesum post visum miraculum aquae conversae in vinum: quod non intelligendum, quasi prius fidem non habuissent, sed quod in hac fide perseverarint. Similiter, dum Evangelista dicit: « Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto; » τὸ « convenire » non denotat matrimonium ratum, et consummatum per actum maritalem, ut ostendatur illibata Deiparae Virginitas, et Verbi divini Incarnatio ab omni concursu virili immunis, ut explicat Cornelius a Lapide, in Matth. cap. 1, v. 18, et alii passim. Per hoc tamen pessime cum impio Helvidio quis inferret, postea ita convenisse Mariam cum Sancto Iosepho: nam, ut ait Sanctus Hieronymus. Sanctus Chrysostomus, Sanctus Thomas, et alii apud Sylveiram, lib. 1, cap. 10, pag. mihi 181, iste haereticus, et virginitatis Marianae adversarius, non sapit usitatum loquendi modum: quoties enim dicimus aliquid non esse factum, minime significari per hoc, factum esse postea. Sic Deuteron. XXXIV, 6, dicitur: « Non cognovit homo sepulchrum Moysis usque in praesentem diem: » ex hoc tamen non significatur post illum diem notum esse sepulchrum Moysis; sic neque, quod postea Maria et Ioseph convenerint.

1666. Cum ergo allatae rationes non obstent, dicendum est cum Sancto Hieronymo, Ambrosio, Theophylacto, Suarezio, et Cornel. a Lap., Beatissimam Virginem, dum angelus

Digitized by Google

illam salutavit, non solum desponsatam, sed et vere fuisse coniugatam; Beata enim Virgo statim post conceptum in utero Deum abiit cum festinatione ad cognatam suam Elisabetham: vel ergo nuptiale foedus iniit ante abitum? De quo nulla in Litteris mentio; et ipsi contrariae sententiae patroni volunt Sanctum Iosephum fuisse admonitum per illa verba: « Noli timere accipere coniugem tuam; » quod primum post reditum contigit.

1667. Non etiam id factum est tempore commorationis apud suam cognatam; nimis enim incertum est, an Sanctus Iosephus super montana fuerit comitatus Beatam Virginem Mariam. Quod negant magni nominis, et magna eruditione conspicui viri, inter alios Cornelius a Lapide et Toletus; videtur etiam id probabilius, cum de hac comitiva nullum eluceat Scripturae vestigium, aliaeque suppetant rationes ponderosae satis, queis probari potest Sanctum Iosephum non fuisse in hac via comitem Mariae, pluribus tamen id demonstrare pagellarum angustiae prohibent.

1668. Non etiam in reditu, qui contigit post trimestre, matrimonio primum iuncta est Beata Virgo, quia intra tantum temporis spatium Sanctus Iosephus debuisset advertere gravedinem Virginis, qua apparente ante verum matrimonii contractum, et citius subsecuto partu, nec ipsa a nota fornicationis nec Christus a nota illegitimi ortus fuisset praeservatus contra finem principalem in hoc coniugio intentum. Quod autem desponsata potius vocetur Beata Deiparens, quam coniugata, Sanctus Chrysostomus, quem auctor quidam modernus adducit, rationem subministrat: quia Maria erat viro incognita, intacta et inviolata, sicut est sponsa de futuro.

1669. Ulterius, si nosse velis, quibus ex causis Virginem nuptam sibi elegerit providens Numen: illae a doct. Ang. p. III q. 29, art. 1, ad tria potissimum reducuntur capita, quorum aliquae se tenent ex parte Christi, aliae ex parte Beatae Virginis Mariae, et rursum aliae ex parte nostra possunt considerari.

1670. Ex parte Christi sunt: 1. Ne Christus a Iudaeis tamquam spurius, et illegitime natus contemneretur. 2. Ut haberetur vir, per quem Christi genealogia posset describi. 3. Ut haberet Christus nutritius in Sancto Iosepho virgineo hoc Matris suae Sponso. 4. Ut divinae Incarnationis mysterium celaretur diabolo, dum Infantem putat non de Virgine, sed de uxore natum, et hanc ultimam rationem fuisse Sancti Ignatii martyris refert Sanctus Hieronymus, et Sanctus Thomas.

Ex parte Dei Matris erant istae convenientiae: 1. Ut praeservaretur a nota infamiae. Adeo sollicitus erat Deus consulere honori Matris suae, ut et ipse haberi maluerit Filius fabri, quam Matrem suam coniicere in periculum deperdendae bonae famae. 2. Ne lapidaretur a Iudaeis tamquam adultera, quae lapidatio etiam tangebat illas, dum peccabant in statu soluto, quando in domo paterna custodiebantur aliquando nupturae. Quam observationem facit doct. Ang. cit. q. ad 4, probatque expositionem suam per legem sancitam in Deuteron. XXII, 20, 21. 3. Ut Sanctus Iosephus Beatissimae Virginis esset custos, et solatium in vitae necessitatibus.

1671. Demum ex parte nostra sequentes statui possunt rationes: 1. Ut Sanctus Iosephus, tamquam maritus, esset testis virginitatis Mariae. 2. Ut ipsius Virginis verba, virginitatem suam asserentis, redderentur magis credibilia. 3. Ne aliae virgines, et mulieres, dum per incautam suam conversationem incurrunt infamiam propria culpa, excusationem possent praetendere, dicendo, etiam Virginem virginum talem infamiam innocenter sustinuisse. Ita quoad substantiam doctissimus Sylveira, lib. I, cap. I, q. 18...

1672. « Ad Virginem desposatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David ». Quamvis Deus pro Matre sibi elegerit Virginem, quae iam antea votum virginitatis prima voverat, et etiam ad illam angelum suum miserit. ut eidem voluntas Dei annuntietur: nihilo secius tamen providens Numen voluit Virginem desponsatam, partim, ne, si extra coniugium pareret Christum, mundo redderetur suspecta, partim, ut in Sponso suo haberet virginei pudoris custodem, in adversis consolatorem, in necessariis adiutorem, in qua ordinatione singularis elucet Dei providentia, quae dilectis animabus suis adeo benigne providet, ut illarum honor conservetur illaesus, et in temporalibus auxiliis et necessitatibus solatio non destituantur. Verum ille ipse Sponsus, cui Beata Virgo, et Dei Mater in matrimonium est tradita, erat virgo, Sponsus vere virgineus. « Vir, cui nomen erat Ioseph, de domo David, » pauper quidem conditione, quia faber lignarius, sed dives virtutibus, quia iustus. Erat ille ab ipso Spiritu Sancto in dignissimum Beatae Virginis ac Matris Dei Mariae Sponsum electus; cum enim Sacratissima Virgo Maria, hactenus educata in templo, nunc ad nubilem pervenisset aetatem, eidemque more Hebraeorum a pontifice indicaretur, ut se pro more legis ac patriae pararet ad nuptias, purissima Virguncula respondit, tali mandato se parere non posse, cum perpetuam Deo voverit virginitatem; propter quam mirabilem Virginis responsionem pontifex, et alii sacerdo-

Digitized by Google

tes statuerunt Deum consulere, ut quid consilii in hac re sit capiendum dignaretur manifestare. « Nec mora! scribit Sanctus Hieronymus, in Hist. de ortu Mar., cunctis audientibus, de oraculo et de propitiatorii loco vox facta est, requirendum esse, cui Virgo illa commendari et desponsari deberet, cunctosque de domo David nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare, et cuius virga floresceret, atque in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbae consedisset, eum esse, cui Virgo commendari et desponsari deberet. Quod cum in Iosephum feliciter cecidisset, liquido omnibus patuit, Virginem ei desponsandam fore, et sic divina sorte tanquam magis idoneus iustus Ioseph fuit electus ». Voluit ergo Deus pro Matre sua sponsum non alium, quam virgineum, qualis erat Sanctus Iosephus, quem candida vitae integritas tanta gratia, et tam sancto connubio dignum reddidit; nam, ut ait cancellarius Paris. Gerson, serm. De Nativ.: « Sicut decuit ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi; ita decuit ut Sanctus Iosephus tanta polleat praerogativa, quae similitudinem et gratiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam ». En novum argumentum, ex quo satis aperte liquet, quantum aestimetur virginitas coram Deo. Vides etiam, quod Sponsam virgineam non alius deceat Sponsus, quam etiam virgineus. Quapropter, si et tu sponsus Mariae esse cupis, minimos per Dei gratiam impuritatis pulvisculos dispelle, quia ille, qui non est castus, nec Deo gratus est, nec Mariae, sed Maria te tantum amabit, quantum tu dilexeris angelicam puritatem. Excita ingens tam angelicae virtutis desiderium, et, si non in perpetuum, saltem ad tempus aliquod pro ratione status tui vove castitatem. Pretiosum foret tale holocaustum toti sanctissimae Trinitati, et virgineae Sponsae tuae.

1673. **Hymnus XXIX.**

Pia ad Iosephum exoratio.

Sancte Ioseph, fili David,
Te rex summus honoravit,
Quando tibi commendavit,
Virginem Sanctissimam,
Tu cum illa salutatus,
Rogo, sis et exoratus,
Ut det mihi suus Natus
Vitam beatissimam.

(Cod. Palat. Vindobon. saec. 14).

1674. **Memento.** — Et erat Ioseph, et Maria Mater eius, mirantes super his quae dicebantur. Quibus mirantibus etiam nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his quae de illo a propheta sancto dicebantur, mirati. Nunquid enim Ioseph iam in somnis ab angelo non audierat: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet enim filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». (Matth. 1, 20). Nunquid et ipsa Sacratissima Virgo, quae salva virginitate Filium se genuisse sciebat, priusquam pareret vel conciperet, ab angelo non audierat: « Ave, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu inter mulieres. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei? » (Luc. 1, 28) Quid ergo mirabantur super his quae dicebantur de illo, nisi quia ceteris mirantibus, sacramentum impiis occultant? (S. Ambros. Autpert. Abbas, Serm. de Purific.).

XXX. — Sermo Bedae Seeauer.

AN S. IOSEPH FUERIT COMES B. VIRGINIS IN VISITATIONE S. ELISABETH.

Novendialis exercit. pro festis VII princip. B. V. Mariae.

Iam suo erat fecunda divino fetu electa Dei Mater, atque ille intra virginei uteri angustias se concluserat, quem coeli coelorum non capiunt. Ecce! « In diebus illis, » id est post duos dies, aut tres, quos Maria Virgo post factam Verbi divini Annuntiationem in amorosa peracti mysterii contemplatione, affectuosa gratiarum actione, et dilecti intra se praesentis dissuaviatione transegerat, exsurgens Maria a contemplationis sacro otio, e domo et mansione sua, e Nazareth Galilaeae urbe « abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda ». Disquirere hic erudite solent Litterarum interpretes, an etiam Sanctus Iosephus virgineus Mariae Sponsus fuerit comes Beatissimae Virginis in hoc itinere ad cognatam suam Elisabetham, cum sacer historicus nullam prorsus faciat mentionem? Quapropter desuper disceptatur, et utriusque sententiae patroni suis non sunt destituti rationibus et motivis probabilitatis. Quibus ergo placet sententia affirmans, sequentibus potissimum rationibus moventur, unde suam sententiam probant. 1. Beatissima Virgo, providente sic supremo Numine, fuit desponsata Sancto Iosepho, ut ab illo ministerium, adiutorium et consolationem acciperet: hac autem fuisset destituta, et privata, si sola ivisset ad Elisabetham super montana; unde videtur, Sanctum Iosephum fuisse comitem, qui tam teneram sponsam utique non permisisset tam longum iter capessere. 2. Indecens videtur, Beatissimam Virginem solam ivisse sine Sponso,

Digitized by Google

maxime, quia alium tamquam comitem, utpote pauperrima Virgo, habere non potuit. 3. Illo tempore, quo Beata Virgo abiit in montana, instabat proxime Pascha Iudaeorum, ad quam solemnitatem omni masculino Hierosolymis erat comparendum ex lege Exod. XXIII et Deut. XVI. Ergo credendum non est, quod Sanctus Iosephus primum post paucos dies fuerit secutus, sed potius, quod illam deduxerit in domum Zachariae, et exinde velut e propinquo remeaverit Hierosolymam ad solemnia Paschae. Huic opinioni favent Isidorus de Insulanis, De donis sancti Iosephi, part. II, cap. 6; Carthagena, De SS. arcanis, lib. VI, hom. I, n. 7; Salmeron; Sylveira tom. I, cap. 6, q. 8, et alii etiam moderni, quos omnes veneramur. Sententiae tamen eorum astipulari non possumus, aliis rationibus et fundamentis persuasi.

1676. Unde, ut tenet Cornelius a Lapide litterarum interpres omni exceptione maior, Toletus et alii, probabilius videtur, Sanctum Iosephum non fuisse comitem Beatissimae Virginis ad Elisabetham, et probatur. 1. Si Sanctus Iosephus fuisset comes huius itineris, et illam deduxisset in domum Zachariae, audire debuisset salutationem per titulum divinae maternitatis factam: « Unde mihi hoc, quod veniat Mater Domini mei ad me ? » (Luc. I, 43.) Quae salutatio statim in primo ingressu et adventu facta est, cui salutationi non potuisset se subducere, atque debuisset audire mysterium de maternitate divina manifestatum: sed hanc salutationem non audivit, quia alias Sanctus Iosephus, quando vidit coniugem suam post reditum gravidam, non habuisset occulte dimittendi causam, et desuper mirandi; neque debuisset reddi anxius, sed potius iam tunc erupisset in Dei laudes, dum erat praesens salutationi. Cum ergo hoc factum non sit, verisimile videtur, comitem non fuisse. 2. Sanctus evangelista nihil prorsus memorat, quod Sanctus Iosephus fuerit comitatus Mariam, adeoque vestigium prorsus nullum relucet ex sacris Paginis, quae tamen alias, quoties Sanctus Iosephus Beatissimam Virginem fuit comitatus, cum omnibus circumstantiis hanc comitivam memorant, ut Lucae II, ubi Iosephus profectus est cum Maria ad solvendum tributum; Matth. II, 13, quando fugit in Ægyptum. Idem, quando Iesum duodennem ambo dolentes quaesiverunt et invenerunt in Ierusalem. Cum ergo historiographus evangelicus nihil prorsus memorat in facta visitatione Beatissimae Virginis, etiam a nobis gratis diceretur; quia nullum suppetit fundamentum in Scriptura. Et certe, si Sanctus Iosephus fuisset comes, et praesens visitationi et salutationi, haud dubie excurrisset in Dei laudes, et depraedicasset tanta magnalia non minus, quam Elisabetha; consequenter verisimiliter de hac re non tacuisset evangelista, de quo credi potest omnia scripsisse quae erant ad aedificationem et laudem Dei Matris in illa salutatione qua talis, et hoc excellenti titulo honoratae. Insuper, si Sanctus Iosephus fuisset comes in abitu, fuisset etiam in reditu; imo non minus degisset illis tribus mensibus in domo Zachariae cum Sponsa sua, cum eaedem rationes, quae adversarii adducunt pro abitu, stringant etiam pro reditu et permanentia apud Elisabetham. Quod autem nec hoc, nec illud sit factum, inde videtur, quia Sanctus Iosephus tanto tempore debuisset advertere Sponsam suam tenerrimam esse gravidam, et sic iam tunc sibi prospexisset de fuga. quod tamen primum in Nazareth post eius reditum attentare voluit. A primo ergo ad ultimum, Sanctus Iosephus non fuit comes.

1677. Sed iam respondeamus ad argumenta contraria. Ad primum ergo dicendum quod, quamvis Sanctus Iosephus non fuerit comes in itinere, non illico tamen sequitur Beatissimam Virginem omni fuisse destitutam consolatione et custodia; quis enim dubitet Reginam angelorum. non ab innumeris angelis fuisse invisibiliter stipatam, qui illam custodiebant illuc euntem, et ibi commorantem, et inde revertentem? Imo Beatissima Virgo seipsam custodiebat sua puritate, modestia et sanctitate, ut nihil eidem fuerit opus : si enim antiqui Testamenti arca, ut expendit Clemens Alexand., lib. v Stromatum, nulla sera, aut ferreo instrumento fuit clausa, quia seipsam religione custodiebat, certe etiam de Beatissima Virgine Maria dici potest, tanquam Arca longe excellentiori, nullum fuisse eidem necessarium comitem, saltem ex hac ratione. Unde probabilius Sanctus Iosephus domi vacabat curae domesticae, et quia non nisi operibus manuum victitabat, et alebat Sponsam suam, credendum est, ne illis quid desit a necessaria sustentatione, mansisse in Nazareth. Neque propterea Mater Dei privata fuit solatio, ad quod Sanctus Iosephus illi fuerat attributus; erat enim per breve temporis intervallum absens ab illo. — Ad alterum responderi potest: Si adeo fuisset indecens Beatissimam Virginem ivisse solam ad Elisabeth, certe Sanctus Evangelista quidquam adnotasset, qui ne quidem scrupulum de minima indecentia Beatissimae Virgini imputanda voluit relinquere. Deinde, quia aliis haec Sanctissima Virgo erat incognita, et ideo fortassis pro aedificatione externa esset magis conveniens ire cum comite, admodum credibile est, ait Cornelius a Lapide, Bea-

Digitized by Google

tissimae Virgini fuisse attributam matronam quamdam gravem, quae esset illi fidelis comes, adiutrix, et testis actionum. Neque hoc, ut putat Sylveira, praeiudicat paupertati. Potuit utique talis honesta matrona ex amica quadam humanitate hoc benevolentiae signum exhibere tam amabili Virgini? Per quod tamen non probatur, fuisse quasi a famulitio et servitio Mariae. Ad ultimum denique negare non volumus, hanc posse esse aliquam congruentiam, vel causam impulsivam, vi cuius Sanctus Iosephus potuisset comitari suam Sponsam, sicut tamen hoc factum fuisse in Scriptura non legimus, et aliae rationes in contrarium allatae praeponderare videntur. Ideo probabilius asserere licet, Sanctum Iosephum Sponsam suam in hoc itinere non fuisse comitatum.

1678. **Hymnus XXX.**

Iosephi merita recolantur insignia.

Plaude coelestis curia,
solemnizet ecclesia,
dum recoluntur merita.
almi Ioseph insignia.
2. Cui Herode mortuo
ecce apparet illico
in somnis verbis angelus
praemonens eum dulcibus:
3. Surge accipe Puerum
et Matrem eius clanculum,
et cum ipso Emmanuel
ad terram perge Israel.
4. Qui tum surrexit citius
pergens quo duxit angelus,
quia quaerentes Puerum
iam intraverunt barathrum.
5. Huius a culpae nescibus
Deus eruat piis precibus,
qui pro Tonantis gloria
eius cantamus munia.
Praesta etc. etc.

(Brev. sec. usum Gallicanum Venetiis 1527, et alia multa).

1679. **Memento.** — *De iis, quae contigerunt, quum S. Ioseph sponsam suam Beatam Virginem uterum gestare animadvertit, ac de huius mysterii revelatione ei ab Angelo facta.* — Meditationi huius historiae praemittenda est tamquam eius fundamentum S. Iosephi sanctitas, virtutes et gratiae a Deo Domino nostro ei collatae, quo dignus esset Matris eius Sponsus, ipsius vero Christi curator, ita ut ab omnibus eius parens existimaretur atque reipsa id muneris in eius educatione et sustentatione subiret. Si enim praecursorem suum " Ioannem Baptistam „ et ipsos postea " Apostolos Spiritu Sancto replevit „ ea abundantia, quam iniuncta illis officia exigebant: operae pretium fuit, S. Iosephum excellentissimis gratiis ac donis replere, quo posset pro dignitate commissa sibi ministeria adimplere. Qui quod acceptis donis novit sedulo negotiari, illa quotidie adauxit. Ideo enim Iosephi nomen habuit, quod accrescens interpretatur, sive quod ipsemet crescat, sive quod augeat.

Primum sanctitatem suam supra omnes Sanctos, qui ipsum praecesserant, auxit. Fide enim et obedientia excelluit Abrahamum, laborum tolerantia Iacobum, castitate alterum illum Iosephum, familiaritate cum Deo Moysen, charitate erga populum suum Samuelem, humilitate et mansuetudine Davidem. In quibus et aliis virtutibus et elucebat et crescebat quotidie, ita ut optime illi accommodetur illud Psalmistae: " Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit, ascendens de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion „. (Ven. Ludovic. De Ponte p. II, Medit. XIV).

XXXI. — Sermo Eusebii Caesariensis Episc.

Quaest. Evang. ad Stephan. q. I.

Cur evangelistae Iosephi, non autem Mariae, genus scribant. — Principem huius saeculi latuit Mariae virginitas, ac proinde Salvatoris nativitas. — Cur Maria Iosepho fuerit desponsata. — Maria ex Davide oriunda.

Qui fit, ut Christum evangelistae tamquam a Davide genus ducentem narrent? Prorsus propter Iosephum Davidis prosapia genitum. Atqui non abs Iosepho Christus est, sed a Sancto Spiritu et Maria, ut ait Scriptura. Oportuisset igitur Mariae genus enarrari, siquidem Christi stemma non Iosephi contexebatur, ad quem Christi humana natura nihil pertinet, quia genitus ab eo non fuit. Iam vero si Iesus a Iosepho non oritur sed a Maria tantummodo, is ne a Davide quidem est: quandoquidem Mariam nulla historia Davide oriundam demonstrat. Temere igitur evangelistae Christum Davidis genere ortum celebrant, cum neque is Iosephi sit filius, neque Mariam in familia Davidis fuisse docuerint. Huiuscemodi erat quaestio prima, quae sic dissolvitur.

1681. Res Iesu Christi Servatoris nostri partim clam habere oportebat illorum temporum hominibus: partim vero ad communem notitiam efferebantur, quaecumque audientibus utilitatem erant allaturae. Veluti Iesus, ut aliquid exempli causa dicam, mortalis aetatis tricesimum annum agens stitit se publice ad Ioannis baptisma, atque hinc fecit initium magisterii sui ac prodigiorum: quid tamen citra tricesimum annum gesserit, nulla historia docet; neque ex ulla divinae auctoritatis Scriptura superiorem vitam eius discere licet. Sed enim postquam etiam nemini ignotus erat, alia quidem audientibus omnibus praedicabat; aliis autem, tamquam mysteriis, discipulos tantummodo

Digitized by Google

suos initiabat: ac modo prodigia ab se edita divulgari nolebat, modo sine ullo eiusmodi vetito miracula faciebat. Iam in iis, quae silentio premere placuit miraculum eius nativitatis erat, ita ut illorum, qui mortali eius vitae interfuerunt, nemo paucis exceptis, rei conscius fuerit.

1682. Dicit autem vir sanctus, nomine Ignatius, qui Antiochenae Ecclesiae secundus fuit post apostolos episcopus, ipsum saeculi principem latuisse Mariae virginitatem, ac Servatoris ex ea nativitatem. Sic enim ait: « Latuit principem huius saeculi virginitas Mariae, eiusque partus, itemque Christi mors: mysteria tria clamosa, quae tamen sub divino silentio peracta fuerunt ». Iam ipso mentis ratiocinio intelligere licet, haud fieri potuisse, ut mortales omnes, qui Dei unctum inter homines communi hominis forma versantem cernebant, natum crederent e puella nuptiarum ignara, patre nullo. Neque porro expediebat, ut multi compertum haberent Mariam haud ex Iosepho conceptum peperisse Iesum: prorsus enim poenae fuisset obnoxia de Mosaicae legis mandato virgo, ceu si ante nuptiarum tempus virginitatem violavisset. Quamobrem merito animadversum est, vigilanter admodum Scripturam dicere: « Antequam ipsi convenirent, inventa est in utero habens »; tamquam si aperte diceret, eam ante nuptias non concepisse, neque prius quam ad virum accederet: sed postquam cum Iosepho coniugata fuit, atque apud eum diversari coepit, et ab omnibus coniux eius appellari: cum una habitarent, ac nuptiali consuetudine iam usuri viderentur, ipsa propemodum hora antequam convenirent, inventam esse in utero habentem de Sancto Spiritu. Atque haec percommode ob vitandam vulgi notitiam curata sunt. Nam si Mariae a parentibus nondum digressae, gravidae fieri contigisset; quia necesse erat rem palam famigerari, nempe quod ipsa haud ex publice noto viro suo concepisset, protinus supplicium ex forma iuris subiisset: si minus, certe stupri macula non vacasset: neque enim ipsa sibi testis esse poterat, neque ad fidem faciendam eorum quae sibi acciderant erat idonea: nec quisquam sibi aut angeli visum persuaderi passus esset, aut illi narranti credidisset quae eidem a Gabriele dicta fuerant: neque eam iam praegnantem domi suae Iosephus recepisset, quem iustitiae publicum testimonium ornabat. Bene igitur non apud ipsos parentes, sed apud Iosephum gravida facta est, ac maritali propemodum more: antequam enim convenirent, ut Scriptura testatur, in utero habens inventa est.

1683. Cui porro inventa est, nisi Iosepho? Cur autem et quomodo res Iosepho comperta fuerit, Scriptura docet dum ait, a Sancto Spiritu patefactam esse Iosepho iusto homini; qui ob hanc ipsam iustitiam suam nil mirum est si a divino Spiritu adiutus, coniugis mox futurae conceptiones intellexit, atque a maritali congressu abstinuit. Illico igitur re cognita territus voluit occulte dimittere Mariam: quae acciderant maiora existimans, quam ut ipse cum ea posthinc versaretur. Atque haec causa fuit, quamobrem iustus cum esset, haud aequum iudicavit eam diffamare: maluit autem occulte eamdem dimittere. Profecto is, nisi sibi persuasisset, eam de Sancto Spiritu concepisse; cum probe simul sciret eamdem a se viro uterum non gerere; qui tandem fieri poterat, ut non, pro suae iustitiae munere, ante nuptias corruptam publice ediceret, atque ob id magistratibus idoneis iudicandam traderet ac diffamandam? Alioqui quomodo iustus esset, qui de re impia tegenda celandaque satageret? Certe Iosephum ita se gerentem, ab evangelista iustum appellari, non erat consentaneum. Sed enim quia ipse diviniorem Virginis de Sancto Spiritu conceptum novit; et quia eamdem augustiorem existimavit, quam ut sibi diutius liceret cum illa habitare; recte idcirco evangelista dicit, a Iosepho captum esse consilium clam Sponsam dimittendi neque diffamatam a se neque obiectam vulgi sermonibus. Bene igitur ab evangelista dici videtur, quod eam diffamare noluerit. Non enim ait nolens eam infamare, sed « diffamare »; quorum vocabulorum multa est differentia. Sicut enim non idem significat scribere et proscribere, putare et imputare, rogare et abrogare; sic neque diffamare et infamare: namque infamare facit ut cogitemus de publica hominis malefici patefactione ac delatione; diffamare autem patefaciendi tantummodo notionem habet.

1684. Sed quia tamen fieri non poterat ut multos ea res lateret, etiamsi Mariam Iosephus clam deseruisset, commode angelus per somnium huic oblatus ait: « Ioseph, fili Davidis, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Et videsis ut a principio filium Davidis hunc appellat, scilicet eumdem revocans ad progenitorem ope illius quem a Davidis genere omnes exspectabant. Alioqui cur non eum Iacobi filium dixisset? Hic enim erat illius natura proximus pater, teste evangelista: « Matthanus autem genuit Iacobum; Iacobus autem genuit Iosephum ». Nunc vero, praetermissa patris mentione, progenitorem commemorat; propemodum significans, qui Davidi promissus fuerat, hunc esse quem pro-

Digitized by Google

digiose et sine ullo Iosephi officio, sed de Spiritu Sancto Maria conceperat. Deinde eum iubet timorem, quo correptus erat, dimittere. Non enim in mediocri versabatur formidine, dum reputaret haud ex viro gravidam esse Mariam. Exin eumdem docet non quod non ignorabat, sed praecogniti causam. Ait igitur: « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est ».

1685. Tale mihi tantumque agitatum consilium ex divinis Litteris apparet, propter occultandum incredulis conceptum virginis. Neque enim facile crediturí erant, qui sermonem eiusmodi audirent de homine mira narrantem, quem aeque ac nos infirmo corpore naturaque haud dissimili praeditum viderent. Quid? etiamsi deinceps Iesus miracula edens, divinamque vim beneficam erga multos expromens perculit cernentium animos; nonne Moyses, qui multa mira fecit, tamen communis nativitatis particeps fuit? itemque Elias atque Elisaeus, atque prophetae singuli? Nihil igitur proderat prodigiorum editio, quominus Iesus crederetur viro genitus. Reapse homines illius aetatis, nihil insolitum de nativitate eius suspicantes, quanquam eiusdem facta aspiciebant, ita colloquebantur: « Unde huic omnis sapientia haec et virtutes? nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria; et fratres eius Iacobus et Iosephus et Simon et Iudas? itemque sorores eius nonne omnes apud nos sunt? » Rursus alias matre eius fatribusque extra concionem stantibus, cum eoque loqui volentibus, ait quidam: « En parens tua fratresque tui foris adsunt, teque visere cupiunt ». Nec mirum; siquidem etiam discipuli atque apostoli rogati ab eo quem se esse homines dicerent, responderunt: « Aliis eum videri Ioannem, aliis Eliam, aliis Ieremíam, aliis alium de prophetis ». Rursusque rogati quem et ipsi se esse putarent, silebant cuncti, nihil dicere habentes: unusque Petrus ait, eum esse Christum Dei viventis Filium. Quippe et huic uni, tanquam rei conscio, respondit Iesus: « Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». Testis item Maria, se cogitatu secreto apud se quae gesta fuerant continuisse. Ait itaque Scriptura: « Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo ».

1686. Igitur demonstratum est, utiliter per id tempus conceptionem Iesu de Sancto Spiritu apud vulgus fuisse celatam. Iosephus autem in parentis locum assumptus est, ita ut merito tanquam pueri genitor in genealogia poneretur. Id nisi fiebat, nullo parente censeretur puer, cuius stemma ab illo non deduceretur: quae res in impietatem multos pertraxisset, si ob rei verae ignorantiam, de natalibus eius haud honeste sentirent. Utiliter itaque et fabri filius, et appellatorum filiorum frater habitus est. Et quidem ipse Deus Verbum haud se hominem esse negabat: imo discipulis praecipiebat, ne cui dicerent eum se esse, quem prophetae venturum cecinerant, unctum Dei: neque enim fidem plerique erant arrogaturi, qui eum humili indutum specie videbant. Sic in illa etiam montana transfiguratione rursum mandavit discipulis ut visum nemini dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Pronum quippe erat ut multi de coaetaneis ne id quidem sibi persuaderi paterentur. Quod si haec non putavit vulganda, multo magis oportuit natalia de Virgine tunc in populo reticeri: quae commodo deinde tempore omnem de eo veritatem erant ostensura. Tempus autem commodum futurum erat, cum ipse a mortuis resurgeret, et cum in coelum assumeretur, et cum orbem terrarum fama eius tanquam Dei Verbi pervaderet; cum denique gentes vocarentur, ac divina illius oracula exitum nanciscerentur; rerum scilicet eventu praesagiis eiusdem ac praedictionibus fidem perspicuam adiiciente.

1687. Atque apud nostrae quidem aetatis homines, qui rerum fidem a maioribus acceperunt, quique Christi conditionem plus quam mortalem fuisse sciunt, reliqua quoque merito in confesso sunt, nedum nativitatis mysterium: verumtamen inclyti evangelistae necessario tunc Iosephum in genealogia posuerunt, qui videlicet ab omnibus Iesu parens appellabatur. Quod si hac ratione neglecta, a Matre genus eius ordinavissent; praeter quam quod id indecorum erat, et divinarum Scripturarum simplicitate alienum, quia neminis antea per matrem genus descriptum fertur; is cuius genealogia texebatur, incerto patre nescio quis terraeque filius visus esset Id autem, ut dixi, haud mediocri ignominiae et criminationi obnoxium erat. Commode igitur dum Iosephum praedictam ob causam a Davidis stirpe derivant, Mariam simul David oriundam comprobant, genere coniugis per Sponsum demonstrato. Moysis quippe lege edicente, ut ne aliunde liceret nuptias sibi conciliare quam ex genere proprio suaque tribu, ne videlicet generis haereditas ex una in aliam tribum commoveretur; satis erat viri descriptio ad coniugem demonstrandam: nam qui ad legis normam viveret, haud aliam sibi uxorem copulavisset, nisi quae primum esset ex eius patria tribu, Iudae videlicet; deinde ex eadem gente familiaque, nempe Davidis. Illatenus enim lex iubebat. Si Iosephus igitur de Iudae tribu deque Davidis gente et familia fuisse

Digitized by Google

demonstratur, cur non sequitur ut Maria ex iisdem originibus prodire videatur?

1688. Quod si eadem dicitur Elisabethae cognata; cum tamen illa de tribu Iudae, Elisabetha de Levitica fuerit; ne mireris: universa quippe Iudaeorum gens uno genere censebatur, cunctaeque tribus invicem cognatae erant. Hinc etiam divus Apostolus Iudaeos omnes appellat cognatos suos, dum ait: « Optabam ego anathema esse pro fratribus meis, qui mihi secundum carneam naturam cognati sunt, Israelitis ». Atqui cognati eius soli revera erant Beniamitae: et tamen omnes Israelitas fratrum nominibus et cognatorum Paulus indigitat. Sic ergo angelus Elisabetham dixit Mariae cognatam, propterea quod ambae Israelitides essent. Insuper ex ipso loco satis decuit Elisabetham appellari Mariae cognatam, quia nimirum habitabat in Iudae tribu, unde genus traxit Maria. Rei testis Lucas, qui ait: « Exsurgens autem his diebus Maria abiit in montana cum festinatione, in urbem Iudae, et ingressa est domum Zachariae, ac salutavit Elisabetham ». Etenim cum lex Mosaica sacerdotali tribui possessiones non assignavisset, quia Dominus Deus pars eius est, mandavisset autem ut inter ceteras tribus incoleret; cumque Zacharias et Elisabetha quadam in urbe tribus Iudae habitarent, unde oriunda erat Maria; par fuit eas ob hanc causam cognatas appellari: neque id rursus immerito propter morum similitudinem, quorum gratia utraque mulier mysterio salutis digna fuit; et altera quidem Servatorem, altera Servatoris praecursorem sinibus suis receperunt, unius videlicet eiusdemque Sancti Spiritus gratia potitae. Atque hoc vel maxime nomine secundum Deum cognatae fuerunt. Haec praesentis dubitationis solutio est.

1689. Quod si autem caput mulieris vir est, de Apostoli divi sententia, duoque sunt in carne una ex Mosaicae legis regula; et si nupta viro, quae flagitium admiserit, adulterii poenam ob id ipsum subit; ceu quae iam sponsi corpus facta erat, sibique caput imposuerat virum; cur si capitis genealogia scribatur, corpus cum capite connumerari non sit consectaneum? Quamobrem Maria Iosepho iam nupta, merito in eius genealogia intelligenda est; cum praesertim perspicue demonstratum sit non solum ex eius tribu fuisse, verum etiam gente et familia. Praeter quam quod etiam Gabriel in illo cum Maria colloquio vaticinans inter cetera ait: « Dabit illi Deus sedem Davidis patris eius: » aperte docens, eius qui ex ipsa nasciturus erat, Davidem esse progenitorem. Alioquin qui decuisset haec ab angelo dici apud Virginem, nisi eamdem de Davidis genere esse confiteretur? Neque sane feminae alienae a Davidis stirpe dictum fuisset, « dabit illi Deus sedem Davidis patris eius ». Quem enim narras patrem, Virgo respondisset (quae quidem fatebatur se virum nescire, intellexerat autem fore ut de Spiritu Sancto conciperet), nisi omnino is sermo apud Davidis filiam fieret? Hinc apte Lucas ait: « Ascendit autem Iosephus de Galilaea ex urbe Nazareth in Iudaeam, ut nomen suum profiteretur in urbe Davidis cui nomen Bethlehem, propterea quod esset de domo familiaque Davidis cum Maria desponsata sibi praegnante ». Haud ergo ulterius cum perplexitate legemus hunc Evangelii locum, ceu si Maria ad profitendum tantummodo nomen venisset; sed ipsam quoque putabimus, haud secus quam Iosephum, de domo familiaque Davidis esse; quam Scripturam ut ita interpretemur, argumentis iis utimur quae hactenus protulimus. Ergo perspicue, ut opinor, demonstratum est, haud temere Iosephi genealogiam ab inclytis apostolis fuisse narratam, et Mariam de genere Davidis vere derivari, itemque eum, qui ex ipsa natus est, Iesum Dei unctum.

1690. **Hymnus XXXI.**

Insignia Iosephi praeconia.

CLARE de Davidis sanguine maximi
Et priscis veteri stemmate regibus
Ioseph nobis ortus,
Nutritor pueri Iesu.
Quem mundum viciis atque libidine
ornavit pietas et pudicitia,
felix coniugium hinc
et sanctissima foedera.
Cuius castus amor fidaque servitus
numquam mille viis, mille laboribus
infantem Mariamve
ullo deseruit metu.
Iustus Memphiticos visere limites
voces angelicas credulus accipit,
se donec revocatus
transfert ad Syrios lares.
Felix aetherei qui genitum Dei
infantem propriis volvere manibus,
et verum meruisti
Christum visere, pascere!
Felix qui populi nuncia simplicis
Eoosque magos excipis audiens
coram psallere sacros
coeli spirituum choros.
Gaude mysterii conscius abditi,
custos parthenius, et comes inclyte,
gaude, vive, triumpha
Christo rege perenniter.
Sit laus ergo Patri, laus quoque Filio,
maiestas et honor dignaque gloria
et Sacro Paraclito
sit per saecula gratia.

(Morel, p. 146).

Digitized by Google

1691. **Memento.** — Nominatim autem crescebat felicissimus hic Sanctus, ascendens mysticam Iacob scalam lectionis, meditationis, orationis et contemplationis, quam supra dictum est Sponsam eius ascendere consuevisse, cuius exemplo tum ipse iuvabatur, tum duo hi Seraphini mutuo sese alis suis ad volandum Sanctumque Sanctorum orationibus suis glorificandum provocabant.

Atque ut maiore spiritus libertate haec praestaret, Spiritus Sancti instinctu voto se castitatis obstrinxit, quae, Apostolo teste, " facultatem praebet sine impedimento Dominum obsecrandi „. In cuius cultu custodiaque tantum posuit conatum, ut speciali Dei favore nec motum aliquem malum persentiret, etiamsi cum pulcherrima alias Virgine versaretur, quae adeo etiam erat pudica, ut solus eius aspectus desiderium castitatis ingeneraret. Et hoc ipso magnitudinem ostendit amoris in Deum, quod, matrimonii onera acceptans, eius voluptatibus Dei amore renunciaverit. His virtutes alias, de quibus mox dicemus, adiunxit. In quibus eum imitari studebo, orans, ut cum Sponsa sua meus sit apud Christum advocatus, ut qui procul omni dubio plurimum apud utrumque valeat ob magna et fidelia erga eosdem praestita servitia. O praestantissime patriarcha, cuius pulchritudinem coelestes mirantur hierarchiae, ora desiderium illud collium aeternorum, qui super caput tuum copiosam effudit benedictionem, ut super meum etiam effundat, quo imitatione tui bonis operibus crescam, virtutibus augear et in eisdem usque ad coronae consecutionem iugiter perseverem. Amen. (Ven. Ludovic. De Ponte. p. II, Medit. XIV).

Digitized by Google

LIBER III.

I. — Sermo S. Hilarii episc. Pictaviensis.

DE MARIA ET IOSEPH ORIGINE ET VIRGINITATE.

Tract. in Psal. LI.

Mariae ex genere Abrahae et David.

GRADUM, quem Matthaeus in ordine regiae successionis ediderat, Lucas in sacerdotali origine computat. Quem dum uterque dinumerat, cognationem in Domino utriusque tribus uterque significat. Recteque generationis gradus ponitur: quia sacerdotalis et regiae tribus societas per David ex coniugio inita. iam a Salathiel in Zorababel confirmatur ex genere. Atque ita dum Matthaeus paternam originem, quae ex Iuda proficiscebatur, recenset, Lucas vero acceptam per Nathan ex tribu Levi genus edocet (Luc. III, 31); suis quibusque patribus Domino nostro Iesu Christo, qui est aeternus et Rex et Sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt. Quod vero Ioseph potius quam Mariae nativitas recensetur, nihil refert: eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Matthaeus et Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere quam gente: quia ab uno tribus coepta, sub unius successionis et originis familia continetur. Cum enim filius David atque Abrahae esset ostendendus, quia ita Matthaeus coepit: « Liber generationis Iesus Christi, filii David, filii Abrahae (Matth. I, 1) »: non differt quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia coepta esse intelligatur ab uno. Ita cum eiusdem tribus sit Ioseph, et Maria; dum profectus esse ex Abrahae genere Ioseph ostenditur, profecta quoque docetur et Maria. Haec enim in lege ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familiae princeps fuisset, defuncti uxorem posterior frater eiusdem cognationis acciperet, susceptosque filios in familiam eius qui mortuus esset referret (Deut. XXV), maneretque ita primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post nati essent, aut nomine haberentur aut genere.

B. Mariae perpetua virginitas. — In eos qui nolunt Mariam virginem permansisse.

1693. Generationis autem ratio simplex est. Nam conceptum ex Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, omnium opus prophetarum est. Sed plures irreligiosi, et a spiritali doctrina admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quod dictum sit, « Priusquam convenirent, inventa est in utero habens » (Matth. I, 18); et illud « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam » (Ibid. 20); et illud, « Non cognovit eam donec peperit » (Ibid. 25); non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc Ioseph volenti eam abiicere; quia iustus ipse nollet in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu eius ambiguitas exsisteret, ipse concepti ex Spiritu Sancto Christi testis assumitur: dehinc quia desponsata esset, in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque

Digitized by Google

post partum, id est, transit in coniugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur. Denique cum transire Ioseph ad Ægyptum admonetur, ita dicitur: « Accipe puerum et matrem eius; » et, « Revertere cum puero et matre eius » (Matth. II, 13 et 20; et rursum in Luca (Luc. II, 33, iuxta Graec.): « Et erat Ioseph et mater eius ». Et quotiescunque de utroque fit sermo, Mater potius Christi, quia id erat; non uxor Ioseph est nuncupata, quia non erat. Sed haec quoque ab angelo ratio servata est: ut cum desponsatam cum iusto Ioseph significabat, coniugem nuncuparet. Nam ita ait: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Ergo et coniugis nomen sponsa suscepit, et post partum in coniugem recognita tantum Iesu Mater ostenditur: ut quemmadmodum iusto Ioseph deputaretur eiusdem Mariae in virginitate coniugium, ita venerabilis eius ostenderetur in Iesu Matre virginitas.

1694. **Hymnus I.**

Ioseph Mariam coniugem accipit; Christus Bethlehem ex Virgine nascitur

INTEREA Mariae Sponso miracula mentem
Sollicitant, manifesta uteri quod pondera vidit:
Et secum volvit, quanam ratione propinquae
Dedecus oppressum celet, thalamosque recuset.
Talia tractanti torpescunt membra sopore,
Audivitque Dei super horrida somnia vocem:
Accipe coniugium nullo cum crimine pactae,
Spiritus implevit sancto cui viscera fetu.
Hanc cecinit vates venturam ex Virgine prolem;
NOBISCUM DEUS est nomen cui. Protinus ille
Haec praecepta sequens, servat sponsalia pacta.
Sed tum forte novi capitum discussio census
Caesaris Augusti iussis per plurima terrae
Describebatur, Syriam cum iure regebat
Cyrinus, proprios cui tota per oppida fines
Edebant populi, vires, nomenque, genusque.
Urbs est iudaeae Bethlehem, Davida canorum
Quae genuit, generis quae censum iure petebat.
Edidit hic Mariam Davidis origine Ioseph,
Desponsamque sibi scribens, gravidamque professus.
Hospitium amborum Bethlehem sub moenibus urbis
Augusti fuerant praeparva habitacula ruris.
Illic Virgo novo completo in tempore fetu
Solvitur, et Puerum veteri cunabula textu.
Involvunt, duroque datur praesepe cubili...
Inde ubi solemnem Pueri pro nomine legem
Complevit Genitrix, et Ioseph omnia mirans,
Ad patriam laeti repedant, puerumque reportant.
(Iuvencus, Hist. evang. lib. I).

1695. **Memento.** — Rediens Beata Virgo ex domo Zachariae inventa est a Sponso suo « in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem, vir eius, » causae ignarus et vehementer anxius, « cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ». Circa historicam hanc veritatem expendenda sunt occulta Dei iudicia, qui mysterium hoc Iosepho revelare hucusque distulerit, quod tamen Zachariae et Elisabethae aperuerat. Voluit enim hac occasione non minus ipsam Beatam Virginem, quam Sponsum eius exercere. Hic enim, Sponsam suam praegnantem cernens, potuit sine culpa, quod multi Sancti affirmant, existimare, id ex adulterio accidisse, aut certe in re adeo sibi nova dubitare; quae res, quod grave dedecus sibi adferret, multum eum affligebat. Nec minor Sponsam cura premebat, quam Iosephi sollicitudo anxietasque non latebat; erat enim et ipsi purissimae et innocentissimae gravissima infamia, a sponso proprio adulteram haberi ac propterea in periculo esse, ne ab eo desereretur. Quae tamen omnia ita disposuit Deus, quod in huiusmodi tribulationibus et humiliationibus ingens bonum contineatur, quibus clarissimos illos Sanctos perficere et ad maiora praeparare disponebat. Quam enim Deus insigni favore tum Angeli annunciatione, tum apud Elisabetham erat prosecutus, eandem apud Sponsum voluit hanc infamiae notam subire, ut sic, in humilitate proficiens, ad ampliores, quas in Bethlehem paulo post esset gratias honoresque acceptura, praepararetur. Est enim humiliatio exaltationis, et tribulatio felicis paschatis veluti praeambulum. Et hac forte ratione permota Ecclesia Evangelium hoc in natalis Domini pervigilio statuit decantandum. Eadem etiam causa Deus S. Iosephum exercuit, ut ad altissimi huius mysterii revelationem suscipiendam magis disponeretur essetque eius testis omni exceptione maior. (Ven. Ludovic. De Ponte, p. II, Medit. XIV).

II. — Sermo S. Gregorii Taumaturgi.

DE DESPONSAT. B. V. CUM S. IOSEPH.

De Annunt. B. V. serm. III.

MENSE sexto, missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro: » desponsatam, inquam, non coniunctam, desponsatam quidem, sed servatam. Cur desponsatam? ne citius latro mysterium cognosceret. Quod etenim per virginem Rex venturus esset, improbum non latebat; nam et Isaiae illa verba ipse audiebat: « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium ». Quare et quotidie Virginis vocem observabat, ut ubi mysterium hoc adimpleretur, infamiam praepararet. Atque ideo Dominus per desponsatam venit, ut improbum lateret; quae enim desponsata fuerat, deinceps sponso tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph. Audi quid de hoc viro et Virgine dicat propheta: « Dabitur, inquit, liber hic obsignatus viro scienti litteras ». Et quis iste obsignatus est liber, nisi omnino immaculata Virgo? A quibus dabitur? sacerdotibus scilicet. Cuinam viro? fabro Ioseph. Cum igitur sacerdotes Virginem Mariam casto despondissent Ioseph, eam ipsi commen-

Digitized by Google

darunt, tempus nuptiarium exspectantes; quam quidem ipse accipiens integram erat conservaturus; quod et longe antea praedixerat propheta: « Dabitur, inquiens, liber obsignatus viro scienti litteras, et dicet: Non possum legere ». Cur non potes legere, o Ioseph? Non possum, inquit, legere; nam liber obsignatus est. Cuinam servatur? Rerum omnium Creatori pro domicilio custoditur

1697. Necessaria itaque fuit descriptio sub Augusto Caesare facta: tametsi enim, uti modo audisti, Sponsus Virginis moerore affectus est, attamen mundus universus praestantioris ordinis initium accepit. Quid illud est, Sponsus Virginis moerore affectus est? paucis ausculta. Cum Ioseph Virginis Sponsus, ut modo audisti, propter Augusti censum in Bethlehem concessit cum Maria de sponsata sibi uxore praegnante, ignorabat Ioseph mysterium in Virgine abditum, necdum angeli oraculum acceperat: at Virgo, tum ex verbis, tum ex uteri tumore, certo sciebat quid gestum esset; quanto enim magis uterus intumescebat, tanto securiorem Virgo vitam degebat, una virginitatem servans intemeratam, fetumque gestans citra vel minimam molestiam; nec tantum illo gravata, quantum levata.

1698. Horum causa anxius Ioseph, cum videret eam uterum gestare, ignoraretque intus reconditum thesaurum, moerore affectus, Virginem in via obiurgavit hisce verbis: Quid tibi videtur, o Maria? Nonne tu es quae ut verecunda Virgo in templi septo es educata? Nonne tu es, o Maria, quae viri aspectum non sustinebas? Nonne tu es, o Maria, quae contra propositum tuum me in sponsum admisisti? Nonne tu es, o Maria, quae virginitatis rosam immarcescibilem servare peroptabas: Nonne tu es, o Maria, quae Susannam diligebas, Ægyptiam oderas? Nonne tu es, o Maria, quae vi stupratam Thamar saepe legebas, et impudicum Amnonem exsecrabare? Quorsum abiit ille continentiae tuae thalamus? Quorsum ille castitatis immaculatus thorus? verecundus ille vultus? Ego pudore afficior, tu confidenter agis? Quia peccatum sileo tuum, tu propius accedere festinas? Non vides alvi tuae tumorem? Intus infans palpitat, et tu quasi nihil experta hilaris es? Abi, Maria, remigra in domum tuam: quaere pudicitiae tuae furem, cum illo describare. Ego contumeliam illam non admitto, nullam ad poenam deprecandam invenies excusationem. Tum Virgo ad Iosephum: Quid indignaris, mi sponse? Quid me ut impudicam damnas? Quid contumeliosis oculis uteri mei tumorem conspicis? Quid me ad erubescendum cogis? Gloria sum mulierum, a priore illas turpitudine emergere feci: Evam revocavi: igneum transtuli gladium, et tu me iubes occultari? Nemo poenas a me reposcere poterit, quae communem omnium gesto Dominum. Si de me ipsa testimonium feram, inanis gloriae cupida deprehendar. Paululum exspecta, Ioseph, tibique pastores vera persuadebunt, te magi certiorem facient: stella pudore afficiet: angeli ad compunctionem excitabunt. Iam dubitas, paulo post gloriam dabis, ubi coelestem exercitum audies cum concentu clamantem: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum ». Tum genua flectes, nec perquires. An non transitum nostrum consideras, o Ioseph, quod scilicet vir nullus nobis sit comes itineris? Non vides solem splendidiore amictum veste? Non vides universam creaturam exsultantem? Non vides montes saltare? Non vides colles laetari? Non vides aquarum alveos exundare? Non vides Iordanem extra ripam effluentem? Ex signis rem coniice significatam, nec ambigas, o Ioseph, quod me praegnantem cernas. Me ipsam mutuo dedi, nec polluta sum: uterum commodavi, nec virginitatem temeravi. Ne propositis rebus fidem abneges, o Ioseph: cum obstetrice usa fuero, tum quae sim exploratum erit; iam probris afficior, tum beata praedicabor; nunc ut ream abigis, tunc ut sanctam prope adesse rogabis. Ne glorieris quod me custodire videaris: ego namque te custodio. Nam qui uterum meum in tabernaculum sibi apparare dignatus est, is est totius naturae custos. Pergamus ergo et describamur, ut et militaris lex, et imperatorium edictum impleatur.

1699. His pudefactus Ioseph, duplici deinceps via incedebat, pedibus quidem terram vestigio calcans, cogitationibus autem nubes supergressus. Quid enim aliud agendum Iosepho restabat, quam ut sursum mente degeret. Quandoquidem omne donum perfectum desuper datum est. Quamobrem deinceps Ioseph una Virgini comes, et adiutor erat, atque futurarum spectator rerum. Non quod Virgini adiutore esset opus, nedum ei qui in Virgine gestabatur, quique omnium auxiliator erat et est, et ad quem exclamat ille qui ita vociferatur: « Auxilium meum a Domino qui fecit coelum et terram ». sed quod necesse esset, ad oeconomiae illius negotium, adiutorem Ioseph esse, ut Virgo coniux reputaretur, ut diabolo lateret quod agebatur, neque rem gestam ille edisceret: qua ratione scilicet Deus cum hominibus conversari dignatus sit. Quid igitur Lucas evangelista? nam operae pretium est videre et Ioseph certiorem factum, et domicilium in quo pe-

Digitized by Google

perit Virgo, quod Ecclesiae typum gerit: ubi altare est praesepe; qui vice sua ministrat, Ioseph; diaconi, pastores; sacerdotes, angeli; summus sacerdos, Dominus; thronus, Virgo; crateres, mammae; vestis sacerdotalis, incarnatio: flabella, cherubim; discus, Spiritus Sanctus; Pater autem disci operculum. Quod autem Ecclesiae typum praefiguraret locus in quo Dominum peperit, audisti iam iam evangelistam Lucam dicentem: « Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio ».

1700. O res admirabiles! papae, quam exigua verba, quam magna mysteria! « Factum est, oum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret ». O rem stupendam. Conditor temporum definitum tempus exspectat! Qui terminum tempori constituit, statutum mensium spatium exspectavit; ut nemo phantasiam aut speciem tantum illud esse exsistimaret. « Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret filium suum primogenitum: et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio ». Perpende mysticum Virginis partum: ipsa peperit, ipsa pannis involvit. Inter feminas huius saeculi, alia parit, alia pannis involvit: apud Virginem non item; ipsa peperit, ipsa pannis involvit: ipsa infatigabilis mater, ipsa obstetrix sine magistra, non permisit quemquam impuris manibus partum intemeratum contingere: ipsa per sese curavit eum, qui ex se, et ante se, et propter se natus erat. « Et pannis eum involvit: et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio ». Vides, o dilecte, quomodo Ecclesiae typum nobis iam ante depinxerit vile illud diversorium, ubi Virgo illa peperit quae semel uterum gestavit, nec secunda vice genuit, nec contumeliae notam sustinuit: licet insani quidam, quod audierint Lucam evangelistam sic loquentem: « Et peperit filium suum primogenitum », secundam fuisse Virginis conceptionem docuerint, incorruptionem in corruptionem transmutantes: in suis dogmatibus ita loquentes: Nequaquam primogenitus dictus fuerit, nisi subsequatur alter. Adversarii autem nostri, non modo Lucam suae pravitatis producunt testem; sed etiam evangelistam Matthaeum qui ea ipsa enarret, et apertius adhuc affirmet, atque eius voces impii illi proferunt, in scriptis suis ea loquentes quae Ioseph in visione accepisse scribitur, Matthaeo evangelista dicente: « Apparuit autem angelus Domini in somnis Ioseph, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, ex Spiritu Sancto est. Surgens autem Ioseph, ait, accepit Mariam coniugem suam; et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum ». Simili modo adversarii has voces mutuantur, ut gloriosam Virginem secundo peperisse doceant. Sed apage absurditatem: immaculatum prorsus permansit hoc virginale, et gloriosum cimelium: nequaquam pollutum fuit secundum coelum: nequaquam profanatum fuit vas illud, quod Deum altissimum continuit. Dominus primogenitus ex Virgine audivit; ac probe audivit; non quod secundum ex eodem genere acciverit; sed quia primogenitus, id est incomparabilis erat. Neque enim quia B. Paulus de aeterna Domini ex Patre generatione ait: « Qui est primogenitus omnis creaturae », naturalem statim Domini fratrem conscripsit: neque rursum ipse Paulus, cum ipsum Dominum primogenitum ex mortuis vocavit, statim alium Domino similem induxit, qui pari modo infernum conculcaverit.

1701. Quamobrem prudenter audi, ac pie credito: Primogenitus est Filius ex mortuis, ex Patre et ex Virgine, ut per omnia unica filiationis dignitas agnosceretur. Incomparabilis autem est Dominica proles: nam ubi mater Virgo, quanam ratione proles explicatur? Similiter quod Evangelista Matthaeus de Iosepho dicat: « Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum ». Non plane cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Donec uterum Virgo gestabat, non cognoscebat eam Ioseph: nec sciebat quid in illa esset, ignorabat quid negotii gereretur, ignorabat quid appararetur: atque tunc solum cognovit cum illa peperit: tunc agnovit Ioseph quaenam Virginis esset virtus, et quid Deus facere dignatus esset: tunc novit eam ubera dedisse, nec in vena sua rapinam sustinuisse; tunc novit eam peperisse, et quae ad partum attinent non novisse: tunc scivit mamillam a praerupta petra, spirituali petrae datam fuisse: tunc novit Ioseph, de illa Isaiam scripsisse: « Ecce Virgo concipiet ». Incomparabili itaque modo primogenitus est Iesus. Quod si in rei veritate loqui oporteat, ipse Dominus et Unigenitus ex Patre; solus namque ex solo, sine principio natus est: idem Dominus et Unigenitus et primogenitus: Unigenitus ex Patre, Unigenitus ex matre, propter oeconomiae decretum. Habet enim multos fratres, non natura, sed gratia, et in Virgine et in Patre. Simili quoque modo in resurrectione fratres habet Dominus: ecquinam illi? Ante omnes, Sancti Apostoli, quibus Dominus dicit: « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum »; quibus Dominus ait: « Vos autem cum oratis, dicite: « Pater noster, qui

Digitized by Google

es in coelis, sanctificetur nomen tuum ». in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria et imperium nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

1702. Hymnus II.

Ioseph per somnia ab Angelo admonitus.

ANGELUS illaesum Mariae per somnia Ioseph
Connubium servare monet: hic dote repleta
Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

(Rusticus Helpidius, de Christi Iesu benef. Carmen).

1703. **Memento.** — Excellentes illas virtutes expendam, quas clarissimum hoc par Sanctorum hac occasione et probatione exercuerunt, quo illas discam imitari: nam etiam propterea Deus illam eis immisit tribulationem.

Primum enim S. Ioseph et patientiam et prudentiam insignem ostendit: patientiam, dum tantam iniuriam silentio involvit, nec de vindicta cogitans, quam iure quaerere licuisset, nec apud parentes aut cognatos eius querelas deponens, nec murmurans aut aculeatis vel iniuriosis verbis Sponsam perstringens; potius ut iustus non licitis tantum contentus, sed, quod perfectius esset, quaerens, statuit tacens, poenam suam intra seipsum tolerare. Prudentiam ostendit, dum medium quaesivit et invenit, quo ita Sponsae famae consuleret, ut eam tamen, quae de adulterio suspecta esset, in domum suam non traduceret, sed vel libello repudii, quod antiqua lex permittebat, vel iusto aliquo praetextu ipse alio migrans se ab ea separaret. Accessit et ad prudentiam, quod neque hoc ipso, etiamsi ad rem accommodato, medio praecipitanter aut temere sit usus, sed rem prius mature cogitare expendereque voluerit, quod verba illa satis indicant: « Haec autem eo cogitante ». Habuit enim religionis, non solum ei cohabitare, quae adultera esse videretur, sed etiam eam dimittere, quae tantam prae se ferret sanctitatem. Cuius consideratione mei pudorem concipiam tum ob exiguam in tolerandis iniuriis patientiam magnamque in inferentes indignationem, facilitatem ad murmurandum et proximis detrahendum, occultis eorum defectibus revelatis, tum de impetu impotente, quo me absque deliberatione matura in huiusmodi interdum praecipito, et hoc pudore affectus orabo Dominum, ut me propter Sancti huius merita iuvare velit ad insigne hoc eius exemplum sequendum. (Ven. Ludovic. De Ponte, p. II, Medit. XIV).

III. — Sermo S. Ioannis Chrysostomi.

CUR IOSEPHI, NON MARIAE GENEALOGIA DUCATUR. DE DESPONSATIONE B. M. V. CUM S. IOSEPH. LAUDES S. IOSEPH.

Hom. III et IV in Matth.

ECCE iam tertiam dissertationem, et prooemia nondum absolvimus. Non ergo frustra dicebam, admodum profundam esse harum sententiarum naturam. Age hodie quae residua sunt dicamus. Quid ergo iam quaerimus? Cur Iosephi genealogia ducatur, qui nihil ad generationem contulit? Iam unam causam diximus: operae pretium est ut aliam dicamus, magis mysticam et arcanam. Quaenam illa est? Nolebat Iudaeis notum esse ipso partus tempore ex Virgine nasci Christum. Sed ne turbemini de inexspectata responsione. Neque enim meus hic est sermo, sed patrum nostrorum admirandorum insigniumque virorum. Si enim multa subobscure ab initio locutus est, Filium hominis sese vocans, nec ubique suam cum Patre aequalitatem clare revelans, quid miraris si hoc etiam adumbravit, magna quadam et mirabili usus oeconomia? Ecquid hic mirabile? inquies. Ut servaret Virginem et a prava suspicione liberaret. Si enim haec Iudaei ab initio audissent, maligne rem interpretantes Virginem lapidassent, atque ut adulteram damnassent. Nam si in aliis, quorum etiam exempla habebant in Veteri Testamento, impudenter palam se gerebant: si quando daemonas eiecit, daemoniacum vocabant, si quia in sabbato curavit, Deo adversarium putabant, etiamsi antea Sabbatum saepe solutum fuisset: quid non dicturi erant, hoc audientes? Etenim pro ipsis pugnasset totum praeteritum tempus, ubi nunquam quid simile gestum fuerat.

1705. Si namque post tot signa illum adhuc Iosephi filium appellabant, quomodo ante illa signa ipsum ex Virgine natum credidissent? Ideo itaque eius genealogia ducitur, Virginemque desponsat. Quando enim Ioseph, vir iustus ed admirandus, multis opus habuit, ut quod gestum erat edisceret, angelo, visione per somnum, et prophetarum testimonio; quomodo Iudaei perversi et corrupti, et illi infensi, hanc excepissent opinionem? Admodum enim illos res tam nova, tam inexspectata perturbatura erat, eo quod progenitorum suorum aevo nihil huiusmodi gestum umquam fuisset. Etenim qui semel credidit illum esse Dei Filium, nihil hac de re ambigere debuit: qui vero illum seductorem et Deo adversarium exi-

Digitized by Google

stimaret, quomodo non hac de re magis offenderetur, qui in illam non deduceretur opinionem? Ideoque apostoli hoc statim ab initio non dicunt, sed de resurrectione multa saepe disserunt, cuius jam exempla fuerant praeteritis temporibus, etsi non huic similia: quod autem de Virgine natus sit, non ita frequenter dicunt; sed neque mater id est ausa proferre. Vide namque quid illi Virgo dicat: « Ecce ego et pater tuus quaerebamus te ». (Luc. II, 48). Nam si illud in suspicionem venisset, neque Davidis demum filius esse creditus fuisset: hac porro sublata opinione, multa alia suboritura mala erant. Propterea ne ipsi quidem angeli illud dicunt, nisi Mariae tantum et Iosepho; cum vero pastoribus fausta nuntiarent, id minime adiecerunt. (Ex hom. 3 in Matth. n. 1)...

1706. Cum itaque progenitores omnes enumerasset, et in Iosephum desiisset, non hic stetit, sed addidit, Ioseph virum Mariae: ostendens se propter illam eius genealogiam duxisse. Deinde ne audiens, Virum Mariae, putares communi naturae lege Christum natum esse, animadverte quomodo ea addat quae opinionem istam corrigant. Audisti, inquit, virum, audisti matrem, audisti nomen puero datum; audi etiam generationis modum. (Matth. I, 18). « Iesu Christi autem generatio sic erat ». Quam mihi, quaeso generationem narras? nam progenitores eius iam dixisti. At volo etiam generationis modum exponere. Viden' quomodo auditorem excitaverit? Nam quasi novi quidpiam dicturus, se modum quoque explicaturum promittit. Et vide mihi optimam dictorum consequentiam. Non enim statim ad generationem venit: sed nos primum edocet, quotus esset ab Abrahamo, quotus a Davide et a transmigratione Babylonis, et diligentem auditorem per haec ad temporum computationem invitat, ostendens hunc esse Christum a prophetis praedicatum. Cum enim generationes numeraveris, atque ex temporis computatione didiceris eumdem ipsum esse, facile excipies miraculum in eius ortu patratum.

1707. Quia enim magnum quidpiam loquuturus erat, quod ex Virgine natus esset, priusquam tempus computet, subobscure loquitur, Virum Mariae dicens, quin et generationis seriem intersecat: insuperque annos enumerat, admonens auditorem, hunc ipsum esse, quem patriarcha Iacob (Gen. XLIX, 10), deficientibus demum Iudaicis principibus, adulturum dixit: quem propheta Daniel (Cap. IX, v. 25-27) post multas illas hebdomadas venturum esse praedixit. Si quis autem voluerit annos illos per hebdomadarum numerum ab angelo Danieli dictos, ab aedificatione urbis enumerans, in ipsius ortum descendere, haec cum illis consentire deprehendet. Dic ergo quomodo natus sit: « Cum esset desponsata mater eius Maria ». Non dixit, Virgo, sed simpliciter, Mater, ut sermo facile caperetur. Ideo cum prius praeparasset auditorem ad aliquid eorum, quae ex more veniunt, audiendum, et in hac cogitatione retinuisset, tunc percellit, rem admirandam subiungens his verbis: « Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Non dixit: «Antequam duceretur in domum sponsi»: intus enim iam erat. Nam mos priscis erat sponsas ut plurimum domi tenere, imo etiam nunc id videre est: et Loti generi cum ipso habitabant. Habitabat ergo et ipsa cum Iosepho.

Cur Maria non ante sponsalia conceperit. Spiritus operatio in Virgine non exploranda.

1708. Sed cur non ante sponsalia concepit? Ut, quemadmodum dixi, res occultaretur, et ut Virgo pravam omnem suspicionem effugeret. Quando enim ille, qui plus quam omnes zelotypia corripi poterat, videbatur eam non modo non traducere, nec inhonorare, sed etiam in consortium accipere, ipsique ministrare praegnanti, palam est eum non sic facturum, nisi persuasum habuisset eam ex Spiritu Sancto concepisse; alioquin illam nec apud se retinuisset, nec in aliis suo ministerio dignatus esset. Apposite autem et illud adiecit, « Inventa est in utero habens »; id quod dici solet in rebus stupendis, quae praeter spem et exspectationem omnem accidunt. Ne igitur ultra procedas, ne quid quaeras ultra ea quae dicta sunt, neque dixeris, Quomodo Spiritus Sanctus id ex Virgine operatus est? Si enim natura operante nemo potest formationis modum explicare, quomodo Spiritu mirabiliter agente, poterimus haec explanare? Ne enim evangelistam vexares et importunis quaestionibus exagitares, ipse enuntiato miraculi auctore sese his omnibus liberavit. Nihil ultra scio, inquit, nisi hoc a Spiritu factum esse...

Iosephi Mariae viri laudes.

1709. « Iustus ergo cum esset », id est, benignus, moderatus, « voluit occulte dimittere eam ». Ideo id quod contigit enarrat ante notitiam datam, ut ne fidem deroges iis quae re cognita gesta sunt. Certe si talis illa fuisset, non modo digna erat quae traduceretur, sed etiam illam supplicio affici lex iubebat. Verum Ioseph non modo ei quod maius, sed etiam ei quod minus erat consuluit,

Digitized by Google

nempe pudori. Non modo enim punire nolebat, sed ne traducere quidem. Vidistin' philosophum virum, et tyrannico illo affectu vacuum? Nostis enim quantus morbus sit zelotypia. Quamobrem is qui id probe sciebat dixit: « Plenus zelo est furor viri eius; non parcet in die vindictae » (Prov. VI, 34); et, « Dura sicut infernus aemulatio » (Cant. VIII, 6). Certe multos novimus, qui malint animam amittere, quam in zelotypiae suspicionem incidere. Hic porro non mera suspicio erat, cum uteri tumor rem palam faceret. Attamen ita erat ab hoc animi morbo liber, ut ne in minimis quidem vellet Virgini moestitiam inferre. Quia ergo illam intus apud se retinere per legem non licere videbatur, traducere autem illam et in iudicium trahere, id necessario erat ad mortem tradere: neutrum fecit, sed supra legem iam se gerere coepit. Oportebat enim iam adveniente gratia, multa signa adesse sublimis huiusce instituti. Quemadmodum enim sol, nondum radios ostendens, eminus tamen partem maximam orbis illustrat: sic quoque Christus ex utero illo exoriturus, antequam egrederetur, orbem totum illuminavit. Idcirco vel ante partum prophetae exsultabant, et mulieres futura praedicebant, et Ioannes nondum e vulva egressus, ab utero exsultabat.

1710. Hic itaque multam Ioseph ostendit philosophiam: neque enim accusavit illam, neque exprobravit illi, sed dimittere tantum cogitabat. In hoc rerum statu, et in hac negotiorum difficultate, advenit angelus qui anxietatem omnem tollat. Quaerendum autem est cur angelus non ante venerit, quam vir ille haec in animo versaret, sed cum haec ille cogitaret, tunc venerit: nam ait: 20. « Haec illo cogitante, angelus venit », quamquam etiam antequam illa conciperet, nuntius accesserit, unde etiam alia quaestio oritur. Nam etsi angelus viro non dixerat, cur Virgo tacuit haec ab angelo audita, et cum Sponsum suum anxium videret, non eius anxietatem sustulit? cur ergo antequam ille turbaretur, angelus non rem illi aperuit? nam operae pretium est priorem quaestionem primo solvere. Quare rem illi non aperuit? Ne dicto fidem negaret, et idipsum accideret illi quod Zachariae. Nam re oculis percepta, facile erat tunc credere: cum autem nondum coepisset, non facile credi poterat. Ideo id angelus initio non dixit, et Virgo eadem de causa tacuit. Neque enim putasset sibi rem incredibilem nuntianti a Sponso fidem esse habendam; imo timuisset se illum in iram concitaturam esse, quasi admissum peccatum tegentem. Si enim etiam ipsa quae tantam gratiam perceptura erat, humanum quid passa est et dixit: « Quomodo fiet istud, quoniam viro non cognosco »? (Luc. I, 34) multo magis ille dubitasset: cum maxime id audisset a muliere hinc sibi suspecta.

1711. Ideo Virgo quidem nihil ipsi dicit, angelus vero tempore congruenti advenit. Quare, inquies, idipsum erga Virginem non fecit, nec post conceptionem ipsi rem nuntiavit? Ne in perturbatione magna foret. Nam timendum erat ne illa rei veritatem non clare sciens, de se quid acerbum decerneret, neu dedecus non ferens ad laqueum vel ad gaudium properaret. Admiranda quippe Virgo erat, eiusque virtutem declarat Lucas cum ait, eam quando salutationem accepit, non statim gaudio perfusam fuisse, nec dicta suscepisse; sed turbatam quaesivisse qualis esset ista salutatio. Quae autem sic comparata erat, moerore confecta fuisset, rei infamiam secum reputans, nec sperans posse se quempiam audientium ad credendum inducere, quod id non ex adulterio profectum esset. Ne itaque id eveniret, ante conceptionem venit angelus. Etenim oportebat imperturbatum esse uterum illum, in quem omnium Creator ingressurus erat, et omni tumultu vacuam animam illam, quae mysteriorum tantorum ministra futura erat. Propterea Virgini ante conceptionem, Iosepho autem, cum gestaret uterum Virgo, loquutus est. Quod multi simpliciorum non intelligentes, hic dissonantiam esse dixerunt: quoniam Lucas dixit Mariae nuntium venisse, Matthaeus autem Iosepho: non advertentes utrumque gestum fuisse.

1712. Id quod etiam in omnibus historiis observandum est: sic enim multas dissonantias, ut quidem putantur, expediemus. Venit itaque angelus, perturbato Iosepho. Nam et propterea quae supra dicta sunt, et ut eius philosophia appareret, adventum suum differt. Cum vero res iam esset implenda, advenit demum. Haec autem eo cogitante, angelus in somnis apparuit Ioseph. Viden' viri moderationem? Non modo non punivit, sed nemini dixit, ac ne illi quidem quae in suspicionem veniebat; sed rem secum cogitabat, et secessus, causam Virgini obtegere studebat. Neque enim dixit ipsum voluisse illam eiicere, sed dimittere: usque adeo benignus et moderatus vir erat. Haec autem cogitanti in somnis apparet angelus.

1713. Et cur non aperte, ut pastoribus et Zachariae visus est, necnon etiam Virgini? Admodum fidelis vir erat, neque egebat tali visione. Nam Virgo, cui annuntiabatur res tanta, et longe maior quam Zachariae, etiam ante rem ipsam egebat mirabili quadam visione: pastores vero, utpote

Digitized by Google

qui agrestiores essent, apertiore visione opus habebant. Hic autem post partum, cum prava suspicione animi teneretur, et paratus tamen esset ad bonam spem facile reduci, si quis hac in re dux illi appareret, revelationem accipit. Ideo post suspicionem adest bonus nuntius, ut hoc ipsum illi foret vera dictorum demonstratio. Cum enim nemini dixisset, sed animo solum haec cogitasset, et hac de re loquentem angelum audiret, indubitatum ipsi signum erat, angelum a Deo iussum, haec dictum venisse : ipsius enim solius est cordis arcana scire. Vide itaque quanta efficiantur ; viri philosophia ostenditur, et illud opportune ab angelo prolatum ad fidem eius firmandam confert, dictumque ipsum sine suspicione manet, quod ostendit ipsum ea passum esse, quae vir quivis iure pati poterat.

1714. Quomodo autem fidem ipsi facit angelus ? Audi et mirare dictorum sapientiam. Accedens ait : « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Statim Davidem in memoriam revocat, unde nasciturus erat Christus ; neque sinit illum turbari, dum per maiorum nomen promissionem universo generi factam in memoriam revocat. Sed cuius rei gratia filium David ipsum appellat ? Ne timeas : quamquam alibi Deus non ita fecit ; sed quodam de uxore Abrahae secus quam oportuerat cogitante, terroribus minisque in loquendo usus Deus est ; etiamsi ibi quoque res per ignorantiam fieret : neque enim rerum gnarus ille Saram acceperat : attamen perterrefecit eum ; hic autem mitius agitur. Ingens enim erat rerum quae agebantur magnitudo, magnumque inter virum utrumque discrimen : quapropter non erat increpatione opus.

1715. Cum autem dixit «Ne timeas», declarat ipsum metuere ne Deum offendat, si adulteram uxorem habeat ; ita nisi hoc fuisset, illam dimittere ne cogitasset quidem. Illis igitur omnibus declaratur, a Deo venisse angelum, qui omnia quae cogitavit et animo passus est Ioseph, in medium attulit et exposuit. Virginis autem pronuntiato nomine, non hic stetit, sed addidit, « Coniugem tuam » quam non ita vocasset, si vitiata fuisset. Coniugem vero hic sponsam vocat : quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos, ante nuptias. Quid vero significat illud, « Accipere » ? Domi retinere : iam enim illam animo dimiserat Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes : tradit autem non ad nuptias, sed ut cum illa habites ; tradit porro per vocem meam. Ut illam postea Christus tradidit discipulo, ita et nunc Iosepho traditur. Deinde rem obscure indicans, pravam suspicionem non memoravit, sed honestiore congruentioreque modo conceptionis exposita causa, illam sustulit, ostendens eum, propter eamdem ipsam causam, qua timebat et illam dimittere volebat, iure illam recipere et retinere debere : sicque ex abundanti eius moestitiam resolvit. Non modo, inquit, illicito congressu pura est, sed etiam supra naturam uterum gestat. Ne igitur metum ponas tantum, sed in magnam erumpe laetitiam : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Stupendum dictum, humanam cogitationem superans, legesque naturae transcendens.

1716. Quomodo igitur credet vir tales non expertus narrationes ? A praeteritorum, inquit, revelatione. Ideo omnia quae mente cogitabat, revelavit, quae passus est, quae timuit, quae facere meditabatur, ut illis in medium adductis, etiam his fidem haberet ; imo non ex praeteritis tantum, sed etiam ex futuris ad credendum illum inducit. « Pariet autem, inquit, filium, et vocabis nomen eius Iesum ». Ne putes enim quia ex Spiritu Sancto est, te ideo alienum esse a ministerio oeconomiae illius. Etiamsi enim nihil ad generationem conferas, sed intacta Virgo maneat ; attamen quod est patri proprium, etsi virginitatis dignitatem non labefactet, hoc tibi confero, ut nato nomen imponas. Tu enim vocabis illum. Etsi namque filius tuus non sit, tu paternam erga illum geres curam. Ideo vel ab ipsa nominis impositione, nato te parentis loco adiungo. Deinde ne quis ideo eum patrem esse suspicaretur, audi quam accurate sequentia ponat : Pariet, inquit, filium ; non dicit, Pariet tibi ; sed indeterminate posuit : non enim ipsi peperit, sed universo orbi.

1717. Ideoque nomen eius ex coelo detulit angelus, hinc ostendens mirabilem esse partum, quod Deus ipse nomen eius de coelo per angelum Iosepho miserit. Neque enim ipsum casu et sine causa datum fuit, sed est mille bonorum thesaurus. Idcirco ipsum angelus interpretatur, optimamque spem offert, et hac ratione fidem ipsi conciliat : nam propensius inclinamur ad res huiuscemodi ; ideoque illis facilius credimus. Cum igitur ex omnibus ad fidem ei habendam praeparasset, ex praeteritis, ex futuris et ex praesentibus, necnon ab honore ipsi debito, inducit prophetam, opportune his omnibus calculum dantem. Priusquam vero ipsum inducat, bona per ipsum orbi conferenda praenuntiat. Quaenam illa sunt ? Ereptio a peccatis ; ipse « enim, inquit, salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

1718. Hic quoque stupendum quidpiam indicatur. Non enim a bellis sub sensum cadentibus, non a barbaris, sed quod longe maius erat, a peccatis liberandum populum ipsius an-

Digitized by Google

nuntiat: id quod nemo ante facere potuerat. Et qua de causa, inquies, « Populum suum » dixit, neque gentes adjecit? Ne statim auditorem percelleret. Alioquin vero intelligentia praeditus auditor hic gentes quoque subindicari perspicit. Populus enim eius sunt non Iudaei tantum, sed omnes qui accedunt, et eius doctrinam cognitionemque suscipiunt. Animadverte autem quomodo eius dignitatem nobis aperuerit, populum suum appellans populum Iudaicum. Hoc enim nihil aliud significat, quam eum, qui natus est, esse Filium Dei, ac de Rege superno sermo ipsi est. Neque enim alia potestas peccata remittere valet, nisi ea quae ad illam substantiam pertinet. Quoniam igitur tantum accipimus donum, nihil non agamus ne tantum beneficium dehonestemus. Si enim ea quae ante hunc honorem gesta sunt, digna ultione erant, multo magis post ineffabile illud beneficium. (Ex Homil. in Matthaeum IV, n. 1-7).

1719. **Hymnus III.**

Ioseph anxietate deposita, Mariam ducit uxorem

Clandestinis puellam toris
Novam gravedinem fecisse
Ille sapiens opinatus Ioseph,
Clam extrudere volebat.
Amicus enim erat aequitatis,
Unde nec puellam coarguit;
Mortis volens violentae
Mariae fugam praebere.
Vilia mentem cogitanti
Dulcis accessit somnus,
Tunc quoque minister Dei
In somniis dicebat iusto:
Vituperio ex mente repulso,
Mariam ducas coniugem,
De Spiritu namque ista
Sancto infantem pariet.
Vituperio vero statim abiecto.
Mariam in aedes ducit,
Ut virginem servaret
Innuptam vocans uxorem.

S. Sophronius, in Deiparae annuntiat.

1720. **Memento.** — « Haec autem eo, S. Iosepho, cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, non viri alicuius opera, sed de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

Hic primum divinae providentiae fidelitas est perpendenda, quae suorum afflictionibus leniendis, postquam ad culmen illae pervenisse nec humana media valere videntur, divinis adhibitis consulit. Videns enim S. Iosephum in gravissimo negotio haerere, nec posse humanis viribus causam attingere, qua eius Sponsa concepisset, Angelum suum misit, qui rem totam suavissime ei revelaret. Nam et proprio eum compellavit nomine, et familiae cognomen expressit, « Fili David », quo, in memoriam revocata Davidi a Deo facta promissione, quod ex eius familia Messias venturus esset, attentior ad reliqua audienda redderetur: ac propterea adiecit: « Ne timeas », ut scrupulum anxietatemque, qua turbabatur, deponeret (quod Angelorum bonorum est proprium); Virginem de Spiritu Sancto concepisse, ut conceptam suspicionem repelleret tantaeque Virginis honorem tueretur; demum, quo totum eius moerorem in gaudium verteret, conclusit: « Pariet autem Filium », cuius ipse tantam esset curam habiturus, ac si proprius ipsius filius esset, ac propterea ipsi incumbere, nomen Iesu illi imponere, quod Salvatorem significat. Erat enim mundi Salvator futurus. Quae omnia ita clare distincteque Angelus revelavit, ut mox integram fidem S. Ioseph adhibuerit.

Facile hinc ad S. Iosephi gaudium, ex ea revelatione ortum, considerandum gradus fiet. In eum enim illud apud Iob optime quadrat: « Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer ». Quantum illud fuit gaudium, a tali suspicione se liberum videre! licet nonnihil eum subpuderet, quod locum ei aliquem, quamvis ex ignorantia et absque culpa aliqua, dedisset. Quam vero cautus evaserit, ne de quoquam male suspicaretur! quam Deo gratus ob Sponsam adeo sanctam tantaeque dignitatis sibi concessam et ob officium sibi curatoris talis Filii commissum! Ac demum, quanto perfusus fuerit gaudio, cernens mundi redemptionem iam in proximo esse! (Ven. Ludovic. De Ponte, p. II, Medit. XIV).

IV. — Homilia S. Augustini Episcopi.

DE MATRIMONIO B. M. V. CUM S. IOSEPHO. DE HAESITATIONE S. IOSEPH. IOSEPH PATER CHRISTI QUOMODO.

Opera, locis citat. infra.

Mutuum continentiae votum coniugium non dirimit. Verum coniugium inter Mariam et Ioseph. Ioseph quomodo pater Christi. In matrimonio Mariae et Ioseph omnia fuere coniugii bona.

Quibus vero placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur! imo firmius erit, qua magis ea pacta secum inierint, quae charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Ioseph, « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». (Matth. I, 20). Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commistio. Erat quippe illa Virgo ideo et sanctius et mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fe-

Digitized by Google

cunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa Mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux Matris eius, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater sola mente, sive illa Mater et carne, parentes tamen ambo humilitatis eius, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur: « Et erat pater eius et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo ». Et alio loco: « Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem ».

1722. Item paulo post: « Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». At ille ut ostenderet habere se praeter illos patrem, qui eum genuit praeter Matrem, respondit eis: « Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? » Et rursum, ne hoc dicto parentes illos negasse putaretur, evangelista secutus adiunxit: « Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis ». (Luc. II, 33, 41, 48-51) Quibus autem subditus, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi Iesus Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo? Cur ergo illis subditus, qui longe infra formam Dei erant, nisi quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens (Philip. II, 6, 7), cuius formae parentes erant? Sed cum illo non seminante illa peperisset, profecto nec ipsius formae servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commistione coniuges essent. Unde et series generationum, cum parentes Christi connexione successionis commemorantur, usque ad Ioseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda (Matth. I, 16, et Luc. III, 23); ne in illo coniugio, virili sexui utique potiori fieret iniuria, cum veritati nihil periret quia ex semine David, ex quo venturus praedictus est Christus, et Ioseph erat et Maria.

1723. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. (De nuptiis et concupisc., cap. 11).

Maria a falsa suspicione Ioseph liberata.

1724. Qui ergo liberavit Susannam mulierem castam, coniugem fidelem a falso testimonio seniorum, ipse liberavit et Virginem Mariam a falsa suspicione mariti sui. Inventa est ergo Virgo illa praegnans, ad quam vir non accesserat. Uterus quidem fetu intumuerat; sed virginalis integritas manserat. Seminatorem fidei fide conceperat. Deum in suum corpus assumpserat, qui eius corpus violari non permiserat: marito tamen tamquam homini venit in suspicionem. Aliunde esse credebat, quod de se non esse sciebat, et ipsum aliunde adulterium suspicabatur. Ab angelo corrigitur. Quare dignus fuit ab angelo corrigi? Quia non in illo erat malevola suspicio: quales Apostolus dicit malevolas suspiciones nasci inter fratres. (I Tim. VI, 4.) Malevolae suspiciones sunt calumniantium, benevolae suspiciones sunt gubernantium. Licet cuiquam de filio male suspicari; sed de filio non licet calumniari: utique suspicaris malum, sed optas invenire bonum. Qui benevole suspicatur, vinci cupit: tunc enim bene laetatur, quando falsum inventum fuerit quod male suspicabatur. Talis erat Ioseph circa coniugem suam, cui corpore non erat mistus, sed tamen fide iam fuerat copulatus. Venit ergo et Virgo in falsam suspicionem: sed sicut pro Susanna adfuit in Daniele Spiritus, sic pro Maria adfuit angelus. Ad Ioseph inquit angelus: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim de ea nascitur, de Spiritu Sancto est ». (Matth. I, 18-20). Ablata suspicio est, quia inventa redemptio est. (Sermo 343).

Dignitas virginalis coepit a Matre Domini. Ioseph quomodo vere pater Christi. Adoptio filiorum. Filii naturales et filii coniugales.

1725. In illo ergo populo quia oportebat fieri abundantem propagationem usque ad Christum, per numerositatem plebis in qua praefigurarentur omnia quae praefiguranda erant Ecclesiae documenta, habebant officium ducendarum uxorum per quas populus cresceret, in quo populo praesignaretur Ecclesia. (Serm. 51, cap. 15).

1726. At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, coepit dignitas virginalis a Matre Domini, quae et Filium habere meruit, et corrumpi non meruit. Sicut ergo erat illud coniugium, et sine ulla corruptione coniugium: sic quod caste uxor peperit, cur non caste maritus acciperet? Sicut enim caste coniux illa, sic ille caste maritus: et sicut illa caste mater, sic ille caste pater. Qui ergo dicit, Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium; libidinem quaerit in procreandis filiis, non charitatis affectum. Melius ille, quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam et qui adoptant filios, castius eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte, fratres, videte iura

Digitized by Google

adoptionis, quomodo fit homo filius cuius semine natus non est; ut plus in eo iuris habeat voluntas adoptantis, quam natura gignentis. Ita ergo non solum debuit esse pater Ioseph, sed maxime debuit. Nam et de feminis quae uxores non sunt, generant homines filios, et dicuntur filii naturales; et praeponuntur eis filii coniugales. Quantum pertinet ad opus carnis, aequaliter nati sunt: unde isti praeponuntur, nisi quia castior est uxoris charitas, de qua liberi procreantur? Non illic attenditur commistio carnis, quae in utraque femina par est. Ubi vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu coniugii, affectu sincerioris castiorisque charitatis? Si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tanto debuit laetius, quanto est illa castior, quam diligit amplius? (Serm. 51, cap. 16).

Ioseph turbatur.

1727. Nescit interea Ioseph Mariae sponsus, quid cum ea egerit angelus. Subito Ioseph intuitu familiari et licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam: vidit in ea tumescentes venas in gutture, et attenuari faciem, postremum vidit eam gressibus gravari; intellexit Mariae uterum gravidari. Turbatur Ioseph homo iustus, quod Mariam quam de templo Domini acceperat, et nondum cognoverat, gravidam sentiebat, et quam non meruerat in coniugii honore, iam haberet in confusione; secumque diu aestuans ac disputans, dicit: Unde hoc contigit? quid evenit? Non cognovi, non tetigi; si non tetigi, non violavi; si non violavi, non gravidavi. Heu! heu! quid contigit? quid, putas, evenit? per quem Maria sic cecidit? quem sibi plus quam me adulantem invenit? ego enim cum licentiam haberem maritalem, ante thorum nuptiarum puellarem non vexavi pudorem. Timui, multumque pertimui, quod in illo Mosaico libro Legis sententiali est verbo praefixum: quod quaecumque virgo paternam domum foedaverit adulterio, morienda lapidibus subiacebit: similiter et vir qui pudoris vestimentum patri non detulerit, coramque testibus replicaverit, pudorisque signaculum non demonstraverit; moriendum et ipsi cum virgine erit. Utrosque ergo libidinarios ac Moyses sententia feriri voluit, simulque adulteros perire mandavit. Sic namque ait: « Auferetis opprobrium de domo Israel; et omnis qui audierit, timebit, et non aget impie » (Deut. XXII, 21, 22). Hanc Moysi sententiam praecavebam, ipsamque luxuriam in meo corpore refrenabam, maxime quia et David filiam esse, et regali me functum sacerdotio praenoscebam. Sed quoniam nihil mirum est, nihil novum, nihil absconsum quod non reveletur, et occultum quod non in publicum veniat, in David regis filia aliquando recolo historiam. David regem in Bethsabee Uriae Cethaei mulierem audacia extulit regalis, nec eum timor terruit maritalis: Mariam David regis filiam cogitatio impulit puellaris, nec eam tenuit terror parentalis. Quid ergo faciam? quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, consilium quaero, nec plenum invenio. Prodo, aut taceo? Quid faciam penitus nescio. Prodo adulterium, aut taceo propter opprobrium? Si prodidero, adulterium quidem non consentio, sed naevum crudelitatis incurro; quia secundum librum Moysi lapidandam esse cognosco. Si tacuero, malum consentio; et cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est; ne per me fiat homicidium, dimittam tacite coniugium. « Cogitavit, inquit, Ioseph, sicut Evangelium dicit, occulte dimittere Mariam coniugem suam » (Matth. I, 19). Cogitavit ut esset alterius, cum iam esset alterius non mentis refragatione, sed fidei conceptione.

Per Angelum Ioseph pacatur. Prophetiae de Maria explicantur.

1728. Sed non timeat Maria David illius magni regis filia quoniam sicut in David veniam contulit sermo prophetalis, sic Mariam liberat angelus Salvatoris. Veni iam, Mater Domini casta, in qua non fuit virilis appetitio, sed Spiritus Sancti adimpletio; quam non violavit Ioseph vir Iudaeus, sed solus impraegnavit omnipotens Deus; quae non es commixta Ioseph Sponso tuo, nec cognita alicui viro, sed soli omnipotenti Deo. Invoca, Virgo sancta, Dominum tuum David patrem tuum, non illum David adulterio fuscatum, et Uriae Cethaei homicidio divulgatum: sed illum dico David forti manu praeliatum, diu cum diabolo altercatum. Surgat Deus in adiutorium tuum; mittat de coelo angelum suum, et visitet in somnis Sponsum tuum. Suspendat iudicium Moyses suum, ne Ioseph vindicet in adulterium tuum. Parat itaque Ioseph animum in tempore, quo Mariam possit occulte dimittere.

1729. Ecce iterum Virginis ille paranymphus, non homo, sed angelus Gabriel ille conspicuus, coeli cursor aequissimus, medio noctis libramine dicit ad Ioseph in visione: Ioseph inquit, fili David, cur tantum tribularis, quid multum contristaris, cur in somno cogitando desudas, cur vigilando tristis ambulas, cur de Maria malam tibi ingeris suspicionem, cum ipsa tibi generatura sit Salvatorem?

Digitized by Google

Aufer zelotypiae animum; qui nascetur ex ea, ipse est qui impraegnavit eam. Ideo enim, Ioseph, tristis est anima tua, quia quaecumque legisti in prophetia, non intellexisti in Maria. Hinc est omnis tristitia tua, quod Sponsam tuam nondum cognoveris, et gravidam sentis, nec aliud in ea nisi adulterium suspicaris. Ioseph, fili David, natus ex genere sacerdotali, non solum sacerdotali, verum etiam et regali, filius Prophetarum, socius Scribarum: ille Deus qui scripsit mirabilia in Lege sua, ipse fecit mirabilia in coniuge tua. Quid autem sunt Dei mirabilia, nisi quae hominibus sunt impossibilia? Mirabilia ergo Dei in Lege non legisti? Quod si etiam legisti, quare non intellexisti? Ipsa certe Lex quam quotidie legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Lege et intellige quod panem in eremo terra produxerit, cuius semen in terra arator nullus induxit. Virga etiam Aaron annis sicca quam plurimis sine aqua revixit, in templo floruit, nucesque clausa sub tecto produxit, Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stilo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu Sancto: et qui produxit panem in eremo sine seminatore, ipse fecundavit Virginem sine corruptione: et qui fecit virgam sine pluvia germinare, ipse fecit filiam David sine semine generare. Postremo, Ioseph filius David, filius Prophetarum, non legisti Isaiam eximium Prophetarum quid dixerit, quemadmodum scripserit, « Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel (Isai. VII, 14)? »

1730. Quod ergo legisti in Libris tuis, aspice in Maria oculis tuis: ut digne dicas canticum David patris tui, « Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri ». (Psalm. XLVII, 9). Accipe ergo Mariam coniugem tuam, semper de ea securus, et in nullo sis sollicitus: quia quod conceptum est in eius utero, non est de peccato, sed de Spiritu Sancto; et qui nascetur ex eius utero, non vocabitur filius Iudaei, sed vocabitur Filius Dei. Habe ergo, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum; quia de virginibus membris Virtus nascitur Angelorum. Sit Maria Sponsa Christi carnis suae virginitate servata; sis autem et tu pater Christi cura castitatis, et honorificentia virginitatis: ut de virginibus membris generetis saeculis christianis sponsum virginitatis et maritum castitatis, communem singulis virginibus et maritatis, in quo nulla sit zelotypia; quia virginitas salutatione impraegnata est in Maria. Magnum meritum virginitatis, fratres. Virginitas Mariae angeli salutatione est impraegnata, a Ioanne de utero est salutata, et generans virginitas Mariae ab Angelis est hodie collaudata, et lactans virginitas Mariae per stellam de coelo est praedicata, et a Magis muneribus honorata. Gaude itaque, Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariae, quia solus meruisti virginale possidere coniugium: quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. (Serm. 195, in Annunt. Dom., inter op. S. Augustini).

1731. Hymnus IV.

Inclytus Mariae Iosephi coniugis partus.

INFUNDE mihi Dei Spiritum,
Maria, iterum tuis precibus;
Ut sobolem etiam digne
Tuam divinam celebrem.
Imperator iussit Caesar
Totius orbis mortales,
Ad urbem patriam profectos
Quam citius describi.
Quare sponsam intactam
Mariam, quae nondum pepererat,
Inclytus consocians Ioseph
In Bethlehem processit.
Loco enim uterque oriundus
Uno, una stirpe atque urbe,
Omnia ex Davide sancto
Qui rex fuit et propheta.
Mariae felix partus omnia salvat.
Mortalium sospitum redemptionem cano.
Mariae inclytus partus
Conspicue omnia salvat.
Hominum redemptionem canto.

(S. Sophronius, in Christi Dom. Nativ.).

1732. **Memento.** — Gratias tibi, Deus aeterne, pro ea cura, quam de utroque isto Sancto gessisti, convertens pro more tuo vallem Achor in pastum et augmentum spiritus eorum; per utriusque merita supplico, ut me dignum facias, qui paternae tuae providentiae fructum percipiam, omnino secure me in medio tribulationum illi committendo, remedium opportunum certo certius allaturae. (Ven. Ludovic. De Ponte, p. II, Medit. XIV).

V. — Sermo S. Procli Episcopi.

DE HAESITATIONE S. IOSEPH.

Orat. III. Laudat. S. Dei Genitricis Mariae.

DISCAMUS quem Iosephi ignoratio sensum habeat. Nimirum nesciebat mysterium quod in Virgine peragebatur: cuius, inquam, miraculi foret minister. Nesciebat prophetarum oraculis praenuntiatum Christum ex desponsata sibi uxore nasciturum. Non noverat Prophetam illum Moysi similem ex puella innupta processurum. Non meminerat potuisse eam effici Dei templum, quae ex

Digitized by Google

mundo erat formata luto. Latebat eum, ex virginali rursus paradiso intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam. Non cognoscebat terrae principem sine semine procreari. Non intelligebat Israeliticam quandoque terram, fructum daturam vivificum: Et terra, inquit, nostra dabit fructum suum », intumuit Mariae uterus, et Iosephi cor sauciatum est. Ventris tumorem vidit, ac castitatis mysterium deploratum omnino habuit.

1734. Inspexit gravidam, et in maximam incidit agitationem. Attendit onustam prole, venitque in mentem fuisse vitiatam. Non est cognitionis defectus, suspectus concubitus, sed incredulitatis contentio. Habet res criminationem, non longanimitatem. Audivit dicentem angelum: « Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam », amplioremque dubietatem meditatur. Non credam, inquit, conceptionem, nisi videro nativitatem. Nisi lumen aspexero, ignorantiae nebulam minime dispellam. Nisi primogenitum oculis ipse cernam, nimis absurdam cogitationem nunquam excutiam. Nisi spiritalem solem elevatum spectavero, haud unquam spiritalem lunam in virginitatis ordine permanere credam. Quid vero? Hanc animo cogitationem foveam, nec ad separationem procedam? Procedam utique. Sic enim, cum ego hominum declinabo convicia, tum ipsa, sancita lege effugiet supplicia. Nam rogo, audiamus, quibus eam verbis affari coeperit cum divino incredulus esset oraculo.

1735. « Procul abi a Iudaica cognatione, quae sis effecta particeps gentilitiae impuritatis ». Tum sacra Virgo, lene respondens gravi adeo increpatione lacessenti: « Vitiatam me cogitas, eo quod tumentem ventre intueris ». Ad haec Ioseph: « Non est honestae mulieris, ut ea sapiat quae sunt aliena a lege pietatis ». Cui sancta: « Qui iudices mores fornicarios, locum purgationis non praebes? » At Ioseph: « Perstas negans, quae sis ita effecta praegnans? » Cui sancta: « Exquire fideliter prophetici oraculi veritatem, exque eo liquido scies conceptionis Dominicae praeclaram novitatem ». At Ioseph: « Nullam pii connubii habuisti rationem? cum non putaveris, ad districtum ratiocinium ventura es ». Cui sancta: « Ergone ex mera damnandam censes suspicione eam, quae nullo vitiata concubitu est? » Ioseph autem: « Videar forte probatae vitae: qui te ergo possim in eorum manus qui sic iudicant, tradere? » Cui sancta: « De hoc me peccato Dominus iudicabit, qui, ut novit ipse, in meum uterum penetravit ». At Ioseph: « Tene turbat indeprecabile hoc convicium? Proba ergo illaesam castitatem ». Sancta ad eum: « Expecta statum infantis in utero tempus, et sanctificatum spectabis partum Dominicum ». At Ioseph: « Putasne tumido isto verborum fastu, meae canitiae sensum circumvenire posse? »

1736. Cui sancta « Nova et incredibilia videntur, scio, isthaec verba, quod perspicias admirabilia illa et inopina facta ». Ioseph autem: « Nolim propter Davidicam cognationem divortium facere, nec rursum vel latum unguem possim a legis accurata ratione discedere ». At sancta: « Crede iam radicem Iesse ultro germinasse immarcescibilem florem vitae ». Ad quam Ioseph: « Acres absurdarum cogitationum impetus propulsabo, cum Domini universorum nativitatem videbo ». Sancta vero: « Te quidem vere uti sponsum propter legem amo; nolim vero ut partus causa temere offendas in Salvatorem ». Cui Ioseph: « Hoc namque veritus ego, huc usque distuli a te recedere ». At sancta: « Condicti memento adventus Domini, ascitamque tibi caveris a maligno incredulitatem ». Ioseph autem: « Tuam illam veritus immensam corporis venustatem, sinistram facile admisi rei suspicionem ». Sancta porro: « Probatum ergo commoda patientiae denarium, quo aeternum regni comparaveris stabulum ». Cui Ioseph: « Computo facile numerabiles complendi temporis dies, qua Dominum ineffabiliter videam factum hominem ». At sancta: « Tunc, o Ioseph, omnium ore beati praedicabimur, cum universorum Conditoris parentes nominabimur ».

1737. Tunc demum Ioseph, quaenam esset Virgo certo comperit, cum etiam quisnam esset qui natus erat, ab angelo didicit. « Surgens » enim, inquit, « accipe puerum, et matrem eius » Non iam amplius dicit, « Coniugem tuam. Qui potest capere capiat ». Tunc animi timiditatem excussit, cum angelici chori tripudium vidit. Tunc beatum edixit uterum, cum stellam consideravit. Tunc carnalium nuptiarum cogitationes abiecit, cum Magorum orientis thesauros accepit. Tunc se ipse deplorabat, cum Simeon infantem gestabat, atque ut Deum glorificabat: quamque prius quasi incontinentem aversabatur, eam postea ut pudicam et castam complectebatur: cui ut impudicae conviciabatur, huic ut irreprehensae ac inculpatae habebat laudem: quam ut profanam repellebat, supplex ut illibatam observabat: quam ut impudentem protrudebat, ut piam ac religiosam sibi vindicabat: quam publice maenadem vocitaverat, ut agnam sanctam obsecrabat.

1738. Ita plane Ioseph: Non cognoscebat dispensationis mysterium, donec Virgo peperisset Dominum. Haesitavit anceps de incorrupta castitatis arbore, donec illa fructum

Digitized by Google

salutis germinasset. Non exaruit in eo corruptionis suspicio, donec laetae segetis manipulus ad maturitatem venisset. Nihil ignoratio eiusmodi viro iusto crimini est; nec ullo modo est reus, quod ignorans divinam incusaverit conceptionem. Cuius enim Deus iustitiam testimonio approbat, ei quis insipientiae crimen inferat? Adeo enim erat humana mente incomprehensibile sacramentum, adeoque mirabile arcani partus miraculum: quando et sancta ipsa Virgo Deum gestabat Verbum, ancepsque animi erat de angeli verbo: gaudebat intus de incarnato ex ipsa; eique qui foris alloquebatur, contradicebat: complectebatur thesaurum vitae, vocemque salutationis animo volvebat.

1739. **Hymnus V.**

Fortunate Ioseph!

Quem patres Christum veteres futurum
carne sperabant hominis videre,
illius Ioseph meruit sacrata.
tangere membra.
Custos hic clausi fuit alter orti,
velleris sicci Gedeone visi,
flammei dumi, pia plectra vatum
quae cecinere.
Laus Deo Patri Genitoque, Sancto
Flamini cum parthenia Maria,
educatori Ioseph atque prolis
Virginis almae.

(Morel, p. 147).

1740. **Memento.** — « Exsurgens autem Ioseph a somno fecit, sicut praecepit ei Angelus Domini, et accepit coniugem suam; et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum », multo vero minus post partum. In quo non tam consideranda est S. Iosephi obedientia (neque enim magnum erat, sponsam adeo eximiam in domum suam deducere), quam adhibitus in eo modus: reverentia, inquam, illa, qua Beatam Virginem deduxit, similia forte illis S. Elisabethae usurpans verba: « Unde hoc mihi, ut matrem Domini mei » in domum meam deducam! O quanto ampliorem erga eam amorem conceperit! quantam eius curam gesserit! quam sanctos invicem miscuerint sermones! quanta vitae plus quam angelicae inter eos puritas! quanta voluntatum conformitas! quanta Virginis erga Sponsum tamquam caput subiectio! Tunc particularia omnia, quae vel ab Angelo in annunciatione acceperat, vel in Zachariae domo contigerant, ei procul dubio aperuit; iam enim erat loquendi tempus, ut de tota mysterii serie Ioseph plene edoceretur ad eius gloriam, qui illud erat operatus. O felicem Iosephum, cui talis obtigit sponsa! O felicem animam, quae, utrique serviens, eorundem obedientiam discit et charitatem! O terrestres Seraphini, aeque ac coelestes illi puri, qui vestris alis ad voluntatem Dei amplectendam velociter volatis, accendite cor meum huius Domini, quem tantopere vos diligitis, amore, ut eidem obediens, sicut vos, meos etiam fratres ea charitate diligam, qua vos mutuo dilexistis. (Ven. Ludovic. De Ponte, p. II, Medit. XIV).

VI. — Sermo S. Petri Chrysologi.

IOSEPH CUSTOS PUDORIS MARIAE.

Sermo 145.

Audituri estis hodie, fratres, quemadmodum nobis beatus evangelista generationis Christi retulit sacramentum. Christi, inquit, generatio sic erat: « Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto: Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ». (Matth. 1). Et quomodo iustus, qui conceptum sponsae duxit non discutere? Suspecti non exquirit causam pudoris coniugii famam non vindicat, sed requirit? Voluit occulte dimittere eam. Hoc pio magis videtur convenire quam iusto; sed humano iudicio, non divino. Penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia; coelesti sensu sine bonitate aequitas, sine aequitate bonitas non habetur. Virtutes si separatae fuerint, dilabuntur; aequitas sine bonitate saevitia est, et iustitia sine pietate crudelitas. Ioseph ergo merito iustus, quia pius; et pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum causam temperat, iudicium custodivit; dum vindictam differt, crimen evasit; dum refugit accusatorem, fugit sententiam. Aestuabat animus sanctus negotii novitate perculsus, stabat sponsa praegnans sed virgo; stabat plena pignore, sed non vacua pudore; stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secura; stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa.

1742. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiae testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus quod evenerat continere. Cogitat dimittere, et dicit Deo totum, quia quod homini diceret non habebat. Et nos, fratres, quoties res turbat, fallit species, facit color negotii interna nescire, declinemus iudicium, subtrahamus vindictam, sententiam fugiamus, dicamus Deo totum, ne dum facile innocentum forte gestimus in poenam, ipsi nobis noxiam sententiam proferamus, dicente Domino: « In quo iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis » (Matth. VII). Certe si nos tacuerimus, clamabit Deus, respondebit angelus, qui Ioseph, ne innocentiam desereret, sic praevenit: « Ioseph,

Digitized by Google

inquit, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Ioseph fili David. Videtis, fratres, in persona genus vocari, videtis in uno totam prosapiam nuncupari, videtis in Ioseph seriem Davidici stemmatis iam citari. Ioseph fili David. Vicesima octava generatione natus, quomodo David filius dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur, superna conceptio coelestis partus virginea iam signatur in carne?

1743. « Ioseph fili David ». Tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris: « Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuum ». (Psal. CXXXI). Quod factum quidem tali gloriatur in cantico: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis ». (Psal. CIX). « De fructu ventris tui » bene fructus ventris tui, bene de utero, quia coelestis hospes, supernus habitator sic in uteri descendit hospitium, ut corporis claustra nesciret; sic de habitaculo ventris exiit, ut virginalis ianua non pateret, et impleretur illud quod cantatur in Cantico Canticorum: « Hortus clausus, soror mea sponsa; hortus clausus, fons signatus ». (Cant. IV).

1744. « Ioseph fili David, noli timere ». Sponsae causas sponsus ne timeat admonetur; et vere pius animus dum compatitur, plus pavescit. « Ioseph fili David, noli timere ». Ne cum de conscientia securus sis, de sacramenti cognitione succumbas. « Ioseph fili David, noli timere ». Quam vides virtus est ista, non crimen; hic non humanus lapsus est, sed est divinus illapsus; hic praemium est, non reatus; hic incrementum coeli est, non corporis detrimentum; hic non est proditio personae, iudicis est secretum; hic palma cognitoris est, non supplicii poena; hic hominis furtum non est, thesaurus est Dei; hic non est mortis causa, sed vitae. Et ideo noli timere quia quae vitam parturit, non meretur occidi. « Ioseph fili David, noli timere Mariam coniugem tuam accipere ». Sponsam vocari coniugem legis est hoc divinae: sicut ergo manente virginitate mater est, ita coniux dicitur pudore permanente. « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ».

1745. **Hymnus VI.**

Iosephi excelsae celebrentur virtutes.

CHRISTUS ecclesiae dilectus sponsus,
ad nos venit sic absconsus,
quod totum mundum latuit.
Sic volens pro nobis incarnari
atque Matrem suam desponsari
Sancto Ioseph disposuit.
Ioseph sacrum mysterium nescit,
quare vehementer obstupescit,
dum venter tumescit
Mariae virginis.
Sed in somnis edocetur
quod hoc opus operetur
virtus Sacri Flaminis.
Ioseph iustus et quietus,
fide promptus, vultu laetus,
iussis angeli obediens.
Sponsam suam veneratur
eique devote famulatur,
in adversis patiens.
Sicut patet per scripturam,
Pater, Christi propter curam
servavit pudicitiam.
Iesus Ioseph honoravit
et cum ipso habitavit
per totam suam infantiam.
O laus magni tanti viri,
cuius actus sunt tam miri
et praecelsi meritis.
Iesus sibi deservivit
sibi subiectus secum ivit,
sequens eum in Ægypti semitis.
Ioseph, Mariae defensor,
derogantium deprehensor
et custos fidelissimus,
Nunquam verbum querulosum
iracundum aut vitiosum
fatur vir castissimus.
O quam felix hic conventus,
ubi omnium concentus
tam excelsus est inventus,
vivunt quia regulariter!
Iesus, Ioseph cum Maria
vivunt simul laude pia,
obsequuntur sibi in via
ad invicem humiliter.
Sancte Ioseph, tu probatus
et virtutibus ornatus,
ideo fulges iam in coelo coronatus
cum electis patribus.
Cum Maria, Matre Christi,
ipsum roga quem nutristi,
ut nos protegat a morte tristi
et vobis iungat in coelestibus.

(Ms. S. Gallens, n. 546).

1746. **Memento.** — Nec illud moveat, quod ait: « Quia Ioseph accepit coniugem suam, et profectus est in Ægyptum » (Matth. I, 24); desponsata enim viro coniugis nomen accepit. Cum enim initiatur coniugium (27, q. 2. Cum initiatur, 1 et 2), tunc coniugii nomen adsciscitur, non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admistione cognoscitur. Quod autem fuit desponsata connubio, licet alibi plenius dixerimus,

Digitized by Google

libare nunc satis est causam coelestis mysterii; ut ab his qui Mariam gravi utero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatae partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos de sua generatione, quam de Matris pudore dubitare. (S. Ambrosius, De instit. Virg.).

VII. — Sermo S. Germani Patriarchae Constantinopolitani.

DIALOGUS S. IOSEPH CUM B. M. V.

In SS. Dei Genitricis Annuntiat.

IOSEPH. Immaculatam accepi te e domo Domini, teque virginem impollutam domi reliqui: quid hoc ergo quod nunc video, matrem inexspectato, non virginem? dic, Maria; mihi cito quid res habeat, edicito.

1748. « Deipara ». Immaculatam, ut ais, me domi reliquisti; rursumque, puto, impollutam me invenisti: quippe quae ab infantia oderim tunicam carnis sordibus inquinatam, ac in qua vestigium ullum turpis libidinis sit.

1749. « Ioseph ». Time, Maria, tribunal iudicis, severum, inquam, illud concilium, Iudaeorum nimirum Synagogae, quod decipi nequit, iudicium, mihique palam edicito; ne me celaveris quae sunt eventura.

1750. « Deipara ». Tribunal ac iudicium incommutabile futuri aevi, o Ioseph, time, ubi ipsi quoque tremunt angeli, qui nunquam peccavere: de terreno autem rege ac tribunali nulla tibi sit ratio.

1751. « Ioseph ». Scriptum est in lege Moysi hoc modo: « Si quis invenerit virginem, et vim faciens concubuerit cum illa, dabit homo ille patri puellae quinquaginta didrachmata ». Quid ergo ad haec facies?

1752. « Deipara ». Scriptum est in prophetis: « Dabitur signatus liber viro scienti litteras, et dicet: Non possum illum legere: » certe enim, ut puto, prophetia haec de te dicta fuit.

1753. « Ioseph ». Prode, Maria, meae domus insidiatorem: produc in medium eum, qui stuprum fecit, ut fabrili gladio eius auferam caput, eo quod ille meos probro affecerit canos, sitque futurum, ut me deinceps duodecim tribus Israel subsannent.

1754. « Deipara ». Iustus es, ac sine crimine, ac verisimile puto, ut Deus meus tibi revelet quae mihi eventura sunt, ipsumque in somnis ostendat, quem insidiatorem dicis. Ego enim non consuevi ad illius celsitatem provehi.

1755. « Ioseph ». Citius excede domo, atque ad novum amatorem abi. Amodo non alam: non comedes mensae meae panem, eo quod tristitiam probrumque, loco gaudii, canis meis intuleris.

1756. « Deipara ». Modicum, o Ioseph, exspecta, nec me occulte a domo tua amandaveris; eo quod non moris sit peregre diversari, nec sciam neque ad dexteram, neque ad sinistram: nec plane noverim quo iam eam, aut ad quem confugiam.

1757. « Ioseph ». Quae vitae ac mortis media posita sis, mihi, Maria, edicito quid res habeat. Quisnam ille sit, qui me est depraedatus. Declara mihi eum, qui tecum est congressus. Expone cuiusnam ille exsistat dignitatis: dic qua sit ortus civitate, ut eo me conferens, hominem ad nihilum redigam.

1758. « Deipara ». Vivit Dominus, quia munda sum, et virum non cognosco: qui enim mihi apparuit, angelus Domini, ut quidem arbitror, hominis habitu fuit: ac reverenter modesteque velut ab spatio aliquo exsurgens, stansque, sic meam submisse allocutus est humilitatem.

1759. « Ioseph ». Veniet super te, quin et super me sene violatarum nuptiarum crimen, inexspectataque spretio ab iis qui haec iudicant: ambosque deinceps coarguet, tametsi nolimus, redargutionis aqua.

1760. « Deipara ». Audisti etiam Elisabeth Zachariae coniugem, ac cognatam meam, circiter tempus hoc, praeter spem prophetam concepisse, ac Praecursorem. Nisi enim esset propheta, haudquaquam exsultando, Dominum in me absconditum adoraret.

1761. « Ioseph ». Miror de te, ac vehementer stupeo; sicque late nomen tuum filiis Israel celebratum esse: ac Adonai Dominus ad nihilum me rediget, quod a Spiritu Sancto, exque sacro domicilio ad custodiam te accipiens, virginem uon servaverim.

1762. « Deipara ». Tribulationis me dies comprehendit, exque suspicione mihi est impactum crimen, urgetque sponsi inquisitio, ac accusat, quam prolem in utero gesto; quique angelus mihi dixit: « Ave »: forte absconditus est; nec iam scio quid cogitem.

1763. « Ioseph ». Vidi tuum uteri prius sanctificati partum, totusque omnino contremui. Nam, rogo, quo te loco occultabo, ac ubi te prodam? quave ratione Iudaeorum concilium latere quibo? Abi ergo a domo mea; cito abi.

1764. « Deipara ». Ecce pellis me, Ioseph, a tua domo, nec scio iam quo pergam. Revertar in domum sacri sanctuarii, an ad parentes redeam? At qua facie in eos aspiciam?

1765. « Ioseph ». Quanquam taceam ego tuum peccatum, at lapides clamabunt: Sanctaque sanctorum exerta contestabuntur

Digitized by Google

voce, quod te ad custodiam a delecto eius acceperim sacerdote, nec virginem tamen servaverim.

1766. « Deipara ». Occultabo me deinceps in una aliqua spelunca meae Bethlehem, ac exspectabo legitimum mei partus tempus, sciamque quisnam ex me nasciturus sit. Fore enim spero ut Dominus respiciat humilitatem meam.

1767. « Ioseph ». Dic mihi palam, quisnam ille peregrinus ac viator fuerit, qui in domum nihil indicando advenit, velut quis explorator, praesertim me absente, ac cum intra muros urbis Nazareth non essem.

1768. « Deipara ». Cur hydriam accepissem ut irem ad fontem haurire aquam ad potum, ingressa est vox silentio in aures meas dicens: « Ave, gratia plena: Dominus tecum ».

1769. « Ioseph ». Num vero ex auditu concepisti? A saeculo non est auditum, ut virgo viri expers ex sola verborum voce aliquando conceperit: nec patres nostri nobis annuntiarunt, eiusmodi aliquid factum esse in diebus antiquis.

1770. « Deipara ». Nunquid non scriptum est in prophetis: « Quia virgo concipiet in utero, et pariet nobis puerum? » Num potes dicere prophetas esse mentitos? iam falleris, o Ioseph, nimisque insanis.

1771. « Ioseph ». Nunc, Maria, dicam, Evae te vestigia matris tuae fuisse secutam. Verum illa quidem paradisi domicilio pulsa fuit, quod susurranti aures aperuisset: tu autem a domo mea tanquam rea exturbaberis.

1772. « Deipara ». Nunc tanquam alienigena quidam, ac accusator congressus increpasti; non quasi reginam alloqueris: clamque e civitate in civitatem persequeris: quid vero deinceps excusans respondeam?

1773. « Ioseph ». Novitate turbabit partus, ut quidem puto, nedum me, sed et angelos, et homines, nec ii habebunt fidem. Quis unquam audivit virginem puerum peperisse, maxime nulla viri consuetudine?

1774. « Deipara ». Turbabunt te, scio, verba haec novitate, mentemque tuam mystici partus mirabile sacramentum in stuporem vertet: haud tamen ego illatae mihi calamitatis causa fui, quippe quae ab infantia Domino Creatori meo servire consuevi.

1775. « Ioseph ». Nonne tibi dixi, ut mihi eum ostenderes qui domui meae est insidiatus, teque ipse liberarem ab hoc crimine? Nonne dixi, ut cito ad amatorem tuum abires? Quid ergo deinceps spe praesumis?

1776. « Deipara ». Non novi liquido quibus ille moretur locis. Nam et ego revera ipsum invenire vellem: gratiis omnibus temperatam libens eius aspicerem pulchritudinem, ac sermones cum eo miscerem; quippe cum mihi ille Ave dixerit, agamque modo in tristitia.

1777. « Ioseph ». Quomodo non inhorrescam, ac facie confundar, quod te virginem e domo Domini accipiens, non te servaverim? Quomodo autem deinceps offeram Deo meo, ac legalem pro more implebo constitutionem?

1778. « Deipara ». Crede Dei prophetis; nec te adeo abundantiori consumas tristitia. Invenies enim haec in eis scripta: « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel ».

1779. « Ioseph ». Sacerdotalis virga, ut a domo orationis te assumerem ad custodiam, mihi persuasit: teque postea domi bene prorsus compositam, totaque honestate reliqui: quidni ergo, Maria, donec mea absentia operaque complerentur, exspectasti?

1780. « Deipara ». Vivit Dominus, alieni sordes tori, ac carnalis labem desiderii ignoro: nisi quod iterum tenens purpuram, angelicam vocem audivi mihi dicentem: « Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum ».

1781. « Ioseph ». Semel adhuc in domo mea sustine modicum, eo quod professionis tempus Augusti Caesaris nunc imperantis advenit. Nam et ego, ut meam tu coniugem profitearis vereor, propter Davidicam maxime cognationem.

1782. « Deipara ». Conservabo ergo sermones tuos in corde meo, adhucque modicum sustinebo in domo tua; ac exspectabo tempus professionis ac partus diem, donec tributa penderimus Augusto Caesari; Augusto, inquam, Romani nunc imperii habenas moderanti.

1783. « Ioseph ». Forte angelus erat, qui mihi apparuit in somnis, ac mihi dixit: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum ».

1784. « Deipara ». Forsan, domine mi, ille erat, qui mihi acclamavit: « Ave ». Caeterum quod superest, speluncam para, ac quaere obstetricem Hebraeam de gente nostra, servabitque illa mysterium, ac pro more mihi ministrabit.

1785. « Ioseph ». Plane is qui mihi apparuit, tum locum, tum speluncam subindicabit: tu vero, Maria, pannos praepara. Sive autem propheta, sive rex exsistat, qui est nasciturus, hoc vero scimus, quia « Nazaraeus vocabitur ».

1786. « Deipara ». Exsistimo fore ut rex appelletur, is qui est nasciturus; scriptum enim est prophetis: « Gaude vehementer, filia Sion: praedica, filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvans ».

1787. « Ioseph ». Qui in somnis mihi respondit, ipse nobis posthaec eventura de-

Digitized by Google

clarabit. Porro etiam Herodem timeo, ne quo forte nuntiante, natum apud nos filium inquirat.

1788. « Deipara ». Apparebit signum in coelo; nam scriptum est in prophetis: « Orietur stella ex Iacob, et exsurget homo de Israel, et percutiet duces Moab ».

1789. « Ioseph ». Falsa heri suspicione deceptus, speciei tuae ac pulchritudini impegi crimen; nunc autem de alto certior effectus excusabo pariter, ac reverenter adorabo tuam magnificentiam, tuumque nomen benedicam. (Desunt aliqua).

1790. **Hymnus VII.**

Salve, nostra suscipe vota, Ioseph!

O Domini custos, et tutor Virginis almae
Ioseph, dies quam tibi laeta fuit
In qua vidisti reges Oriente profectos
Praebentes Iesu munera, vota, preces!
Plurima passus eras cum nuper tecta superba
Urbis Davidicae clausa fuere Deo.
Sed nunc principibus mundi venerantibus illum
Gaudes cum Christo laetitiaque fremis.
Haec tua nunc etiam renovetur sancta voluptas
Cum promissa olim nos veneramus adhuc.
Et si divino tantum laetaris honore
Nostra dicata Deo, suscipe vota pius.

(I. Villanueva).

1791. **Memento.** — « Christus subditus Virgini Matri suae ». Filius vel filia es? Memento te reverentiam debere parentibus; ipse enim Unigenitus, qui non ex peccato ut tu, sed ex Spiritu Sancto conceptus, de Virgine natus est; postquam in templo inventus, parentes, id est Matrem Virginem, et nutritium castissimum, et ideo patrem nominatum, de divinitatis suae potentia, qua cum Patre omnia possidens inhabitat, edocuisset: et illi non intellexissent, « Descendit, inquit evangelista, cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis ». (Luc. II, 51). Cur ergo tu dedigneris subdi parentibus, cum et nutritio suo subdi non dedignatus sit cuncta creans et nutriens Dominus? (Ratherius Episc. Veronensis, Praeloq. l. II. 7. De filiis).

VIII. — Sermo S. Bedae Venerabilis.

EXPOSITIO LOCORUM EVANGELII DE S. IOSEPH.

Exposit. Evang. locis citatis infra.

Ioseph, vir id est minister, Mariae. — Cur Christus elegerit virginem desponsatam? — Nullum de Ioseph genuit infantem Maria, virgo perpetua.

IACOB autem genuit Ioseph ». Interrogari solet quomodo Matthaeus Ioseph Iacob patrem habere dixerit, Lucas vero Heli narraverit. Sed respondendum est quod isti Iacob et Heli fratres erant, habentes diversis temporibus, ex diverso venientes genere, qui avi Ioseph esse videntur, ex una eademque uxore Esai nomine: Mathan, qui per omonem genus ducit, filium habuit Iacob; et Mathat, qui per Nathan genus ducit, ex eadem tribu, sed non eodem genere, eo defuncto, filium accepit Heli: et sic Iacob et Heli diverso genere patrum fratres sunt uterini, quorum alter, id est Iacob, defuncti fratris Heli accipiens uxorem, genuit Ioseph secundum naturam suam; secundum vero praeceptum legis, fratris filium.

1793. « Virum Mariae ». Id est, ministrum Mariae: non tibi subeat nuptiarum aestimatio, sed quod in Scripturis sponsae vocentur uxores memento.

1794. « De qua natus Iesus Christus ». Pulchre posuit non de quibus, sed de qua, id est, sola virgine, sine virili semine. Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: nam prima tessaresce decadis incipiens ab Abraham in David, terminatur secundum David, id est, iuxta David a Salomone inchoans, in Iechoniam priorem, hoc est patrem, qui Ioachim apud Hebraeos vocatur, desinit. Tertia a secundo Iechonia, id est, filio Ioachim, qui Hebraice Iochin dicitur, initium sumens, usque ad Christum pertingit, ut ipse Christus connumeretur: iste vero numerus quaterdenarius ter positus, triplicem Israelitici populi historice demonstrat distinctionem, quarum prima sub patriarchis et sacerdotibus et iudicibus fuit ante reges; secunda sub regibus, et prophetis, et sacerdotibus; tertia sub ducibus, et prophetis, et sacerdotibus post reges. Nam mystice decem ad Decalogum, quatuor ad Evangelia, tria ad Trinitatis fidem respiciunt: quia per concordiam legis et Evangelii fides sanctae Trinitatis praedicatur: quadragenarius vero numerus typum praesentis saeculi tenere videtur, dum anni quadripartitis vicibus currunt, et mundus quatuor partibus terminatur; quemadmodum denarius numerus quater ductus, efficit quadraginta, et bene binarius numerus additus est, quia duo Testamenta significat, per quae Christus universam regit Ecclesiam: et quid sibi in bono placeat, quid in pravo displiceat, patefecit; seu duo praecepta charitatis numerus ipse demonstrat. in quibus tota lex pendet et prophetae Potest etiam aliter quadragenarius numerus intelligi: septies seni quadraginta duo faciunt; et quemadmodum Israeliticus populus de Ægyptiaca servitute liberatus, septies sena, id est quadraginta duo arctissimae viae in deserto metatus est castra; sed accepto duce Iesu, aperto mox Iordane promissas sedes victis hostibus adit: sic Dominus Iesus quadragesima secunda generatione, et quo mundus credente Abraham

Digitized by Google

caecitatis tenebras discussit, in carne veniens ad participandum nobiscum mortalitatem descendit. Et per tot viros quasi eiusdem numeri mansiones ad intelligibilem Iordanem, id est, virginem Mariam Sancti Spiritus gurgite plenam, duce Iesu Christo ventum sit: qui quasi hamus positus, tortuosum draconem aduncatum occisus occidit. Matthaeus ab Abraham incipiens usque ad Ioseph descendendo, genealogiam Christi exposuit. Lucas vero a Christo incipiens, usque ad ipsum Dominum ascendendo, septuaginta septem generationes enumeravit. In descensione humilitas Christi designatur, qui iuxta Apostolum, « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens » (Philip. II, 7): in ascensione exaltatio nostra designatur, quia ad hoc humiliatus est Christus, ut nos exaltaret. Porro numerus ille mysticus prorsus omnium remissionem significat peccatorum; unde in Evangelio dicitur: « Non dico tibi usque septies », et reliqua (Matth. XVIII, 22).

1795. « Christi autem generatio sic erat ». Superius iam nominatis progenitoribus, si istam sententiam ad priora vis addere; si vero ad sequentia, demonstrat quod isto modo incipiebat fieri.

1796. « Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph ». Interrogari solet quare Christus ex Virgine, et tamen desponsata, nasci voluisset. Sed respondendum est quod quatuor causis hoc ita gestum esse credimus: ut Maria in Ægypto fugiens, solatium ministerii haberet a Ioseph, et ne quasi adultera lapidaretur, et Christus quasi fornicationis filius despiceretur, et ut genus Christi per Ioseph ostenderet.

1797. « Qui fuit propinquus Mariae ». Quia non erat consuetudo historicis mulieres in genealogia numerare, et ut diabolum lateret nativitatis eius, aestimantem Christum de Ioseph semine natum; aliter enim in eum manus extendere non auderet.

1798. « Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». A Ioseph in utero eam habere dicit inventam; et licet quasi specialiter dicat de Spiritu Sancto, tamen credere debemus quod hominem Iesum non solus Spiritus Sanctus, sed tota Trinitas in utero Virginis formavit. Ideo namque specialiter quasi de Spiritu Sancto dicit, quia illum Deus Trinitas formavit in Virgine; qui adventu suo donum Spiritus Sancti in se credentibus large ministravit.

1799. « Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ».

1800. Ea quippe iustitia ut misericorditer propinquae consuleret iustus erat, de qua Scriptura dixit: « Misericordiam volo et non sacrificium » (Matth. XII, 7); non ea qua Scribae et Pharisaei elati, iustos se quasi aemulatores legis aestimabant, cum crudeliter proximorum sanguinem effunderent, propter transgressionem legis, quam nequaquam ipsi observabant.

1801. « Ipse autem salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Illum, de quo dictum est in Evangelio populum sine dubio: « Quotquot autem receperunt eum », et reliqua (Ioan. I, 12: non illum, de quo dictum est: « In propria venit, et sui eum non receperunt » (Ioan. I, 11).

1802. « Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum ». Non, ut quidam male aestimant, Maria post Christum alios filios de Ioseph peperit qui fratres sunt Domini dicti: sed « donec » hoc loco pro infinito tempore ponitur, sicut in Psalmis dictum est: « Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum » (Psalm. CIX, 1). Et notandum quod omnes unigeniti primogeniti dici possunt. Porro omnes primogeniti non possunt, cum eos alii sequuntur; et recte primogenitus dictus est, quia in multis fratribus primus devicta morte surrexit, eisque resurgendi praebebat exemplum. (In Matth. Evang. Expos. lib. I, cap. 1).

Ioseph integerrimae virginitatis Mariae custos et testis.

1803. « In mense sesto, missus est angelus Gabriel a Deo, in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth ». Idcirco angeli privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque etenim in illa sancta civitate, quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perfecit, idcirco propria nomina sortiuntur, nec eorum personae sine nominibus sciri non possint; sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Ad Mariam ergo virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: « Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio » (Psal. XXIII). Et rursum: « Dominus virtutum ipse est rex gloriae » (Ibid.) Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in praelio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Mensem antem sextum, Martium intellige, cuius vicesimo et quinto die Dominus noster et conceptus traditur et passus, sicut et vicesimo quinto die mensis Decembris natus. Quod vel hoc hodie (ut nonnulli arbitrantur) aequinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri credamus, convenit utique cum lucis incremento con-

Digitized by Google

cipi, vel nasci eum qui illuminat omnem hominem venientem in mundum. At si quis ante dominicae nativitatis et conceptionis tempus lucem vel crescere, vel tenebras superare convicerit, dicimus et nos quia et Ioannes tunc ante faciem adventus eius regnum coelorum evangelizabat, et nunc quoque praedicatoribus imperatur : « Iter facite ei qui ascendit super occasum » (Psal. LXVII). Cur autem Ioannes circa aequinoctium autumnale conceptus, circa solstitium aestivum sit natus, docet ipse qui vel ex sua, vel ex Veteris Testamenti (ut multi autumant) persona loquitur; « Illum oportet crescere, me autem minui » (Ioan. III).

1804. « Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria ». Multas ob causas Salvator non de simplici virgine, sed de sponsa voluit nasci. Primo videlicet, ut per generationem Ioseph, cuius Maria cognata erat, Mariae quoque nosceretur origo. Neque enim moris est Scripturae feminarum genealogiam texere. Nam et de utroque potest intelligi quod dicitur de domo David. Deinde, ne velut adultera lapidaretur a Iudaeis, malens aliquos de suo ortu, quam de pudore dubitare parentis. Simul et virginibus impudicis occasionem tollens, ne matrem quoque Salvatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, ut in Ægyptum fugiens et inde rediens haberet solatium viri, qui integerrimae virginitatis custos pariter ac testis existeret. Quarto, ne partus eius diabolo pateret; qui se eum de Virgine natum cognosceret, forsitan quasi ceteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. Maria autem Hebraice « stella maris » Syriace vero « domina » vocatur; et merito, quia et totius mundi Dominum, et lucem saeculi meruit generare perennem. (In Luc. Evang. l. I., cap. I).

Fratres Domini, non liberi Ioseph aut Mariae, sed cognati.

1805. « Nonne iste est faber filius Mariae, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudae, et Simonis? Nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo ». Scandalum et error Iudaeorum, salus nostra est, et haereticorum condemnatio. In tantum enim cernebant hominem Iesum Christum, ut hunc fabrum, et, iuxta alium evangelistam, fabri clamarent filium; fratres quoque et sorores eius secum esse testarentur. Qui tamen non liberi Ioseph aut Mariae, iuxta haereticos, putandi sunt, sed potius, iuxta morem sacrae Scripturae, cognati ipsorum sunt intelligendi, quo modo Abraham et Lot fratres appellantur, cum esset Lot filius fratris Abrahae. Et multa habes huiusmodi.

1806. Non autem sine certi provisione sacramenti Dominus in carne apparens, faber et fabri filius aestimari ac dici voluit: quin potius etiam per hoc se eius ante saecula Filium esse docuit, qui Fabricator omnium « in principio creavit coelum et terram » (Ioan. I). Nam etsi humana non sunt comparanda divinis, typus tamen integer est, quia pater Christi igni operatur et Spiritu. Unde et de ipso tamquam de fabri filio praecursor suus ait : « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni » (Matth. III). Qui in domo magna huius mundi diversi generis vasa fabricat, imo vasa irae sui spiritus igne molliendo, in misericordiae vasa commutat: sed huius sacramenti Iudaei ignari, divinae virtutis opera prosapiae carnalis contemplatione despiciunt (In Marc. Evang. lib. III, cap. 6).

Homilia in festo Annuntiationis B. Mariae.

1807. « Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria ». Quod dicitur de domo David, non tantum ad Ioseph, sed etiam pertinet ad Mariam. Legis namque erat praeceptum ut de sua quisque tribu ac familia duceret uxorem, Apostolo quoque attestante, qui, ad Timotheum scribens, ait: « Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum » (II Tim. II). Ideo enim veraciter ex semine David ortus est Christus, quia incorrupta eius genitrix veram de stirpe David originem duxit. Cur autem Dominus non de simplice virgine, sed de desponsata viro concipi et nasci voluerit, plurimae a patribus rationabiles causae proferuntur, e quibus permaxima est, ne velut stupri rea damnaretur, si virum non habens filium procrearet: deinde ut in his etiam quae domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur virili. Oportebat ergo Beatam Mariam habere virum, qui et testis integritatis eius certissimus, et nati ex ea Domini ac Salvatoris nostri esset nutritius fidelissimus : quique et pro eo parvulo, secundum legem, hostias ad templum deferret, et eum, instante persecutionis articulo, in Ægyptum cum matre ferret ac referret, aliaque illi perplura, quae assumptae humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret...

Homilia in vigilia Nativitatis Domini.

1808. « Cum esset, inquit, desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu

Digitized by Google

Sancto. Quo haec ordine, vel qua in civitate sit celebrata conceptio, Lucas evangelista sufficienter exponit; quod quia vestrae sanctitati constat esse notissimum, dicendum paucis de his quae Matthaeus scribit, notandumque in primis in eo verbo quod ait: « Antequam convenirent », verbo conveniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum quae praecedere solent tempus insinuatum, quando ea quae prius sponsata fuerat, esse coniux incipit. Ergo « antequam convenirent » dicit, antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Si quidem memorato ordine postea convenerunt, quando Ioseph ad praeceptum angeli accepit coniugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur, « Et non cognoscebat eam ». « Inventa est autem in utero habens » a nullo alio quam Ioseph, qui licentia maritali futurae uxoris paene omnia noverat, ideoque tumentem eius uterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur:

1809. « Ioseph autem vir eius cum esset vir iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ». Videns Ioseph Sponsam concepisse suam, quam bene noverat a nullo viro fuisse attactam, cum esset iustus et iuste omnia vellet agere, optimum duxit ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem, sed mutato occulte nuptiarum proposito, in conditione eam Sponsae manere pateretur ut erat: nam et in Isaia legerat virginem de domo David concepturam et pariturum Dominum, de qua etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideo non discredebat in ea prophetiam hanc fuisse complendam; sed si eam occulte dimitteret, neque acciperet coniugem, et illa Sponsa pareret, nimirum perpauci essent qui eam virginem et non potius autumarent esse meretricem. Unde consilium Ioseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariae famam, ipse eam, celebrato nuptiarum convivio, coniugem acciperet, sed castam perpetuo custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum suae generationis ignorare, quam suae castitatem infamare genitricis. Nam sequitur:

1810. « Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph, filii David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Quibus profecto verbis modus conceptionis simul et dignitas partus edocetur: quia videlicet de Spiritu Sancto concepit, et paritura sit Christum; quem etsi aperta voce angelus Christum non appellat, in eo tamen quod etymologiam nominis Iesu exponens, ipsum salutis ostendit auctorem populique Salvatorem, cum populum eius nuncupat, manifesta ratione quia sit Christus significat, ut per haec et quae nescierat discat Ioseph, et a contactu Dei genitricis funditus mentem amoveat Quam tamen dispensatione iustae necessitatis accipere iubetur solo de nomine coniugem, ne videlicet quasi adultera lapidaretur a Iudaeis, et ut in Ægyptum fugiens haberet solatium masculi, qui familiari cura, et tutor femineae fragilitatis, et testis esset eius perpetuae virginitatis. Produnt catholici expositores et alias causas quare Dei genitricem Ioseph accipere debuerit coniugem, quas in suis qui vult inveniet locis. Adhibet autem evangelista partui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantae miraculum maiestatis eo certius crederetur, quo hoc non solum ipse factum praedicaret, sed etiam a propheta praedictum recoleret. Nam et huic evangelistae, id est Matthaeo, moris est omnia quae narrat etiam propheticis affirmare testimoniis: scripsit namque Evangelium suum ob eorum vel maxime causam qui ex Iudaeis crediderant, nec tamen a legis caeremoniis, quamvis renati in Christo, valebant evelli; et propterea satagebat eos a carnali legis et prophetarum sensu ad spiritualem, qui de Christo est, erigere, quatenus sacramenta fidei Christianae tanto securius perciperent, quando haec non alia esse quam quae prophetae praedixerant agnoscerent. « Ecce virgo, inquit, in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus » (Isa. VII). Nomen Salvatoris, quod nobiscum Deus a propheta vocatur, utramque naturam unius personae ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est, ipse in plenitudine temporum Emmanuel, id est nobiscum Deus, in utero matris factus est, quia nostrae fragilitatem naturae in unitatem suae personae suscipere dignatus est, quando « Verbum caro factum est et habitavit in nobis »: mirum videlicet in modum incipiens esse quod nos sumus, et non desinens esse quod erat, sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse non perderet.

1811. « Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam ». Accepit eam ad nomen coniugis ob causas quas praediximus, et non cognoscebat eam ad opus coniugale ob arcana quae didicerat. Quod si quis huic nostrae expositioni obsistere, et contendere voluerit

Digitized by Google

Beatam Dei genitricem nunquam a Ioseph celebratis nuptiis in nomen coniugis assumptam, exponat ipse melius hunc sancti Evangelii locum, pariterque ostendat licitum fuisse apud Iudaeos ut sponsae suae quisque carnali copula misceretur, et sano eius intellectui libenter cedimus: tantum ne erga matrem Domini quidquam gestum, quod publica opinio possit infamare, credamus. Quod vero additur: « Donec peperit filium suum primogenitum », nemo ita intelligendum putet quasi post natum filium eam cognoverit, ut quidam perverse opinantur. Scire enim debet vestra fraternitas, quia fuere haeretici qui propter hoc quod dictum est: « Non cognoscebat eam donec peperit filium », crederent Mariam post natum Dominum cognitam esse a Ioseph, et inde ortos eos quos fratres Domini Scriptura appellat, assumentes et hos in adiutorium sui erroris, quod primogenitus nuncupatur Dominus. Avertat Deus hanc blasphemiam a fide omnium nostrum, donetque nobis cătholica pietate intelligere parentes nostri Salvatoris intemerata semper fuisse virginitate praeclaros, et non filios, sed cognatos eorum fratres Domini consueto Scripturarum more nuncupari, sed ob id evangelistam an post natum ei filium eam cognoverit dicere non curasse, quia nulli hoc ambigendum putaverit. Et revera nulli ambigendum est quod iusti coniuges, quibus in virginitatis castimonia permanentibus Dei Filium nasci singulari gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis iura temerare, et templum Dei sacrosanctum suae semine corruptionis contaminare potuerint.

1812. **Hymnus VIII.**

Ad Ioseph laudis et precum cantica.

Ioseph David filius clara stirpe natus,
Iesu Christi Domini Pater nuncupatus:
Desponsatus Virgini mente copulatus,
Utriusque custos est Coelo destinatus.
Tu qui Sponsam gravidam dolens cum videres,
Cogitabas anxius an eam teneres:
Sed Coelestis monitor ne ultra timeres,
In somnis admonuit ut magis gauderes.
Bethlehem profectus es censum soluturus,
Cum praegnante Virgine, ubi nasciturus:
Erat mundi Dominus quique mox facturus;
Ut ipsum Infantulum esses amplexurus.
Cum Herodes impios in pueros saeviret,
Gabrielis monitu ne ultra dormiret:
Retulisti Sponsae haec, ut tecum veniret,
Et accepto Parvulo in Ægyptum iret.
Hostibus iam defunctis, inde recessisti,
Eum in Galilaeam tecum reduxisti,
Et Puerem, et Sponsam sicut didicisti
Coelitus, et Nazareth humilis vixisti.
Duodecim, qui factum Iesulum annorum,
Tunc perdidisti tuum lumen oculorum,
Sed inventum postea medio Doctorum,
Custodisti sedulus Regem Angelorum.
Felix tu quem in ulnis Iesus cum Maria,
Tenuit iam cubantem dum in agonia,
Spiritum cum efflares, ut directa via,
Commigrares ad Patres functus via pia.
Has horas canonicas cum attentione,
Dixi, o Sancte Ioseph, tui ratione,
Quaeso sis memor mei in oratione,
Ut vivamus simul in Coeli regione. Amen.

(Vetus hymn. eccl. Hungariae, ex Kaioni O. Fr. Cant. cathol.).

1813. **Memento.** — « Ad virginem, inquit, desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David ». Beatus Ioseph, vel ipsa Beata Virgo Maria divites secundum saeculum non erant, pauperem in hoc mundo vitam gerebant, sed virtutum divitiis pleniter circumvallati praenitebant. Attamen de regali prosapia regis David progeniti erant. Beata enim Maria de illius stirpe exorta erat, cui iuravit Dominus, quod de fructu ventris eius esset nasciturus. Nam, ut legimus, Abrahae tantum promisit quod in semine eius benedicendae essent omnes gentes, huic vero Beato David iureiurando Filium suum Deus repromisit, quemadmodum ipse testatur dicens: « Iuravit Dominus David, et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam ». (Psal. CXXXI, 11). Unde non immerito Beata Dei Genitrix, vel ipse Ioseph de domo David esse describuntur, non propter regalium divitiarum abundantiam, sed secundum genealogiam. Praemissis ergo his omnibus, et nomine civitatis, in qua beata Virgo habitabat, et nomine viri, cui desponsata erat, nunc demum praeclarum nomen eiusdem Virginis, evangelista pronuntiat. (Ven. Godefridus Abbas Admontensis, in fest. Annunt. B. M. V., prima conc.).

IX. — Sermo B. Rabani Mauri Archiep. Maguntini.

DESPONSATIO VIRGINIS MARIAE CUM S. IOSEPH.

Comment. in Matth. l. I, cap. 1.

Christi autem generatio sic erat ». Haec sententia bifarie poni potest, id est ut sive ad enumeratam superius genealogiam respiciat, quam ita Evangelista in capite Evangelii sui inchoavit: « Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham, » et sic per generationes singulorum vadens, usque ad « Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Sicque finita serie generationum quasi rememorando dixit: « Christi autem generatio sic erat, » ac si diceret: Sic ordo humanae generationis Christi per parentes eius, usque ad Deum pervenit. Sive ad id iungatur quod subsequitur de desponsatione Matris eius, quomodo, antequam iungerĕtur suo, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, ut

Digitized by Google

quantum generatio Christi a ceteris distet aperiatur, cum ceteri per coniunctionem maris et feminae solitam, ipse autem per Virginem utpote Dei Filius nascebatur in mundum. (Hieron.) Si autem aliquis quaerendum putat cum Ioseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertineat ad eum generationis ordo deductus usque ad Ioseph, sciat primum non esse consuetudinis Scripturarum ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur, ut propinquam et quod simul censentur in Bethlehem uti de una stirpe generati.

1815. « Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph ». Quare autem non de simplici virgine, sed de desponsata, concipitur Salvator, haec ratio est. Primum ut per generationem Ioseph origo Mariae monstraretur; secundo, ne lapidaretur a Iudaeis ut adultera; tertio ut in Ægyptum fugiens haberet solatium mariti. Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a sponsa conceptus sit, ut partus, inquiens, celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine generatum, sed de uxore.

1816. « Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». (Maur.) Hoc quemadmodum factum sit, quoque ordine, vel in qua civitate sit celebrata conceptio, quod Matthaeus hic praetermisit, Lucas sufficienter exposuit, post commemoratum conceptum Ioannis ita narrans: « In mense » inquit, « sexto missus angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, etc. » (Luc. 1); quae sequuntur de conceptione eius, et de adventu Spiritus Sancti super eam, et de obumbratione virtutis Altissimi. Quod ergo secundum Lucam angelus promisit futurum, hoc Matthaeus narrat esse completum.

1817. « Inventa est autem in utero habens de Spiritu Sancto », a nullo videlicet alio quam Ioseph, qui licentia maritali futurae uxoris pene omnia noverat; ideo tumentem eius uterum mox curioso deprehendit intuitu. In eo quippe quod ait: « Antequam convenirent », verbo conveniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quae praecedere solent, tempus insinuat, quando ea quae prius sponsata fuerat esse coniux incipit. Ergo « antequam convenirent », dicit antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, « inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Siquidem memorato ordine post ea convenerunt, quando Ioseph ad praeceptum angeli accepit coniugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur, « et non cognoscebat eam ».

1818. « Ioseph autem vir eius cum esset homo iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ». Scriptum est, « si quis fornicariae coniungitur unum corpus efficitur », et in lege praeceptum est non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccato. Quomodo Ioseph cum crimen celat uxoris iustus dicitur? Illa quippe iustitia Ioseph iustus erat, quae ante Dominum iustitia est, quae aliena a misericordia non est, quae ex mentis simplicitate formatur, quae gratiae concordat et ex fide est. (Orig.) Non illa quae apud homines falso iustitia dicitur, et vel ex affectu humani favoris simulate profertur vel a crudelitate animi prolata sine discretione exercetur. Igitur erat in verbo iustus, in facto iustus, in legis consummatione, iustus in initio gratiae. Ideo eam dimittere volebat quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui adproximare sese indignum aestimabat. Nam et in Isaia legerat virginem de domo David esse concepturam et parituram Dominum, de qua etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideo non diffidebat in ea prophetiam hanc implendam esse. Ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere, sicut et Beatus Petrus, Domino se humilians aiebat: « Recede a me, Domine, quoniam homo peccator sum » (Luc. v) (Beda). Sed si sic eam occulte dimitteret, neque acciperet coniugem et illa sponsa pareret, nimirum pauci essent qui eam virginem et non potius autumarent esse meretricem. Unde consilium Ioseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariae famam ipse eam celebrato nuptiarum convivio coniugem acciperet, et castam perpetuo custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum suae generationis ignorare, quam castitatem infamare genitricis.

1819. « Haec autem eo cogitante ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens ». (Greg.) Sciendum est quia in duobus modis locutio divina distinguitur; aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vi internae inspirationis aperitur. Et de verbo eius sine verbis ac syllabis cor docetur, quod auditum aperit et habere sonitum nescit, sicut legitur in Actis apostolicis, quod Spiritus Sanctus Philippo dixerit: « Adiunge te ad currum ». Et cum ad evocandum Petrum timentes Dominum milites

Digitized by Google

Cornelius direxisset, in mente proculdubio a Spiritu Petrus audivit: « Ecce tres viri quaerunt te » (Act. x). Cum vero per angelum Dominus voluntatem suam indicat, aliquando eam verbis sine ulla imagine demonstrat, sicut Domino dicente: « Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te » (Ioan. XVIII), protinus respondetur, « clarificavi, et iterum clarificabo ». Aliquando rebus sine verbis, sicut et Ezechiel electri speciem vidit in medio ignis (Ezech. I), quod significat incarnationem Christi. Electrum quippe ex auri argentique metallo miscetur, in qua permistione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro nisi mediator Dei et hominum demonstratur, qui dum in semetipso divinam humanamque naturam composuit, et humanam per Deitatem clariorem reddidit, et divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Aliquando rebus simul et verbis, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Quid est enim, quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non iam stat, sed ambulat, nisi quod irruente culpa se a corde hominis motum demonstrat, sicque nequitiam suam caecis mentibus non solum sermonibus, quibus eos increpavit, sed etiam rebus aperuit. Aliquando imaginibus, oculis cordis ostensis, sicut Iacob subnixam coelo scalam dormiens vidit (Gen. XXVIII), et Petrus linteum reptilibus et quadrupedibus plenum, in extasi raptus aspexit (Act. XI). Aliquando imaginibus ante corporeos oculos ad tempus exstare adsumptis, sicut Abraham non solum tres viros vidit, sed in domum accepit, insuper etiam cibavit (Genes. XVIII). Aliquando coelestibus substantiis, sicut baptizato Domino scriptum est, quia de nube vox sonuit dicens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit ». (Matth. III). Aliquando terrenis substantiis, sicut cum Balaam corripuit, in ore asinae humana verba formavit (Num. XXII). Aliquando simul terrenis et coelestibus substantiis Dominus per angelos loquitur, sicut coram Moyse in monte ignem rubumque sociavit, significans se doctorem eius populi fore, qui et legis flammam perciperet, et tamen peccati spinam nequaquam vitaret, vel quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis dolores carnis nostrae quasi rubi spinas susciperet, et inconsumptam humanitatis nostrae substantiam etiam in ipsa divinitatis flamma servaret. Nonnunquam vero humanis cordibus etiam per angelos Dominus secreta eorum praesentia virtutem suae aspirationis infundit. Unde Zacharias ait: « Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me » (Zach. II); dum ad se quidem, sed tamen in se loqui angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verbum faceret per corpoream speciem extra non esset. Unde et paulo post subdidit: « Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur ». (Maur.) Quomodo autem angelus Ioseph apparuerit demonstratur, cum dicitur « in somnis », id est quomodo Iacob scalam vidit per imaginationem videlicet oculis cordis ostensam. Quid autem idem angelus apparens dixerit ostendit cum subinfert:

1820. « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Ideo Ioseph filius David esse dicitur, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur, iuxta illud quod scriptum est, nemo copuletur uxori nisi de tribu sua: « Noli, inquit, timere accipere Mariam coniugem tuam ». Ne timueris nec trepidaveris, nec conturberis, sed securus et intrepidus accipe secundum legis praeceptum uxorem tibi nominatam, et secundum nuptiarum consuetudinem et coniunctionem longe alienam; cur autem non debuerit vereri eam accipere ostendit cum dicit:

1821. « Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est ». Quibus profecto verbis modus conceptionis eius et dignitas Patris edocetur, quia videlicet de Spiritu Sancto conceperit et paritura sit Christum...

1822. « Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus ». Hoc autem totum factum est, dicit; quid totum? Hoc est, quod angelus ad Virginem missus est, quod ipsa Virgo suo propinquo desponsata fuit, quod casta servata est, quod angelus Ioseph per somnium visus est, quod Mariam accipere iussus est, et pueri nomen vocare Iesum, et ad quid illud? Ut Virgo totius mundi pareret salutem et virgo intacta in perpetuum perseveraret. « Ut adimpleretur, ait, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem ». (Beda). Adhibet autem evangelista partui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantae miraculum maiestatis eo certius crederetur, quo hoc non solum ipse factum crederet, sed etiam a propheta praedictum recoleret...

1823. « Exsurgens autem Ioseph a somno fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam et non cognoscebat eam ». Accepit eam ad nomen coniugis ob causas quas praediximus, et non cognoscebat eam ad opus coniugale ob arcana quae didicerat.

1824. « Donec peperit filium suum pri-

Digitized by Google

mogenitum ». (Aug.) Interdum « donec » verbum sacra eloquia pro coniunctione praesumunt, qua vel et, vel ut, indicari potest. Ed ideo scriptum est, « donec peperit filium suum », id est, et peperit filium suum (Hilar.) Cognoscitur itaque Maria post partum, id est, transit in coniugii nomen; cognoscitur autem, non admiscetur. (Rab.) Nemo itaque intelligendum putet, quasi post natum filium eam Ioseph cognoverit, ut Helvidiani perversissime opinantur.

1825. **Hymnus IX.**

Epigrammata.

I.

Sorte tua felix: tibi coniux imperat astris;
Et Proles Orbem temperat alma tibi:
Te nutrit, nutrire tibi quem contigit, Infans;
Te Puer, ad nutum quem regis ipse, regit:
Tu faber: ipse faber: dubitas? super astra coruscum
Molitur solium Parvulus iste tibi.

II.

Tu Sponsae amplexus inter dum languidus haeres,
Ultimaque adstricta tempora Prole trahis,
Quid dicam? Vitae tibi dum fons assidet aegro,
Dicere non ausim te potuisse mori.

(P. Carolus de Aquino S. I. Elogia sanctorum, quae ab Ecclesia Romana Divini Officii lectionibus recitantur, XIX Martii, Romae, 1730.

1826. **Memento.** — Sed post primum nuntium venit secundus, qui apparens pastoribus ait: « Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est Christus Dominus in civitate David » (Luc. II). Hic quoque triplicem viam ante faciem Domini praeparavit. Prim.m, praeparando famulum in obsequio; secundam, praeparando locum in diversorio; tertiam, praeparando cunabulum in praesepio. Apparuit enim angelus Domini Ioseph in somnis, dicens: « Ioseph filii David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est (Matth. I) ». Disposuit sane coelestis altitudo consilii, ut virgo sponsum haberet, non solum ut tolleret fornicationis opprobrium, non solum ut falleret fallacem diabolum, verum etiam ut esset virgini ad solatium, et ut parienti praeberet obsequium. Postmodum autem inter frequentiam multitudinis, quae ad profitendum convenerat, locum scilicet arctissimum parienti Virgini praeparavit. De qua dicit evangelista: « Quia non erat ei locus », alius scilicet, « in diversorio ». Tandem vero praeparavit illi cunabulum in praesepio, in quo Virgo Puerum reclinavit (Luc. II). De quo dicit propheta: « In medio duorum animalium innotesceris » (Habac. III). Non enim est incredibile. quin hoc ille praeparaverit, « qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem » (Psal. CIII). (Innoc. Papa III, in Purific. B. V. M.).

X.—Sermo Remigii Antissidiorensis Episcopi.

In illud Matthaei: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

Homil. IV.

Nativitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, qua Dei Filius homo fieri dignatus est, Matthaeus evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate descripsit. Coepit namque ab Abraham generationes patrum describere, et perduxit eas usque ad Christum, et, ut ostenderet quantum distaret Nativitas Domini nostri Iesu Christi a ceterorum hominum nativitate, subiunxit: « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph ». Ostendit enim illos secundum solitam copulam maris et feminae generantes et generatos; Iustum vero nec generantem nec generatum, sed de Spiritu Sancto ex Virgine conceptum et natum. Et quia Dei Filius nasciturus erat in carne, decebat ut non ex alia nasceretur, quam ex illa quae virgo erat: et quia Virgo paritura erat, decebat ut non alium pareret quam qui Dei Filius esset.

1828. Sed sciendum quod Beatus Matthaeus non tempus, non locum, non ordinem conceptionis narrat, quae omnia manifestissime Beatus Lucas demonstrat cum dicit: « In mense sexto missus est angelns Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen virginis Maria ». Et quia Virgo paritura erat Dei Filium, decebat ut prius ab angelo salutaretur, deinde divina virtute illustraretur, ac sic demum Dei Filium in se susciperet. Quaerendum nunc est quare Dominus noster Iesus Christus non de simplice virgine, sed ex desponsata nasci voluerit, et sciendum quod plurimae rationabiles causae a Sanctis Patribus traduntur; verumtamen praecipuae hae sunt: Prima est ut per Ioseph origo demonstraretur Beatae Matris, cum ambo de una eademque tribu fuerint: secunda, ne quasi adultera lapidaretur ab Iudaeis, si virum non haberet et filium procreasset; tertia, ut fugiens in Ægyptum haberet maritale solatium, quo sustentaretur, hoc est haberet virum qui Dominum in Ægyptum ferret et referret, et necessaria feminae fragilitati subministraret, et fidelis custos et tutor integerrimae virginitatis, et testis certissimus, et nutritius esset Domini fidissimus; quarta, quam addidit martyr Ignatius, ut partus eius celaretur diabolo, id est ut non haberet

Digitized by Google

diabolus suspectum partum, dum videret eum ex coniuge natum. Si enim de simplici virgine nasceretur, facile diabolus eum Dei Filium agnosceret, et nunquam crucifigeretur; unde est illud Apostoli: « Si enim agnovissent, nunquam maiestatis Dominum crucifixissent ».

1829. Sequitur: « antequam convenirent ». Hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, id est quando ea quae fuerat sponsa incipit esse uxor; et est sensus: antequam convenirent, id est antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent; nam quod postea acceperit eam, evangelista in subsequentibus manifestat cum dicit, quia monente angelo accepit eam Ioseph, et quia non concumbebant, idcirco subiungit; « et non cognoscebat eam ». Tamen « inventa est habens in utero », et certe a nullo alio nisi ab Ioseph, quia maritali sententia paene omnia futurae coniugis noverat, et idcirco tumentem eius uterum curioso deprehendebat intuitu.

1830. « Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam ». Bene iustus, quoniam iustitiae custos erat, videbat namque Sponsam concepisse suam, quam noverat a nullo viro fuisse attactam; videbat gravidam, quam vere noverat castam, et quia legerat in Propheta « de radice Iesse exiet virga, et flos de radice eius ascendet », et noverat Beatam Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit filius Iesse, legeratque etiam: « Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium », idcirco non discredebat, vel diffidebat hanc prophetiam esse implendam in ea; et cum esset iustus, et omnia iuste vellet agere, dignum existimavit ut haec nulli proderet, et tamen eam non acciperet uxorem, sed, mutato proposito nuptiarum, dimitteret eam, ut maneret Sponsa sicuti fuerat. Et hoc est quod dicit Evangelista, « et nollet eam traducere », id est palam facere, sed occulte voluit dimittere, id est tempus nuptiarum mutare; quod si fecisset, perpauci essent qui non magis autumarent eam meretricem quam virginem, et idcirco repente consilium Ioseph divino mutatum est consilio, nam « haec eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei ».

1831. Iusto Ioseph, iuste omnia cogitanti, et disponenti bene iustus directus est nuntius, qui ad conservandam Virginis famam monuit ut eam acciperet uxorem. Hinc beatissimus Ambrosius ait: « Maluit Dominus quosdam de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; maluit aliquos modum suae conceptionis ignorare, quam castitatem suae Genitricis infamare: hoc est magis elegit ut filius fabri diceretur, quam ut eius mater adultera vocaretur ». Per hoc vero quod angelus in somnis apparuit Ioseph, requies designatur mentis, et quia requiescebat curis saecularibus, idcirco angelica visitatione pariter et locutione meruit perfrui. « Ioseph, fili David, noli timere ». Blandientis affectu angelus alloquitur Ioseph, cum eum proprio nomine, et filium David, vocet; erat enim filius David non tantum genere, sed fide et imitatione. « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Monuit ut acciperet ad nomen coniugii non ad operis officium; « quod enim natum est in ea de Spiritu Sancto est; » et ut dignitas partus ostendatur ait: « Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum », hoc est totius mundi Salvatorem, et universorum salutis Auctorem...

1832. « Exsurgens autem a somno Ioseph fecit quod praecepit ei angelus Domini ». Eo ipso aditu redit vita, quo ingressa est mors, id est per virginem feminam, et per obedientem virum. De virgine terra creatus est Adam, de virgine femina natus est Christus. Per inobedientiam Adae omnes perditi sumus, per bonum obedientiae Ioseph omnes ad pristinum statum revocamur; nam his verbis magna nobis virtus obedientiae commendatur, quibus dicitur: fecit sicut praecepit ei angelus Domini; accepit videlicet Mariam celebratis nuptiis, atque accepit, ut ea coniux vocaretur, non ut tamen concumberent, quia sequitur: « et non cognoscebat eam ».

1833. **Hymnus X.**

Iosephi laudes canamus inclytas.

Iubila, Christi studiose Tutor,
Strenuus vitae Domini secutor,
Fulgidum mundi iubar, atque morum
Norma proborum.

Tu salutari cor amore torres,
Quidquid informis movet orcus, horres,
Moeror est terrae vel abacta posse
Munera nosse.

Moribus fulges, ut in axe Sydus,
Numini factis animoque fidus,
Voce facundus, pietate festus,
Corde modestus.

Indolem sevit tibi suada mitem,
Praeteris omnem sine clade litem,
Pacis innata bonitate blandus,
Vivis amandus.

In Tui laudem potuere sisti
Astra, dum suavi gremio tulisti,
Numen, e Coelis veniente dotum
Nectare fotum.

Dos erat motas agitare belli,
Servulis cunas manibus Puelli,
Et penes castum modulis amorem
Ferre soporem.

In sinu gestas Dominum fideli,
Cuius obtutum stupet Aula Coeli,

Digitized by Google

Quam Deo debet tua, Dive, recta
Esse senecta!
Te petit Natus sine Matre Patrem,
Et verecundam sine Patre Matrem;
Haec decet sponsos pia virginales
Unio tales.
Virginem Virgo tibi copulasti,
Pectoris nexu sociante casti:
Enitet flammis in utroque dignis
Sanctior ignis.
In via pacis sine strage vadis,
Absque conflictu graviore cladis
Astra, dum voti reserata pandis
Ostia, scandis.
Solis Evum decus antecellis,
Par micas, vultu rutilante, stellis,
Fulgidi sensus radiant nitore,
Vita decore.
Si quod affectum feriat gravamen,
Porrigis dulci requie levamen,
Dura mansueta prece corda mollis,
Crimina tollis.
Spiritus culpae stimulis rebellat,
In Deum corpus geniale bellat,
Cum putri luctam gero carne duram,
Suscipe curam.
Bella, suppresso stygis hoste, seda,
Ne veternosi querar esse praeda
Tartari, clemens animo rebelle
Phasma repelle.
Cum Deo mentem, labra, pectus uni,
Tolle vim fatis, et ab hoste muni,
Vincula sensus religante cunctos
Foedere iunctos.
Per sacrum Sponsae sine labe fructum
Da, sequar rectum, sobolisque ductum;
Ad salutarem, precor, (esto sontem)
Dirige fontem.

(P. Constantinus Halapi, Sch. P.).

1834. **Memento.** — Cardinalis Caietanus, Ordinis Praedicatorum decus et ornamentum, ad illa Beatae Mariae Virginis verba saepius relata: « Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te », etc., sic habet: « Ego et pater tuus ». Non generatione, sed legitima appellatione, erat enim maritus Beatae Virginis, ac per hoc legitimus pater Iesu merito appellabatur: praeter hoc quod, officio curae, pater erat. (Apud Ioseph. Mansi Promtuar. sacr., tom. 1, pag. 362).

XI. — Sermo Rudulphi Ardentis.

QUO MODO DICITUR IOSEPH PATER CHRISTI.

Dominica infra octavam nativit. domini, hom. XIV.

ERANT Ioseph « pater » Iesu et Maria « mater eius, mirantes super his quae dicebantur de illo » (Luc. II), etc. Quadripartita est haec lectio, fratres charissimi. Primo enim inducuntur Ioseph et beata Virgo mirantes super his quae dicebantur de Iesu. Secundo inducitur Simeon eis benedicens, et de Puero prophetizans. Tertio quoque inducitur Anna prophetissa, Christo ferens testimonium. Quarto vero subiungitur eorum regressus, et Pueri profectus. Primo igitur Ioseph et Maria inducuntur, mirantes super his quae dicebantur de illo. Sed fortassis, fratres, movet vos, cur evangelista Ioseph patrem Christi appellet, cum ipse eumdem non ex virili semine sed ex Spiritu Sancto conceptum esse superius construxerit.

1836. Sed pluribus modis patrem appellare consuevimus. Nam aequivoce pater est carnalis, spiritualis, et longaevus, praedecessor benefactorum. Quia igitur Ioseph faber, nutritius et amator erat Iesu, et sponsus matris eius, voluit eum dici patrem suum, et hoc ad mysterium et exemplum. Ad mysterium, quoniam ipse vere erat filius fabri, eius scilicet qui fabricatus est auroram et solem. Ad exemplum, ut nullus quantuscunque viliorem se dici erubesceret. Hoc plane contra illos qui patres suos decrepitos, debiles, et viles erubescunt. Similes muli, qui, ut fabula narrat, inquisitus quis esset pater eius, tacens vilem patrem, equum generosum avunculum suum esse professus est. Erubesce igitur, superbe vermis. Deus se dici voluit filium fabri, et tu tui patris vilitatem erubescis?

1837. « Erant, inquit mirantes super his quae de illo dicebantur ». A quibus dicebantur? ab angelis, a pastoribus, a magis, a Simeone, a ceteris prophetis, Zacharia, Elisabeth, Anna. Et quae dicebantur de illo? Quod ille tantillus puerulus ab angelo Salvator vocabatur, ab angelico choro glorificabatur, a pastoribus adorabatur, a stella demonstrabatur, a Magis mysticis muneribus venerabatur, a Simeone lumen gentium et gloria plebis Israel dicebatur. Nec tam mirabantur divinitatis altitudinem quam eius dignationem. Mirabantur quippe in excelso humilitatem, in maiestate dignationem in gloria vilitatem, in coelestibus divitiis paupertatem. Has sane virtutes mirabantur, aemulabantur, imitabantur. Audi quomodo mater aemulatur humilitatem filii. Oblita quippe se esse virginem, et Matrem Dei et Reginam coeli, ait: « Ecce ancilla Domini » (Luc. I); et: « Quia respexit humilitatem ancillae suae ibid.). Nos itaque, fratres, non miremur falsas divitias, honores et glorias huius miseri saeculi, quae amatores suos decipiunt. Nam iuxta poetam, « Terreni nil admirari res est, quae paene sola potest facere et conservare beatum ». Ista quoque spernentes, admiremur, aemulemur in Christo et in matre eius humilitatem, dignationem, vilitatem, et voluntariam paupertatem, ceterasque virtutes, per quas homines, similes Deo et filii Dei efficiuntur.

Digitized by Google

1838. Sequitur pars secunda, in qua Simeon inducitur benedicens illis, Mariae scilicet et Ioseph, et prophetizans de Puero, cum dicitur: « Et benedixit illis Simeon ». Puto, charissimi, quod benedicens, matri haec vel similia dicebat: « Beata es incomparabiliter, quae sine exemplo credidisti, concepisti, peperisti, portasti, lactasti, istum tuum filium, tuum patrem, tuum creatorem. tuum Deum. Tu quoque Ioseph, beatus es, qui inter omnes huius mundi homines electus es, ut Christum nutrires, foveres, baiulares lumen gentium, gloriam populorum ». Sic benedictio boni filii, fratres mei, redundat in parentes, nutritoresque suos, iuxta illud Salomonis: « Gaudium parentum, filius sapiens » (Prov. x). Vos itaque, patres et matres familias, vigilate in bona nutritura, eruditione et informatione filiorum, ut, propter bonam filiorum indolem, mereamini et vos benedici. Sicut enim filius indisciplinatus vertitur parentibus in maledictionem, sic bene disciplinatus in benedictionem (Eccli. xxii)...

1839. **Hymnus XI.**

Pia ad Ioseph precatio.

O felix custos et Sponsae
Reginae virginum,
Qui Iesum educasti, omnis
creaturae Dominum,
Iam laetus regnas in choro
sanctorum agminum;
Ora pro nobis assidue
Patrem luminum,
Ut aeterna luce fruamur
in perpetuum.

(Brev. ms. Franciscan. anni 1492).

1840. **Memento.** — Commercium magnum habet Ioseph, cum divino Verbo incarnato, nam illius pater dicitur et nuncupatur, et hoc non solum a vulgari populo, sed etiam a sapientissima et prudentissima Virgine Maria: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Deinde divinum Verbum sumpsit carnem et sanguinem ex Virgine Maria, ex corpore nempe, carne et sanguine ipsius Virginis: atqui purissima Deipara iure desponsationis pertinebat ad suum Sponsum Ioseph: ergo Verbum divinum sumpsit carnem et sanguinem ex re seu muliere quae pertinebat ad Sponsum Ioseph... Filius Dei nascitur ex illo virginali coniugio, ex Maria tamquam ex vera et naturali Matre, et ut Sponsa Ioseph, quae iure desponsationis ad ipsum pertinebat: et ita Christus Deus erat Ioseph possessio. (Ioann. Sylveira, in cap. I Matth. num. 73).

XII. — Sermo Ruperti Abbatis Tuitiensis.

DE HAESITATIONE S. IOSEPH.

Comm. in Matth. lib. I.

IOSEPH, inquit, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Timebat enim eam accipere, nolebat eam traducere, sed volebat occulte dimittere. « Haec ille cogitabat cum esset iustus », ait evangelista. Et revera hoc erat iusti hominis, nec tantum iusti, verum etiam pii, quod hinc timebat consentire peccatis alienis, et inde abhorrebat uti permisso vel severitate legis, dicentis: « Quod si non est in puella inventa virginitas, eiicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis eius, et morietur, quoniam nefas fecit in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferas malum de medio tui » (Deut. xxii).

1842. Neutrum horum facere, scilicet neque traducere, neque in iudicium voluit producere. Hoc unum praeelegit, hoc maluit, videlicet occulte dimittere eam, quod ad perfectam pertinet iustitiam. Hic percontari libet: Quare timorem eiusmodi Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? Quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quae ei desponsata erat? Videlicet ut tentaretur, et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus, et talis, qui digne sic deberet appellari, Ioseph fili David.

1843. Sic etenim idem pater eius David maluit exulare, quam uti permisso legis dicentis: « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (Levit. xix; Matth. v). Tradiderat Dominus in manu eius Saul odientem, et persequentem. « Et nunc, ait Abisai, perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit ». Ait ille: « Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in praelium descendens perierit, propitius mihi sit Deus, ne extendam manum meam in christum Domini: Et post haec surrexit David, et abiit ad Achis regem Geth, et habitavit cum Achis in Get » (I Reg. xxvi, xxvii).

1844. Quomodo iste iustus Ioseph occulte dimittere eam voluit, quam habebat desponsatam, nisi proficisceretur in regionem aliquam, sicut fecit ille David, et sicut propter adversos casus fecerunt plerique alii? Amplius autem ex eo filius David tam in-

Digitized by Google

signiter, tali in re, tali in tempore, dignus fuit appellari, dicent angelo, « Ioseph, fili David » (Matth. 1); quia fidem habuit eamdem, quam habuit pater eius fidelis David : quippe qui prius inaudita credidit, videlicet quod ipsa, quae conceperat, Virgo esset : secundum verba haec eiusdem angeli, « quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est (ibid.) », etc. Nam promissionis, sive repromissionis, in qua credendo pater Abraham iustificatus, et amicus Dei appellatus est (Iac. 11), consummatio est hic sermo angeli, quem in somnis accepit, et statim obedivit Deo, credulus, puellae benevolus, eatenus vir iustus, exinde iustissimus. Spiritus Sanctus maxime ex hoc facto suo nominatur, quia « quod in ea natum est, ait angelus, de Spiritu Sancto est ».

1845. Antehac Spiritus Dei, sive Spiritus Domini dicebatur, nec facile in omni serie veteris Instrumenti reperies hoc insigne vocabulum, scilicet Spiritum Sanctum praeter quod David: « Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas, inquit, a me (Psal. 1) ». Nec ipse sic absolute Spiritum Sanctum dixit, sed tuum addidit, sicut in ceteris scripturis legalibus, sive propheticis, nusquam absolute Spiritus Sanctus, sed relative scribitur, ut iam dictum est, Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Ab hoc loco fere primum sonuit in auribus nostris hoc reverendum et insigne vocabulum, proprium atque absolutum, Spiritus Sanctus: ubi angelus et ad Mariam, « Spiritus Sanctus, ait, superveniet in te » (Luc. 1), et ad Ioseph, « quod enim in ea natum est, inquit, de Spiritu Sancto est » (Matth. 1).

1846. **Hymnus XII.**

Ad Ioseph Salutatio.

Ave, Ioseph, Deo gratus
De regali stirpe natus,
Honor tibi est collatus,
Sponsus es Mariae datus.
2. Salve, Ioseph praeelectus,
Cunctis sanctis es praefectus,
Purus virgo nec infectus,
Da, ut Deo sim dilectus.
3. Gaude, pater Iesu Christi
Putativus, quem nutristi
Et Mariam custodisti,
Serva nos a morte tristi.
4. Vale, Sponsus tu Mariae,
Nos commenda hic Messiae,
Quae rogamus, adfer pie,
Frui da aeterno die.
O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

(Ex ms. Neerlend. saec. 15).

1847. **Memento.** — « Observandum est Beatum Iosephum dici patrem Christi; uno quidem modo quia communiter sic putabatur; alio autem, eoque potiori, propter copulationem coniugalem ipsius cum Beatissima Deipara: Propter fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, ait Augustinus lib. 1 de nuptiis, cap. 11; et non solum eo modo est Ioseph pater Christi, quo vitricus vocatur pater filiorum suae uxoris, sed multo coniunctius, quia scilicet Christus natus est in illo ipso coniugio et sine ipsius iniuria.

« Si dicas B. Lucam cap. 3 vocare Ioseph patrem Christi tantum putativum. Resp. Ipsum hoc non dicere, sed referendo opinionem vulgi de Christo pronuntiat, ut putabatur filius Ioseph: propter eos scilicet qui eum ex Ioseph eo modo natum arbitrabantur, quo ceteri nascuntur. Alioquin cap. 2 simpliciter eum vocat patrem. Erant pater eius et mater mirantes: Ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem: et Beata Deipara, Ecce pater tuus et ego.

« Utrum vero S. Ioseph possit dici Pater Dei, sicut dicitur pater Christi; Resp. quod sic; ut concedit S. Bernardus serm. 2 super Missus, eo quod Christus fuit Deus: quae tamen locutio non est omnino propria, ideoque nec extendenda. (Franc. Sylvius, in 3 par. D. Th., quaest. 28, art. 1 et 2, circa fin.).

XIII. — Sermo S. Bernardi Abbatis.

DE DESPON. B. M. V. CUM S. IOSEPH.

Sup. Missus est.

Ad Virginem, inquit, desponsatam ». Quare desponsatam? Cum esset, inquam, virgo electa, et, ut ostensum est, virgo conceptura, virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit, non nuptura. Nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria, et divini prorsus adinventione consilii digna. Dicam quod mihi, imo quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Mos siquidem Iudaeorum erat, ut a die desponsationis suae, usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsae traderentur custodiendae: quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi ipsi fideliores existerent.

1849. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicae confessor resurrectionis, ita et Ioseph Mariam sibi desponsando eiusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia: et dubitatio Thomae, et desponsatio Mariae. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo,

Digitized by Google

castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de Filii resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti et palpanti, quam Cephae audienti et credenti: et de Matris continentia facilius Sponso eius custodienti et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic, quaeso, quis eam videns non desponsatam et gravidam, non potius diceret meretricem [alias, corruptam] quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius vero atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione.

1850. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret ut eius nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere daemones, quod scirent homines. Oportebat autem a principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum: non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quaecunque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrae videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit.

1851. Et quanquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisset; placuit ei tamen eo potius et modo, et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut, sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit, ita prius a femina virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitiae fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret et fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret a fine usque ad finem fortiter, sed et disponeret omnia suaviter Sap. VIII, 1. Attingit autem a fine usque ad finem, id est a coelo usque ad infermum. « Si ascendero, inquit, in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades » (Psal. CXXXVIII, 8). Utrobique vero fortiter, quando et de supernis expulit superbum, et apud inferos spoliavit avarum.

1852. Conveniens ergo erat ut suaviter quoque omnia, coelestia scilicet et terrena, disponeret: quatenus et illinc deiiciens inquietum, reliquos in pace firmaret, et hic debellaturus invidum, nobis prius suae humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiae, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis?

1853. Necessario igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a Sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae parcitur, quam famae providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis matris. Alioquin quando pepercisset iustus adulterae? scriptum est autem: « Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam » (Matth. I, 19). Bene, cum esset iustus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam iustus esset, si cognitam ream consensisset; sic nihilominus iustus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cum ergo iustus esset et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

1854. Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebant, dicens: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum » (Luc. V, 8): propter quod et Centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum » (Matth. VIII, 8). Ita ergo et Ioseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam.

1855. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit Centurio praesentiae maiestatem. Exhorruit nimirum et Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias et Sanctam Elisabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? Ait namque: « Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? » (Luc. I, 43). Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, et non palam? Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo durae cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate

Digitized by Google

comprobaverat, nonne mox increduli et crudeles Iudaei subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque Veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, qui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam.

1856. Sin vero aliter quis sentiat, et Ioseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia iustus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, et ideo voluerit occulte dimittere eam, breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Ioseph fuisse necessariam, quae divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: « Haec autem eo cogitante », scilicet quod occulte dimitteret eam, « apparuit ei angelus in somnis, dicens: « Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est » Matth. I, 20).

1857. Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Ioseph, vel potius, sicut ponit evangelista, « viro, cui nomen erat Ioseph ». Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, iuxta autem evangelistam, non vir simpliciter, sed vir eius dictus est, merito appellatur quod necessarie putatur. Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso evangelista: « Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph » (Luc. III, 23). Nec vir ergo matris, nec filii pater exstitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus.

1858. Coniice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus, et creditus sit: coniice et ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubitas interpretari) quis et qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul et memento magni illius quondam patriarchae venditi in Ægypto (Gen. XXXVII, 27): et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam. Siquidem ille Ioseph, fraterna ex invidia venditus et ductus in Ægyptum, Christi venditionem praefiguravit: iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit (Matth. II, 14). Ille domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri (Gen. XXXIX, 12): iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum (Gen. XL, XLI): isti datum est conscium fieri atque participem coelestium sacramentorum (Matth. I. 20). Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo (Gen. XL, XLI): iste panem vivum e coelo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem sibi fidelissimum.

1859. Huc accedit quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri David incerta et occulta sapientiae suae manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum huius saeculi agnovit: cui denique datum est quod multi reges et prophetae, cum vellent videre, non viderunt: audire, et non audierunt; non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire. Non tantum autem Ioseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non fuisset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David; sed in altera completa est veritas, quam iuravit Dominus David, altero tamen conscio et teste adimpletae promissionis ».

Sequitur de eo quod pastores invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio. Ex serm. I in Purific. B. Mariae.

1860. « Invenietis, inquit, infantem pannis involutum, et positum in praesepio. « Et post pauca: « Venerunt, ait evangelista, festinantes, et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio (Luc. II, 16). Quid est quod sola ab angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola a pastoribus inveniri? Forte specialis commendat angelus humilitatem, quia ruentibus ceteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut propterea certe coelitus annuntiatur humilitas, quod haec quasi propria

Digitized by Google

virtus divinae exhibenda sit maiestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Invenerunt ergo Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio.

1861. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam praetendit humilitatem, sic per Virginem continentia, iustitia per Ioseph virum iustum, cuius laus est in Evangelio, non incongrue designatur. Sane continentiam deberi carni quis nesciat? Iustitia vero virtus est, quod suum est cuique tribuens: et haec erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis; sicut ait Virgo beata: « Respexit humilitatem ancillae suae » (Luc. I, 48). Itaque qui fornicatur, peccat in corpus suum; qui iniuriosus est, in proximum; qui extollitur et inflatur, in Deum. Fornicator semetipsum dehonestat; iniuriosus molestat proximum; elatus, quod in se est, Deum inhonorat. « Gloriam meam », Dominus ait, « alteri non dabo » (Isai. XLII, 8). Et superbus: Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, usurpabo. Nec enim placet ei angelica distributio, dans « gloriam Deo, pacem hominibus » (Luc. II, 14). Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane et infidelis. Quae est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis vero Deum colit, nisi qui voluntarie ei subiectus est, et sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, sic oculi cordis eius ad dominum Deum suum?

1362. Ut ergo inveniatur in nobis semper Maria, et Ioseph, et infans positus in praesepio; sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos, et per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes: « Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei » (Tit. II, 11-13). Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem: sed « hic erit magnus », sicut de eo Gabriel locutus est (Luc. I, 32); et quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis et mansuetudinem, magnificabit postmodum et glorificabit magnus et gloriosus adveniens Iesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

De ordine et modo processionis Christi in templum. Ex serm. III in Purif. B. Mariae.

1863. Gratias Redemptori nostro, qui tam copiose praevenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantiae suae gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulo ante Nativitate, Circumcisione et Apparitione eius, festus hodie nobis oblationis ipsius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terrae fructus sublimis; hodie placabilis et Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur a parentibus, a senibus exspectatur. Offerunt Ioseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum; Simeon et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quae per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo festivam hodie et nos ipsi, praeter ceterarum consuetudinem solemnitatum, acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius et ordinem diligentius intueri. Processuri sumus bini et bini, candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Ad haec futuri sunt in processione nostra novissimi primi, et primi novissimi: et cantabimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

1864. Merito sane bini et bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternae charitatis et socialis vitae missos a Salvatore discipulos Evangelia sacra testantur (Luc. X, 1). Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat: nec sibi soli nocet, sed etiam ceteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Iam vero sicut non est bonum esse hominem solum, sic in conspectu Domini vacuum apparere est prohibitum (Exod. XXIII, 15). Cum enim arguantur otiositatis ipsi quoque quos nemo conduxit (Matth. XX, 6): qui iam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe sine operibus mortua est (Iac. II, 26). Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, et in desiderio cordis, ut sint lucernae ardentes in manibus nostris.

1865. Alioquin timendum est, ne forte tepidos nos evomere incipiat, qui in Evangelio loquitur, dicens: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » (Luc. XII, 49.) Hic plane sacer et benedictus est ignis, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, et cui benedicitur in ecclesiis, sicut scriptum est: « In ecclesiis, benedicite Deo Domino » (Psal. LXVII, 27). Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum aemulator; habet, inquam, ignem suum et ipse, ignem concupiscentiae carnalis; ignem invidiae et ambitionis, quem Salvator in nobis non accendere, sed exstinguere venit. Denique si quis

Digitized by Google

alienum hunc ignem in divino offerre praesumpserit sacrificio, etiamsi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua.

1866. Porro super haec quae de sociali vita et fraterna dilectione, de bonis operibus, et fervore sancto dicta sunt; humilitatis virtus maxima, maximeque necessaria est, ut honore praeveniamus invicem: nec modo priores, sed et ipsos iuniores sibi quisque praeponat: quae nimirum humilitatis perfectio est, et iustitiae plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligit Deus (II Cor. IX, 7), et fructus charitatis est gaudium in Spiritu Sancto; cantemus, ut dictum est in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini (Psal. CXXXVII, 5): cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (Psal. XCVII, 1). In quibus omnibus si quis forsitan proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem; noverit quisquis huiusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero et in regressione; quoniam in via vitae non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porro profectus noster in eo consistit, ut saepius me dixisse memini, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius; et imperfectum nostrum divinae misericordiae obtutibus iugiter exponamus.

De Mariae Purificatione, et Christi Circumcisione. Ex Serm. V, de diversis.

1867. Quid est quod dicimus Beatam Mariam purificari? quid vero, quod ipsum Iesum dicimus circumcidi? Enimvero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumcisione. Nobis ergo et hic circumciditur, et illa purificatur, praebentes exemplum poenitentibus, ut a vitiis continentes, primum per ipsam continentiam circumcidamur, deinde a commissis per poenitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Iesum in utero, Ioseph in humero, in Ægyptum scilicet iens et inde rediens; Simeon portat in brachiis? Significant isti tres electorum ordines: Maria, praedicatores; Ioseph, poenitentes; Simeon, bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Iesum in utero portat, ut eum aliis, vel potius alios ei pariat. De talibus erat Beatus Paulus, qui dicebat: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis » (Galat. IV, 19). Qui vero pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab aliis illata patienter ferunt, merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus et ab ipsa Veritate dicitur: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum (Luc. IX, 23), etc. Si quis autem est qui porrigat panem esurienti, potum sitienti, ceteraque misericordiae opera sollicite impendat egenti, nonne iste recte videtur eum portare in brachiis? Huiusmodi enim dicturus est in iudicio Dominus: « Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis » (Matt. XXV, 40).

1868. Hymnus XIII.

Gratiam et gloriam per Ioseph precamur.

AVE, Ioseph, vir perfectus,
Iustus, sanctus atque rectus,
Deus, qui creata regit,
Te ab aevo praelegit.

2. Salve, Ioseph, vir probatus,
Flos virtutum nominatus
Me virtute fac pollere,
A peccatis et tuere.

3. Gaude, Ioseph, de honore,
Quod Mariae cum amore
Servivisti in hac vita,
Fac, ut mala sint oblita.

4. Vale, heres supernorum,
Tuque princeps es thronorum,
Gratiam da hac in via
Gloriam da cum Maria.
O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

(Orat. saec. XV).

1869. **Memento.** — Iam finem dicendi facimus, affirmantes felicissimos illos appellari, qui coeleste hoc donum devotionis erga Sanctum Iosephum susceperint, et in ea ad mortem usque perseveraverint. Certe, non confundentur in desiderio suo, quia Sanctus ille Patronus tutissimo auxilio et efficaci protectione ibi aderit. Et forsitan tunc illis continget quod his verbis refert Sanctus Gregorius Magnus (Dialog. lib. 4, cap. 15-16): « Nonnumquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Interdum etiam contingit iustis, ut in morte sua Sanctorum praecedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem reformident; sed dum eorum menti civium supernorum societas ostenditur, a carnis suae copula sine doloris et formidinis fatigatione solvantur ».

Si ergo Beatae Virginis carissimo Sponso Iosepho devotum ac perseverantem praestiteris famulatum, non temere sperare poteris in hora mortis haec eadem beneficia suscepturum. Et tunc coelestis Patroni vultum intuens, idem dices quod olim Iacob filio suo (Gen. XLVI, 30): « Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam », o dilectissime Ioseph! Tunc tandem dulci concentu modulaberis, ut contemplatur Eusebius Emissenus (De Gloria Paradisi): « Quam delectabilis repausatio post depositum gravis oneris fascem! Quam dulce post longae captivitatis catenas, ad caram patriam recuperata libertate remeasse! Quam pretiosum post multa navigationis pericula, ad optatam terram ac portum desiderabilem pervenire! (Iamar, Theolog. S. Iosephi, pag. 395).

Digitized by Google

XIV. — Sermo Vigilii Seldmayr.

VARIA DE S. IOSEPH.

Scholastica Mariana, p. II, q. 1.

Art. I. — Quo parente natus sit Sanctus Iosephus

OBSERVO, difficultatem in eo esse sitam, quod evangelistae Matthaeus, et Lucas diversos progenitores assignent; nam Matth. cap. I, v. 15, 16, sic legitur: « Mathan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus », et Luc. III, 23, refertur: « Ioseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat », quo sensu iuxta Matthaeum Ioseph fuit filius Iacob, et iuxta Lucam filius Heli, ex qua apparenti dissonantia Porphyrius et Iulianus Apostata ansam sumpserunt blasphemandi, et evangelistas erroris ac falsitatis arguendi, cum tamen id divino afflati Spiritu fecerint, ut Iudaeos argumento quasi ad hominem convincerent ad credendum, Christum esse verum Abrahami, et Davidis filium, quia dum eum habebant tanquam verum, ac proprium Iosephi filium, duxerunt genealogiam Iosephi unus a patre, avis, et proavis naturalibus; alter a legalibus. Quo observato,

1871. Dico: Pater Iosephi naturalis est Iacob a Matthaeo laudatus, et pater legalis est Heli a Luca memoratus. Ita antiquissima, et communis Patrum sententia omnibus aliis, quae referri solent, merito praeferenda, et in ipsa Ecclesiae traditione fundata; tradit enim eam secundo post Christum natum saeculo Sanctus Iustinus martyr, in lib. Quaest., quaest. 131; post Iustinum ineunte saeculo tertio eam tenet Iulius Africanus apud Eusebium, lib. I. Hist. Eccles. cap. 7, qui simul contestatur in epist. ad Aristidem se a Christi cognatis hanc sententiam accepisse, quod scilicet Matthaeus Christi progenitores secundum naturam recenseat, et Lucas secundum legem; et ideo in hanc sententiam conferto agmine conspirant Patres; Sanctus Hieronymus Comment. in cap. I Matth.; Sanctus Gregorius Nazianzenus, in Carmine De Christi genealogia; Sanctus Ambrosius, lib. III, in cap. III Luc.; Sanctus Augustinus, lib. II Retract., cap. 7 et 12, licet prius dubitasset; Damascenus, lib. IV Fidei orthodoxae, cap. 15; Euthymius, in cap. III Luc.; Nicephorus, lib. I Hist. eccles. cap. 11; Sanctus Bonaventura, in cap. III Luc.; Sanctus Thomas, III p., q. 31, a. 3, ad. 2; divus Anselmus, Beda, Theophylactus, Salmeron, Maldonatus, Toletus, Barradius, Vasquez, Sylveira, et alii innumeri tum veteres, tum recentiores, ut adeo haec sententia merito in antiquitate, traditione et consensu Patrum, et doctorum praeponderet.

1872. Probatur etiam ex eo quod haec assertio apparentem dissonantiam evangelistarum optime et cum proprietate verborum conciliet; nam Matthaeus, cum utatur verbo genuit, insinuat hoc ipso verbo progenitores naturales. Lucas vero quia utitur verbo substantivo fuit, quod aequaliter aptum est ad significandam filiationem legalem, et naturalem, salva proprietate verbi exponi potest de filiatione et paternitate legali, et sic exponi debet, quia filiationem naturalem per Heli prohibet textus Matthaei, et simul Scriptura in proprietate accipienda, adeoque in altero sensu legali in verbo fuit aeque comprehenso. Confirmatur ex lege Deut. cap. XXV, v. 5, ubi praeceptum exstat, ut fratris sine liberis mortui uxorem frater superstes ducat, et ex ea fratri defuncto semen suscitet, seu filium generet, qui filius secundum naturam tribuendus est fratri superstiti, secundum legem autem computandus est etiam tanquam filius fratris demortui, quod ad proprietatem Scripturae salvandam evenisse dicimus in casu nostro, ubi Mathan filius Eleazari de stirpe Salomonis coniugem habuit Iescam, ex qua praeter Ioachimum, de quo supra in tabula genealogica Beatae Virginis, genuit Iacob, et mortuo Mathan Iescam marito viduatam sibi despondit Mathat filius Levi de stirpe Nathan, et ex ea ipse etiam suscepit filium nomine Heli, ut adeo Iacob et Heli fratres uterini fuerint ex una matre Iesca, et duobus patribus Mathan. et Mathat prognati, quorum alter nempe Heli cum sine liberis esset mortuus, Iacob ex legis scripto, ut fratri defuncto semen suscitaret, duxit uxorem eius, et ex ea genuit Iosephum Mariae sponsum, qui cum erat primogenitus, manebat quidem filius Iacob secundum naturam, iuxta Evangelium Matthaei, secundum legem tamen simul filius Heli fuit, iuxta Evangelium Lucae.

1873. Obiicies primo: Lex ista Deut. XXV lata est de fratribus habitantibus simul. Ita enim sonat: « Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel. Sed Iacob et Heli, cum diversos patres habuerint, non habitarunt simul: ergo de his non est intelligenda lex.

1874. Respondeo primo, ex P. Serii, exercit. 42, num. 3, verbum Iasub, quod exstat in textu, non significare simultatem loci, sed

Digitized by Google

temporis, quatenus idem est. ac simul in vivis esse, quod de Iacob et Heli indubium est.

1875. Respondeo secundo, non posse legem intelligi in sensu nimis stricto de habitantibus tantum in una domo, quia secus nimis multae familiae debuissent esse in eadem domo, et exemplo sacrae Scripturae, uti ex lib. Ruth cap. IV contrarium constat, habitatio autem in diversis domibus et locis non obest in Iacob, et Heli.

1876. Obiicies secundo: Ex lege Deut. debebat primogenitus ex secundo matrimonio natus prioris mariti nomine vocari, ut verba ista insinuant: « Primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit ». Sed Iacob filium ex uxore sua genitum non vocavit Heli, sed Ioseph: ergo haec lex locum hic non habet. Respondeo, non esse hoc intelligendum de ipsa nominis impositione, quasi filius ex secundo matrimonio natus debeat appellari prioris mariti nomine: nam filius Ruthae natus ex matrimonio cum Booz non fuit vocatus nomine prioris mariti Chelion, sed Obed; sensum ergo lex habet, quod primogenitus ex ea vidua natus debeat reputari pro haerede prioris mariti, et sic memoriam, et nomen eius conservare non tam nuncupatione nominis, quam haereditatis, et familiae.

1877. Obiicies tertio: Cornelius a Lapide in cap. III Luc. 23, ait, quod dicta lex Deuteronomii iubens fratris sine liberis defuncti suscitare semen, non loquatur de fratribus uterinis, sed de germanis ex eodem patre prognatis, qui soli retinent nomen, et haereditatem paternam; sed Iacob et Heli non erant fratres germani ex utroque parente, sed tantum uterini ex eadem matre: ergo illos non attingit lex Deuteronomii.

1878. Respondeo, legem illam Deuteronomii non solum ad germanos fratres, sed etiam ad reliquos propinquos, qui passim in Scriptura fratres vocantur, spectasse cum hoc tantum discrimine, quod fratres germanos sub poena ignominiosae excalceationis, et conspuitionis obligarit, ut habetur Deut. XXV, v. 9, contra reliquos propinquos obligarit minus stricte ex quadam honestate, et nisi ius suum alteri propinquo cedere velint, ut expresse constat ex Booz, qui non fuit frater germanus ipsius Chelion prioris mariti Ruthae, sed tantum propinquus in gradu remotiori, cum, iuxta Ruth cap. II expresse alteri propinquiori cedere voluerit.

Art. II. — Utrum S. Ioseph fuerit proximus consanguineus Iesu et Mariae.

1879. Observo, sermonem nobis esse de consanguinitate tam propinqua, qua propior esse non possit, non potest autem esse consanguinitas in primo gradu, quia Ioseph non est carnalis pater, frater, aut filius Iesu et Mariae. Neque potest esse in secundo gradu respectu Iesu, quia non est avus Iesu, nec nepos eius quocunque sensu, cum alias pater eius iure coniugii esse non posset. Quaeritur ergo an sit consanguineus Iesu in tertio, et Mariae in secundo gradu? ad quod

1880. Dico: Sanctus Ioseph est consanguineus Iesu in tertio, et Mariae in secundo gradu. Ita communis sententia, quamvis non ex eadem consanguineorum serie deducatur. Probatur autem ex arbore genealogica superius stabilita; nam ibi diximus, et probavimus, quod Sanctus Ioachimus, pater Beatae Virginis, sit filius Mathan frater Iacobi, qui pater naturalis est Iosephi; adeoque Mathan est utriusque Mariae et Iosephi stipes sub nomine avi, et sic sunt in se cundo gradu consanguinei, et hoc ipso Iosephus est cum Iesu in tertio, quia computatio fit per gradum a stipite remotiorem; Mathan autem licet respectu Iosephi sit in gradu secundo, a Iesu tamen est in tertio,

1881. Probatur secundo, ex lege Numeri cap. ult. v. 7, ubi cautum fuit, ne feminae bonorum paternorum haeredes nubant extra suam tribum, et familiam, ne scilicet bona et possessiones mediantibus nuptiis de tribu in tribum, aut de familia in familiam devenirent; est autem communis traditio Beatam Virginem fuisse suorum parentum prolem unicam, et haeredem: ergo debebat vi legis uni nubere, qui non solum esset consanguineus remote ex eadem familia, adeoque Ioseph est cum Iesu et Maria in gradu tam propinquo, quo esse potest consanguineus.

1882. Obiicies: Graves auctores docent, uti Ioannes Lucidus, Ioannes Annaeus, Petrus Galatinus, Iansenius, Driedo, Suarez, Cornelius a Lapide, quod Heli ab evangelista Luca nominatus, cap. III, fuerit ipse parens Beatae Virginis Ioachimus, quia Heli per apocopen idem est quod Elichim, seu Ioakim, uti constat ex IV Reg. cap. XXIII, et II Paral. cap. XXXVI; Iudith IV, 11, et ideo quando evangelista Lucas dicit: « Iesus, qui putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli », relativum, qui, referendum est ad Iesum, ita ut sensus sit, Iesum esse filium Heli, seu Ioachim mediatum, nempe mediante Maria, et sic vi huius genealogiae Ioseph non est consanguineus Iesu et Mariae quoad lineam maternam Ioachimi, cum nihil ad ipsum pertineat, neque quoad lineam maternam Sanctae Annae, quia per hanc Beata Virgo est de genere sacerdotali, in quo non scitur esse Sanctus Ioseph.

1883. Respondeo primo, his auctoribus

Digitized by Google

utut gravibus a nobis supra et antiquiores, et graviores opponi, qui de contrario systemate quasi traditionem Ecclesiae praeseferunt, et administrant.

1884. Respondeo secundo, hoc systema in multis deficere. Primo, quia Heli non est idem quod Eliachim, vel Ioakim, nam Heli significat idem quod oblatio, Eliachim idem quod « Dei resurrectio ». Ut habet interpretatio, quae est in calce Bibliorum, imo ut probat Vasquez, tom. II, ad II. p. disp. 127, cap. 4, num. 40, iuxta radicem Hebraicam, et Graecam Ioakim nullatenus per apocopen dici potest Heli: deinde in toto genealogiae contextu a Luca cap. III descripto semper relativum, qui, denotat personam ultimo nominatam tanquam patrem immediatum; ergo pariter in his: « Iesus qui putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat », relativum, qui, appellat super Ioseph tanquam personam proximam, sicut in sequentibus super Heli, non est idem, quod Ioachimus tanquam pater Beatae Virginis, sed hic manet filius Mathan, et inde in gradu secundo consanguineus cum Beata Virgine.

Art. III. — Utrum Christo Domino competierit ius succedendi in bona Sancti Iosephi, et in ius ad regnum Iudaicum.

1885. Observo, quod forum externum attinet, videri rem indisputabilem, quod Christo conveniat ius succedendi in bona Iosephi, quia in hoc foro ille censetur pater obligatus ad deferendam haereditatem filio, quem iustae nuptiae demonstrant esse patrem; sed iustae nuptiae demonstrant Iosephum esse patrem respectu Christi: ergo in foro externo Iosephus tanquam pater est obligatus ad haereditatem Christo deferendam, et Christus habet ius succedendi in bona Iosephi, et per consequens supposito, quod ius regni, et sceptri Iudaici fuerit penes Sanctum Iosephum ut quidam volunt ex vi genealogiae per Matthaeum deductae, tum per Iosephum transiit ad Christum, et hoc imprimis pro foro externo. Quo notato,

1886. Dico: Christo Domino convenit ius succedendi in bona Iosephi etiam in foro interno. Ita Suarez, III p. q. 29, sect. 1; Cornelius a Lapide, in cap. 1 Matth. et alii. Probatur primo ex Sancto Iustino martyre, in lib. Quaest. ad orthodoxos, quaest. 133: « Efficit divina gratia, cum credimus Christum filium esse Ioseph, nec tamen ex eo natum secundum naturam minime miremur; ut enim Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinae legi sic visum est, ex uxore Heli dare eidem Heli filium: sic Deo visum est, ex uxore Iosephi dare filium eidem Iosepho non genitum secundum naturam ex ipso ». Quibus verbis praeclare deducitur, quod sicut Ioseph est filius Heli legalis, et inde iuxta legem haeres ipsius, licet secundum naturam non sit filius Heli, sed Mathan, ita etiam Christus Dominus sit ex voluntate Dei tanquam supremi legislatoris filius legitimus ipsius Iosephi, et inde haeres eius, licet secundum naturam ab ipso non descendat.

1887. Probatur secundo: Licet Christus non sit conceptus ex semine Iosephi, est tamen conceptus ex fundo Iosephi, quia maritus est dominus corporis uxoris, et hoc non illegitime, sed omnino legitime ipsa Dei virtute omnem legem habentis in sua potestate haec operante: ergo est proprius, et legitimus Iosephi, et habet proinde ius tanquam legitimus haeres in bona Iosephi.

1888. Confirmatur: In lege antiqua potuit frater fratris ob sanguinis coniunctionem supplere vices, et ei iam defuncto suscitare semen et haeredem ex uxore superstite: ergo id ipsum potuit etiam praestare Deus Iosepho adhuc viventi ex coniuge sua legitima procreando filium et haeredem, cum Deus et virtutem operativam Iosephi, et ipsam legem in se contineat.

1889. Probatur tertio: Christus non habet tantum titulum originis ex fundo Iosephi, sed habet insuper titulum adoptionis saltem tacitae cum publica fama, quod sit filius secundum carnem, sed haec simul coniuncta necessario operantur effectum iuris ad succedendum: ergo Christus habet ius ad succedendum in bona Iosephi. Mai. prob.: Sanctus Iosephus Christum ab incunabulis ex Dei voluntate assumpsit ad alimentationem, et omnia subsidia vitae humanae necessaria subministranda, et velut proprio naturali filio fidelissime praestitit, sed hoc est saltem tacite adoptare, quia adoptio nihil aliud est, quam assumptio in filium, et licet haec de iure Romano requirat certas solemnitates, non requirit tamen de iure naturali, et gentium aliud, quam ut quis alium assumat in filium, quod Sanctus Ioseph revera praestitit, uti testatur Deipara Virgo: « Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te » (Luc. II, 48); et Christus se pro filio habuit: « Erat subditus illis » (Ibid. 51). Ergo Christo Domino competit ius haereditarium in bona Iosephi quaecumque.

1890. Obiicies primo: Sanctus Iosephus non habuit ius sceptri ad regnum Iudaicum, cum sanctus Ioachim, quem supra diximus esse filium primogenitum Mathan, illud iure primogeniturae participaverit: ergo per Sanctum Iosephum non potuit devolvi ius sceptri ad Christum, et sic iste non potuit hac via succedere Iosepho in iure regni Iudaici.

Digitized by Google

1891. Respondeo, ius sceptri ad regnum Iudaicum esse Christo adiudicandum titulo nativitatis iuxta illud: « Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum? » (Matth. II, 2) et ideo superius diximus, Christo competere ius sceptri, quia natus est ex Maria Virgine, quae habuit ius sceptri per Ioachimum patrem, cuius unica filia erat, et haeres; sed quia haec via non est omnimode certa, nec ex ipso Evangelio explicite rata, ideo ex supposito quod haec via non foret vera, damus alteram, qua dicimus quod Christus sit filius Ioseph natus ex Maria Virgine tanquam ex fundo proprio virtute Spiritus Sancti, et quod hoc modo etiam vi nativitatis per Sanctum Iosephum haereditaret ius ad regnum Iudaicum, quod vim habet saltem ex fama publica, qua Christus a Iudaeis credebatur filius Iosephi secundum naturam, et ideo evangelistae ex impulsu altiori Iudaeos convincere voluerunt de hoc, quod Christus sit habendus tanquam filius David, et haeres sceptri Iudaici, quia est filius Ioseph.

1892. Obiicies secundo: Sanctus Ioseph non videtur habuisse ius ad regnum, etsi daremus, quod Iacob, non Ioachim fuerit primogenitus filius Mathan, quia Ioseph, etsi fuerit filius naturalis Iacob, fuit tamen simul filius legalis Heli, et ideo haeres ipsius Heli, non ipsius Iacob: ergo per Ioseph non potuit ius regni devolvi ad Christum.

1893. Respondeo Iosephum fuisse primogenitum filium Iacobi, et unice ab Evangelio nominatum, quamvis aliunde etiam constet habuisse fratrem nomine Cleopham. Primogenitus autem, ut expresse constat ex lib. IV Ruth cap. IV, non erat necessitatus ad renuntiandum iuri primogeniturae in bona patris naturalis, et poterat libere, si vellet, adire haereditatem patris legalis; licet ergo Sanctus Ioseph fuerit filius legalis Heli, non constat tamen quod haereditatem eius adierit, minus constat, et verisimile prorsus non est, quod iure ad regnum Iudaicum, si reipsa habuit in vi primogeniturae, se exuerit, et quia se exuisse non constat, praesumitur, quod ad Christum reipsa transtulerit in hypothesi, quod habuerit.

Art. IV. — Utrum Sanctus Ioseph sit verus maritus Mariae cum omni proprietate ad verum maritum pertinente.

1894. Observo, non solum haereticos, sed etiam quosdam esse inter Catholicos, qui negant Iosephum esse verum maritum Mariae cum omni proprietate ad verum maritum pertinente; sic Gratianus dist. 27, q. 2, can. « Quid autem », id expresse defendit, sed utitur ratione, quae error est in fide, quia putat essentiam matrimonii consistere non posse sine copula carnali, quod pugnat contra Tridentinum dividens matrimonium in ratum, et consummatum; quod si aliquis contendat, ad matrimonium de necessitate requiri expressum consensum in copulam, hoc rursus error est in concilio Constantiensi, sess. 8, inter errores Wicleffi damnatus; putant tamen Medina, lib. V De continentia, cap. 61, et Canisius, lib. I De B. Virg. cap. 5, ℣ Imo, utramque hanc partem posse libere defendi, quod S. Ioseph sit, et non sit proprie dictus maritus. Contra quos

1895. Dico: Probabilius de fide est quod Ioseph sit verus maritus Mariae cum omni proprietate ad matrimonium ratum spectante. Ita Suarez, tom. II. in III p., disp. 7, sect. 1; Fonseca, in Vita Christi, cap. 9; P. Morales, in Matth. lib. II, tract. 3, num. 8, et alii plures.

1896. Probatur primo: Allegando loca Sanctae Scripturae; nam Matth. I, 16 dicitur: « Iacob genuit Ioseph virum Mariae ». Et v. 19: « Ioseph autem vir eius, cum esset iustus ». Et sic dicitur Ioseph Mariae vir, quod est proprium nomen mariti: similiter Beata Virgo vocatur uxor et coniux, quae sunt nomina propria verae uxoris et coniugis: nam Matth. I, v. 20, habetur: « Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; et eodem cap. v. 24, « Ioseph accepit coniugem suam », et rursus Luc. II, 5: « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore »; quae omnia in sensu proprio accepta, in quo verba Scripturae, teste Sancto Augustino, De Gen. ad litteram, cap. 1 et 7, Sancto Basilio, hom. 9 in Hexameron, per se sumenda sunt, significant matrimonium proprie sumptum, et quia etiam Sancti Patres communi sensu haec accipiunt de matrimonio rato, solum excipientes matrimonium consummatum, ideo vix dubitari potest, quod sit res omnino de fide, quod S. Ioseph sit in omni proprietate maritus Mariae.

1897. Probatur secundo: Sancti Patres ex professo refutant haereticos, Iosephum habentes tantum pro marito putatitio; nam Sanctus Augustinus, lib. V Contra Iulianum, asserentem quod evangelista tantum loquatur ex opinione vulgi qua Maria et Ioseph putantur esse coniuges: « Nec putemus evangelistam id facere potuisse, cum vel sua vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem populi loqueretur; sed nunquid angelus loquens unus ad unum contra conscientiam suam et ipsius, cui loquebatur, secundum opinionem potius quam secundum veritatem fuerit locutus, cum dixit: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam? ». Ubi Sanctus Augustinus

Digitized by Google

expresse tuetur. Mariam, et Ioseph non esse coniuges putatitios, et in aestimatione vulgi tantum, sed veros, in vi tamen matrimonii rati, ut exponit Sanctus Ambrosius, lib. De instit. Virg., cap. 6, dicens: « Desponsata viro coniugis nomen accepit; cum enim initiatur coniugium, tunc coniugis nomen ascischitur, non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis ».

1898. Probatur tertio, ex Evangelio Sancti Matthaei cap. 1, ubi describitur generatio Christi per progenitores Sancti Iosephi; sed si Iosephus non esset coniux, et vir proprie dictus, non potuisset progenies Christi ex illo duci, quia nec carne, nec iure coniugii foret Christi pater; ergo Ioseph est verus coniux. Nec putes, Iosephum tantum dici patrem putatitium Christi, et per consequens posse etiam dici coniugem putatitium Mariae, quia contra est, quod tantum dicatur pater Christi putatitius secundum carnem, et sic etiam dici tantum possit coniux putatitius matrimonii consummati, non rati, quia spectando matrimonium ratum inter Mariam et Iosephum, dicendus est Iosephus et pater, et coniux verus, non putatitius, secus ex vero progenies Christi duci non posset per Iosephum.

1899. Probatur quarto: Inter alias causas, cur Beata Virgo fuerit matrimonio copulata, ponitur etiam haec, « Ne lapidaretur ut adultera », si nempe inveniretur praegnans sine legitimo viro, et coniuge: ergo debuit Iosephus legitimus vir esse, et coniux; nec ad hoc sufficit praecise pactum ad mutuo cohabitandum, quia stante hoc tamen haberetur pro adultera, hoc ipso quod defuisset vera ratio matrimonii, et de conceptione per obumbrationem Spiritus Sancti nemo quidquam sciverit, ipse etiam Iosephus non potuisset dici voluisse ipsam occulte dimittere ob hoc, quia iustus erat, ipse etiam timere debuisset, ne lapidaretur, quia, secluso vero et publico coniugio debuisset fieri suspectus propter cohabitationem cum illa praegnante, et denique cur dixit angelus: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam? ». (Matth. 1, 20) Si non fuisset vera coniux, non potuisset Ioseph velle dimittere, quia nemo dimittit quod non habet, et angelus non veraciter Mariam vocasset coniugem, si non esset.

1900. Probatur quinto, ex quatuor illis causis a Sancto Thoma, III p. q. 29, a. 1, receptis, ob quas censetur matrimonio copulata, ex quibus prima est, ne Christus ab infidelibus abiiceretur tanquam illegitime natus; secunda, ut per genealogiam potuerit Christus probari tanquam verus filius David; tertia, ut a Sancto Iosepho nutriretur tanquam patre iure coniugii legitimo; quarta, ut partus celaretur diabolo; quae omnes causae requirunt, ut Ioseph sit verus et proprius coniux. Prima quidem, quia, absente veritate matrimonii, potuisset Christus vere ab infidelibus abiici tanquam illegitimus, secunda vero, quia non nisi ex vero, et proprio coniugio confici potest vera genealogia uxoris et filii: tertia etiam, quia non nisi verus coniux est obligatus ad alimenta matri et filio praestanda; quarta denique id requirit, quia pariter non nisi vero coniugio partus celari recte potuit diabolo, quatenus nempe per hoc averti potuit a curiosa investigatione, num iste partus sit virgineus, et inde veri Messiae; nam licet diabolus omnia naturalia habitualiter sciat, impeditur tamen tum a poena sua, qua alligatur ad miseriarum suarum considerationem, tum ab ordinario modo causarum secundarum, qualis est, quod inter coniuges partus non sit virgineus, ne curiosius veritatem vestiget, et ad eam perveniat, et ideo planum est, quod ob dictas causas debuerit esse verum coniugium inter Mariam et Iosephum.

1901. Obiicies primo: Vasquez III p., q. 29, disp. 125, cap. 3, nostram assertionem quidem habet pro adeo certa, ut opposita sit nota saltem temeritatis digna; non putat tamen esse de fide, quia licet ex Scriptura haud obscure eruatur, Patres tamen varie de hac re sentiunt, et ideo manifestus fidei articulus nondum videtur esse.

1902. Respondeo, nos in nostra conclusione limitate loqui, et Vasquezio in tantum deferendum esse censemus, quod ipsimet asseramus, sententiam nostram nondum esse articulum fidei ab Ecclesia definitum, vel omnino manifeste, et irrefragabiliter in Scriptura expressum, ut absolute ab omnibus ex necessitate praecepti debeat credi, esse tamen respective, et probabilius de fide, quemadmodum de fide esse dicitur Immaculata Conceptio, vel quod hic numero Pontifex sit verus Christi Vicarius, quia id rationes nostrae pro conclusione adductae, et absurda, quae ex opposito sequerentur, satis evincunt, neque sancti Patres reipsa sunt contrarii, quia hi solum negant matrimonium consummatum, non ratum.

1903. Obiicies secundo: Sanctus Hilarius, in cap. 1 Matth., ait quod Beata Virgo fuerit « nuncupata potius Mater Christi, quia id erat; non uxor Iosephi, quia id non erat ». Et sanctus Petrus Chrysologus, serm. 175, de Sancto Iosepho inquit: « Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus ». Ergo sancti Patres videntur esse contrarii.

1904. Respondeo, quod quia matrimonium est duplex, ratum, et consummatum, ideo nomina uxoris et mariti etiam dupliciter accipi: in matrimonio rato uxor et maritus nuncupantur ex copula coniugali, quae est

Digitized by Google

pura desponsatio per verba de praesenti, quo sensu intelligenda sunt verba Luc. cap. II, v. 5: « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore ». In matrimonio e contra consummato, uxor et maritus nominantur ex copula carnali, seu ex cognitione uxoris, et consummatione matrimonii, quo sensu sanctus Hilarius dixit de Beata Virgine: « Non uxor, nempe carnaliter cognita, vel coniuncta », et sanctus Petrus Chrysologus, de Sancto Iosepho: « Maritus solo nomine », quoad copulam nempe carnalem, in quantum putabatur uxorem suam cognovisse, et ex ea Christum genuisse, per quod tamen sanctus Pater non negat Iosephum esse verum maritum, quia expresse ait: « Conscientia vero sponsus », nempe de praesenti, seu sponsus matrimonii rati.

1905. Obiicies tertio: Sanctus Hieronymus in cap. I Matth., v. 16, etiam nuptias negat inter Mariam et Iosephum, dicens: « Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae uxores vocentur ». Idem docet sanctus Gregorius Magn. hom. 26 in Evang., inquiens: « Habere Mariam sponsam voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit ». Ergo quia sine veris nuptiis non est verum matrimonium, hoc non intercessit iuxta sanctos hos Patres.

1906. Respondeo uti prius, quod quia matrimonium est duplex, unum ratum et alterum consummatum, ideo etiam nuptiae, quae coincidunt cum matrimonio, sunt duplicis generis, ratae per copulam coniugalem, et consummatae per copulam carnalem; quo sensu Sanctus Hieronymus monet, ut, cum virum audieris Sanctum Iosephum, tibi non subeat suspicio nuptiarum congressu carnali consummatarum, sed recordare, quod « Sponsi de praesenti viri, et sponsae de praesenti uxores vocentur », matrimonii nempe rati; idem sensus est in textu Sancti Gregorii Magni dicentis, quod Sanctus Iosephus sit « sponsus qui ad nuptias consummatas non pervenit ».

1907. Obiicies quarto: Sanctus Augustinus, lib. XIX contra Faustum Manichaeum, cap. 26, inquit: « Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat ». Sed Beata Virgo non nupsit ea intentione, ut mater fiat, seu ut liberos procreet, cum ad angelum dixerit: « Quomodo hoc fiet, quoniam virum non cognosco? ». (Luc. I, 34) Ergo non fuit Iosepho coniuncta per verum matrimonium.

1908. Respondeo, Sanctum Augustinum in hac etymologia attendisse ad id, quod in matrimonio communiter intenditur tanquam effectus, non tamen per hoc voluisse, quod animus utendi coniugio ad suscipiendos liberos sit de substantia vel ratione essentiali ipsius matrimonii, cum hoc possit iniri qua ratum tantum, quod ipse Sanctus Augustinus declaravit refutando in hoc Iulianum, lib. V, contra ipsum, cap. 9, et lib. II De consensu Evangel., cap. I, dicens: « Etiam servata pari consensu continentia potest permanere, vocarique coniugium non permisto corporis sexu, sed custodito mentis affectu ».

1909. Obiicies quinto: Si mutuus consensus ad continentiam in pactum deducitur sub hac forma, « Contraho tecum, si mecum continentiam serves », matrimonium est nullum ex communi sententia; sed ita videntur contraxisse Maria et Ioseph: ergo matrimonium inter ipsos est nullum.

1910. Respondeo, maiorem esse veram ex ratione, quod tale pactum tollat ius mutuum in corpora, quod est de substantia matrimonii, hinc nullo fundamento dicitur, quod Beata Virgo et Sanctus Iosephus cum tali pacto matrimonium inierint, sed ipsi voluerunt inire verum contractum matrimonialem, VI cuius sibi invicem darent ius mutuum in corpora, et forent ex iustitia obligati ad servandam fidem, et ad vitandam copulam extra proprium torum, interim erat saltem Beata Virgo certificata divinitus, ut Sanctus Thomas docet in IV, dist. 30, q. 2, a. 1, quaestiunc. 2, ad 2, quod Sanctus Ioseph non sit petiturus debitum, et sic stante suo voto, potuit inire matrimonium dando Iosepho ius in suum corpus, cuius usum ille nunquam sit petiturus; instantia est inter coniuges iam contracto matrimonio votum continentiae emittentes.

Art. V. — Utrum Ioseph non solum maritus, sed et virgo fuerit.

1911. Observo, Sancti Iosephi virginitatem impugnari a variis; nam imprimis eam invadit Helvidiana haeresis, quae iam saeculo IV asseruit Iosephum illos liberos ex Deipara post Christum in virginitate natum genuisse, qui in Evangelio vocantur fratres Domini, quam haeresim quidam Hispani saeculo VII resuscitarunt, quos confutavit divus Ildephonsus noster, Toletanus episcopus; nostra vero aetate ministri Calviniani passim hanc Helvidii blasphemiam fidei non repugnantem existimant. Sunt vero etiam Catholici, qui sic dictos fratres Domini Iosephi filios esse asserunt, non tamen ex Deipara Virgine, sed ex alia priore uxore susceptos, qua defuncta Iosephum qua bigamum matrimonio fuisse iunctum Deiparae asserunt D. Epiphanius haeres. 78: Sanctus Gregorius Nyssenus, D. Hilarius, D. Ambrosius, Origenes, Theophylactus, Euthymius, Eusebius Caesariensis, et Nicephorus Calixtus

Digitized by Google

apud Ioannem de Carthagena, lib. IV, hom. 3, num. 9; verum alii gravissimi Patres gloriosius de Sancto Iosepho sentiunt. Cum quibus

1912. Dico primo: Sanctus Ioseph nunquam carnaliter cognovit Deiparam Virginem. Est de fide catholica ex supra dictis, et probatur primo ex omnibus illis Scripturae testimoniis, et rationibus, quas supra allegavimus pro perpetua Beatae Virginis virginitate, et specialiter ex illo Ezechielis XLIV, 2: « Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam ». Quae verba proprium, et nativum sensum habent in porta orientali templi Salomonici; allegorice tamen Patres omnes et interpretes intelligunt de utero virginali Deiparae, qui nulli pervius fuit nisi soli supremo Principi Deo, uti habet Tirinus, Comment. in Ezech. XLIV.

1913. Probatur secundo ex illis verbis Scripturae: « Ioseph autem cum esset iustus, voluit occulte dimittere eam » (Matth. I, 19). Ex quibus patet, Sanctum Iosephum non cognovisse suam uxorem, quia tunc, ait evangelista, voluit dimittere, quando « inventa est in utero habens », id est, quando Sanctus Ioseph advertit coniugem suam esse gravidam, et non a se; si enim ipse carnaliter cognovisset, non potuisset scire, quod non sit gravida suo cum ipsa congressu; si autem Ioseph non cognovit uxorem ante Christi Conceptionem, et Nativitatem, neque deinceps cognovit, quia factum id est propter votum continentiae mutuo consensu, ut Sanctus Thomas, III p., q. 28, a. 4, in corp. notat, emissum.

1914. Obiicies: Matth. I, 18, dicitur: « Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Ergo ipse evangelista insinuat, quod aliquando convenerint.

1915. Respondeo: τὸ « antequam » sumi hic negative, quatenus negationem conventionis affirmat, non positive, quasi simul innueret affirmationem de rei contingentia post illud tempus, uti praeclare ostendit sanctus Hieronymus, lib. I Comment. in Matth. I per haec verba: « Quod autem dicitur antequam convenirent, non sequitur, quod postea convenerint; sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit ».

1916. Dico secundo: Sanctus Iosephus non duxit Deiparam ut bigamus, sed ut semper virgo. Ita unanimis hodie sententia, quam refert reverendiss. Coelestinus Mayr in Mysteriis divini Verbi, disp. 2, q. I, a. 2, num. 6. Probatur primo ex consensu gravissimorum Patrum; sic enim sentit Sanctus Hieronymus, contra Helvidium, p. 316: « Tu dicis Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vindico, etiam ipsum Iosephum virginem fuisse, ut per Mariam ex virginali coniugio virgo filius nasceretur ». Idem docet Sanctus Augustinus, serm. 15, De Nativitate Domini; Beda, in cap. II Ioannis, et lib. II in Marc. cap. 23; Petrus Damianus, epist. II, ad Nicol. cap. 4; Anselmus, in cap. XII et XIII Matth., et ad Galat. I; Rupertus, lib. II in Cant.; Hugo Victorinus, lib. de Mariae coniugio; Sanctus Thomas, in III p., q. 28, a. 3, et in cap. I Epist. ad Galat.; Gerson, serm. De Nativ. B. Virg.; Canisius, Suarez, Castrius, Carthagena cum communi doctorum hodie solis haereticis exceptis, qui Iosephum sibi similem mallent, ut ait Schan societ. Iesu in sua Iosephina, elog. 13.

1917. Probatur etiam ratione multiplicis congruentiae; nam primo, optime poeta monet:

Si qua voles apte nubere, nube pari;

ergo Beata Virgo Iosepho non ut bigamo sed ut virgo virgini nupsit, in quo erat par. Secundo, tanta Virgo adiutorium habere debuit simile sibi: ergo sponsum, qui virgo esset, non bigamus. Tertio, Christus ut moriens non alium custodem dedit Matri quam virginem, nempe Ioannem, qui quamprimum eam accepit in sua, votum virginitatis emisit, ut docet Alexander III, in Appendice ad Concilium Lateranense: ergo etiam Iosephum non aliter ei elegit nisi ut virginem. Quarto, omnes apostoli emiserunt votum castitatis, uti expresse tradit Sanctus Augustinus, lib. XVII, De civitate Dei, cap. 4; et D. Hieronymus, lib. II contra Iovinianum: ergo hanc praerogativam etiam habuit Sanctus Iosephus, aeque et magis Christo, et Matri eius vicinus, quam apostoli. Quinto, si Sanctus Ioseph habuisset ex alia praecedente uxore liberos, divisisset amorem, nec potuisset se totum impendere Christo, quod tamen requirebatur ad sustinendum cum Christo exsilium, et alia ferenda onera per triginta paene annos; ergo, etc.

1918. Probatur tertio ex Sacra Scriptura, quia ideo quidam ex Patribus Sanctum Iosephum putant alios ex alia uxore procreasse liberos, quia in Evangelio fit mentio de fratribus Domini, specialiter de Iacobo Minore et aliis, sed hoc argumentum est ex ipsa Sacra Scriptura nullum: ergo nullo argumento probatur Sanctum Iosephum habuisse prius aliam uxorem. Maior est evidens; min. prob.: Sicut Iacobus Maior dicitur filius Zebedaei Matth, x, v. 3, ita Iacobus Minor vocatur filius Alphaei, Marc. III, v. 18, et per consequens non Iosephi, item Maria, quae mater est Iacobi Minoris, ex Marci cap. XV, v. 40, et quae inde debuisset esse uxor Iosephi, adhuc vixit tempore Dominicae Passionis, et numeratur inter fe-

Digitized by Google

minas religiosas Passioni praesentes, Matth. XXVII. 56; et sic Sanctus Iosephus debuisset duas simul uxores in vivis habere per annos circiter triginta, quod aperte contra legem pugnat, et inde Scriptura erraret, Iosephum Matth. cap, I, vocando virum iustum; adeoque nullum prorsus est argumentum, quod sumitur a fratribus ad probandum, quod Ioseph ex alia uxore liberos genuerit.

1919. Obiicies primo: Marc. VI expresse dicitur: « Nonne hic est faber, filius Mariae, et frater Iacobi? » Item Matth. XIII: « Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et frater eius Iacobus et Ioseph? » Ergo quia fratres dici non sic possunt salva fide ex Maria Virgine, debent tales nuncupari ex primo Iosephi coniugio.

1920. Respondeo, ex argumento scripturistico prius adducto apparere, quam vacuum sit hoc argumentum ex appellatione fratrum accepto, quia evidenter constat ex Scriptura, quod iste Iacobus non sit filius naturalis Iosephi, sed Alphaei, et quod proinde Evangelium Matthaei, et Marci non sit intelligendum de fratribus naturalibus Iesu, sed de consanguineis, prout moris erat apud Iudaeos etiam consanguineos fratres vocare, uti postea ostendetur.

1921. Obiicies secundo: Plures ex antiquis Patribus a num. I laudatis sentiunt Iosephum fuisse bigamum, et liberos habuisse ex alia uxore: ergo sententia haec insistendo sanctis Patribus saltem probabilis est.

1922. Respondeo, salva reverentia Patribus debita, opinionem hanc non posse amplius esse probabilem, tum quod clarissime contradicat huic probabilitati sanctus Hieronymus a num. 5 citatus et in Matth. cap. XII dicens: « Quidam fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur sequentes deliramenta apocryphorum », cuiusmodi sunt Evangelia sub nomine Petri, et Iacobi, quae olim circumferebantur; si autem deliramenta sunt, probabilitatem non habent: tum quod satis convincenter ex Scriptura ostensum sit, quod Iacobus non sit filius Iosephi, sed Alphaei.

Art. VI. — Qua ratione in Scriptura aliqui fratres Domini appellantur, si Iosephi filii non sint.

1923. Observo: Fratres Domini in Evangelio nuncupantur sequentes: Primus est Iacobus Minor, ille filius Alphaei, Marci III, 18, et Mariae, Marci XV, 40. Secundus est Ioseph Iacobi Minoris frater, Marci XV, 40; cuius mentio fit etiam Act. I, ubi cum Matthia in electione fuit, et cognomen Iusti, sicut Iacobus sortitus est. Tertius est Simon frater Iacobi, et Ioseph ex Matth. XIII, 55. Quartus est Iudas Thaddaeus, ad differentiam Iscariotis, nominatus frater Iacobi, Iosephi, et Simonis, uti clarus textus est Matth. XIII, 55, in haec verba: « Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas? » De his inquiritur, qua ratione fratres Domini nominentur. Ad quae,

1924. Dico: Omnes, qui nominatim vocati sunt fratres Domini, fuerunt tales nuncupati propter consanguinitatem cum Iesu, tanquam filii Cleophae cognomento Alphaei, et Mariae uxoris eius. Ita clariss. P. Babenstuber de Matre Dei, quaest. 3, ex Sancto Hieronymo, cuius haec est sententia, et qui in cap. XII Matth. ita ait: « Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus, materterae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi Minoris et Iosephi et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos: fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat ».

1925. Probatur secundo: Nominati Christi fratres non sunt filii naturales Iosephi ex Maria Deipara, cum de fide sit ipsam mansisse virginem, nec sunt tales ex alia uxore, quia haec uxor deberet esse Maria Alphaei, utpote mater dicta Iacobi Minoris, et Iosephi Iusti, Marci cap. XV, v. 40. Haec autem cum sit uxor Alphaei, Marci cap. III, v. 18, non poterat simul esse uxor Iosephi, et sic nominati Christi fratres non possunt aliter appellari fratres Christi nisi propter consanguinitatem ad modum, quo Lot, qui filius fuit Aran, fratris Abraham, appellatur Abrahami frater, Gen., cap. XIII, v. 8; et Laban, cum frater esset matris Iacob, eiusdem Iacobi frater appellatur, Gen. cap. XXIX, v. 15; sicut et Sara, quae fuit filia fratris Abrahae mariti, ab eodem Abraham dicta est soror Gen. cap. XX, v. 2. Porro arbor consanguinitatis fratrum Christi cum Christo recte ponitur sequens:

Digitized by Google



Ex qua arbore, quae superius iam stabilita est, patet, quod Fratres Domini sunt cum Christo compatrueles tanquam nepotes Iosephi ex fratre Cleophae, et consobrini, ut eos vocat S. Hieronymus, tanquam filii Mariae Cleophae materterae, maioris sororis Sanctae Annae matris Deiparae et aviae Christi.

Art. VII. — In qua aetate fuerit Ioseph, dum illi Virgo fuit desponsata.

1926. Observo, ex arbore consanguinitatis prius statuta apparet. quod Cleophas Iosephi frater Mariam duxerit sororem Sanctae Annae, et quod idcirco Cleophas necessario maioris aetatis fuerit, quam Deipara Virgo. Quod idem etiam dicendum est de Sancto Iosepho tanquam fratre ipsius Cleophae; quanto autem maioris aetatis fuerit, disputatur inter eruditos; quidam secuti Sanctum Epiphanium, haeresi 78, asserunt, eum fuisse senem octoginta annorum et ultra, dum Mariae copularetur; idem videntur sentire Cedrenus in Compendio historiae, et Nicephorus, lib. 1 Histor. cap. 7. Quaeritur ergo, an hoc sit dicendum? ad quod

1927. Dico: Ioseph non fuit senex, sed vir aetate florens circa triginta vel quadraginta annos, dum Virgini fuit desponsatus. Ita communis sententia, et iuxta Suarez, tom. II in 3 p., dist. 7, sect. 3 certa. Probatur primo: B. Virgo fuit idcirco matrimonio copulata, ut honor eius poneretur in tuto, possetque gravitas eius et partus marito tribui ab omnibus, qui peractum in ea mysterium ignorabant, quod autem tunc omnibus erat ignotum sicut et ipsi Iosepho, donec ab angelo fuerit edoctus; atqui si Sanctus Iosephus iam tempore desponsationis fuisset senex ultra octoginta annos natus, non potuisset ipsi gravitas Virginis, et partus eius ascribi, et potuissent homines facile quid sinistri suspicari de uxore iuvencula pariente; ergo non est credendum et assentendum, quod Sanctus Ioseph fuerit tam provectae aetatis tempore desponsationis.

1928. Probatur secundo: Decuit, ut in hoc omnium nobilissimo matrimonio servaretur proportio inter virum et uxorem saltem talis, quae communi usu et consuetudine servatur, adeoque ut Virgini, quae primum erat quatuordecim annorum, non daretur senex plus quam octoginta annorum: item oportebat, ut Iosephus tanquam vir esset adhuc aetate florens, et integris viribus, ut posset pauperem familiam alere, peregrinationes sustinere, in fovenda et educanda prole Virgini praesidio et solatio esse; ergo omnino credendum est, quod Sanctus Ioseph non fuerit adeo senex.

1929. Obiicies primo: Sanctus Ioseph fuit Beatae Virgini in matrimonium datus tanquam custos castitatis: ergo iam fuit senex.

1930. Respondeo: Ad servandam castitatem utriusque coniugis non fuisse necessariam senilem aetatem, sed virtutem et robur Spiritus Sancti, cuiusmodi fuit in Iosepho patriarcha in Ægypto, qui in iuvenili aetate castitatem et fidelitatem domino suo servavit; e contra Susannae insidiatores senes fuerunt, et tamen osores castitatis.

1931. Obiicies secundo: Isa. cap. XLII, dicitur: « Habitavit iuvenis cum Virgine », quod ad hoc mysterium applicat Glossa ordinaria, et Nicolaus de Lyra: ergo Sanctus Iosephus necdum fuit vir, sed iuvenis aequalis Virgini in sua aetate.

1932. Respondeo: Hoc prophetam narrare per modum rei cuiusdam singularis, et extraordinariae gratiae, qualis revera etiam est, et forsan maior in virili vegeta aetate, quam de eo ut nimis iuvene.

Art. VIII. — In qua aetate fuerit B. Virgo, dum Iosepho nupsit.

1933. Observo P. Hyacinthum Serrii in Exercitationibus criticis, exercit. 20, totis viribus contendere, quod Beata Virgo, dum

Digitized by Google

nupsit Iosepho, iam grandioris aetatis fuerit. et quia Caietanus annos viginti quatuor nubenti Virgini tribuit, et Gerson quinquaginta Iosepho adiudicat, serm. De Nativ. B. Virg. habito in concilio Constantiensi, iudicat utrumque divinare, et annos ex aequo definire, circa quod

1934. Dico: Beata Virgo tempore desponsationis inchoatum decimum quartum annum habuit. Ita communis, et probabilior sententia, teste Suarez, tom. II, in III p., disp. 7, sect. 3. cum Abulensi, in cap. II Matth., quaest. 101, et Ioan. Lucido tract. De vero die passionis Christi, et aliis annalistis, et chronologis. Probatur primo cum Suarez: Beata Virgo tanquam trimula oblata in templo undecim annis ibi mansit, et tunc tradita fuit Iosepho, et post quatuor menses angelicum nuntium habens concepit, atque decimum quintum annum agens peperit, prout communis Patrum sententia habet, relata ex Evodio in epistola, quae vocata est Lumen; Nicephoro, lib. II Histor., cap. 3; Gregorio Nysseno, Damasceno et aliis apud Suarez, quorum Patrum auctoritas maiorem fidem facit, quam coniectura Caietani a Serrii laudata, praesertim, quia ut advertit Vasquez, III p., dist. 125, cap. 11, Caietanus tantum censet rationabile, quod Beata Virgo 24 annum attigerit in desponsatione, pro certo autem pronuntiat quod expleto iam decimo nono anno fuerit enixa.

1935. Probatur secundo: Feminae sunt nubiles decimo quarto aetatis anno, praesertim si sint bonae constitutionis, uti optimae fuit Beatissima Virgo, et insuper moris fuit apud Iudaeos, nuptias, si nihil obstet, non differre, et ne puella supermatura fiat, impedire; praeterea altissima Dei providentia erat, ut ad tantas preces B. Virginis et tot iustorum, quantum possibile erat, opus incarnationis acceleraretur, et inde desponsatio, quae praeire debebat, non procrastinaretur; ergo Beata Virgo iam anno decimo quarto, quo nubilis erat, fuit desponsata.

1936. Obiicies primo: P. Serrii, exercit. 25, num. 4, asserit, cachinnis ac sibilis ab universis criticae sententiae peritis excipi momentum illud, quod Cardinalis Baronius ex epistola Evodii petit pro Virgine decimo quarto aetatis anno Iosepho nupta, cum illa epistola sit spuria, et fabulis a capite ad calcem infarta: ergo cum eamdem epistolam allegemus, fundamento non satis solido innitimur.

1937. Respondeo, tam vehementem crisin probare, quod Serrii in taxanda auctoritate Patrum, Cardinalis Baronii, et aliorum scriptorum ac theologorum excedat, praesertim quia nihil solidi affert ad communem sensum doctorum evertendum; quod enim in epistola Evodii quaedam apocrypha inveniantur, non probat, quod ea tota sit abiicienda, et nullius fidei habenda, quia nemo pene ex antiquis scriptoribus est, cuius omnia, quae affert, probantur, et hi saepe sibi invicem contradicunt, et varia etiam apocrypha, quae vitio descriptorum irrepserunt, continent, nec tamen haec omnia reiiciuntur tanquam fabulae sibilis explodendae, sed purgantur, et ea assumuntur, quae aliunde etiam assensum communem, vel traditionem obtinent; et ita se habet epistola Evodii circa historiam B. Virginis, id est, circa praesentationem eiusdem qua trimulae in templo, et desponsationem circa annum decimum quartum: quia cum Evodius immediate succedat apostolis, hoc scire potuit per traditionem, et quia epistola eius ab eruditis passim citatur, ideo etiam sua probabilitas atque auctoritas ei defertur, nec est, cur ex toto apocrypha, et in specie quoad hanc historiam Beatae Virginis nullius momenti habeatur, cum sit ex traditione iuxta Bollandistas in Vita S. Ioachim.

1938. Obiicies secundo cum P. Serrii loc. cit.: Beata Virgo non libidinis causa, nec prolis procreandae studio fuit nuptui tradita: ergo non est rationi consentaneum credere, quod matrimonium eius fuerit ita acceleratum.

1939. Respondeo, non solam libidinem esse causam accelerationis matrimonii, sed consuetudinem veteri legi conformem, ne femina ad nubendum fiat supermatura, si commode nuptiis dari potest. Specialiter autem accidit hoc divino consilio, ut votis sanctorum Patrum per preces Beatae Virginis completis pro accelerando Incarnationis mysterio fiat satis.

1940. Obiicies tertio: Rebecca, dum nuberet Isaaco Gen. XXIV), et Abisag Sunamitis, dum ad regem Davidem adducta est (III Reg. 1), erant circiter viginti annorum. Item Ruth Moabitis a Booz puella vocata erat annorum ad minimum viginti quinque: ergo nihil vetat Virginem Iosepho nubentem annos aetatis suae quatuordecim excessisse.

1941. Respondeo, per se loquendo nihil obesse, quominus puella nubilis, non statim anno decimo quarto nuptui tradatur, quia varia obstacula esse possunt quae impediunt, quominus annus decimus quartus observetur, sed nuptiae differantur, id tamen etiam verum manet, quod cum puella decimo quarto anno sit nubilis, possint fieri nuptiae, et de more veteris testamenti hoc tempore, si aliud impedimentum non obstiterit, hae factae sint: ergo quia impedimentum non noscitur circa Beatam Virginem, et aliunde Deus tam vehementibus precibus imploratus fuerit, ut negotium Incarnationis, quod nu-

Digitized by Google

ptias requirebat, acceleraret, ideo hae ultra annum decimum quartum non fuerunt protensae.

Art. IX. — Quare Sanctus Iosephus dimittere Mariam Virginem voluerit.

1942. Observo, in assignanda causa dimissionis in Sancto Iosepho tres esse sententias. Prima docet, Iosephum Beatam Virginem iudicasse ream adulterii, et ideo voluisse dimittere; pro qua sententia citantur Iustinus martyr, in Dialogo cum Tryphone; Sanctus Augustinus, epist. 54 Ad Macedonium, serm. 14 De Natali Domini, et alibi; Sanctus Chrysostomus, hom. 4 in Matth., tom. II; Euthymius, Hilarius, et alii. Secunda sententia opposita tuetur, Sanctum Iosephum cognovisse per revelationem Incarnationis divinae mysterium, et ideo ex humilitate et reverentia voluisse occulte dimittere. Ita sentiunt Origenes hom. 1 in Matth., D. Basilius, tom. I, hom. 25; D. Bernardus, hom. 2, super Missus; Hugo Cardinalis; Salmeron et alii. Tertia sententia inter duas priores media inficiatur utrumque, et e contra docet causam dimittendi fuisse ex una parte ignorantiam mysterii, ex altera innocentiam Virginis, et existimata iustitia rei, si rem tantam concredat divinae Providentiae, et ad tempus se subducat a sponsa, donec eventus veritatem edoceat. Ita Sanctus Hieronymus, in Matth. 1; D. Petrus Chrysologus, serm. 145; Glossa ordinaria, Simon Cassianus, Sylveira, Cornelius a Lapide, et plures alii, cum quibus

1943. Dico, causam cur Sanctus Iosephus voluerit dimittere Beatam Virginem fuisse innocentiam Virginis, ignorantiam mysterii, et existimatam iustitiam rei in hoc, si totum relinquat Deo, et ad tempus se subducat, donec eventus statum rei edoceat. Ita communior sententia, et clara Sancti Hieronymi in cap. 1 Matth., ubi sibi sic obiicit: « Si quis fornicariae coniungitur, unum corpus efficitur, et in lege praeceptum est, non solum reos, sed etiam conscios criminis obnoxios esse peccati, quomodo Ioseph, cum crimen celaret uxoris, iustus scribitur? » Ad quod sibi respondet: « Sed hoc testimonium Mariae est, quod Ioseph sciens illius castitatem, ed admirans quod evenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat ».

1944. Probatur nunc specialiter prima pars de innocentia Virginis: quia Sanctus Ioseph scivit Virginem obstrictam esse voto castitatis, vita, et moribus prorsus inculpatam, angelica puritate, et summa sanctitate praeditam, ut adeo non potuerit firmo iudicio iudicare, eam ream esse sacrilegii ex voto violato, ac adulterio commisso, sed hoc ipso; quia iustus scribitur, intumescentiam uteri cuicunque alteri causae incognitae ascripsit, et quia in Scriptura legitur Isa. VII, 14: « Ecce virgo concipiet », potius cogitavit, quod modo quodam Deo cognito tanquam virgo conceperit.

1945. Confirmatur. Si Ioseph firmum iudicium de adulterio patrato habuisset, et ob hoc dimittere voluisset, debuisset dimittere cum libello repudii, cum hoc ita requirat lex Deut. XXIV, et sic non potuisset id facere occulte. Ergo quia occulte voluit dimittere, non credebat de Virgine, quod adulterium commiserit.

1946. Probatur secunda pars de ignorantia mysterii: quia id clare constat ex Sacra Scriptura; nam Matth. 1, 20, ait angelus ad Iosephum: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est »; ubi angelus eum primum docet mysterium de miraculosa conceptione ex Spiritu Sancto. Ergo Sanctus Ioseph per prius non scivit mysterium, et sic etiam non potuit velle dimittere ex humilitate et reverentia erga hoc mysterium, sed potius ob hoc, quod ignoraret mysterium.

1947. Probatur tertia pars de rei iustitia in occulta subductione ad tempus: quia imprimis Scriptura Iosepho laudem tribuit, quod fuerit vir iustus, et quod voluerit occulte dimittere, et non traducere, quia vir iustus erat (Matth. 1). Ergo causa ipsi erat iustitia, quam putabat esse in hoc, quod rem Deo committat, et ipse se ad tempus subducat usque dum eventus rei clariora et certiora doceat.

1948. Confirmatur ex auctore Operis imperfecti, in cap. IV Matth.: « O inaestimabilis Mariae laus! Magis credebat castitati eius quam utero virginis, plus gratiae, quam naturae; conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat, possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare ». Ergo innocentia Virginis, ignorantia mysterii, et iustitia in occulta dimissione Iosepho voluntatem suggessit occulte dimittendi illam.

1949. Obiicies primo: Si Sanctus Iosephus neque adulterii crimen de Beata Virgine credidit, neque Incarnationis Dominicae notitiam habuit, nulla apparet iusta, et excusans ratio, propter quam Ioseph eam licite potuisset dimittere, cum arctissimum matrimonii vinculum dimissionem illicitam fecisset: ergo per nostram assertionem non salvatur iustitia Sancto Iosepho attributa.

1950. Respondeo, iustitiam facti a Iosepho cogitati circa dimittendam uxorem in eo esse sitam, quod licet sub utero gravido

Digitized by Google

crimen subesse non crederet, quia tamen ignorabat quid subsit, ideo consultum esse putaverit rem committere Deo, et ad tempus se subducere, donec eventus rei veritatem aperiat. Deinde voluntas dimittendi non erat absolute pro semper, neque firma, et efficax, sed erat tantum motus voluntatis deliberantis, et consultantis, ut patet ex verbis Matthaei : « Haec eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit » (Matth. I, 20), adeoque non determinate iudicabat, sed fluctuabat idque ex singulari dispositione Dei permissum, ut occasione animi huius fluctuantis, et anxie dubitantis virgineus conceptus tum ab angeli nuntio, tum ab ipso postea Virginis sponso testimonium acciperet, uti optime notat reverend. Godefridus Khröll, in Hist. Evang. tract. 2, cap. 3, q. 6.

1951. Obiicies secundo : Christus Dominus repudium uxoris non virtuti, sed duritiae cordis in Pharisaeis deputat, Matth. XIX. Ergo Iosephi voluntas in dimittenda uxore non potest reputari iusta.

1952. Respondeo, Evangelium laudare Iosephum ut iustum propterea, quia non voluit uxorem suam, cuius innocentiam sciebat, ratione gravis uteri traducere, et quia voluntatem habuit tantum ad tempus occulte se subducendi, et uxorem dimittendi, donec rei veritas innotescat, in quo nihil legi contrarium reperitur, sed potius consonum ; quia teste Hieronymo non tantum rei, sed etiam conscii criminum iuxta Levit. cap. V, v. 1, obnoxii sunt peccati, et ideo licet Ioseph uxorem non potuerit arguere peccati, debuit tamen eam cernere tanquam uterum portantem, et nescius a quo, unde se etiam poterat obligatum credere ad uxorem occulte dimittendam, donec rei veritas illucescat ; et sic etiam sensit Glossa ordinaria in cap. 1, ubi ait : « Sciebat illam esse inculpabilem, sed unde, vel quid esset, ignorabat, et ideo mediam elegit viam effugiendi, ut neque rei incognitae consentiendo se reum faceret, quae vera virtus est, cum nec pietas sine iustitia, nec sine pietate iustitia sit ». Ita Glossa.

Art. X. — An Sanctus Ioseph fuerit minister Dominicae circumcisionis.

1953. Observo esse errorem vulgi, quo Christus in templo et quidem a summo sacerdote circumcisus creditur ; licet enim ita soleat depingi, et proponi a pictoribus, reipsa tamen non ita est, quia satis clare indicat Evangelium, quod Christi parentes Bethlehemii manserint usque ad diem quadragesimum : « Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysis, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino (Luc. II, 22). Et quia ibidem dicitur, quod post dies octo fuerit circumcisus, sequitur, quod non in templo, sed in loco quo natus est, fuerit circumcisus ; nec a summo sacerdote, quia circumcisio non erat determinate ministerium sacerdotale, vel Leviticum, sed poterat indifferenter a quovis peragi ; sic Abraham circumcidit Ismaelem et vernaculos Gen. XVII, 23 ; item Isaacum (Gen. XXI, 4) ; item Iosue circumcidit filios Israel (Iosue V, 1 et seqq.) ; imo etiam mulieres circumcidebant filios, uti Sephora (Exod. IV, 25), et mulieres Machabaeorum, quae idcirco ab impio rege Antiocho de muro sunt deiectae (II Mach. VI, 1 seqq.). Quaeritur ergo, an Divus Ioseph fuerit minister circumcisionis ? ad quod

1954. Dico : Sanctus Ioseph fuit minister circumcisionis Dominicae. Ita Suarez, tom. II in III p., disp. 15, sect. 1, cum communi sententia : Probatur primo : Eodem die, quo Christus fuit circumcisus, fuit ei etiam nomen impositum, uti expresse habetur Lucae II, 21 : « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus ». Ergo idem minister, qui ei nomen imposuit, etiam circumcidit, sicut de facto idem minister, qui baptizat, nomen imponit ; atqui Ioseph nomen imposuit puero Iesu iuxta illud : « Vocabis nomen eius Iesum » (Matth. I, 21) : ergo etiam circumcidit, seu minister circumcisionis fuit.

1955. Probatur secundo : Eadem lege praecipiebatur israelitis circumcidere proles masculas, et simul in eiusdem sacramenti collatione nomen imponere, uti habet Sanctus Cyprianus, lib. De cardinalibus Christi operibus ; ergo sicut sacrosanctum nomen Iesu a Iosepho Christo fuit impositum, ita ab eodem fuit circumcisus.

1956. Confirmatur ex testimonio Sancti Ephraem Syri, in orat. De transfiguratione, dicentis : « Si non erat vera caro, quem ergo Ioseph circumcidit ? » Voluit nempe Sanctus Pater probare ex Christi circumcisione a Iosepho facta veritatem carnis Christi ab illo assumptae : ergo minister circumcisionis Dominicae est Ioseph.

1957. Obiicies primo : Sanctus Ioannes fuit circumcisus ab alio quam a suo patre, cum scriptum sit Luc. I, 59 : « Factum est die octavo, venerunt circumcidere puerum ». Ergo etiam Christus Dominus fuit ab alio circumcisus quam a patre putatitio Iosepho.

1958. Respondeo, his verbis non denotari, quod illi qui venerunt circumcidere puerum, reipsa circumciderint, seu ministri circumcisionis fuerint, quia non sunt plures ministri, sed unus ; et haec verba tantum

Digitized by Google

insinuant, quod amici et vicini ad solemnizandam circumcisionem, quam peregit vel ipse Zacharias tamquam sacerdos, vel alius quiscunque, cui honoris gratia fuit hoc ministerium delatum, fuerint invitati: in spelunca Bethlehemitica nihil indicatur de tali vicinorum conventu, vel solemnitate peracta; et ideo quia Sanctus Iosephus aliunde iussus fuit nomen imponere, etiam indubie circumcisionem in se suscepit.

1959. Obiicies secundo: Auctor lib. De vera circumcisione, inter Opera D. Hieronymi, tom. IX, computatus dicit: « Christus octava die circumciditur a Maria ». Ergo quia etiam aliae matres circumciderunt masculos suos, et inde liberum in antiquo Testamento fuit, ut pater, vel mater hoc officio fungeretur, non potest determinate dici, quod Sanctus Ioseph circumciderit.

1960. Respondeo, imprimis patresfamilias obiisse hoc officium regulariter, matres vero tantum dum vir commode non posset; et id praeprimis dicendum est de Sancto Iosepho quia huic de coelo demandatum est officium, ut nomen imponat, cum qua impositione simul conferri debebat circumcisio; quod autem auctor De vera circumcisione dicat circumcisionem fuisse peractam a Maria, non habet robur, quia testimonium hoc contradicit fortioribus argumentis a nobis hucusque allatis.

Art. XI. — Quam artem Sanctus Ioseph exercuerit.

1961. Observo Sanctum Iosephum fabrum fuisse, constare ex Evangelio dicente « Nonne hic est fabri filius? » (Matth. XIII, 55). Qualis vero fuerit faber, non est una et concors auctorum sententia. Sanctus Hilarius can. 14, in Matt.; L. Leander Hispalensis, lib. De instit. virg., cap. 22; Sanctus Petrus Chrysologus, serm. 48, et alii plures, existimant fuisse fabrum ferrarium. Sanctus Ambrosius super cap. XIII Matth., ait simul fuisse fabrum ferrarium, et lignarium. Quaeritur ergo, qualis credendus sit fuisse faber? ad quod

1962. Dico: Sanctus Iosephus fuit faber lignarius tantum. Ita Sanctus Thomas, super cap. XIII Matth., cum communi nunc sententia, quam etiam tradit Historia Orientalis, teste Gratiano, quae, teste Augustino Calmet, dissert. de Sancto Iosepho, vim habet cuiusdam traditionis ex eo maxime, quia ut Stengelius ait in Historia S. Ioseph., cap. 2, antiquissima consuetudo communi Ecclesiae sensu recepta eum depingit tanquam fabrum lignarium serram et asciam manu tenentem, et quia id etiam docet antiquissimus scriptor Sanctus Iustinus martyr, in Dialogo cum Tryphone; D. Chrysostomus, serm. 30, in cap. I Epist. ad Roman.; Sozomenus, lib. VI Hist. eccles., cap. 2; Theodoretus, lib. III Hist. eccles., cap. 23; Nicephorus, lib. X Hist. cap. 33.

1963. Probatur etiam ratione: Talis fuit faber Sanctus Ioseph, qualis fuit faber Christus Dominus; sed Christus Dominus fuit faber lignarius: ergo etiam Sanctus Iosephus. Maior videtur innegabilis, quia Christus fuit Iosepho subditus, et eum in opere quotidiano adiuvit, et sic ambo eidem arti fuerunt addicti. Minor prob.: Quod Christus fuerit faber, liquet ex Sacra Scriptura dicente Marci VI, 3: « Nonne hic est faber? », et quidem lignarius, quia sicut per lignum crucis salutem hominum erat operaturus, ita per triginta annos volebat se in arte lignaria occupare, ut dicit auctor Operis imperfecti, hom. I in Matth., et Lyranus super cap. VI Marci, inquiens: « Probabile videtur, quod Christus eamdem Iosephi artem exercuerit, et quod in arte patris sui putativi fuerit occupatus, quia in doctrina et miraculis usque ad trigesimum annum se non exercuit ». Quod etiam confirmat ingeniosum illud responsum cuiusdam Christiani Ludimagistri, qui interrogatus a Libonio sophista Iuliano apostatae familiari: « Quid ageret fabri filius? » respondit, « Eum feretrum fabricare Iuliano », post quod Iulianus etiam paulo post confossus iaculo interiit, ut refert Theodoretus, Histor. Eccles. lib. III, cap. 8.

1964. Obiicies primo cum Paulo, Burgensi episcopo, super cap. VI Marci: « Neque ex hoc, quod illi de Nazareth ipsum fabrum vocabant, concluditur, ipsum fabrum fuisse, sed fabrum illum dicebant ad vilipendendam eius doctrinam ». Ergo Christus non fuit faber, et neque ex eo probatur fabrum fuisse Iosephum.

1965. Respondeo cum Caietano, super cap. VI Marci, esse quasi certum, quod Christus fabrilem artem exercuerit tempore quo vixit cum Iosepho, neque Burgensi deferri potest, quia si illi Nazareni voluerunt vilipendere Christi doctrinam titulo artis fabrilis, debuit hoc ipso Christus fuisse addictus huic arti; deinde non est ita, quod illi de Nazareth contempserint Christi doctrinam, sed admirati potius sunt doctrinam talem in homine, qui litteras non didicit, et artem fabrilem exercuit.

1966. Obiicies secundo cum Barradio, lib. X, cap. 15, inconveniens esse, quod Christus more fabrorum per alienas aedes fabrilia opera exercuerit, tecta conscenderit, ligna cum aliis fabris dolaverit, et eiusmodi: ergo non fuit faber lignarius.

1967. Respondeo, quod sicut apostoli labore manum sibi victum comparabant, ut

Digitized by Google

Paulus dicit Act. xx, 34, « Ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae » : ita etiam Christus Dominus non abhorruit a labore manuum, utpote qui se amore nostri ad humilem artem dimittere voluit, ut in sudore vultus Adamo, et descendentibus eius promisso vesceretur pane (Gen. III, 19), et ut communem vitam agens pro filio Iosephi naturali ab ignorantibus Incarnationis mysterium reputaretur. Unde optime Salmeron, tract. 47, tom. III : « Multi hoc desiderio sciendi, quid ab anno duodecimo ad tricesimum fecerit Christus, discruciantur, quibus hoc verbo Lucas (cap. II) satisfacit : Erat subditus illis ; laborabat, ieiunabat, silebat, pauperibus parentibus collaborabat ». Deinde in Iudaea fabri tales sunt teste Gratiano, lib. II, cap. 5, qui quidvis operantur in ligno, et sic Ioseph cum Iesu etiam domi poterant esse fabri non exeundo ad labores.

Art. XII. — Quando obierit Sanctus Iosephus.

1968. Observo hoc esse certum ex Luc. II, quod Sanctus Ioseph vixerit usque ad duodecimum annum Christi Domini, quia ibi dicitur eum amisisse, et post triduum invenisse sedentem in medio doctorum in templo, post quod tempus nempe duodecimum Christi annum, divus Epiphanius, haeres. 78, existimat eum e vivis excessisse, sed eius ratio non probat, quod tunc sit mortuus. sed tantum hoc, quod fuerit mortuus ante Christum praedicantem, sic enim ait : « Post hos annos moritur Ioseph, ubi non amplius dicit evangelista, quod venit pater ipsius, et fratres, sed, « Ecce Mater tua, et fratres tui foris stant » Luc. VIII, 20), et quando in cruce pendebat, si convixisset Mariae, qua ratione tradidisset Ioanni ? » Porro Hyacinthus Serrii, exercit. 25, inquit : « Non desunt Ecclesiae Patres, qui Iosephum Christo moriente adhuc in vivis esse putent, inter quos citat divum Chrysostomum, hom. 5, in Matth.; Sanctum Ambrosium, lib. De institut. virg. cap. 6; Sanctum Augustinum, serm. 81, De tempore; auctorem sermonis De Passione Domini apud divum Cyprianum. Quaeritur ergo, quando mortuus fuerit ? ad quod

1969. Dico, videri certum, quod Sanctus Ioseph non fuerit amplius in vivis Christo moriente, vixisse tamen probabiliter usque ad Christi baptismum. Prima pars habetur tanquam certa a Comestore nobili auctore, cap. 38, in cap. II Ioan., et a Ioanne de Carthagena, lib. IV, hom. 3; Stengelio, in Hist. S. Iosephi, cap. 14; imo Carthagena, et Stengelius certissimam vocant persuasionem quod Sanctus Ioseph non amplius fuerit in vivis tempore Passionis Dominicae, quia alias Christus moriens, ut observat Epiphanius, Matrem suam certe non commendasset Sancto Ioanni, sed reliquisset eius curam sancto Sponso eius Iosepho. Videtur etiam certum, quod si Sanctus Iosephus fuisset in vivis Christo vitam publicam agente, fuisset etiam invitatus ad nuptias Cananaeas, ad quas Christus et Maria cum discipulis sunt vocati (Ioan. II, 1 seqq.); et ipse Iosephus Christi amantissimus certe cum aliis adfuisset Passioni, et cruci Christi, et evangelistae, qui aliorum inferioris notae meminerunt, non praeteriissent silentio sponsum Virginis et patrem nutritium Christi : ergo certum videtur, quod Sanctus Iosephus non amplius fuerit in vivis Christo moriente.

1970. Probatur etiam secunda pars, quod fuerit in vivis probabiliter usque ad baptismum Christi, quia id edicit Cedrenus celebris historiographus in Compendio Histor., cum Divo Bonaventura, lib. De vita Christi, cap. 17; Sancto Isidoro, lib. IV De S. Iosepho. Persuadet etiam ratio, quia cum Iesus voluerit esse subditus Iosepho tanquam patri pro tempore vitae solitariae, toto hoc tempore Iosephus fuit superstes, et pro tunc mortuus, quando vita Christi publica incoepit, in qua subiectus erat Patri coelesti, uti ipsemet insinuat, Luc. II, 49 : « Quid est, quod me quaerebatis ? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse ».

1971. Obiicies primo cum P. Serrii : D. Chrysostomus hom. 5 in Matth. ait « quod licet Iosephus Christo moriente fuisset superstes, tamen Matrem suam Ioanni, non Iosepho, commendasset ut ea ratione significaret, nullum Mariam inter et Iosephum intercessisse carnale cammercium » ; ergo inde non probatur, quod Christo moriente non fuerit superstes.

1972. Respondeo, Sanctum Chrysostomum ex eo, quod Christus moriens Virginem Matrem Ioanni commendaverit, hoc solum concludere, quod nullos alios filios habuerit praeter Christum, quia alias alteri filio superstiti commendasset ; deinde Sanctus Chrysostomus, in Acta apostolorum, pag. 470, Sancti Iosephi mortem tempore mortis Christi saltem coniecturaliter testatur ex eo, quod Sanctus Lucas recenseat eos qui unanimiter in oratione perseverarunt, et Sancti Iosephi mentionem non faciat, dicens : « Ioseph itaque forsan iam erat vita defunctus eoque noluit huius facere mentionem ». Ergo ex Sancto Chrysostomo contrarium non bene concluditur.

1973. Obiicies secundo : Divus Augustinus, serm. 81, De tempore, ait Iosephum Chri-

Digitized by Google

stum adorasse in sua Resurrectione. Verba eius haec sunt: « Sol et luna, et undecim stellae Christum adorarunt, quando post resurrectionem apparuit, Sancta Maria quasi luna. et Beatus Ioseph quasi sol cum undecim stellis, id est beatis apostolis prostrati sunt ante eum »: ergo Sanctus Ioseph teste Augustino fuit superstes Christo moriente.

1974. Respondeo, ex hoc non probari, quod Sanctus Ioseph tempore mortis Christi nondum fuerit mortuus, sed tantum, quod Christum cum Maria, et apostolis adoraverit, quod et nos fatemur esse factum, quia ut proxime concludemus, Sanctus Ioseph fuit inter alios cum Christo resurgente ad vitam revocatus, et inde potuit cum sponsa sua Maria, tanquam sol, et undecim discipulis Christum adorare.

Art. XIII. — Utrum Sanctus Ioseph fuerit a Christo ad vitam immortalem revocatus.

1975. Observo: Est certum, quod Christo resurgente multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerint; ita enim expresse habetur Matt. cap. XXVII, v. 52, 53: « Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius (nempe Christi venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis ». Quaeritur ergo, utrum inter hos resurgentes etiam fuerit Sanctus Ioseph et num in vitam immortalem resurrexerit, ac proinde cum Christo in coelum ascenderit corpore, et anima? circa quod

1976. Dico primo: Sanctus Ioseph fuit a Christo ad vitam revocatus. Ita Gerson serm. De Nativ. B. Virg. ad Patres Concilii Constantiensis habito; Vignerius, De incarnat., § De Annuntiat. Domini, cap. 20; Fonseca in Vita Christi, cap. 9; Gratianus, De S. Iosepho, lib. V, tit. 5. hom. ult.; Suarez, tom. II, part. III, disp. 8, sect. 2; Salianus, ad annum mundi 4065; Barradius, lib. VI, cap. 8; Paulus Barrii, De S. Iosepho, cap. 8.

1977. Probatur imprimis ex facto, quod Bernardinus de Bustis, in IV p. serm. 12, refert dicens quod eo tempore, quo Sanctus Bernardinus Senensis Paduae pro concione ad populum exclamabat: « Cum anima, et corpore Sanctus Ioseph est gloriosus in coelis », continuo super caput eius crux aurea visa fuerit, et inde testimonium duxerit de veritate facti. Convincit etiam ratio, quia certum est aliquos resurrexisse, et resurrectionem hanc singula rem esse gratiam pro resurgentibus: ergo haec praeprimis Sancto Iosepho contigit, cum huic Christus tanquam patri in multis voluerit esse obstrictus.

1978. Probatur secundo ex illo ad Hebr. XI, 35: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos », quae verba Gerson, serm. De Nativ. B. Virg. et Salianus ad annum mundi 4065, exponunt praecipue de Beata Virgine, quod inter omnes mulieres eminens de Resurrectione acceperit praeter Christum Filium suum etiam Sanctum Iosephum sponsum suum, pro quo etiam Carthagena, lib. IV, hom. 3, et Cornelius a Lapide, in cap. I Matth., Barradius lib. VI, cap. 8, et alii conspirant. Ergo si Sanctus Ioseph Sponsae suae Mariae resurgens apparuit, vere resurrexit.

1979. Dico secundo: Sanctus Ioseph resurrexit ad vitam immortalem, et ascendit gloriosus cum Christo in coelum. Ita Suarez tom. II, in III p. disp. 8, in fine: Sanctus Bernardinus Senensis, serm. de Sancto Iosepho, cap. 3, art. 3; Bernardinus de Bustis, in IV p., serm. 12, et ceteri auctores citati pro resurrectione Sancti Iosephi. Idem docent alii universim de redivivis sanctis cum resurgente Salvatore, nominatim Origenes, super Epist. ad Rom. cap. I; Clemens Alexandrinus, lib. VI Stromat; Sanctus Thomas, in cap. XXVII Matth., et in IV, dist. 43, q. I, a. 3; Iansenius, cap. 143; Cornelius a Lapide, in cap. XXVII Matth.; Sanctus Hieronymus, Venerab. Beda, Eusebius, Epiphanius, et alii citati a Schan, in Iosephina, elog. 59.

1980. Probatur etiam ratione: Quia iusti, qui in monumento sunt, ideo surrexerunt, ut testimonium ferrent de Christi ad immortalem vitam resurrectione etiam nobis conferenda: ergo quia testimonium congruum dare non potuissent de Resurrectione, quatenus nobis conferenda, nisi etiam ipsi ad immortalem vitam resurrexissent, ideo censendum est, etiam ipsos ad immortalem vitam resurrexisse.

1981. Confirmatur: Triumphalis Christi ingressus in coelum requirit in testimonium victoriae redemptionem captivorum, insuper comitatum cum aspectu, et alloquio convenienti; sed hoc solum praestatur exinde, quod iusti resurgentes habuerint immortalem vitam, et ascenderint cum Christo in coelum: ergo resurrexerunt ad immortalem vitam.

1982. Obiicies primo: Sanctus Thomas III p. q. 53, a. 3 ad I, ait: « Illi, qui suscitati sunt a Christo, sic redierunt ad vitam, ut iterum morerentur »: ergo Sanctus Ioseph cum aliis resuscitatis non surrexit ad immortalem vitam.

1983. Respondeo, Sanctum Thomam ibi loqui de Lazaro, et aliis in vita sua resuscitatis, non vero de his qui cum Christo resurgente resurrexerunt, quamvis in responsione ad secundum etiam referat duplicem sententiam, unam eorum, qui cum Sancto Hieronymo dicunt, quod exeuntes de mo-

Digitized by Google

numento non ante Christum surrexerint, et sic tamen Christo honor relinquatur, quod sit primus resurgentium ad vitam immortalem; alteram eorum, qui sentiunt sicut Sanctus Augustinus sentire videtur, quod resurrexerint iterum morituri; adeoque Sanctus Thomas hic non ex propria sententia negat resurrectionem esse factam ad immortalem vitam, sed tantum ex sententia aliquorum, cum quibus sentire videtur Sanctus Augustinus, non tamen eum certo cum illis sentire dicit, et locis superius adductis, ubi ex propria sententia loquitur, pro resurrectione ad vitam immortalem concludit.

1984. Obiicies secundo: Sancta Birgitta, lib. VI Revel. cap. 94, affirmat, Matrem Dei sibi revelasse, quod sancti, qui cum Christo resurrexerunt, animas quidem cum eodem in coelos transmiserint, corpora vero terrae relinquerint, ut exspectent supremum iudicii diem; et lib. VII, cap. 26, Beata Virgo ad ipsam dicit: « Scias, quod nullum corpus humanum in coelo sit, nisi corpus gloriosum Filii mei, et corpus meum: ergo Sanctus Ioseph non resurrexit ad vitam immortalem ».

1985. Respondeo, Cornelium a Lapide, in cap. XVII Matth. citare hanc revelationem Sanctae Birgittae, et hac non obstante asseverare, quod Sancti illi resurrexerint ad vitam immortalem, quia nempe licet Revelationes istae sint approbatae, non tamen quoad singulas sententias sunt certae; potuerunt enim non rite esse impressae, vel etiam ipsa Sancta Birgitta subinde putare se ex Spiritu Dei loqui, et tamen locuta est ex spiritu privato, quia etiam alia continent Revelationes Sanctae Birgittae, quae tamen non sunt adeo recepta, uti primo, quod Maria Virgo quindecim dies in sepulcro iacuerit, lib. VII, cap. 26; secundo, quod non sit praevisa ab aeterno sedere super omnes creaturas, lib. VII, cap. 25; tertio, quod Maria Virgo magnitudine doloris ex Passione Christi concepti fuerit a sensibus abducta, lib. IV, cap. 70; quarto, quod Sanctus Ioseph fuerit senex Christo nascente, lib. VII, cap. 21, et alia, ut adeo nihil praeiudicetur ipsi etiam Sanctae Birgittae, si in una, et altera sententia quis ipsi refragetur, sicut idem dici solet de aliis Revelationibus, utpote quae de fide catholica non sunt, nisi ab Ecclesia sint expresse et distinctim definitae, et ad credendum divina fide propositae.

XIV. — Utrum Sanctus Ioseph Mariae Sponsus superet Iosephos omnes evangelicos.

1986. Observo, quatuor qui habentur pro sanctis praeter Mariae Sponsum numerari solere Iosephos. Primus est Iosephus venditus in Ægyptum Act. VII, 9; secundus est, Ioseph ab Arimathaea nobilis ille decurio, qui Corpus Christi petiit a Pilato, et obtentum deposuit in monumento, cuius festum agitur 17 Martii; tertius est Ioseph ille Alphaei, et Mariae Cleophae filius, qui colitur ab Ecclesia 20 Iulii, et in Actis apostolorum, cap. 1, 23, iustus nominatur; quartus est Iosephus filius mulieris Samaritanae, quae olim dixit Ioan. IV, 15: « Domine, da mihi aquam », qui inter martyres celebratur, et a Baronio in notis Martyrologii Romani ad diem 20 Martii festivus habetur. Quaeritur nunc, utrum Iosephus Mariae Sponsus hos antecedat? ad quod

1987. Dico: Sanctus Ioseph Mariae Sponsus in omni veritate antecedit hos Iosephos praelaudatos. Ita Eckius haereticorum malleus suo tempore, serm. De S. Iosepho, dicens: « Si universam revolvamus Scripturam, tunc singulorum Iosephorum laudes huic uni Iosepho tribuendae sunt ». Probatur etiam quoad singulos: primo quoad Iosephum patriarcham in Ægyptum venditum; nam licet hic sit patriarcha fidelis populi, tamen ille Ioseph maior patriarcha est, cum sit pater Iesu, qui Parens est omnium rite credentium. Item licet ille vocatus sit Salvator mundi, quia alimenta praebuit toti Ægypto, tamen noster Ioseph pater nutritius est ipsius Regis coelestis omnia nutrientis; rursus, licet ille Ioseph praeemineat laude castitatis et fidelitatis erga suum dominum, tamen Sponsus Virginis maiorem inde laudem meretur, quia coniux simul est et virgo, et custos virginitatis Reginae virginum, adeoque Iosephum illum per omnia antecedit.

1988. Probatur secundo, quod superet Iosephum ab Arimathea; quia licet hic actum praestantissimae virtutis, et fortitudinis exhibuerit, quando audacter, ut Scriptura loquitur, introivit ad Pilatum et petiit corpus Iesu, et obtentum deposuit e cruce, et sindone involutum intulit monumento recens in petra exciso, in quo et Matrem Iesu et omnes fideles Christo adhaerentes sibi plurimum obstrinxit, attamen non minora, sed maiora praestitit noster Ioseph, quia officium hoc, quod Christo mortuo fuit exhibitum, unicum est et paucis horis absolutum, sed Iosephus noster Christum adhuc in utero latentem, et Matrem eius in custodiam suam recepit, in iis alendis et servandis innumeras aerumnas, et pericula ipsa morte acerbiora per annos non pauciores triginta sustinuit, ob quae Carthagena, lib. IV, hom. 2, cum Isolano Sanctum Iosephum aureola martyrii dignum pronuntiat.

Digitized by Google

1989. Probatur tertio quoad Iosephum Alphaei filium, quia iste quidem iustus scribitur Act. I, 23, et tantae virtutis vir, ut cum Mathia in electione esset ad apostolatum : tamen Iosephum nostrum non excedit ; nam et hic Matth. I, iustus appellatur non solum propter amorem et fidelitatem erga suam Sponsam, quam licet videret utero gravidam et causam nesciret tamen innocentem credidit, et non traduxit ; est insuper vir vere apostolicus functus munere apostolico, quia sicut apostoli missi sunt a Christo in universum mundum ad annuntiandum Evangelium, seu doctrinam a Christo traditam, ita Sanctus Iosephus missus est a Deo per angelum ut cum Matre, et puero Matth. II. 13, fugeret in Ægyptum ad Christum a gladio Herodis servandum, et usque ad tempus praedicationis provehendum ; praestantior autem est persona Christi, quam eius doctrina, et hoc non esset, si praematuro Herodis gladio Christus sublatus fuisset.

1990. Probatur quarto quoad Iosephum mulieris Samaritanae filium, quia licet iste cum matre tantum biberit de aqua doctrinae Christi, ut ad lauream martyrii pervenerint, tamen iam diximus non deesse auctores, qui et Iosepho Virginis Sponso ob ea quae perpessus est propter Christum annis non paucioribus triginta, martyrii lauream consignant, et martyrem salutant, sicut Sponsam eius Reginam martyrum ; plus etiam bibit Iosephus de aqua doctrinae Christi, quam quisquam alius, utpote per triginta annos Iesu et praeceptor, et discipulus : ergo Sanctus Ioseph Mariae Sponsus vere antegreditur omnes reliquos Iosephos evangelicos sanctorum numero ascriptos.

1991. Obiicies : Iosepho patriarchae Eccli. XLIX, 16, 17, hanc laudem tribuit : « Nemo natus est, ut Ioseph » : ergo ille potiorem laudem obtinet, quam alii Iosephi.

1992. Respondeo, haec figuraliter dici de illo Iosepho, quatenus figura fuit nostri Mariae Sponsi ; est autem notum, quod figuratum sit praestantius figura, quia haec est propter illud ; deinde si veritas est, quod nemo natus sit ut Ioseph prorex Ægypti, quia conservator erat sui populi, tunc certe etiam nemo natus est, ut noster Ioseph, quia natus est, ut esset servator ipsius Salvatoris, et tantae celsitudinis ac dignitatis, ut hic ei esset subditus.

Art. XV. — Utrum Sanctus Ioseph fuerit maior omnibus progenitoribus Christi.

1993. Observo, inter progenitores Christi numerari omnes ab Adam usque ad Abraham, et ab Abraham usque ad Ioseph ab evangelistis Matthaeo et Luca recensitos, adeo, ut quaestio sit, utrum Sanctus Ioseph sit maior omnibus patriarchis ab initio mundi usque ad ipsum, et per consequens, utrum sit maior Adamo ab initio in summa gratia constituto, et postea per poenitentiam novies centenorum annorum rediviva, et aucta ? Item maior Abraham omnium rite credentium patre, et David viro secundum cor Dei ? rursus maior Ioachim, et Anna proximo avo, et avia Christi ? ubi Gasparus Tausch, De SS. Matre Dolorosa, lib. III, praxi 16, § 2, putat, quod inter amatores Beatae Virginis primum locum obtineant « SS. parentes, Ioachim et Anna, et in particulari praeferendi sint Sancto Ioanni Baptistae et apostolis ». De sancto Iosepho vero ait : « Utrum excellentia sanctitatis parentibus B. Virginis cesserit, vel non, aut eos excesserit, ego nihil definio ». Circa quod ego

1994. Dico : Sanctus Ioseph fuit maior quam omnes progenitores Christi. Ita Iacobus Reiss, in sua Iosephina, elog. 68 ; et probatur primo ex scala Iacob Gen. XXVIII, 12 et seq. visa, ubi per scalam, cui Dominus innixus est, intelligunt interpretes progenitores Christi ab evangelistis recensitos, et quia evangelistae integram seriem totius genealogiae in Iosepho finiunt, et claudunt, ideo hunc pro praecipuo in tota illa serie habent, quia Dominus huic finaliter innixus est tamquam fundamento totius progeniturae.

1995. Probatur secundo argumento Sancti Thomae, quod 2-2, quaest. 26, a. 7 et 8, et alibi saepius proponit, quia ille censetur maior apud Christum Deum hominem, et magis diligi ab ipso, qui est illi magis, et proximius coniunctus, quam omnes progenitores : atqui Sanctus Ioseph est illi magis et proximius coniunctus, quam omnes progenitores ; ergo etiam maior est apud ipsum, et magis ab ipso diligitur. Min. prob. : Progenitores Christi, uti sunt proavi, et atavi, avus, et avia, nempe Ioachim et Anna, tantum mediate coniuncti sunt Christo mediante nempe Sancta Dei Genitrice : e contra Sanctus Ioseph, ut recte Suarez tom. II, in III p., disp. 8, sect. I, docet, est immediate coniunctus Christo tanquam verus et proprius pater eius secundum iura matrimonii, quia ipse ius verum habet in corpus Virginis, et quamvis miraculose ex hoc virgineo corpore natus sit Christus, tamen ipsi tanquam verus matrimonialis filius nullo alio mediante patre fit proprius : cuius exemplum est in fructu alio, qui in fundo tuo miraculose producitur ; iste enim tuus immediate esse censetur : ergo quia Sanctus Ioseph dominus est virginei corporis, et ei prodigiose quidem sed legitime nascitur

Digitized by Google

Christus, ideo iste proxime Iosephi esse censetur, et sic immediate ei est coniunctus.

1996. Probatur tertio : Qui magis a Deo amatur, censetur coram Deo maior, quia amor Dei est effectivus reddens eum, quem amat, meliorem ; atqui Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus Christi fuit amatus, ergo etiam maior est ipsis coram Deo. Min. prob. : Sanctus Iosephus longe plures affectus amoris expertus est, quam parentes Mariae, quia per annos non pauciores quam triginta cum Iesu vixit et deinde in Iesu et Mariae manus vitam, et oculos clausit ; et aliunde, ut Sanctus Thomas docet loc. proxime cit., filius praecipue amare debet patrem ; ergo Sanctus Ioseph prae aliis progenitoribus Christi fuit a Deo homine dilectus.

1997. Obiicies primo : Sanctus Abraham est Pater omnium credentium, et Sanctus David est propheta et rex, ac vir secundum cor Dei : ergo non videtur Sanctus Ioseph illis praeferendus.

1998. Respondeo primo, circa Abraham, quod omnes rite credentes simul sumpti non sint aequiparandi Christo, Sanctus Ioseph autem est pater Christi, adeoque in paternitate maior Abrahamo. Item Christus est nobiliori modo Pater credentium quam Abraham, et sic etiam Sanctus Ioseph erit nobiliori modo horum pater, quia est Christi pater.

1999. Respondeo secundo, circa David, quod licet hic fuerit propheta, Sanctus Ioseph tamen longe fuerit maior propheta, quia ut docet Sanctus Thomas, I p., q. 57, a. 5. ad 3, et 2-2, q. 174, a. 6, in corp. « quanto prophetae sunt viciniores Christo, tanto sunt maiores, et magis post, quam ante, plenius enim post instructi sunt » ; atqui Sanctus Ioseph inter omnes prophetas fuit vicinissimus Christo ante eum natum, et post, quia ante integre natum ei dictum Sancto est : « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est » (Matth. I, 20), et postquam natus est, iussus est Ioseph cum eo fugere in Ægyptum ad declinandam futuram internecionem puerorum ab Herode faciendam. Porro David fuit quidem rex, sed Ioseph tanquam filius David non fuit illo in iure minor, quia iure divino delatum est ad illum in probabili sententia, quod nulla aliena violentia auferre potuit, neque actualis temporalis regni possessio maiorem facit coram Deo, cum et haec in Christo non fuerit, quin tamen dici potuerit Christum esse in iure regio minorem Davide ; denique quod David fuerit vir secundum cor Dei, est generosa laus illius, sed non idcirco Iosepho neganda, aut in Iosepho minor, sed prorsus maior, quia Deus maiora cordis arcana commisit Iosepho, quam Davidi ; David enim Deum hominem cognovit a longe, Iosephus a facie ad faciem.

2000. Obiicies secundo : Parentes Mariae Virginis Ioachim et Anna genuerunt et educaverunt affectu maximo Mariam filiam suam, ei nomen imposuere a Spiritu Sancto designatum, et vitam duxerunt omni ex parte sanctissimam : ergo maiores sunt, vel saltem pares Iosepho.

2001. Respondeo, Iesum Christum infinities maiorem esse Maria Virgine Matre eius, et hunc Iosephus educavit, et simul vir fuit Mariae, de quo dicit Scriptura Gen. II, 24 : « Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae » ; ergo magis coniunctus est Sanctus Iosephus Sponsae suae Mariae, quam eius parentes coniunctione quae est ex praecepto divino in ordine ad individuam vitae societatem, et augmentum sanctitatis ex ea capiendum ; habuit enim Sanctus Ioseph ex conversatione tot annorum cum Iesu et Maria occasiones ad sanctitatem suam perficiendam millies et innumerabiliter plures, quam Beatae Virginis parentes, et quia dici non potest quod eas neglexerit ideo ex his argumentum satis evidens est, quod Sanctus Ioseph in suo officio et sanctitate vitae fuerit antegressus progenitores Beatae Virginis, et Christi Domini.

Art. XVI. — Utrum Sanctus Ioseph fuerit maior Ioanne Baptista et Sanctis Apostolis.

2002. Observo, sanctitatem et dignitatem Sancti Ioannis esse magnam in gradu eminenti, constare ex Evangelio, vi cuius de fide est, « inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista » (Matth. XI, 11) ; non tamen est de fide, quod Sanctus Ioannes omni modo sit maior, quia Christus ipsemet statim addit loc. cit., quod tamen iste sit maior illo qui minor est in regno coelorum. Quaeritur ergo utrum Sanctus Ioseph vere dici possit, quod sit maior Sancto Ioanne Baptista, et Sanctis apostolis. Ad quod

2003. Dico : Sanctus Ioseph est dignitate et sanctitate maior Sancto Ioanne Baptista et apostolis : ita Carthagena, lib. IV, hom. 8 ; Cornelius a Lapide, in cap. I Matth. ; Suarez, tom. II, in III p., sect. I ; Paulus Barry, cap. 8, cum Gersone, Bernardino de Bustis, et aliis, quos citat Iacobus Reiss, in Iosephina, elog. 69 et 70.

2004. Probatur primo, argumento Sancti Pauli ad Hebr. I. ubi ex dignitate nominis excellentiam Iesu Christi super omnes angelos concludit, dicens : « Tanto maior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit ». Ipse enim Filius dici-

Digitized by Google

tur; angeli servi Dei appellantur. Sanctus Ioseph igitur pater dicitur Iesu Christi, neque solum putatitio nomine ab illis, qui existimabant esse patrem naturalem, uti Matth. XIII, 55: « Nonne hic est fabri filius? » et Ioanne VI, 42: « Nonne hic est filius Ioseph? » sed, ut optime Sanctus Augustinus, lib. II De consensu Evangel. cap. I, advertit, etiam ab illis qui sciebant ipsum non esse patrem naturalem, uti Beata Virgo dixit Luc. II, 48: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te »; et evangelista ibidem dicebat: « Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ». (ibid. 27). Et iterum: « Erant pater et mater eius mirantes super his quae dicebantur ». (ibid. 33). Quibus verbis utique vera locuti sunt ex instinctu, et ordinatione Dei, adeoque Sanctus Ioseph in aliquo sensu vero est pater Iesu Christi, iure nempe matrimonii, et sic longe praestantius nomen, quod in omni veritate ei convenit, participat, quam Sanctus Ioannes et apostoli, quia hi tantum servi et amici dicuntur, non veri et proprii patres; neque veritas huius nominis ex sola auctoritate nominantium Beatae Virginis nempe et evangelistae desumitur, sed ex ipsa re, quae nomini subest, nimirum ex auctoritate paterna, quam Sanctus Ioseph habet in Christum, ut filium; unde dicitur: « Erat subditus illis » (ibid. 51), et ex iure, quo Sanctus Ioseph sibi dominium vindicat in corpus virgineum, et inde suo etiam modo in fructum eius legitime natum; et sic satis evidens est, quod Sanctus Ioseph praestantius nomen participet quam Sanctus Ioannes et apostoli, et quia nomina divina ordinatione imposita et attributa rei dignitatem et excellentiam insinuant, uti Apostolus dixit Hebr. I, ideo etiam maioris dignitatis et excellentiae est Sanctus Ioseph, quam Sanctus Ioannes Baptista et apostoli.

2005. Probatur secundo: Sanctus Ioseph aliquo modo fuit caput et superior Beatae Virginis et Christi, ut hominis; nam I Cor. XI, 3, dicitur: « Caput mulieris vir ». Et I Petri cap. III, vers. 1, praecipitur ut mulieres subditae sint viris suis, afferendo exemplum Sarae, quae Abrahae obediebat, et eum dominum suum vocabat, Gen. cap. XVIII, 12; vir enim dominium habet in corpus uxoris, ut Paulus ait I Cor. VII, 4: « Mulier potestatem corporis non habet, sed vir ». Unde Sancti Iosephi superioritas se etiam extendit ad Christum ut hominem tanquam filium Virginis, quia Institut. De rerum divisione, § Cum in solo, dicitur: « Quod in alieno solo nascitur, vel in eo aedificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum ». Et si in alicuius horto fons etiam miraculose oriretur, illius esset fons, cuius est hortus, adeoque Sanctus Ioseph etiam fructum virgineum sibi appropriat, et quamdam superioritatem in illum participat expressam verbis Luc. II, 51: « Erat subditus illis »: et licet Christus hoc non habeat ex debito, cum ex dignitate suae personae nemini sit subiectus, voluit tamen libere usum subiectionis sibi applicare, et Iosepho tanquam patri obedientiam et honorem deferre; inde instauratur argumentum: Sanctus Ioannes Baptista et apostoli habent quidem ministeria et officia excelsa, sed tamen sub Christo; econtra potestas et ministerium Iosephi etiam super Christum, cuiusmodi erat nominis impositio, « Vocabis nomen eius Iesum » (Matth. I, 21), gubernatio familiae ex commissione Dei, uti erat per monitum angeli circa fugam in Ægyptum, et reditum ex Ægypto, adeoque dignitas eius est longe maior; quod etiam ex eo confirmatur, quia dignitas Beatae Virginis est indisputabiliter maior quam dignitas Sancti Ioannis Baptistae et apostolorum: ergo quia inter virum et uxorem debet esse proportio dignitatis, erit etiam dignitas Sancti Iosephi maior quam est dignitas Sancti Ioannis et apostolorum.

2006. Probatur tertio, specialiter de sanctitate, quia dignitas Sancti Iosephi requirebat sanctitatem proportionatam; hoc ipso enim quod fuerit pater Christi, debebat etiam moraliter talis esse pater, seu tam sanctus, qualem et quam sanctum talis requirebat filius, et talis filii gubernatio: item, quia erat maritus talis et tam sanctae coniugis, debebat habere prorsus eminentem sanctitatem, ut congrue tam sanctae coniugi, quae sine omni prorsus peccato semper fuit, posset praeesse; quod ipsum confirmat Sanctus Thomas, III p., q. 27, a. 4: « Quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei »; praeterea Sanctus Ioseph habuit longe plura media consequendae sanctitatis, quam Sanctus Ioannes Baptista et apostoli, quia per triginta annos usus est praesentia, sapientia, amore, exemplis Iesu et Mariae, in quibus nulla fuit labes, econtra omnes thesauri divinae sapientiae, et sanctissima exempla: ergo, quia nemo sana ratione dicere poterit, quod Sanctus Ioseph his mediis ad sanctitatem non fuerit usus, dicendus est omnium sanctissimum post Iesum et Mariam.

2007. Obiicies primo: Matth. XI, 11, expresse dicitur: « Non surrexit maior Ioanne Baptista »; ergo videtur de fide esse, quod Sanctus Ioseph non sit maior.

2008. Respondeo primo, ex iam dictis [alibi] non esse de fide, quod Sanctus Ioannes Baptista sit omnibus modis maior, quam quispiam alius, quia utique Christus est maior, et Maria Mater Christi, et per

Digitized by Google

consequens potest etiam Sanctus Ioseph in suo sensu esse et dici maior, imo Christus Dominus illo loco statim addit limitationem dicens: « Qui minor est in regno coelorum, illo maior est », adeoque ex testimonio Christi aliquis potest esse et est maior Ioanne Baptista, nempe qui humilitate illum antecedit, qualis potest esse Sanctus Ioseph, qui humilitatem opificio suo fabrili, et constanti exemplo Christi semper coluit.

2009. Respondeo secundo, quod Sanctus Lucas cap. VII, v. 28, solum dicat: « Non surrexit maior propheta, » quia iam in utero Matris propheta fuit, et Christi praesentiam saltu suo ostendit; deinde Glossa ordinaria addit, non surrexisse maiorem austeritate vitae, quam ab infantia coluit, non tamen dignitate officii, et sanctitate ex gratia sanctificante, et amicitia divina orta, et certe haec maior est in humanitate Christi et Beata Virgine, et sic probabilius etiam in Sancto Iosepho.

2010. Obiicies secundo: Sanctus Augustinus, opusc. De Assumpt. B. Virg., cap. 4, dicit Beatam Virginem fuisse exemptam ab illa lege: « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui » (Gen. III, 16). Ergo Sancto Iosepho nequit dominium tribui super Beatam Virginem.

2011. Respondeo primo, Sanctum Augustinum loc. cit. seipsum explicare, dum ait, « non fuisse sub potestate viri eam, quae integerrimis visceribus de Spiritu Sancto concepit ». Quod idem est, ac dicere, Beatam Virginem non fuisse sub potestate viri in actu integerrimae suae conceptionis, quae virtute divina peracta fuit, quo stante tamen manet, quod Beata Virgo tanquam vera coniux sit sub potestate viri Sancti Iosephi quoad ius in corpus, et in fructum eius miraculose ex illo natum.

2012. Respondeo secundo, posse in veritate dici Beatam Virginem fuisse ab illa lege exemptam, in quantum poenalis est, quia cum a peccato immunis fuerit, debuit etiam a poena immunis esse; non obest tamen, quin legi illi fuerit subiecta, in quantum directiva est, et praescribit ordinatam gubernationem domus; hoc sensu enim Beata Virgo erat vere subiecta etiam ex dispositione Dei, quia angelus Iosepho apparuit, et monuit Matth. II, ut nomen imponeret, Matrem ut coniugem acciperet, item ut fugeret cum Matre et puero in Ægyptum, et inde iterum rediret.

2013. Obiicies tertio: Sanctus Anselmus in cap. III Matth. ait: « Maius ministerium non fuit, quam apostolorum », quod etiam confirmat Sanctus Thomas super cap. VIII ad Rom., interpretando illa verba, v. 23: « Nos autem primitias Spiritus habentes ». Et illa ad Ephes. I: « Secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in omni sapientia, et prudentia ». Unde etiam I ad Cor. XII, 28 dicitur: « Posuit in Ecclesia primum apostolos, qui etiam ad Eph. II, 20, fundamentum Ecclesiae dicuntur; ergo apostoli pluris habendi sunt quam Sanctus Iosephus.

2014. Respondeo, haec omnia esse intelligenda respectu Ecclesiae, seu omnium fidelium, quia in communitate fidelium revera supremus gradus est apostolicus, et sic inter fideles communiter acceptos non est maior dignitas, quam apostolorum; sed Sanctus Ioseph dignitatem suam habet ex respectu ad Christum, cuius est pater, et respectu ad Matrem eius, cuius est sponsus; sicut ergo Christus et Mater eius sunt in maiori dignitate quam omnes fideles simul sumpti, ideo dignitas Sancti Iosephi maior omnino reputanda est, quam est dignitas apostolorum.

2015. Obiicies quarto: Apostoli aeque dici possunt patres Christi, ac Sanctus Ioseph, quia ordinati sunt ad generandum Christum in mentibus fidelium, et ad procreationem filiorum Dei; ergo ex hoc capite, quod Sanctus Ioseph sit pater Christi, non excedit eius dignitas apostolos.

2016. Respondeo, hanc paternitatem esse spiritualem, et pure allegoricam, quam apostoli habent respectu Christi, quia Christus non potest dici aliter genitus in mentibus fidelium nisi per fidem in ipsum, sed Sanctus Ioseph habet praeter paternitatem ex iure proprio matrimonii competentem etiam spiritualem erga Christum in sensu proprio, cum Christum in propria sua persona, qua hominem nempe, non quidem ex indigentia eius, sed ut volentem omnem iustitiam implere, spiritualiter instruxerit, et « proficere fecerit sapientia et gratia apud Deum et homines » (Luc. II, 52). Hic profectus, qui de fide est, nemini alteri magis tribui potest quam parentibus, quibus volebat esse subditus, et per consequens Sanctus Ioseph in sensu longe magis proprio pater spiritualis est Christi Domini quam Apostoli, et sic etiam ex hoc titulo a longe excedit apostolos, quia semper Christus in proprio praeferendus est sibi ipsi, prout allegorice et similitudinarie tantum censetur generari in mentibus fidelium.

Art. XVII. — Utrum Sanctus Ioseph sit Patronus universalis.

2017. Observo, patrocinium Sancti Iosephi potentissimum esse, colligendum esse ex hucusque dictis, quia cum omnes sanctos, excepta Deipara, excedat dignitate et gratia, consequitur necessario quod etiam praeva-

Digitized by Google

leat potentia et patrocinio, cum hoc gradum suum habeat a sanctitate, et gratia, et huic correspondente gloria; quaeritur autem hic, utrum Sanctus Ioseph habeat patrocinium particulare hoc sensu, quod in certis tantum necessitatibus, uti regulariter alii sancti, possit opem ferre, vel utrum sit patronus universalis, ut in omnibus necessitatibus valeat succurrere. Ad quod

2018. Sanctus Ioseph est patronus universalis pro omnibus necessitatibus. Ita Carthagena, lib. XVIII, hom. 14, allegans pro se testes omni exceptione maiores, nimirum Sanctum Thomam, in 4, dist. 45, q. 3, a. 2 ad 2; Sanctum Bernardinum Senensem, serm. 12, p. II; et Eckium hom. 2, de Sancto Iosepho; ipsa etiam Sancta Theresia universale patrocinium Sancti Iosephi frequenter fuit experta, ut refertur in libro vitae eius. Probatur etiam primo ex Sacra Scriptura, in qua expresse dicitur: « Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio » (Ioan. XIV, 13). Item: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis » (Ioan. XVI, 23), quae quidem verba primario in sensu proprio et litterali intelligenda sunt de Patre aeterno, vere tamen etiam intelligi possunt in sensu litterali de Sancto Iosepho, quia, ut Sanctus Augustinus, lib. III De doctrina Christiana, cap. 27, notat, omnis sensus aedificativus charitatis et non contrarius contextui fuit provisus a Spiritu Sancto, qualis hic est, quo Christus censetur loqui simul de Patre aeterno in coelis, et de patre temporali in hac vita, seu de Sancto Iosepho, qui fuit etiam pater Iesu, isque fidelissimus et charissimus, ut adeo ratio non sit cur Christus in aliquo eiusdem precibus non deferat.

2019. Probatur secundo: Gen. cap. XLI, v. 55: dicitur universaliter: « Ite ad Ioseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite ». Unde etiam salvator mundi dictus est, a quo omnes adiuvantur. Sicut autem hoc de Iosepho Ægypti prorege dictum est, ita etiam intelligendum est de Sancto Iosepho Mariae Sponso, et Christi nutritio, tum quod ille huius sit figura, figuratum autem semper praevaleat figurae, tum quod sub hoc dicto: « Ite ad Ioseph », uterque Ioseph litteraliter intelligi possit, cum Christus Dominus, si velit nos converti ad unum ex Sanctis pro nostra necessitate, tunc certe nos mittit ad Ioseph: « Ite ad Ioseph »; si enim hic maior est meritis ac dignitate omnibus reliquis sanctis, tunc certe minor non erit in potentia et efficacia patrocinii.

2020. Probatur tertio ex paritate mercedis, quam Tobias constituit Raphaeli Tob. XII. Nam dum Tobias pater diceret: « Quid possumus dare viro isti, qui venit tecum? » respondit filius: « Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus; quid illi ad haec poterimus dignum dare? et peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus quae allata sunt, sibi assumere ». Ex quo Tobiae discursu patet, quod Tobias pater et filius gratissimo affectu beneficia Raphaelis Archangeli aspexerint, et digna crediderint omnibus bonis quae reciproce dare possent: ergo idem videtur sentiendum de Iesu et Maria circa beneficia a Iosepho sibi adhibita; nam sub Iosepho fama, et existimatio Virginis illaesa mansit, virginitas eius tutelam habuit, haec ipsa Virgo gravida propter Iosephum a lapidatione Iudaeorum liberata est, ipsius cura puer Iesus a tyrannide Herodis ereptus est, quot labores, incommoda propter Virginem et Filium eius pertulit! in Bethlehem cum ea profectus est, a diversorio exclusus, et ex Bethlehem in Nazareth reduxit, iubente angelo cum Matre et Filio in Ægyptum fugit, et post septem annos, uti Sanctus Thomas in cap. II Matth. advertit, vel saltem duos, uti alibi taxemus, cum utroque rediit, in sudore vultus, et labore manuum suarum Virginem Matrem, et Iesum Filium per 30 annos aluit, et necessaria eis providit; ob tot ergo et tanta beneficia Christus et Mater eius obstricti esse volent, et non minus quam Tobias pater et filius peroptabunt iuxta vires reciproci esse, et sic Christus nihil non faciet, pro quo Sanctus Iosephus intercedet.

2021. Probatur quarto: Reliqui sancti, inter quos etiam angelos et seraphinos reputo, postulant a Christo Domino deprecatorie tanquam servi, Ioseph autem auctoritate quodammodo tanquam pater illius; sicut enim Christus adhuc in terris degens ipsi ad nutum obedivit, ita in coelis acceptae ab eo beneficentiae minime immemor ad nutum eidem tanquam patri filiali affectu obsecundabit, cum hunc affectum, quem ab infantia concepit, nunquam deposuerit: ergo Christus Dominus nihil recusabit, quodcunque petierit, et sic merito nuncupandus est patronus et intercessor universalis in omnibus necessitatibus, in quibus ad ipsum recurremus.

2022. Obiicies primo: Est fide divina credendum, quod Apostolus I Cor. XII, 8-10, dicit, quod Deus sua dona disperserit, et non uni omnia dederit, sic enim expresse dicitur: « Alii quidem per spiritum datur

Digitized by Google

sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, » Et postea, v. 30: « Numquid omnes gratiam habent curationum? » ergo Sanctus Iosephus nequit statim dici patronus universalis pro quacunque necessitate.

2023. Respondeo primo, hoc dici de Ecclesia militante in terris, non triumphante in coelis, esse autem in hoc differentiam, patet ex variis sanctis; qui dum morati sunt in hac vita, nullum miraculum fecerunt, uti nullum legitur de Sancto Ioanne Baptista, nec constat Beatam Virginem mira illa fecisse, quae nunc facit in coelis, adeoque dispar est ratio circa utramque Ecclesiam.

2024. Respondeo secundo, non esse regulam a reliquis sanctis faciendam in ordine ad Sanctum Iosephum, quia, ut dictum, illi habent modum intercedendi deprecatorium tanquam servi, Sanctus Ioseph auctoritativum tanquam pater, et quia iste simul omnes alios sanctos dignitate et sanctitate antecedit, etiam in meritis suis et efficacia intercessionis praevalet.

2025. Obiicies secundo: Sanctus Augustinus, in I Cor. XII, ait: « Nec in omnibus memoriis sanctorum Deus miracula fieri voluit, quia dividit unicuique prout vult ». Ergo vis operandi et conferendi beneficia in sanctis limitata est, ut non possit omnia patrocinio suo impetrare.

2026. Respondeo primo, Sanctum Augustinum velle, quod non singuli ex divis et sanctis in coelo omnia possint, sed quod Deus diviserit dona sua unicuique prout vult, quae regula tamen exceptionem habet in Beata Virgine, quia « quae Deus imperiis, haec prece Virgo potest », ita et in Sancto Iosepho, qui Deiparae Virgini Sponsae suae est proximus.

2027 Respondeo secundo, textum Sancti Augustini etiam hunc habere sensum, quod Deus non in omnibus memoriis sanctorum, etiam ipsius Beatae Virginis, vel Sancti Iosephi, imo neque Christi miracula faciat, sed quando vult; vult autem tunc, quando ea profutura videt ad salutem nostram aeternam, neque ipsi etiam sancti aliter intercedendo petunt miracula, vel beneficia pro nobis, nisi in quantum ea vident nobis utilia ad salutem, et inde conformia divinae voluntati; in ordine ergo ad ea quae nobis vere salutaria sunt, dicimus Beatam Virginem et Sanctum Iosephum omnia posse.

2028. **Hymnus XIV.**

Christiana pietas Iosephum salutat exoratque

Benedictus
es, Ioseph, fili Heli,
qui dignus
in terra vocari
inventus es Dei pater.
2. Tu praeclarus
mundi Hesper vocaris,
qui solem
iustitiae pascis,
a quo illuminaris.
3. Te Deus noster
Ut Dei pater
fieres
et ipse frater,
cuius eras filius,
4. Sanctificavit,
Sanctum servavit
et mittens
sic nuntiavit:
Ioseph, fili David.
5. Mariam, tuam coniugem
timere noli accipere
plenam Filio Dei.
6. Per illud
arcanum prolatum
et tuum
assensum gratum
est per te
verbum absconsum
quo videntur omnia.
7. Nunc, pater,
exora Iesum,
ut nostrum
tollat peccatum,
et regnum
det nobis paratum
in coelesti patria.

(Missale Petrogoricense 1525)

2029. **Memento.** – Beatae Virginis et S. Iosephi non solum patientiam in tanta inhospitalitate ac desertione considera, sed animi quoque tranquillitatem in repulsa, quam ob inopiam ab iis tulerant, ad quos hospitii causa accesserant, imo et laetitiam, qua se ad stabulum, abiectissimum in terra locum, receperunt, humilitatem et egestatem cum patientia et hilaritate stupendo germanitatis nexu connectentes. Quorum exemplo conabor et ego me ita componere, ut primum voluntate, quod in mundo est abiectissimum, mihi optem; deinde, si quando tale quid sors tulerit, patienter illud reipsa et gaudenter amplectar. Neque enim sors alia felicior esse potest, quam hos clarissimos sanctos proxime imitari, sicut ipsi Christum sunt imitati. (De Ponte, p. II, Meditat. 16).

Digitized by Google

XV. — Sermo B. Petri Canisii.

DE HAESITATIONE S. IOSEPH.

De Maria Virgine, lib. II, cap. 4.

IGITUR ut ad Novum Testamentum accedamus, nescio equidem, an quisquam Patrum ex illo plura testimonia quam Ambrosius congesserit, quibus Mariae virginitas astrui possit. Repetit enim ex Evangelio quod Ioseph et Maria non convenerint, quodque Maria dixerit angelo: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi? » (Luc. I, 34) quod praeterea Lucas Virginem illam nominatim appellarit. Citat et illud quod apud Matthaeum legimus: « Ecce Virgo in utero concipiet » (Matth. I, 23): additque de Ioseph historiam, qui quoniam praegnantem Sponsam videbat, cum qua rem non habuerat, dimittere illam statuebat. Profert demum ex Ioanne, quid Christus de cruce, Matri et discipulo dixerit, velut hoc etiam ad probandam huius Virginis integritatem vim habeat, sicut etiam Epiphanius et Hieronymus annotarunt. Verum haec Scripturarum vel indicatio, vel enumeratio ut valde succincta, sic multis, quod vereor, obscura, paucis vero grata fuerit, ac aliquod explicationis lumen profecto requirit.

2031. Nos ergo de Lucae testimoniis, qui vel solus ad Mariae virginitatem astruendam suffecerit, postea viderimus: nunc ex Matthaeo dumtaxat excerpturi, quae ut minimum Ebionitas refellant, utpote primos et praecipuos Marianae hostes pudicitiae, qui ipso etiam apostolorum saeculo in Dominico agro, ut pessima zizania, pullularunt. Quod hominum genus adeo fastidiosum ac improbum fuit, ut contemptis reliquis evangelistis, solum iuxta Matthaeum Evangelium recipere dignaretur, quemadmodum post Irenaeum indicat Theodoretus. Age igitur Matthaeum isti superbi audiant, qui alios non audiunt, et ex eo saltem de Iosepho Mariae viro, qui eam ante partum Virginem certo certius deprehendit, cognoscant, ne pergant in sacram Virginem adeo esse petulantes atque contumeliosi. Ubi non abs re fore arbitramur, si paulo fusius declaremus ac illustremus, quae Matthaeus miro quodam compendio complectitur, ut insignis Evangelii locus, a multis fortasse parum animadversus, ad causam Virginis vindicandam rectius accipiatur.

2032. Mariae iam nubili puellae Sponsus Ioseph, de quo postea disseremus, obtigit, quocum illa domesticam consuetudinem nondum egerat, cum e Nazarena domo profecta, Zachariam eiusque coniugem inviseret. Ioseph post menses tres redeuntem ad se Sponsam excipit, ac uterum eius intumescentem observat, miratus vehementer, quod, nuptiis nondum peractis, gravidam reciperet, quam abiisse virginem certo credebat, utpotè ignarus mysterii, quod internuntio Gabriele in castis Mariae visceribus fuerat divinitus inchoatum. Hic multa in mentem illi veniebant, quae partim Mariae causam premerent, partim excusarent, quaeque iusti viri animum inter spem et metum fluctuantem non parum discruciarent. Cogitabat humanum videri lapsum, si Virgo in tali aetate, sive volens, sive coacta, cum tandiu a suis abesset, et peregre versaretur, a sollicitatore improbo vitiata fuisset. Et auxit illi suspicionem Mariae silentium, quae ad se purgandam omnino nihil afferet: fortasse quod divinae confidens providentiae, hoc mysterium alio tempore et non per se, sed per alium viro revelandum, suamque innocentiam illi declarandam esse speraret.

2033. Contra vero aequior erat Mariae Ioseph, utpote vir humanus, non saevus, et candidus magis quam suspicax, qui ab impotenti illo zelotypiae morbo, per quem viri in uxores saepe graviter exasperantur, gravesque motus concitant, haudquaquam se vinci pateretur. Eoque minus in suum induxit animum, Sponsam adulterii vel crimine, vel suspicione gravandam esse, quod illam ab optimis optime commendatam, et probatam ab omnibus virginem accepisset, in cuius etiam vita et moribus non nisi admiranda pudicitia simul et eximia sanctitas eluceret.

2034. Abhorrebat igitur pius animus ab ea persuasione, ut male castam sponsam crederet, quae contra Dei legem expressam, contra honestatem publicam, contra fidem sponso datam, contra spectatam sive prioris, sive praesentis vitae integritatem, scortata fuisset. Sed et illud secum fortasse animo reputabat, divino numini nihil esse difficile, cuius virtute Sara et Elisabetha, licet anus infecundae, uterum gestare, et prolem suscipere potuissent; eamdem summi Dei potentiam nunc tanto magis in hac Virgine posse operari, quo certius propheta divinus de paritura Virgine praedixisset.

2035. Sed enim cum his curis et aestibus animi vir anxius torqueretur, nihilque certi de re tanta definire posset, coepit tandem occulti divortii consilia meditari, quod speraret hoc clancularo secessu non modo suae conscientiae, sed et famae honorique sponsae rectius consuli posse. Nam in legem divinam et disciplinam publicam sibi peccaturus videbatur, si sponsam corruptam et infamem domi conservaret, vel nuptias cum ea celebraret. Rursus iniquum fore duxit, si crearet

Digitized by Google

periculum innocenti feminae, sive in ius illam vocaret, sive impudicam fingeret.

2036. Sunt qui non temere cum Origene et Bernardo sentiant, Ioseph summa erga Sponsam reverentia commotum, occulte illam deserere voluisse, quod vir modestissimus existimaret se illius indignum contubernio, quam tot tantisque Dei dotibus ornatam suspiciebat, et in quam nulla vel incontinentiae vel minimae labis suspicio cadere posse videbatur. Bernardi verba sic habent: « Quare Ioseph voluit dimittere Mariam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc voluit Ioseph dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum » (Luc. v, 8 : propter quod et centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum » (Matth. VIII, 8. Ita ergo et Ioseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem ».

2037. Sic igitur Ioseph animo secum reputasse, taciteque dixisse videtur: « Egone cum illa domesticam agam consuetudinem, quae tantae gravitatis et exquisitae puritatis, omnisque virtutis vivum velut speculum et exemplar se mihi ac omnibus admirandum potius quam imitandum praebet? Fortasse de Spiritu Sancto concepit, ut ego neque mariti, neque mancipii officium illi digne unquam possim exhibere. Praestat igitur discedere, quam cum periculo illi cohabitare, in qua mirabilis Deus praestantiora quam ego exiguus assequar, fortassis operatur.

2038. Verumenimvero fidelis et providus erga electos est Deus, nec sinit illos supra vires tentari, qui per angelum suum Ioseph admonet dormientem, ut sollicitudinis plenas cogitationes missas faciat, et ad priorem animi redeat tranquillitatem. « Ioseph, fili David, inquit, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est », citra tuam scilicet ac alterius cuiuscumque viri operam, id ex Spiritu Sancto est (Matth. I, 20). Quare non humanum lapsum, sed divinum illapsum huic ascribas Virgini, quae tibi Sponsa dicata est, et cuius intumescentem uterum admiraris. Tantum vero abest, ut illam a domestico convictu debeas removere, ut nunc etiam reverentius tibi veniat adiungenda, quia non nisi Deum nascituri ex ipsa filii, et summi quidem filii omniumque Redemptoris habet auctorem: te vero fidum ministrum perpetuumque tanti thesauri custodem conservatura est ».

2039. Quis iam prudens, aut modice saltem peritus non videat, singulari divini numinis providentia contigisse, ut Ioseph de Mariae virginitate ad tempus dubitaret, eaque unius dubitatio multis in fide confirmatio, sed et aliis aegris, vel in fide nutantibus quasi medicatio quaedam esset? Unde Ioseph Thomae apostolo recte comparatur, quod ambos in aliquam fidei dubitationem prolabi permiserit Deus, ut per hunc quidem Dominicae resurrectionis, per illum vero Marianae virginitatis credulitas in multorum cordibus magis magisque corroboraretur, sicut Gregorius quoque Magnus testatum reliquit.

2040. Facessant igitur et obmutescant non solum veteres Ebionitae, sed et novi Sternbergeriani, ne impudentissime mentiantur, Iosephum cum Maria rem uxoriam habuisse, et Christum ex illa sustulisse Filium, licet eximiis alioquin dotibus praecellentem. Quid enim dici a Matthaeo clarius potuit, quam quod nullus connubialis congressus inter Ioseph et Mariam intercesserit, priusquam illa suum Filium utero complecteretur? Unde diserte provideque dixit et illud evangelista: « Cum desponsata esset Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto » (Matth. I, 18): inventa, inquam, non solum a Ioseph, cui pro licentia maritali, ut Hieronymus loquitur, Virginis mores corporisque gestus omnes diligenter licuit contemplari, sed ab ipsis etiam angelis, qui cum Gabriele hoc tantum mysterium divinumque conceptum in castis illis Mariae visceribus non poterant ignorare, quique Beatissimam Virginem, ac eius animam singulari studio conservabant, Origene teste.

2041. Accedit quod idem evangelista non contentus angeli verba posuisse, de suo etiam significanter adiungit: « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel » (Ibid. 23). Quod si Maria ad partum usque virgo, et casti Ioseph casta Sponsa non perstitit, frustra prorsus asserit, adeoque falso pronuntiat evangelista, prophetae vaticinium in Maria fuisse completum. Post haec iterum subiicit: « Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum. (Ibid. 25).

2042. Qui locus etsi prima fronte Helvidiano dogmati favere videtur, quod alibi reiiciemus, tamen, vel ipso Helvidio teste, probat satis, Mariam ad partum usque virginem integram et inviolatam perseverasse. At si tam multa, tam fortia nobis argumenta suggerit Matthaeus, quid quantumque praesidii Lucas suppeditabit? qui Mariae causam egit diligentius, pluribusque perscripsit, prae-

Digitized by Google

sertim ubi Virginem illam angelo respondentem, suaeque virginitatis votum astruentem introducit. ut alibi ex professo dicemus.

2043. **Hymnus XV.**

De Iosephi gaudiis praeconium.

GAUDE, Ioseph, fili David,
Per florentem virgulam
Tibi Deus desponsavit
Mariam virgunculam
In qua sibi praeparavit
Carnis nostrae copulam.
2. Gaude tibi desponsatam
Per angelum monitus
Non relinquens, gravidatam
Videns hanc divinitus,
Credis Deo consecratam
Dono Sancti Spiritus.
3. Gaude quod de Galilaeae
Bethlehem progrederis,
Processurus sic de ea
Praegnante curam geris,
Donec Matre virginea
Christum natum reperis.
4. Gaude, natum adorasti,
Angelis canentibus,
Fusa luce observasti
Facta a pastoribus
A tribusque conspectasti
Tria dona regibus.
5. Gaude templo praesentasti
Circumcisum puerum
Cum matre considerasti
Mirans crunem tenerum
Simeonisque notasti
Gladium tam asperum.
6. Gaude, fugam te inire
Ad Ægyptum celere
Iubet Angelus, ut irae
Cedas regis propere
Herodis, post hoc redire
In Nazareth prospere.
7. Gaude, quia quem quaesisti
Duodennem filium
Hunc in templo invenisti
Tui cordis gaudium
De quo prius doluisti
Sic amisso nimium.
8. Eia, quanto te dotavit
Deus privilegio!
Te custodem deputavit
Mariae cum Filio
Teque summe exaltavit
In coelorum solio.
9. Nolis ergo pater bone,
Quaesumus suppliciter
Semper nunc et in agone
Succurre fideliter,
Ut tecum coeli coronae
Iungamur feliciter.
10. Iesu nato Salvatori
Ex Maria Virgine
Laus et eius Genitori
Sit cum Sacro Flamine
Qui nos dulci nutritori
Iungat in cacumine.

(Missale Wratislavien. impress. Cracoviae 1515).

2044. **Memento.** — Idem S. Iosephum fecisse non est dubitandum, adorasse nimirum infantulum, gratias ei egisse tum pro collato nativitate sua toti mundo beneficio, tum sibi nominatim, in suum curatorem ipsum eligendo; ad quod munus fideliter diligenterque praestandum et in omnibus serviendum se promptissimum otulisse credendum est. Idem vero et mihi faciendum esse intelligam, ut meipsum cordis affectu Sanctis hisce coniungam, corpus et animam cum eius omnibus facultatibus ad serviendum promptissime offerens. (De Ponte, p. II, Medit. 17).

XVI. — Sermo B. Petri Canisii.

LAUDES S. IOSEPH.

De Maria Virgine, lib. II, cap. 13.

Mariae Sponsum Ioseph a singulari prudentia, iustitia, sanctitate et castitate merito commendari. Tum quae consideranda sint circa Ioseph et Mariae familiarem convictum.

QUANDOQUIDEM in Mariana historia versamur, et Iosephi crebro meminisse debemus, non alienum fuerit, huius etiam sanctissimi viri, cuius in Evangelio laus est, mores inquirere, et illius honorem contra sectarios vindicare. Nam et Maria Sponsa, quam nos ornandam suscepimus, hoc postulare videtur, ut de Sponso eius Deo hominibusque dilecto, et laudatione non exigua digno, nonnihil agamus. Et hactenus quidem de hoc eximio vereque nobili viro inter doctos convenit, quod e regia progenie David, ut et antea demonstravimus, originem duxerit, quodque non sine magna Dei providentia, et quidem, ut veteres quidam testantur, a sacerdotibus ad sponsalia cum Maria Virgine contrahenda delectus et ascitus fuerit. Quod si Epiphanio, imo Matthaeo apostolo credimus, Ioseph hic patrem habuit Iacob, utpote naturalem, sicut et Heli legalem, pluribus ut explicat Damascenus: magnus inter viros, fidelis moribus, ipsaque specie pius ab Epiphanio appellatus.

2046. Verum durat adhuc controversia, fueritne ille tunc confirmata aetate iuvenis, ut ad fabrilem operam exercendam, ad victum manu et arte conquirendum, ad variam et difficilem profectionem subeundam, ad rem denique familiarem legitime administrandam satis idoneus esse posset. In qua sententia nonnulli hac tempestate versantur, aliis qui sunt vetustiores, contra existimantibus, hunc Mariae Sponsum sic satis grandaevum probatumque senem fuisse, quemadmodum et bona pictorum pars illum senio confectum, et viribus imbecillem adeo-

Digitized by Google

que fractum depingere solet. Qui certe apud Epiphanium annum aetatis octuagesimum excessisse legitur, cum Virgo Maria non ad coniunctionem illi, sed ad desponsationem cogentibus sortibus traderetur. De qua controversia multis hic disceptare non attinet, iudicium penes lectorem esto.

2047. Fortasse ingeniosa vetustas dedit hoc populi simplicitati, ut etiamsi Ioseph iunior fuisset quam pingitur, tamen pro seniore vulgo haberetur, ad depellendam videlicet rei amatoriae et coniugalis congressus suspicionem. Hanc enim facile vel pareret, vel augeret vegetus et viridi aetate iuvenis, qui cum nubili puella vel cohabitans, vel deambulans in tabella spectantium oculis subiiceretur.

2048. Illud certo affirmare licet, virum hunc solertem et prudentem admodum fuisse, quia non qualemcunque, sed probe instructum et valde opportunum hominem deligi conveniebat, duplicis nempe et inaestimabilis thesauri (Mariam et Christum dico) custodem et procuratorem, quique illis non modo minister, sed et individuus vitae socius, actionumque omnium spectator et testis domi ac foris adesset. Non igitur illi defuere dotes, quae a provido patrefamilias ad varias vitae traducendae familiaeque administrandae rationes merito desiderantur. Nec dubitare fas est, quin ille Mariae fideliter inservierit, multumque profuerit passim, praesertim cum in Nazareth, Bethlehem, Ierusalem, Ægypto, et post reditum ex Ægyptiaca profectione in Galilaea versaretur.

2049. Neque statim quidem Christo iam adolescente Ioseph est mortuus, qui duodennem Christum non sine sollicitudine quaesitum, in templo tandem offendit: imo si Cedreno credimus, ad Christi baptismum usque vitam produxit, mortuus demum anno aetatis suae centesimo decimo. Epiphanius plusquam nonagenarium, non tamen centenarium senem obiisse scribit.

2050. Ceterum quod ante crucem Domini e vita migrarit, non obscure Ioannes ostendit, cum testatur Mariam velut viduam factam, sicut et Hieronymus vocat, non alii quam discipulo ab ipso moriente Christo unice commendari.

2051. Quanquam non ignoro apud Cyprianum exstare sermonem, qui subindicet, hunc Mariae coniugem adhuc Christo patiente in vivis superfuisse, atque ut obsequium Virginis virgini traderetur aequanimiter tulisse, ne ipse diutius tanti ministerii praepositura oneraretur. Verum alii secus, nec omnino temere sentiunt, et cum Ambrosio fidenter affirmant: « Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat virum sive coniugem ». Quo quidem in vita superstite nec opus erat, nec omnino decebat, Matrem Domini alieno custodi magis quam legitimo marito sive sponso curandam deputari. Alii ex Ambrosio colligunt, quod putarit et ipse, vivum mansisse Ioseph, cum Virgo virgini de cruce commendaretur. Sed recte notavit Petrus Nannius, verisimile non videri, si Ioseph in vivis fuisset, eum uxoris et filii eius curam in extremis calamitatibus, quae etiam alienissimos excitare solet, relicturum fuisse.

2052. Igitur orba iam Maria et marito et unica prole, in Ioannis tutelam committitur, qui eam accepit in sua, sicut Graeci cum Ambrosio legunt. Cui rei fidem conciliat, quod scribit Epiphanius, Ioseph post Christum puerum duodennem in templum repertum, non multo post e vivis excessisse, ac propterea in evangelicis Litteris nihil amplius de illo narrari, licet de fratribus Domini subinde mentio fiat, et quidam Christum concionantem interpellans nuntiet: « Ecce Mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te » (Matth. XII, 47). Eodem referri potest, sicut idem confirmat Epiphanius, quod Ioannes de nuptiis in Cana celebratis narrans, Ioseph velut iam mortuum praetermittat, Mariae dumtaxat mentione facta, quae cum Christo Filio eiusque discipulis hisce nuptiis interfuerit.

2053. Illud ex Matthaeo probabiliter affirmare possumus quod hic Ioseph Mariam sibi desponsam, sed pro Dei Matre nondum agnitam, magnopere suspexerit, tantumque fuerit veneratus, ut cum gravidam cerneret, novique conceptus causam nesciret, divortium cum illa facere proposuerit, se illius cohabitatione indignum esse ratus. Etenim Origenes de hoc Evangelii loco, quem alii aliter explicant, in hunc modum scribit: « Iustus erat Ioseph, et illa immaculata, sed illam ideo dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, et sacramentum quoddam magnificum licet non proprium illud de Emmanuele) in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere ». Confert igitur Iosephum Elisabethae sanctae matri Ioannis, quae praesentis Mariae dignitatem admirans, non sine magna veneratione dixit: « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » (Luc. I, 43). « Sic et Ioseph, inquit, iuste humilians se in omnibus, cavebat et timebat sibimetipsi tantae sanctitatis coniunctionem adhibere. Idcirco occulte eam volebat dimittere, Dimittam eam, dicens, et a me longe faciam eam, et a cognatione mea. Maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meae congruit indignitati ».

Digitized by Google

2054. Ubi Origenem pluresque veteres sequitur plane Bernardus, qui, ut antea meminimus, hanc Patrum esse sententiam dicit, quod Ioseph singulari Virginis innocentia, suaeque indignitatis conscientia permotus, de dimittenda coniuge deliberarit. « Propter hoc, inquit, Ioseph voluit dimittere Mariam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum » (Luc. v, 8): propter quod et Centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum » (Matth. VIII, 8). Ita ergo et Ioseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam ». Nec multo post haec adiicit: « Miraris, quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias et sanctam Elisabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? » Ac tandem concludit: « Merito ergo vir iustus, ne aut mentiri aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere, ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio.

2055. Nec reiicit tamen Bernardus illorum opinionem, qui putant Ioseph, sicut hominem, de Mariae integritate dubitasse, et quia iustum, ab eius convictu abhorruisse, ne in legem peccaret, si fornicariae adhaereret, ac simul pium exstitisse, ut quam diutius domi retinere non auderet, occulte potius dimitteret, quam aperte incusando traduceret, ac vulgo infamem redderet. Quocirca hoc Iosephi exemplum, ut singularem eius viri modestiam ac probitatem arguit, si priorem sensum amplectamur, sic ad Mariam quoque commendandam pertinet, utpote quam vir Sanctus, eo etiam tempore cum Domini Matrem ignoraret, tanti fecerit, et cuius contubernium ob insignem virtutis illius excellentiam reformidarit.

2056. Ceterum sive Ioseph pro Sponsa, sive, ut Bernardus existimat, pro domina, Domini sui Matrem habuerit atque tractarit, sui ille perpetuo similis utique vixit, ut coram Deo et hominibus irreprehensibilis, vereque iustus et germanus Davidis esset filius, non mente minus quam genere nobilis, qui a patre suo David nihil degeneraret, cui tanquam alteri David, incerta et occulta sapientiae suae summus Deus manifestaret; qui propterea divinis revelationibus in sua procuratione rebusque gerendis crebro illustrabatur.

2057. Praeclara et illa est Iosephi commendatio, Christi Domini generationem, quae instar longae scalae coelos attingentis dormienti Iacob demonstrabatur, ab evangelista Matthaeo ita contexi, ut per Ioseph ad Christum perveniatur, ipseque omnium Dominus eidem Ioseph tanquam supremo scalae gradui, ut Rupertum sequar, inniti quodammodo videatur. « Annon, inquit, illi beato innixus est, quando pupillus in hoc saeculo, id est, absque carnali patre natus, solatio eius cum puerpera matre sustentari dignatus est? ».

2058. Ad haec Ioseph nomen praeclarum nullique mortalium communicandum, ut Christi pater et vir Mariae in Evangelio appelletur, accepit: nec dubium quin utroque titulo et honore dignum se praestiterit, adeo iustus et aequitatis amans, ut Sanctissimae Virgini nuntium mallet remittere, quam alieno peccato, quod metuebat, ut quidam sentiunt, consensum, favorem, aut patrocinium ullum praebere, legique divinae minus satisfacere.

2059. Praeterea quis facile verbis assequatur, quam ille solers, fidus, impiger ac sedulus in officio fuerit, cum semel hoc munus divinitus iniunctum suscepisset, ut tantae Matris curator domesticus, tantique Filii, imo et Salvatoris sui, pater nutritius foret? Quibus autem oculis vir bonus et sapiens Mariam simul et Christum frequenter aspexit? Quanta illum non solum invasit admiratio, sed etiam voluptas sancta complevit, cum admirabilium Dei mysteriorum testis domesticus, et pro mille unus adesset? Certe Lucas indicat, illum super his quae de puero Iesu dicebantur, cum Maria esse miratum. (Luc. II, 33).

2060. Quid si praeterea, ut est probabile sane, cum eadem Virgine de sacris multum saepeque contulit, et in Spiritu Sancto subinde suaviter, ut senex iustus ille Simeon, exsultavit, et exsultando in laudes divinas erupit? (Ibid. 34). Quo magis ille Dominum Iesum amabat, satis autem dulcissimum puerum amare et amando complecti non poterat, eo sane tulit acerbius, suamque et Mariae sortem tristius deploravit, cum tantum suum et Sponsae communem thesaurum ab Herode ad exitium quaeri, ab Israelitis negligi, a paucissimis curari animadvertit. Nec sine acerbo moerore Christum puerum in Ægyptum adduxit, illicque profugum et exsulem aegre aluit, magis etiam sese discrucians, cum duodennem puerum toto triduo amissum, et studiose pervestigatum, vix tandem in templo recuperavit. (Luc. II, 48).

2061. Annon varias ille curas et aerumnas ingentes exantlavit, cum tanta rei familiaris angustia premeretur, ut neque Mariae puerperae, neque Christo infantulo ea quae vel-

Digitized by Google

let ac convenire putaret, ulla ex parte posset subministrare? Nocte monitus de imminente tyrannide Herodiana, quam impigre surrexit! quomodo confestim reliquit omnia, et parum ad iter instructus, in fugam sese cum puero matreque coniecit! Iam vero quos ille dolores et angores non pertulit, sive domi inter Israelitas, sive foris apud exteros et impios versaretur! praesertim in exsilio tam calamitoso, quam diu apud Ægyptios exsulavit, septem vero annos exsulasse scribit Anselmus, et summam rerum vicissitudinem, neque minorem egestatem expertus est. Qui huc et illuc profugere coactus, haud sine metu periculoque magno certam sibi sedem quaesivit, quod sicut antea sub Herode immanissimo rege, sic et postea sub eius filio non optimo Archelao, nihil satis tutum sibi polliceri posset, ut charissima pignora suae fidei concredita secure et commode conservaret.

2062. Has varias aliasque plures molestias, cruces, aerumnas aequissimo ille animo tulit, neque seipsum tantum, sed et Virginem Matrem in tot rebus adversis curisque quotidianis studuit consolari: nec dubium quin praesentem Dei virtutem et incredibilem animi fortitudinem gaudiumque vere spirituale in tanta rerum vicissitudine subinde persentiret, iure ut suo cum Propheta diceret: « Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam ». (Psal. XCIII, 19.) Nam certo utique intelligebat, se familiamque suam innocentem, non fortuito aut vulgari more, sed propter Christum tot calamitatibus et molestiis obiici, Deum aeternum ita velle, ut multis ipse durisque modis, velut aurum in igne probatum, exercitaretur, magisque splenderet vulnere virtus.

2063. Postremo annon rarae et eximiae cuiusdam probitatis specimen edidit, cum Sponsae tumentem uterum, et indubitata conceptus indicia cerneret, praesens vero et latens in Virgine mysterium ignoraret? Sed ne tum quidem ille cum uxore expostularet, neque verbum ullum commutaret, non apud affines quereretur, nec zelotypia discruciaretur, non in ius iret, nedum ad poenam vocaret raperetque coniugem: suos aestus dumtaxat intra se vir modestissimus premit, secumque in animo de secreto faciendo divortio meditatur, quandoquidem sub lege vivens, supra legem philosophabatur. Unde Chrysostomus virum illum in omnibus praeclarum, ac omnigena virtute insignitum nominat, qui ea quae patris sunt, ex mandato divino praestiterit Christo, ac supra legem sapuerit, meditationi prophetarum semper inhaerens, quem idcirco iustum dixerit evangelista.

2064. Verum enimvero hanc Iosephi commendationem aut negant aut obscurant novatores. ne perfectae iustitiae laudem illi tribuere et assignare cogantur. Notant igitur Centuriatores, iustum illum a Matthaeo dici, sed pro civiliter iusto aut honesto viro. Quasi vero inter Socratem et Ioseph, inter Apollonium et Noe, inter Simeonem et Aristidem parum aut nihil intersit. Nam et illud praeclarum de Ioannis Baptistae parentibus longe probatissimis elogium: « Erant ambo iusti ante Deum » (Luc. I, 6), ad iustitiam suam imputativam, quae vera iustitia non est, perverse detorquent. Victorinus et Chytraeus sic Ioseph iustum dici volunt, ut iustitia dumtaxat particularis intelligatur. Lossius iustum fuisse fingit a iustitia inchoata erga legem, perinde ac si proficientem et perfectam aliquam iustitiam nec voluerit nec potuerit assequi. Postremo, « iustus erat Ioseph coram Deo imputatorie, non meritorie », uti notat Sarcerius.

2065. Sed hic etiam a via procul aberrat, nec scopum vel mentem attingit evangelistae, qui Ioseph iustum ab ipso facto studuit comprobare, quoniam ut Sponsae gravidae parceret, quam accusare atque infamare poterat, occultum divortium pie meditabatur. Verus igitur Abrahae filius fuit, cui non solum fides ad iustitiam reputabatur, sed qui suam fidem benefactis etiam consummabat, nec sola fide iustificabatur. Unde Iacobus factores operis (Iac. I, 22), et Paulus factores legis asserit iustificari (Rom. II, 13). Et sane Scriptura proprie loquitur, cum toties de piorum praestanti et exacta iustitia, iustitiaeque fructu et merito disserit, Deumque ipsum loquentem inducit: « Te vidi iustum coram me in generatione hac » (Gen. VII, 1). « Si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel et Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum ». (Ezech. XIV, 14).

2066. Ac iterum de impio poenitente, qui post conversionem suam custodit omnia Dei praecepta, facitque iudicium et iustitiam: « Omnium iniquitatum eius quas operatus est, inquit, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, vivet » (Ezech. XVIII, 22). In quo sensu testatur quoque Ioannes: « Omnis qui facit iustitiam, iustus est ». (I Ioan. III, 7). David vero: « Dominus retribuet unicuique secundum iustitiam suam et fidem ». (I Reg. XXVI, 23). Qui David de sua iustitia bene sibi conscius, dicere non verebatur, « Feci iudicium et iustitiam » (Psal. CXVIII, 121), id est, prohibita vitavi, et mandata feci, sicut Victorinus ipse interpretatur, iustitiam hic intelligens universalem, id est obedientiam universae legi Dei debitam, ut verbis eiusdem utamur. Nec aliter sane Ambrosius, Augustinus et Gregorius Nyssenus,

Digitized by Google

ut reliquos Patres omittam, de iustitia sentiunt atque docent.

2067. Tantum abest, eos in divinis litteris iustos celebrari, qui ut novatores fingunt, licet interne et coram Deo vere iniusti immundique manerent, nihilominus quoniam externe atque imputative iusti, nec in virtute ulla perfecti essent, iustitiae titulo insigniuntur. Quanto rectius nos docet Bernardus, iustitiam esse rationalis animae perfectionem, aut, sicut Chrysostomus dixit, omnium mandatorum plenam custodiam, et hanc Iosepho competere, sicut Euthymius etiam confitetur. Ante quos Origenes tradidit, Iosephum in verbo, in facto, in legis consummatione iustum exstitisse.

2068. Nec immerito Bernardus clarissimum patriarcham Ioseph proponit, qui sancti patris Iacob sanctus valdeque charus fuit filius, et ob recusatum dominae stuprum laudem pudicitiae amplissimam meruit. Huic nostrum Ioseph pulchre confert, cum in utroque pares et praeclarae virtutes eluceant, utpote fides, castitas, innocentia, iustitia prudentiaque. Sed evangelicus hic Ioseph in eo admirabilior, quod angelum preceptorem, et quidem frequenter habeat: quod Domini sui Matrem continentem, continens et ipse custodiat, tantumque thesaurum suae fidei concreditum accurate servet: quod ante alios Messiam in carne praesentem tam iucunde contempletur tractetque familiariter: quod plenus itidem piis et sanctis affectibus, prophetica oracula mirabiliter impleri reipsa sentiat: quod demum prae aliis prophetis et regibus longe beatissimis tantam tamque multiplicem Messiae gratiam, et prima Evangelii miracula coram deprehendat, laetisque oculis clarissime intueatur.

2069. Igitur merae sunt novatorum praestigiae quibus ad veram et plenam Iosephi nostri iustitiam elevandam ludificantur, ne quod res est, et vir tantus meretur, cum Patribus fateantur. Quod si adhuc viri huius iustitiae obstrepent adversarii, concedant saltem aliquid camerario suo, cuius testimonio fuit hic Ioseph quoad vixit, vir optimus, integerrimus, sanctissimus, virginitatis Mariae fidelissimus custos, sed et assiduus atque diligentissimus socius educationis et curae Filii Dei. At cavendum est interim sedulo, ne more stultorum dum evitamus Charybdim, in Scyllam forte incidamus; hoc est, ne Iosephi iustitiam sic efferamus, ut Mariae sanctimoniae ac dignitati aliqua ex parte simus iniquiores.

2070. Scribit enim Franciscus Lampertus, « Nescio quem fanaticum hominem exstitisse, qui Iosephum Mariae anteponere non dubitaret: illi enim dormienti, huic vero vigilanti angelum apparuisse, ut evangelistae testantur. O ridiculum argumentum, quod seipsum vel tacentibus nobis evertit, ut inde contrarium, Mariam nempe Sponsam Ioseph Sponso praestare, multo rectius colligatur. Est enim amplius atque commendabilius, vigilanti quam dormienti homini angelum apparere, maiusque procul dubio censeri meretur, quod Mariae Filius de Spiritu Sancto nasciturus ab Archangelo gratulabundo ipsi Virgini nuntietur, quam quod Ioseph anxio et dormienti timor et sollicitudo ab angelo quodam auferatur ». Unde Chrysostomus ista recenset: « Doceri debuit Virgo non in somnis, ut Ioseph, non per qualemcunque revelationem, ut Zacharias, sed per apertissimam visionem ». Tum apud Irenaeum legimus: « Danieli angelus Gabriel exsolutionem visionum fecit: hic autem est Archangelus Demiurgi, et hic idem Mariae evangelizavit manifestum adventum et incarnationem Christi ».

2071. Hic iam quaestio non levis incidit, quam praeterire non possumus de Iosephi virginitate. Ac fatentur sane docti omnes, et partim adversus Ebionitas, partim contra Helvidianos accurate defendunt, castum illum cum casta semper vixisse Virgine, ac in eo coniugio coelibatum integrum observasse. Unde Chrysologus illum solo nomine Mariae maritum, conscientia Sponsum, testimonium castitatis atque pudoris custodem appellat. A Gregorio dicitur integerrimae custos virginitatis, et sponsus non in foedus solemne coniugii, sed ad consortium communis habitationis ascitus. Ceterum praecipuae disputationis cardo in eo versatur, an pudicus ille et castus semper manserit in coelibatu.

2075. Qua de re scripsit Hieronymus et Helvidium hac quidem oratione perstringit: « Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur, Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus: relinquitur virginem eum mansisse cum Maria; qui pater Domini meruit appellari ». Quibus verbis testatum satis Hieronymus reddidit, non modo Mariam, sed Ioseph etiam cum illa mansisse virginem, et ex utriusque coniunctione virginale coniugium, unde Christus voluerit nasci, evasisse.

2073. Quare nullam aliam Ioseph praeter Mariam coniugem habuit, nisi de tanto viro fingamus, quod male castus duas simul uxores tenuerit, vel quod post Mariae mortem supervixerit: id vero nullus, ut arbitror, unquam existimavit. Sed neque ante Mariam

Digitized by Google

uxor illi alia contigisse videtur, nisi fortasse Maria illa fuit, quae ab evangelistis mater Iacobi, Simonis et Ioseph, a quibusdam autem uxor Ioseph dicta est. Verum hanc Mariam Hieronymus et Beda Christi materteram, Matrisque Domini sororem vocant, quae cum aliis etiam mulieribus iuxta crucem Domini legitur astitisse.

2074. Hoc vero testimonium, quod ex Hieronymo citavimus, repetit et comprobat Rupertus Tuitiensis, ut eumdem Iosephum virginem faciat, illique simul et Mariae locum ex Canticis applicat: « Dilectus pascitur inter lilia » (Cant. II, 16): has enim duas personas prae aliis recte vocari et esse lilia, ob virginales nempe nuptias et castissimam cohabitationem.

2075. Nec solum Hieronymus, sed et Augustinus Ioseph virginem asserere videtur, quando pro concione sic loquitur: « Habe, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum: quia de virgineis membris virtus nascitur angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate servata: sis autem et tu pater Christi cura castitatis et honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris Genitricis, saeculis Christianis nulla sit zelotypia ». Ac paulo post: « Gaude itaque, Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii: quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ».

2076. Ac ne quisquam isthaec ad eam referat castitatem, quam Ioseph Mariae cohabitando servavit, nomen virginitatis et virginalis affectus adiunctum habemus. Beda et Alcuinus nihil habent obscuri, sed perpetuam Iosepho virginitatem deferunt, cum in hunc modum scribunt: « Absque ullius scrupulo quaestionis scire et confiteri oportet, non tantum Dei Genitricem, sed et beatissimum castitatis eius testem atque custodem Ioseph absque omni prorsus actione coniugali mansisse semper immunem ».

2077. Eamdem sententiam tuetur Hugo Victorinus, multique theologi sequuntur, praesertim Thomas et Gerson, ut recentiores omittam, qui non temere contendunt, Iosephum una cum sponsa sua in nuncupando et solvendo virginitatis voto persancte convenisse, divino scilicet id numine providente, ut ad grande illud arcanum, quod mundi salus continebatur, Virgini Mariae talis socius adiungeretur, qui ut in omni vita, sic etiam in vera pudicitia illi concors atque conformis esset.

2078. Gersonis verba subiiciam: « Vovit Maria virginitatem: vovit et ipse Ioseph secundum doctores, cui voto non repugnavit vera matrimonialis coniunctio, neque corporum mutua translatio, in quo matrimonio proles fuit fides atque sacramentum ». Eidem igitur attribuit, quod bona conscientia et ipse testari potuerit: « Tu scis, Domine, quod nunquam concupivi feminam, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia: uxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere » (Tob. III, 16, 18). Cur ergo pura perfectaque Ioseph pudicitia non praedicetur, qui sponsus sponsam absque nuptiali affectu duxit ac tenuit, qui virgo virginem adiit atque servavit, quique primus ex masculis in coniugii consortio coluit et coli posse docuit sanctum et integrum coelibatum?

2079. Sunt interim alii non modo recentiores, sed veteres etiam, qui adeo virginitatem Ioseph non agnoscunt, ut eum etiam bigamum faciant, ac illorum parentem esse putent, qui fratres Domini in Evangelio nuncupantur. Probavit autem Aloysius Lipomanus, in hac opinione nonnihil esse incommodi, contrariam vero sententiam, quae virginitatem Ioseph largitur, ut minus perplexam, sic evangelicis etiam litteris magis esse consentaneam censet. Ego de hac lite nolo mihi partes sumere iudicis, sed existimo tamen et tutius et candidius fore, si in hac ambigua doctorum concertatione eam sequamur sententiam, quae divinae tum sapientiae, tum bonitati maiorem laudem conciliat: hoc est, si arbitremur, non solum Ioanni virgini, sed et Iosepho virgini, Virginem Matrem peculiariter commendatam traditamque fuisse.

2080. Sic enim cum Gersone ratiocinabor: Si Dominus Matri suae iam aetatis provectae nullum custodem nisi virginem, Ioannem puta evangelistam, adhibere curavit, quanto magis existimandum est, parem illi curam fuisse, ut eidem Matri in aetate adolescentiore de custode Virgine provideret? Nam et Filius Iesus non nisi in puritate virginali nasci voluit atque nutriri. Quod si non virginitatis, at certe quidem coelibatus peculiarem et necessariam gratiam illi donavit Deus, ad suum munus legitime obeundum, ut vellet nimirum ac posset caste et secure cum Virgine casta domi forisque versari, et carnis illecebris, impurisque affectibus, qui ex viri feminaeque familiari convictu suboriuntur, omnino vacare, eoque rectius ad omnem vitae usum Matri simul et Filio inservire. Cum vero sponsae integerrimi castissimique mores accederent, illique sponso magis ac magis in dies placerent, quis pius vel neget, vel dubitet, magnum illi calcar accessisse, ut lubenti animo sacrae coniugis imitaretur exemplum, et ex pari consensu propositum castitatis amplecteretur, adeoque

Digitized by Google

interposita pacti votique religione firmaret? Ut hinc de illo Prudentius dixisse videatur:

Pacti cui cura pudoris.

2081. Ceterum sive hic Ioseph perpetuo coelebs, ut multi nunc sentiunt, sive bis maritus fuerit, ut quibusdam veteribus visum est, qui ex priore quidem uxore filios procrearit, illud certum nobis et inconcussum manet, quod nostrae disputationis caput est, castum illum cum castissima vixisse Virgine, et ab eadem perpetuo continuisse. Nec potuit in hoc continentiae proposito non magnopere confirmari, cum ex angelo percepisset suam sponsam ad mysterium summum, divinitus electam et assumptam esse, quae Domini ac Dei sui, imo et omnium Mater, ac vivum quodammodo tabernaculum purissimumque templum exsisteret. « Erat illa Virgo, ut iterum utar verbis Augustinianis, ideo et sanctius et mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar ».

2082. Alii vero qui Ioseph virginem mansisse defendunt, non ex ipso, sed ex fratre ipsius Cleopha natam dicunt Mariam filiam, quae Alphaeo nupserit, ac horum quidem duorum coniugum quatuor illos faciunt filios Iudam Thadaeum, Simonem Chananaeum, Iosephum et Iacobum Minorem, qui omnes fratres Domini, quia cognati eius essent, Iudaeorum more dicuntur, quomodo et Lot Abrahae et Iacob Laban frater legitur appellatus. (Gen. XIII, 8 et XXIX, 12). Probat igitur Hieronymus nec Mariae, nec Ioseph fuisse filios illos, quos Evangelium fratres Domini vocat, fratres, inquam, Christi non affectu, non gentis privilegio, non natura, sed cognatione seu generis propinquitate.

2083. Ascribam Hieronymi verba luculenta, quibus et Ioseph filios adimit, et simul causam erroris ostendit, ob quam nonnulli fratres Domini ex illo patre natos esse putarunt. « Quidam, inquit, fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et a quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris Mariae liberos intelligimus materterae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi Minoris et Ioseph et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat ». Quare non improbamus quod Centuriatores Hieronymo suffragantes admonent, fabulosum videri Iacobi protevangelion, ubi Ioseph viduum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequam Maria ei desponsaretur, exponit. Verum hac de re alii pluribus disseruerunt.

2084. Libet interim hoc loco, quoniam in Iosephi historiam et cum Mariae cohabitationem semel sumus ingressi, libet, inquam, obiter adiungere, quae partim admiratione, partim imitatione, partim admonitione digna esse censeo. Admirandum est sane Virginis consilium, quae, postquam se suamque continentiam Deo dicavit, ut illi soli purissime devotissimeque vacaret, mortali tamen viro nubere adeo non refugit, ut etiam celebratis, ut putant, nuptiis, se sociam illi fidenter adiungat, et cum illo quotidie vivat. Quid enim si divinitus edocta cognovit, virginitatis suae decretum in ipso coniugio salvum ac integrum esse mansurum, ut diximus, atque adeo hoc suum coniugium et Iudaeis et Christianis profuturum? illis quidem, ut minus offendantur, praesentis matrimonii velut praetextu decepti, dum vulgare coniugium esse putant: his vero, ut eiusmodi continentis sponsi atque sponsae coniunctionem magis suspiciant, ac in ipso etiam coniugio, si non perfecte, at aliqua saltem ex parte libentius aemulentur.

2085. Praeclarum et illud magisque imitandum exemplum est, quo simul ad mansuetudinem, patientiam atque fiduciam excitamur, quod Maria, si ritè consideramus, perpetuo sibi similis, et ad tacendum quam ad loquendum promptior, nulli hominum, non Zachariae prophetae, non cognatis et amicis coniunctissimis, et ne Iosepho quidem sponso mysterium ab angelo nuntiatum et suo in utero celebratum patefaciat. Igitur, ut intra summae modestiae terminos sese contineat, etiamsi haud sine molestia videret, cum manifesta signa conceptus apparerent, sponsum hinc variis animi curis, suspicionibus, angoribus misere discruciari, tamen innocentiae suae purgationem omnem praetermittit, ne seipsam alioquin praedicare videretur, si quod res erat fateri voluisset, se nempe de Spiritu Sancto gravidam, et magni Messiae Matrem electam, sicut Isaias esset vaticinatus. (Isa. VII, 14.)

2086. Adeo illa silentii tenax, et modestiae omnis observans fuit, quae licet famam suam in discrimen adduci, et sponsum haud leviter offendi cerneret, tamen soli Deo sese permittit, ac illius providentiae totius rei progressum exitumque secura committit. O vivam in Deum fidem, qualem in Israel non reperias; o raram et columbinam in Virgine simplicitatem, quae omnem mundi prudentiam vincit ac dissipat; o excellentem Deo fidentis animi generositatem, qui patris Davidis egregio praecepto pareret! « Revela, inquit, Domino viam tuam, et

Digitized by Google

spera in eo, et ipse faciet ». (Psal. XXXVI, 5.) Unde nec sua quidem spe Virgo sancta frustrata est, Deo causam eius fortunante per angelum, qui non multo post e summo coelo missus, dormientem sponsum instruxit, instructum omni suspicione falsa liberavit, sponsamque illi tanto cariorem, quanto integriorem reddidit.

2087. Quemadmodum enim Daniel divinitus est excitatus, ut Susannae falso accusatae, et ad supplicium adductae presentem opem afferret, ac obiectae impudicitiae labem omnem abstergeret: ita munus Gabrieli a Deo datum est ad causam huius Virginis, ne quid maioris periculi silentio crearetur, apud Ioseph defendendi, omnemque foedi criminis suspicionem depellendi. Recte igitur Maria Susannae a Chrysostomo comparatur, et in utraque propheticum impletur: « Salus iustorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis, et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo ». (Psal. XXXVI, 39, 40.) Quod arcanum Maria religioso et diuturno texit silentio, ut ne cum carissimis quidem communicaret, hoc demum Elisabetha divino afflata Spiritu propalavit, et in singularem Virginis Matris laudem prodidit. Ubi primum illa coacta sanctum rupit silentium, et laudem sibi oblatam repudians, in summi auctoris commendationem se totam dulcissime modulando profudit.

2088. Quid vero isthuc obsecro, quod Maria cum Ioseph, Virgo sacra cum diverso sexu tam vivit familiariter, ut a quotidiano viri conspectu domesticoque convictu se minime abstineat, sed illum et comitem et socium in convivio continuum habeat? Is ducit illam in Ægyptum, et ab Ægypto reducit, solusque cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam, ut Bernardi verbis utamur. Quid isthuc, inquam? an vel admonitione, vel purgatione quadam non indiget, ne res in exemplum fortasse trahatur, et castitatem amantes sibi quoque licere putent, quod tunc Mariae et Iosepho licuisse fatemur? Certe non licebat modo, sed decebat etiam, ut talis Virgo cum tali viro coniunctim familiariterque viveret, ac divinae voluntati satisfaceret, nullumque periculum in suo puro coelibatu vereretur.

2089. Nec dubium sane, quin castissimus et sincerissimus amor ex mutuis illis vitae communis officiis atque obsequiis magis magisque fuerit in dies confirmatus, et ad commodiorem Christi pueri educationem magnum usum et fructum attulerit. Quid autem illi metuerent, cuius incontinentiae periculo subiacerent, tam firmis et solidis divinae gratiae praesidiis communiti, ut lex carnis et effrenis concupiscentia sanctum et divinum in illis amorem nulla ex parte imminueret atque labefactaret? De Ioseph sane scribit Gerson, « in hoc iusto et aeque casto viro peccati originalis fomitem vel exstinctum, vel depressum fuisse, sed et prorsus decuisse, ne praestans Virginis forma, et cohabitatio familiaris, ipsum ad libidinem sollicitaret, ac aliqua ex parte commoveret, quem praeterea nonnulli in matris utero sanctificatum appellant ».

2090. Tum ex Bonaventurae et aliorum sententia probant quidam, quod licet eximium et admirabilem decorem Maria prae se ferret, nullum tamen mortalium ex eius aspectu ad foedam carnis concupiscentiam solitum incitari: ex illo enim venerando vultu et corpore divinum aliquid, et virgineum frigidumque prodiisse rorem, qui ad impuritatem libidinemque omnem spectantium restinguendam et arcendam conferret, ac quasi virgines germinaret, aut certe quidem ad maiorem vitae honestatem provocaret...

2091. Hymnus XVI.

Frondente virga Ioseph Sponsus designatur.

Sed Deus elatas studium cui fallere mentes,
Frigentem, et casto solitum servire pudori
Eligit de plebe virum: cui cana senectus,
Cui cava sulcantes crispabant tempora rugae.
Mane revertuntur scrutatique ordine virgas,
Ut videre senis summum frondere cacumen,
Illud Thraiciae de phylidis arbore tractum
Vimen erat longaeque nuces in fronde virebant.
Invidit ceciditque animis fraudata iuventus:
Ut quando in somnis aurum se credit avarus
Invenisse, dolos meditans exsultat inani
Laetitia, mox evigilans sua somnia moestus
Volvit, et in tristes abeunt nova gaudia curas.
Ducitur in medium senior, plausuque sonoro.
Susceptus, iussuque gradu discumbere summo
Obstupuit; nec enim senio iam fractus Ioseph
Ad tam insperatos animum tollebat honores;
Venerat edicto cupidus parere, relictam
Mens vel ad incudem vel ad aerea signa vocabat,
Et tanta haec fieri de se spectacula nunquam
Crediderat. Iuvenes post tam manifesta repulsam
Omnia perpessi demissis frontibus ibant,
Et rerum ignaris tam florida Virginis ora
Non bene coniungi gelidae turpique senectae
Murmur erat. Tamen et virgae nova signa virentis
Moesta per ancipites ducebat pectora curas.

(*Parthenice*, Baptistae Mantuani, lib. II).

2092. **Memento.** — Propterea Iosepho, et non Virgini intimatur Dei mandatum, quia familiae illius ille erat caput, volebatque Deus, Beatam Virginem Iosepho in iis obedire, quae ab Angelo Dei nomine se diceret accepisse, et permittere se in eiusmodi a Iosepho gubernari. Quod et fecit quam promptissime, nihil morata, quod non sibi, sed potius sponso suo fuisset facta revelatio. Non enim eo spiritu ducebatur, quo altera illa Maria, quae dixit: « Num per solum Moysen locutus est Do-

Digitized by Google

minus? nonne et nobis similiter est locutus? » Discam itaque hanc humilitatis et obedientiae rationem a Virgine Beata, ut libenter ab alio guberner et aequo accipiam animo, maiorem aliorum, quam mei rationem haberi, eamque maximam felicitatem meam existimem, si divinam cognoscam et exsequar voluntatem, sive ea mihi ab ipso Deo aut eius Angeli revelatione, sive ab homine, quem Dei loco habeam, innotuerit. (Ludov. De Ponte, p. II, Meditat. 27).

XVII. — Sermo Hippolyti Marraccii.

VARIA DE S. IOSEPHO DEIPARAE VIRGINIS SPONSO.

Principes Mariani, cap. IX, 37.

NEQUE a principibus Marianis Sanctum Iosephum Mariae Deiparae Virginis sponsum omnino purissimum segregabo, cum et ipse iure princeps fuerit (utpote ex regia Davidis stirpe omnium nobilissima progenitus), atque inter omnes, qui hactenus fuerunt, eruntque in posterum, Sanctissimae Dei Matris cultores eximios facile obtineat principatum. Huic igitur vitam apud omnes laudabilem et inculpatam traducenti, divino consilio Virgo perpetua Maria, futura Dei Mater, anno eius aetatis 14, despondetur.

2094. Quod qua ratione acciderit, ex celebris historiographi Nicephori verbis audiendum: « Postquam adolevit Virgo, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur. Sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in servitutem coniugalis legis redigerent, quae semel Deo dicata esset. E diverso autem puellam eo aetatis flore in sacratiori templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam et decoram esse videbant. Saepe itaque et multum re deliberata, divinitus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsae nomine committerent: eum vero talem esse debere, cui recte virginitatis custodia demandaretur, porro non alius Iosepho visus est magis idoneus ad sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret: eiusdem enim tribus erant, insuper vero, et senio, et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consecutus esset ». Haec ille.

2095. His de Mariana cum Iosepho desponsatione consentiunt gravissimi Patres D. Gregorius Nyssenus, D. Ioannes Damascenus et D. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus. Quodnam autem fuerit hoc consilium, quaeve sors ad Iosephi electionem in sponsum Virginis, his verbis enarrat D. Hieronymus, vel quicunque alius auctor fuerit libri De Ortu Virginis: « Pontifex publice denuntiabat, ut virgines, quae in templo constituebantur, et aetatis tempus implessent, domum reverterentur, et nuptiis, secundum morem gentis, et aetatis nativitatem, operam darent. Cui mandato cum ceterae paruissent, sola Virgo hoc se facere non posse respondit, dicens, se quidem, et parentes suos Domini servitio mancipasse, et insuper seipsam Domino virginitatem vovisse. Tunc pontifex praecepit ut ad festivitatem quae immineat, omnes ex Hierosolymis et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset.

2096. Omnibus in communi placuit, Dominum consulendum, et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit; nec mora, cunctis audientibus, de oraculo, et propitiatorii loco vox facta est, Isaiae vaticinium requirendum esse, cui illa Virgo desponsari et commodari deberet. Secundum ergo Isaiae vaticinium: « Egredietur Virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini » (Isa. XI, 1, 2), cunctos de domo et familia David, nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas ad altare allaturos praedixit, ut cuiuscumque virga florem germinasset, et eius cacumini Spiritus Domini in specie columbae consedisset, ipsum esse, cui Virgo desponsari deberet. Erat autem Ioseph de familia David grandaevus. Cunctis vero virgas suas, iuxta ordinem, deferentibus, ipse solus suam subtraxit. Unde cum nihil divinae voci consonum apparuisset, Pontifex iterum Deum consulendum putavit: qui respondit, solum illum ex iis qui designati erant, virgam suam non attulisse, qui Virginem desponsare deberet. Proditus itaque est Ioseph; cum enim virgam suam attulisset, et in cacumine eius columba de coelo veniens consedisset, liquido omnibus patuit ei Virginem desponsandum fore ». Haec ille.

2097. Duplex autem caeremonia in eo sacro sponsalitio intercessit: prima est, quod Sanctus Ioseph annulum porrexit Beatae Virgini; annulum enim sponsalem, loco arrhae, solitum dari inter Hebraeos, non obscure colligitur (ut cardinalis Baronius annotavit) ex illo Genes. XXXVIII, 17, 18: « Dixit Thamar: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Iudas: quid vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum ».

2098. Secunda caeremonia fuit, quod Sanctus Ioseph pallium suum extendit super Beatam Virginem, quo illam cooperuit, ut

Digitized by Google

mos erat apud Hebraeos, ut constat ex illo Ruth, ubi petens ille Booz sibi desponsari, dixit: « Extende pallium tuum super famulum tuum ». (Ruth. III, 9). Duplex autem haec caeremonia, et fidelitatem ab uxore servandam, et protectionem ei a marito exhibendam portendebat.

2099. Tertiam adhuc adhibitam caeremoniam colligit P. Christophorus de Castro, ex libro Tobiae ubi dicitur: « Et apprehendens dextram filiae suae, dextrae Tobiae tradidit, dicens: Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis: Et accepta charta fecerunt conscriptionem coniugii ». Tob. VII, 15, 16). Ex hoc loco, et aliarum gentium consuetudine, apud Persas et Medos, quod refert Arianus, similiter et apud Assyrios, facile colligetur, et hunc morem in usu fuisse Hebraeis.

2100. Quid autem post desponsationem Iosephus? num simul cum Virgine in eadem domo, an separatim ab ea habitavit? Plerique antiquissimi et gravissimi Patres constanter asserunt Beatam Virginem statim ab inito coniugio Iosepho fuise traditam, et mox Nazareth ab eo deductam, ibique in propria domo custoditam, eo quod Iudaeorum consuetudinis esset, ut a die desponsationis usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsae traderentur custodiendae, ut earum ipsi eo pudicitiam servarent studiosius, quo sibi ipsae fideliores exsisterent.

2101. Alii tamen, firmioribus convicti rationibus, existimant Virginem quidem habitasse in domo parentum suorum, Iosephum autem in separata domo, vel cognatorum conducta, unde frequenti sponsam visitatione una cum parentibus custodiret; nam ex multis Sanctae Scripturae testimoniis et exemplis, certo certius colligitur, eam fuisse Hebraeis consuetudinem, ut ante nuptias sponsa non traderetur sponso, nec ad custodiam; hoc enim, vel parentum erat munus, vel tutorum, in nuptiis vero tradi solitam, et inde deduci in domum sponsi. Et hoc significavit angelus cum Iosepho dixit: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam » (Matth. I, 20) Et hoc est, quod vocat Sacra Scriptura « sponsam accipere sponsum »: et iura, post initum verbis contractum solemniter: « Rei emptae possessionem, aut haereditatem adire ». Quod nisi per solemnem traditionem et nuptiarum celebrationem non fiebat.

2102. Porro verum ac ratum matrimonium intercessisse inter Mariam et Iosephum, ex evangelica historia apertissime colligitur: ut constat ex illis verbis Matthaei: « Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus ». (Matth. I, 16.) Et ex illis, quae dixit angelus: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Et ex illis Lucae: « Ascendit Ioseph cum desponsata sibi uxore Maria praegnante ». (Luc. II, 4, 5). Posse autem verum et essentiale matrimonium esse absque copula coniugali, unanimi est theologorum consensus, idque habetur ex cap. Sufficiat 27, q. 2, et ex concil. Florentin. in decreto Eugenii, ubi definit matrimonium perfici mutuo consensu. Atque huic veritati innitentes Patres non pauci, inter Beatam Virginem et Divum Iosephum, non solum sponsalia de futuro, sed etiam verum et proprium matrimonium de praesenti intercessisse docuerunt.

2103. Quaeris autem quid causae exstiterit, ob quam Beatam Virginem matrimonium contrahere, et Iosepho in sponsam dari decuit? Divus Ambrosius hanc reddit ex parte Virginis causam, ut honori eius consuleretur. Si enim, cum nupta, filium haberet, certe Hebraei Virginem stupratam esse non iudicarent. Divus Hieronymus aliam ex parte Virginis scripsit rationem, ne tamquam adultera a Iudaeis lapidaretur,

2104. Eamdem tradit Eusebius Emissenus. D. Bernardus aliam ingenio et pietate sua dignam rationem adhibuit, ut scilicet Iosephus testis esset virginitatis Mariae. Nemo enim in asserenda castitate tam dignus poterat esse fide, quam qui custos illius erat et maritus, qui maxime, et iure debuit et potuit, quemque credibilius erat naturali maritorum zelotypia, impudicitiae crimen, ubi non esset, suspicaturum, quam ubi esset, defensurum fuisse. Ut enim dixit D. Ambrosius: « Locupletior testis pudoris Mariae adhibetur, qui posset et delere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum ». Deinde ex parte Christi simul et Matris ea notissima occurrit ratio, ut Iosephus utrique esset adiumento atque custodiae, et sacrae illius familiae in temporalibus administrator.

2105. Cum quartus iam mensis ageretur, ex quo desponsata fuerat Maria Iosepho, missus est a Deo Gabriel Archangelus ad Virginem, in Nazaretha civitate Galilaeae tunc degentem, ut cum ea ageret de re saeculis omnibus optatissima, quam historiam Sanctus Evangelista Lucas suis coloribus egregie depinxit. Eorum vero, quae Maria cum angelo tractavit, Iosephum nihil novisse, vero maxime consentaneum est, cum in separata domo habitarit, et angelus ad Mariam, secundum Sanctum Bonaventuram, venerit vespere et mane decesserit, quo tempore Iosephum, quamvis sponsum, minime conveniebat esse cum Virgine.

2106. Legatione peracta, ut discessit an-

Digitized by Google

gelus, Maria profecta est cum festinatione in montanam regionem. in insignem illam civitatem Iuda, sacerdotum domicilium, nomine Hebron, viginti duobus milliaribus, versus austrum, distantem ab Hierusalem, ut Elisabethae consobrinae suae senectutem iam ingressae fetum divinitus datum congratularetur. Porro sponsum eius Divum Iosephum eam in hoc itinere comitatum fuisse, licet multi refragentur, Sanctus Bonaventura his verbis clare docuit: « O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua et in quo commorantur et requiescunt tales matres, talibus filiis fecundatae, Maria et Elisabeth, Iesus et Ioannes. Sunt autem ibi magnifici senes, Ioseph et Zacharias. Quid, quaeso, iucunditatis defuit S. Ioseph, sive dum novam coniugem in itinere comitatur, sive dum in obsequio Elisabeth demoratur? »

2107. Eidem opinioni adhaesit firmissime Isidorus de Isolanis, antiquus auctor Mediolanensis, ord. Praedicatorum, qui egregiam ad id rationem adducit. Verba eius sunt haec: « Quamvis neminem adfuisse Visitationi Beatae Virginis et Elisabethae, divinae referant litterae, nullus tamen est sanae mentis, catholicique ingenii, qui Mariam Virginem tenerae aetatis solam domo recessisse asseveraret. Credunt enim a Nazareth usque ad oppidum Zachariae esse fere quadraginta milliaria. Ratio igitur, officiumque Sancti Iosephi, atque auctoritas nos credere cogunt, Visitationi Sanctae Mariae et Elisabeth eumdem interfuisse. Non enim ratio recta consentit, Ioseph quavis occasione, sponsam divinitus acceptam dereliquisse, ac passum fuisse Virginem tantam sine se longum iter subire ». Hactenus ille.

2108. Subscribit eisdem Ioannes Bonifacius, Laurentius Maselli, Salmeron, Orosius, Vigerius, Suarez, Christophorus Veruchinus, Ioannes de Carthagena, cum aliis pluribus. Quando redierint hi sancti coniuges a domo Zachariae ante, vel post partum Elisabeth, discors doctorum est sententia. Communior tamen sanctorum Patrum videtur esse opinantium Beatam Virginem mansisse in domo Zachariae usque ad partum Elisabeth. Ita docuerunt Divus Ambrosius. Divus Antoninus, Venerabilis Beda, Glossa interlinearis et ordinaria, Lyranus, Origenes et alii.

2109. Sex iam menses transierant a desponsatione Virginis cum Iosepho, tres vero a conceptu Filii Dei, et tempus aderat, ut Iosephus nuptias cum sponsa de more solemniter celebraret: nondum enim convenerant, nondum simul habitabant; ille in sua, et illa adhuc in sua domo manebant. Eam cum saepius ac familiariter inviseret, ex uteri tumore gravidam deprehendit, certus nullum sibi cum ea connubialem intercessisse congressum. Quare anxius et sollicitus, cum pro insigni, qua praeditus erat iustitia ac pietate, nollet Virginem infamare, decrevit clanculum ab ea divertere.

2110. Scio quidem gravissimos quosdam Patres in eam abiisse sententiam, ut putarent Iosephum vere dubitasse de Virginis castitate, imo et iudicasse adulterii ream esse, valdeque excruciatum fuisse, quod illam sic intueretur gravidam, quam certissime sciebat se, ne mente quidem, attigisse, fuisse tamen magnae iustitiae opus, patienter illatam sibi iniuriam tulisse absque revelatione et accusatione. Hi sunt Divus August. epist. 54, tom. II, serm. 14, tom. X, et Homil. 16, De verb. Domini; Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone; Divus Ambrosius De Institutione Virginis, cap. 5; Divus Hilarius Can. 1 in Matth.; Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus et Nicephorus.

2111. Illum tamen, cui haec sententia placuerit, advertere oportet, praecitatos Patres minime concedere (cum id cum verbis Evangelii pugnare videatur), in illa falsa existimatione, quam Sanctus Iosephus habuit de Beatae Virginis integritate, quidquam peccasse, tum quia cum non agnosceret, nec agnoscere tunc teneretur mysterium Incarnationis, et videret uxorem suam praegnantem, certoque novisset se nunquam attigisse illam, certe a temerarii iudicii macula liber erat, et immunis prorsus eius existimatio, tum quia forsan iudicavit illam fuisse gravidam, absque eius tamen culpa, ut si per vim fuisset violata, cui delicto specialis in veteri illa lege erat poena statuta.

2112. Alii Patres in oppositam e diametro sententiam abeuntes, docuerunt Beatum Iosephum agnovisse altissimum Incarnationis mysterium, idque significare evangelistam cum dixit: «Inventa est habens de Spiritu Sancto». Inventa, exponit Divus Hieronymus, « a Ioseph, qui licentia pene maritali omnia noverat uxoris arcana ». Aiunt ergo illum, prae singulari sua modestia ac humilitate, Matris Dei consortio indignum se iudicantem, statuisse in animo suo illam dimittere, memorem illius, quod dictum est Moysi: « Ne appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est ». (Exod. III, 5). Certe Petrus simili humilitatis spiritu ductus, illam protulit vocem. « Exi a me, Domine, quia peccator sum » (Luc. v, 8). Quibus etiam consonant verba illa humilia Divi Ioannis Baptistae: « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti » (Ioan. I, 27).

2113. Atque in huius figuram dicitur de David: Timuit introducere arcam Dei in

Digitized by Google

domum suam. Prae magna enim sua humilitate, dicebat: « Quando ingredietur ad me arca Dei? » (II Reg. VI, 9). Amplexatus est hanc sententiam imprimis Origenes, dum ait: « Iustus erat, et illa Virgo Immaculata erat, sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, et sacramentum quoddam magnificum in eadem agnoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians sese ante tantam et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere ». Haec ille.

2114. Cuius persimilia lego apud Basilium dicentem: « Inventa est gravida de Spiritu Sancto: ambo invenit Ioseph, et conceptionem et causam, quod de Spiritu Sancto: quapropter timens huiusmodi mulieris vir nominari, clanculum illam dimittere voluit, non ausus publicare quomodo res ipsius haberent. Cum autem esset iustus, assecutus est mysteriorum revelationem: nam dum haec ipsa animo versaret, angelus Domini apparuit ipsi per somnium dicens: « Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam » (Matth. I, 20), nec illud cogita quod suspicionibus absurdis obumbrabis peccatum: Iustus enim appellatus es: non est viri iusti iniquitates silentio contegere. « Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam; » ostendit, quod non moleste tulit, neque fastidivit, sed timuit ipsam veluti Spiritu Sancto repletam ». Et illa verba angeli: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Idem Sanctus doctor ostendit, quod Virginem Iosephus non sit abominatus, nec moleste tulerit, sed quod eam metuerit, ut Spiritu Sancto repletam. Haec ille.

2115. Quibus non possum egregia Divi Bernardi verba, etsi permulta, non subiungere: ait enim: « Quare voluit dimittere? Accipe, et in hoc non meam, sed Patrum sententiam: propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat dicens: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum » (Luc. V, 8): propter quod et centurio a domo sua illum prohibebat, cum diceret: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum » (Matth. VIII, 8): ita ergo et Ioseph, indignum, et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et tanta non debere sibi ultra familiare praeberi contubernium, cuius supra se mirabilem expavesceret dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne, et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem: expavit centurio praesentiae maiestatem: exhorruit nimirum Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem, et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph praegnantis sese consortio Virginis iudicabat indignum, cum audias, et S. Elisabeth non posse ferre eius praesentiam, nisi cum tremore quodam, et reverentia? ait namque: « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » (Luc. I, 43) Ideo itaque voluit dimittere eam. Sed quare occulte et non palam? Ne forte divortii causa inquireretur? exigeretur ratio? Quid enim vir iustus responderet populo durae cervicis? populo non credenti, et contradicenti? Si diceret, quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli et crudeles Iudaei subsannarent illum, lapidarent illam? quomodo namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam ».

2116. Hanc eamdem opinionem secutus est cancellarius Parisiensis tom. IV in Epistola, quam de Institutione festi Divi Iosephi scripsit, dum ait: « Deiparentem, antequam ad Elisabetham invisendam abiret, stupendum Incarnationis mysterium carissimo Sponso suo revelasse: obstupuisse vero (ut par erat) Iosephum et de coniuge dimittenda, quod illius convictu esset indignus, cogitasse ». Et Viguerius tradit sanctitatis splendorem, effulgentem post Christi Conceptionem in integerrimae Virginis vultu, in admirationem Iosephum rapuisse, et paulo post se tanquam indignum ab eius consortio voluisse sequestrare.

2117. Tandem horum Patrum sententiae subscribunt alii gravissimi doctores, Theophylactus, Richardus de Sancto Victore, Echius et Salmeron, favetque illi insigne testimonium, ex revelatione Sanctae Birgittae facta, cuius verba sunt haec: « Postquam consensi nuntio Dei, Ioseph videns uterum meum virtute Spiritus Sancti intumescere, expavit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta prophetarum, praenuntiantium Filium Dei de Virgine nasciturum: reputabat se indignum tali servire Matri, donec angelus in somnis praecepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare ».

2118. Inter extremas has sententias iam adductas, media via probabilior censeri potest, nimirum Beatum Iosephum cum uxorem praegnantem vidisset, non existimasse quidquam mali de Beata Virgine, sed nec quidquam boni, sed summa perplexitate cruciatum, viriliter suspendisse iudicium, illud Ecclesiastici in memoriam revocans: « Deprime cor tuum, et suscipe verba intellectus,

Digitized by Google

et ne festines in tempore obductionis ». Eccli. II, 2).

2119. Non desunt gravissimi Patres, qui huic sententiae adhaerent ; nam imprimis Chrysostomus, vel quicunque auctor est imperfecti operis, ait : Quod cum variae cogitationes in Iosephino pectore, velut duello mirando, praeliarentur : nam graviditas adulterium redolebat, sanctitas vero Virginis illud explodebat : uterus intumescens turpitudinem suadebat, at castitas Mariae Iosepho satis perspecta, violatam eius virginitatem non patiebatur credere : sensus urgebat aliquid turpe ibi adesse, at ratio pugnabat sanctitati Virginis magis fidendum, quam uteri tumori credendum : cum, inquam, Ioseph variis his cogitationum fluctibus huc, et illuc agitaretur, « tanquam vir iustus, inquit Chrysostomus o inaestimabilis Mariae laus !), magis credebat castitati eius, quam ventri intumescenti : plus gratiae, quam naturae : Conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat : possibilius credidit mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare ».

2120. Reddens autem rationem, quare nihil mali suspicatus fuerit Ioseph, ait : « Quoniam auditio verborum Mariae, et consideratio vitae eius, mala suspicari de ea non sinebant Iosephum ; consideratio autem conceptionis eius non permittebat eum ad plenum bona aestimare de ea, et sic animus eius inter utrasque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et traducere eam non audebat, propter hoc necessaria fuit ei revelatio divina ». Haec ille.

2121. Astipulatur eidem sententiae Divus Hieronymus, Haymo et Glossa ordinaria, faventque non parum verba Matthaei : « Haec eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph ». (Matth. I, 29.) Ex quibus non obscure colligitur, quod nondum deliberaverat, nec determinato iudicaverat Virginem turpe commisisse quidquam, sed tantum apud se variis cogitationibus agitari, variasque rationes hinc et inde emergentes attenta meditatione explorasse. In quo sane prudenter se gerebat, dicente Ecclesiastico : « Vir in multis expertus, multa cogitabit » (Eccli. XXXIV, 9). Non solum autem in eo prudentem, sed virum prodigiosae iustitiae et bonitatis se ostentavit, cum Sponsae tumentem uterum, et ad sensum indubitata conceptionis signa videns, neque expostulavit ab uxore, neque questus est apud affines, nec zelotypiae ardore excanduit, nec in ius sponsam vocavit, aut ad subeundam poenam exposuit, sed aestus suos apud semetipsum pressit.

2122. Tandem de divortio cogitans, ut indicat evangelista dicens : « Occulte voluit eam dimittere » (Matth. I, 19) ; haesitans enim, ob quasdam rationes adulterium metuebat, ob alias rursum ab hac cogitatione revocabat, quod exploratos haberet inculpatissimos uxoris mores, Spiritumque divinum undique se prodere in ipsius oculis, gestu, incessu et sermone, fierique posse non dubitabat, ut ex Deo, a quo necesse est pendeant omnis feminarum conceptus, uxor eius novo modo concepisset ; maxime quod non ignorabat vaticinium Isaiae : « Ecce Virgo concipiet » (Isa. VII, 14), et quod iam proximus erat adventus Messiae, iuxta Danielis computationem in suis hebdomadibus. Metuens ergo se divinam maiestatem offensurum, si aut servaret, quam adulteram timebat, aut traduceret cum infamiae periculo, quam ex Deo concipere potuisse autumabat, nec voluit eam traducere, nec servare, sed occulte dimittere.

2123. Quem autem modum in dimittendo illam decrevisset, non est una omnium sententia. Nam Rupertus et Abulensis, quos secutus est Simon de Cassia, fugam fuisse meditatum, sicut fecit David, aiunt ; quod et factitarunt non pauci propter diversos rerum eventus. Cornelius vero Iansenius ait voluisse illam dimittere libello repudii dato, quem secreto, et non in publico dari potuisse existimat. Illud tamen minime silentio praeteribo, quid secundum hanc mediam sententiam, quam iuxta multorum Patrum auctoritatem veriorem censemus, dicendum sit ad obiectionem illam, quod cum Iosephus comitatus fuerit Virginem ad domum usque Zachariae, non potuit Incarnationis mysterium ignorasse, cum palam de illo collocutae fuissent Maria et Elisabeth ?

2124 Quidam recentiores interpretes, ut hanc difficultatem fugiant, fatentur Iosephum intemeratam Virginem non fuisse in illo itinere comitatum, quod plane videtur sensisse Lyranus, dum ait : « De licentia Iosephi abiit ad cognatam suam : ipsa autem redeunte, videt Ioseph uterum eius gravidum ». Et Gratianus in Vita Sancti Ioseph refert, eo tempore occurrisse fabrile quoddam opificium, quod recusare non potuit Sanctus Ioseph, et ob hoc impedimentum non fuisse comitatum Virginem : sed quia in hanc sententiam minime gentium duci possum, propter rationes quas supra commemoravi, facilius crediderim divino consilio factum esse, quod ob aliquam rationem nobis ignotam, quamvis Ioseph comitatus fuerit Virginem Beatissimam, colloquio illi inter ipsam et Elisabeth non adfuerit, vel si adfuit, divinitus impeditum fuisse, ne mysterium Incarnationis agnosceret, quod per angelum postea ipsi innotuit, propter mul-

Digitized by Google

tiplices fructus, qui ex perplexitate illa Iosephi percipi possunt.

2125. Dum igitur his cogitationibus Iosephi animus valde sollicitaretur, ecce angelus Domini Gabriel (ut volunt Eusebius Emissenus, Divus Augustin. et alii) per somnium apparuit ei dicens: Ioseph, fili David, ne metuas celebrare nuptias, et accipere Mariam tibi in uxorem; nam foetus in illa conceptus a Spiritu Sancto profectus est: « Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet a peccatis populum suum » (Matth. I, 21). Excitatus Ioseph a somno, fecit quod iusserat ei angelus Domini, et accepit in uxorem sponsam suam, cum affectu, dilectione, et omni diligentia domesticos concernente (ut inquit divus Basilius) pro uxore illam habuit, a nuptialibus vero congressionibus abstinuit.

2126. Semestre tempus effluxerat a reditu Mariae e montanis, novem vero menses a conceptu eiusdem, et Salutatione per angelum facta, cum ecce Augustus Caesar, qui in summa pace Romanum imperium tunc administrabat, edicto promulgato universis indiceret ditioni suae subiectis, ut in sua quisque civitate, unde esset oriundus, nomen suum publicis tabulis describendum profiteretur, designato censu persolvendo. Edicto parens Iosephus, egressus Nazaretha urbe Galilaeae, ascendit in Iudaeam civitatem David, dictam Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David; ut cum ceteris suae familiae profiteretur ipse, et Maria, desponsata ei uxor quae erat praegnans.

2127. Placet Divi Athanasii episcopi Alexandrini, ex eius concione de itinere Sanctissimae Deiparae et Beati Iosephi ad nomen profitendum, pauca quaedam apponere, quae nobis hoc Mariae iter, et comitantibus et commentantibus lucem afferent, viamque reddent planiorem. « Ibat, inquit, cum Maria Iosephus, partim adiutor, partim eorum quae futura essent spectator et testis: non quod Virgini opus esset adiutore, vel ei, qui in eius utero portabatur; ille enim omnium auxiliator est, ad quem clamantis Prophetae spectat oratio: « Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram » (Psal. CXX, 2); sed quia divinae Providentiae mysterio Iosephum Virgini adiungi comitem oportebat, ut quasi sub viro esse crederetur, et res tanta diabolum lateret, neque scire posset quemadmodum Deus cum hominibus versaretur ».

2128. Est Bethlehem centesimo decimo quarto milliario a Nazaretha, in clivo collis Euphratae versus orientem situm. E regione versus orientem spelunca est iuxta murum civitatis sub rupe, excavata natura magis quam arte, aut communi pastorum usui, aut colonorum pauperum, ut videtur, parata, in qua et praesepium iumentis pascendis accommodum, e ligno constructum. In hanc speluncam recepit se Iosephus cum sponsa tandem sua, aut quod in urbe locus non inveniretur, propter copiosam hominum ad descriptionem confluentium multitudinem, aut quod nasciturus infans tam humile hospitium libens seligeret ad nascendum.

2129. Ibi cum essent, novem completis mensibus a natura definitis, ut sacer foetus in lucem ederetur, nullo interveniente dolore, nulla carnis aperitione, nulla obstetricis opera indigens, sed tam integra manens ex partu, quam integra manserat ex conceptu (semper enim Virgo perseveravit), Maria peperit filium suum primogenitum, Deum hominem, in profundo speluncae recessu, ut ab antiquis acceptum est, quod esset a tumultu remotior: atque ipsa natum suscepit infantem, ipsa pannis involvit, ipsa fasciis circumligavit et reclinavit in illo praesepio, bove et asino eum confoventibus, quia nullus commodior locus in paupere illo hospitiolo reperiebatur.

2130. Illic pastores, laeto nuntio Salvatoris nati ab angelo Gabriele accepto, invenerunt Mariam et Iosephum et infantem positum in praesepio. Quem postquam hilari vultu, pro voluntate, conspexerunt, ac venerati sunt, reipsa probaverunt verum fuisse angelorum sermonem de puero, illumque palam fecerunt Mariae et Iosepho, ceterisque, quos obvios habebant, retulerunt, et omnes, qui audierunt, admirati sunt.

2131. Fortunatissimus etiam mortalium Iosephus, consolatione plenus ad puerum natum accedens, eum continue venerabatur, adorabat, gratias ei agebat, tum pro collato, nativitate sua, toti mundo, beneficio, tum sibi nominatim in suum curatorem ipsum eligendo, ad quod munus fideliter diligenterque praestandum, et in omnibus serviendum, se promptissimum offerebat. Imo persaepe ei contigisse credendum est, ut verum pulchri amoris Deum humana carne indutum contemplans, ardentissimis amoris flammis, ultra quam dici possit, exureretur.

2132. Ah! quo gaudio spirituali, quantave exsultatione repletus fuit Iosephus, aspiciens divinum hunc infantulum, tot saeculis a priscis illis patribus exspectatum! Hi enim, ut Christus dixit: « Abraham exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est » (Ioan. VIII, 56. De visione prophetica locutus est, qua adventum Christi a longe praeodoratus est. Potentissimi etiam reges Verbum divinum humana carne indutum propriis oculis intueri cupientes ardentissime, minime obtinuerunt, Christo Domino dicente: « Multi reges desideraverunt videre quae

Digitized by Google

vos videtis, et non viderunt » (Luc. x, 24). At Iosephus vidit eumdem recens natum, vidit infantem, vidit puerum, vidit iuvenem, imo, et per 20 annos, manus eius contrectaverunt Verbum vitae, sub humanae carnis mole delitescens.

2133. Moyses (ut sacra narrat Historia), tametsi Deo familiarissimus, cum ab eo postulasset, ut vultum suum sibi manifestare vellet, solum obtinuit, a tergo illum sub quadam apparente humana specie prospicere: « Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris » (Exod. XXXIII, 23). At Iosepho non a tergo solum illum videre, sed et vultum intueri, exosculari, et altorem omnium alere fuit concessum, adeo ut illi eidem, de quo cecinit Regius Vates: « Omnia a te exspectant, ut des illis escam tempore » (Psal. CIII, 27), et rursus: « Et tu das illis escam in tempore opportuno, tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione » (Psal. CXLIV, 15, 16): illi, inquam, eidem Iosephus manum suam aperiret, ut paterno munere fungens, alimentum omnium Creatori persaepe porrigeret.

2134. Die octavo a Nativitate, qui Dominicus erat, Kalendis ipsis Ianuarii, cum vicini et cognati more gentis convenissent ad circumcisionem pueri, in ea ipsa spelunca, qua in lucem editus fuerat, circumcidit eum Iosephus, et imposuit illi nomen Iesus, quod ab angelo Mariae dictum fuerat, priusquam in utero conciperetur. Ac tum demum infantis nomen cum Mariae et Iosephi iuxta Caesaris edictum, in publicis Romanorum tabulis persoluto censu descriptum est, quo Romanus civis efficeretur, ut praeter ceteros clarissime testatur Paulus Orosius libro VI, cap. 22.

2135. Sanctum Iosephum una cum Virgine Magorum adventu praesentem fuisse, sentit inter alios R. P. Didacus de Janguas conc. 2 de Epiph. explicans illud Psal. XXXIV, 18: « Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te ». Sanctus Bonaventura vero contemplatur Sanctum Iosephum ex divina dispensatione abfuisse, ut Magi nihil in hoc partu suspicarentur carnale. Demum supervenisse, et regibus obviam decenti cum reverentia processisse.

2136. Quadragesimo a Virginis partu die, ante quam ab ingressu templi arcebatur puerpera, ascendit Iosephus cum Maria coniuge sua e Bethlehem Hierosolymam, ut legem Purificationis implerent, oblaturi par turturum, aut duos pullos columbarum, tum etiam et alteram qua praecipiebatur, ut omnis mas in lucem primus editus, Deo sanctus exhiberetur. Quis hic cogitare sufficiat piissima colloquia, quae sacerrimi hi coniuges per illud iter, difficultatis plenum, et sex circiter milliarium, miscuerint?

2137. « Cum puerum Iesum inducerent in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo », adfuit illico Simeon, divino adductus Spiritu, qui, ut puerum ac matrem vidit et agnovit, Deo mirabiliter indicante, accessit propere, et contemplatus, eum cum summa voluptate e sinu Virginis suscepit, et suis ipse brachiis complexus, atque tam eximio beneficio exhilaratus, Deo summas gratias pro eo egit (Luc. II, 27). « Mirabantur autem Mater pueri et Ioseph super his, quae dicebantur de illo » (ibid. 33), quae admiratio non quidem ex ignorantia (ut in aliis accidere solet), sed ex rerum maximarum amplitudine manabat. Ad quos Simeon conversus benedixit eis. Post. quinque iuxta legem oblatis siclis, suum Deipara Virgo redemit infantem, ac ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, Iosephus consurgens accepit puerum cum Matre eius et egressus est Hierosolyma.

2138. Vix hi sancti coniuges cum puero reversi fuerant in Nazareth, necdum duos menses impleverat sanctus ille puer, fama de eo paulo latius serpente, quaerebat eum Herodes vita spoliare. Quo tanto facinori occurreret Deus, misit angelum suum, qui puerum instanti periculo eruendum curavit, atque ita mox ille apparuit in somnis Iosepho, dicens ei: « Accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum » (Matth. II 13). Iosephus angeli monitis incunctanter obediens, nocte ipsa consurgens, accepit puerum et matrem eius, et fugit in Ægyptum, compendiariam usque viam seligens, ut creditur, quo celerius rem exsequeretur. Ea erat recta in Gazam, ab Hierosolymis quadraginta duobus milliaribus distantem, qua itur in Ægyptum, iuxta Bethlehemum per Hebron.

2139. Ubi satis est vero simile Iosephum Bethlehemum ingressum, ut necessaria ad tam longam viam educeret, quod et confirmat id, quod traditione a maioribus acceptum, non incolae solum, sed et exteri et Christiani Latini, et Graeci, et impii Saraceni religiose venerantur: et multi, quibus videre licuit, mandavere libris, dum in parandis necessariis Bethlehem Iosephus moraretur, Deiparam in spelunca latuisse inter meridiem et austrum, ad iactum lapidum duorum a Bethlehemo semota, dumque Deo infanti mamillam porrigeret, lactis guttis in durum speluncae lapidem effusis, ita emollitum ac candidum effectum, ut tenuissimae ac candidissimae terrae in pulverem tenuissimum conversae instar sit, ex qua lota

Digitized by Google

panes parvuli conficiuntur, quibus ad morborum diversorum sanitatem, praesertim lactis feminarum contractionis, omnes utantur: Lac Dominae nostrae propterea nominantur.

2140. In Hebron porro cum fugam suam, et fugae causam, ut par est credere, Zachariae et Elisabethae declarassent, utque puerum Ioannem periculo eriperent, admonuissent, necessariis ad iter faciendum desumptis, Gazam pervenerunt. Inde iter duodecim aut quatuordecim dierum (septuaginta leucarum supputatur) maxima ex parte per solitudinem, non sine magno labore atque sollicitudine, versus Babylonem (Cayrum vulgo dictam) confecerunt. Hinc ad quatuor leucas orientem versus, in Thebaïdem pervenientes, dum urbem Hermopolim ingrederentur, res mira accidit, totius eius gentis traditione probata.

2141. Arbor erat procera quaedam ac vetusta, quae daemonum fraude quasi numinis domicilium religiosius quam par erat colebatur, Perseis dicebatur; haec ergo in fugam averso daemone ad solum usque Dominum suum adoratura, se sponte demisit. atque ita ad miraculi comprobationem inclinata permansit, multis morbis, dum aegris applicaretur, afferens sanitatem. Quin, et in eiusdem templo, Christo similiter urbem ingrediente, simulacra cecidisse, ut et in aliis quibusdam locis, iuxta Isaiae prophetiam: « Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius » (Isa. XIX, 1), a maioribus accepimus.

2142. Inde redeuntes, ut locum tutum eligerent ad degendum, in quodam vico inter Heliopolim et Babylonem, tribus leucis a Babylone remotum, ab Heliopoli quatuor, consederunt. Maturea nunc locus dicitur, non solum incolis etiamnum, sed exteris eam ob rem venerationi non modice habitus. Puteus ibi visitur, cuius aqua ad obsequia Domini usam Deiparam fertur, qua dum rigaretur balsami ortus, vegetus ac frugifer perdurabat, et nunc a peregrinis bibitur non insalubriter.

2143. Hac ratione in Ægypto permanserunt Iosephus et Maria, cum Christo infante, usque ad obitum Herodis, terram illam ad futuram Christi eiusdem philosophiam sanctificantes ac parantes. In hac fuga credibile est multa Virgini, multa unigenae Dei Filio, dictu gravia, perpessu aspera contigisse, sed quia nihil certi probatae tradunt historiae, piorum cogitationi commentationique relinquimus. Mortuo Herode, successit Archelaus, crudelis et scelerati patris non dissimilis filius. Interim angelus Domini apparuit in somno Iosepho in Ægypto, dicens ei: « Surge, et accipe puerum, et Matrem eius, et redi in terram Israel; defuncti sunt enim qui puero vitam eripere nitebantur » (Matth. II, 20).

2144. Iosephus ab angelo admonitus, consurgens confestim, ut ei fuerat imperatum, accepit puerum una cum Matre eius, et profectus est in terram Israel, ad quam dum propius accedit, audit Archelaum pro Herode patre suo regnare in Iudaea, in qua decreverat habitare, et timuit eo ire: et in somnis admonitus secessit in Galilaeam, ubi elegit ad habitandum civitatem Nazarethum, ut, quod erat a prophetis de puero Iesu pronuntiatum, nempe vocandum esse Nazarenum, adimpleretur. Nazarethum Iosephus cum Virgine Sacratissima, Iesuque puerulo reversus, eosdem domi suae aluit, ut ex Divo Hieronymo colligi posse videtur.

2145. Duodecimo aetatis anno sese puer Iesus parumper abscondit, ac parentibus domum revertentibus Hierosolymae consulto remansit: nam cum in templum suae Matris Iosephique nutritii comes, ad Paschales ferias statas et anniversarias celebrandas advenisset, iisque peractis sanctissimi coniuges aedes repeterent, Iesus puer, Matre Iosephoque nescientibus, ac vel pone sequi vel antecedere arbitrantibus, populari turba certum illius rei tum aspectum, tum iudicium impediente, ingens sui desiderium utique sponso reliquit, parque illud sanctitatis et amoris in maximo moerore fuit, dum triduo inter cognatos et notos inveniri non potuit.

2146. At eum in templo sedentem, et cum doctissimis quibusque colloquentem, multaque acute percontantem, Maria et Iosephus omnia lustrantes repererunt, magnopere admirati sunt, quod praeter suam exspectationem et puerorum consuetudinem, sese parentibus subduxisset, ac sciens et prudens acerrimi doloris causam se amantibus attulisset. Dissoluto congressu accessit Mater ad eum, et amice conquesta tum moesta admirabundaque simplici et sincera interrogatione haec affata est: « Filii, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». (Luc. II, 48.) Nam carissimi Filii amissione non dolere non poterant, qui ibi cor animumque defixerant, ubi thesaurum condidissent.

2147. Sed quia affectus in potestate habuere, ut gaudia illa, quibus toties exsultaverant, ratione moderati sunt, sic etiam hunc gravissimum moerorem ita compresserunt, suis ut se finibus cancellisque tenuerit. Itaque non solum testimonio Sanctorum Patrum, sed et confessione adversariorum, casum hunc Virgo Deipara et Iosephus sapientissime tulerunt, et moestissime deploraverunt. Horum etiam iudicium est nulla parentum culpa filium abfuisse. Exinde Iosepho et Maria Hierosolyma digredientibus,

Digitized by Google

puer Iesus descendit cum illis Nazarethum, ubi utrique parenti obsequentissimus, nutritio etiam suo in fabrili exercitatione, qua victum sibi quaerebat, inserviebat: tanta fuit in Iosephum, quoad vixit, observantia.

2148. Divus Ambrosius, Cyprianus et Arnoldus abbas, putarunt Iosephum tempore mortis Christi superstitem exstitisse, cui sententiae consentit etiam Augustinus, dum ait Iosephum Christum adorasse in sua Resurrectione. Verba eius sunt haec: « Sol et luna et undecim stellae Christum adoraverunt, quando post Resurrectionem Sancta Maria quasi luna et Beatus Iosephus velut sol, cum undecim stellis, id est, Beatis Apostolis prostrati sunt ante eum ». Verum cum aliis gravissimis Patribus arbitror Divum Iosephum ante tempus mortis Christi obiisse. Id quod apud me certissime persuadet ratio Divi Epiphanii. Nam si sponsus Virginis superstes fuisset tempore mortis Christi, minime alteri quam illi a Filio commendaretur: fuit autem commendata Ioanni, ut in suam illam acciperet, prout ipse testatur.

2149. Quis enim dicet decuisse Matrem Domini alieno custodi magis quam legitimo marito suo curandam deputari? Accedit, quod mihi omnino incredibile fit, quod si Ioseph tempore Christi mortis viveret, cruci non adfuisset in consortio Virginis et Ioannis: ardentissimus enim amor, quo Christum Dominum prosequebatur, minime ferret, tempore passionis illum derelinquere. nec potest sane dici adfuisse, cum eius non fiat mentio ab evangelistis: nam certe qui aliorum inferioris notae meminerunt, nominatim eos referentes astitisse, minime silentio praeteriissent sponsum Virginis, putativum Christi patrem.

2150. Si autem pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius (Psal. CXV. 15), non potuit non pretiosissima et divinis fulgoribus clarissima esse mors nostri Iosephi. cum Christi et Mariae, veluti solis ac lunae irradiantibus splendoribus fuerit illustrata, ut in hoc carmine cecinit pietas magni illius Cancellarii Parisiensis:

Venerat illa dies, quae vitam morte pararet
Perpetuam tibi, iuste Ioseph, David inclyta proles.
Christus adest cum Matre pia, quibus officiose
Servieras, vultu placido solatur euntem.
Ora licet lacrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor, satis hoc quoque credere fas est,
Quod Patrem Iesu, et sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum.

2151. Porro ea, quae Bernardinus de Busto contemplatur, quia rationi consentaneum est ita reipsa contigisse, hoc loco referre non dedignabor; sic enim ait: « Pie credo quod dulcis Iesus, et piissima Mater Virgo infirmo Iosepho sollicite inserviebant, et ei fercula propinabant, atque propriis manibus, quando erat opus, eum portabant, circa lectum stantes eum confortabant, dicebatque Ioseph Domino Iesu: Nunc laetus moriar, sperans, quod cito venies liberare nos. In transitu autem eius dixit Iesu: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miseriarum valle, et porta hoc bonum novum Sanctis Patribus, quod infra parvum tempus veniam ad vos, et ad coelestia regna perducam. Praecepit autem Dominus ipse angelis: « Subvenite, Sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam eius ». Ad ipsum vero Iosephum de hac vita migrantem ait: « Chorus angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere habeas requiem ». Anima ipsius igitur magno honore in sinum Abrahae ab angelis delata fuit ».

2152. Isidorus Isolanus, lib. 1, De Sancto Ioseph, quem scripsit ad papam Adrianum VI, ex historia quadam Orientali fide digna refert, Christum Dominum apostolis suis nonnulla narrasse de transitu Divi Iosephi, inter quae retulit Christus se ad caput lectuli sedisse cum Maria Matre sua, illum consolantes et manus eius tenentes, et post mortem oculos eius propriis manibus clausisse, ac tandem praecepit angelis, ut corpus eius veste induerent. Mos erat apud Hebraeos, parentes filios mortuos usque ad sepulchrum comitari, ut constat ex vidua illa Evangelii, quae filium vita functum ex civitate Naïm in sepulchrum sequebatur. Verosimilius autem est hoc genus obsequii uxorem et filios erga parentes exhibuisse. Christum ergo et Deiparam Mariam Iosephi feretrum comitatos fuisse crediderim, prout prudenter annotavit Pater Barradius.

2153. Docent Beda et alii, Iosephum sepultum fuisse iuxta Virginis Sponsae suae sepulchrum, quod constat fuisse in valle Iosaphat. Tradunt Divus Bernardinus et alii Sanctum Iosephum ad Sponsae similitudinem cum corpore resurrexisse gloriosum ad vitam immortalem, inter eos qui cum Christo resurrexerunt. Unde Cancellarius Parisiensis egregie dixit: « Legimus multa corpora sanctorum resurrexisse, et venisse in civitatem sanctam et apparuisse multis. Recogitet, oro, pius animus, si iustus Ioseph unus ex illis putandus est, qui apparuerit carissimae Sponsae, qui eam consolatus sit? » Sicut autem sacri hi coniuges Iosephus et Maria, dignitate et paterno munere erga Christum, et mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dum vitam mortalem agerent; ita ad aeternam felicitatem translati, beatitudine et gloria propinquissimi sunt, ut magis vere quam audacter doctores sacri pronuntiarunt.

Digitized by Google

2154. Porro Beata Virgo in Revelationibus Divae Birgittae, lib. VI, cap. 54, sic Sponsum suum Iosephum commendat: « Ioseph sic servivit mihi quod nunquam audiebatur in ore eius verbum scurrile, nunquam murmurosum, nunquam iracundum; nam ipse patientissimus erat in paupertate, sollicitus in labore, ubi necesse fuit, mansuetissimus ad obiurgantes, obedientissimus in obsequio meo, promptissimus defensor contra derogantes virginitati meae, fidelissimus testis mirabilium Dei: ipse etiam sic mortuus erat mundo et carni, ut nihil desideraret nisi coelestia, sicque erat credulus promissorum Dei, ut continuo diceret: Utinam vivam et videam adimpletam voluntatem Dei! nam rarissime venit ad conversationes hominum et eorum consilia, quia totum desiderium eius fuit obedire voluntati Dei. Ideo nunc gloria sua magna est ». Sic Deipara de suo Iosepho.

1155. Hymnus XVII.

Trepidanti Ioseph de coelo nuntius virgineum pandit mysterium.

Vir tamen occurrens ut Virginis ora reversae
Pallida conspexit, tumidumque exsurgere ventrem.
Saucius, ut nigro qui nescius obviat angui,
Obriguit, gelidum tremuit sine sanguine pectus.
Dissimulat tamen, et ficto tegit ore dolorem;
Quid faciat, quo se vertat, quid denique captet
Consilii nescit: ceu quando ignota viator
Compita defixae incumbens exanimat hastae,
Ut iactata salo varios secat aequore cursus
Navis, et arbitrio venti bacchatur et undae;
Nunc surgente freto pressa salat ardua puppi,
Nunc ruit in proram, fundoque illisa carina
Dat gemitum, resonant borea insultante rudentes.
Sic incerta viri secum luctatur, et oestro
Mens agitata gravi curarum fluctuat aestu.
Dumque ita concutitur nigris nox humida bigis,
Induxit somnos et inertia presserat altus
Membra sopor, celeri cum nuntius aethere lapsu
Venit, et has mira simulavit imagine voces:
Sancte senex, quae tanta tuam vesania mentem
Impulit, ut tantum credas in Virgine crimen?
Pone leves animos, claudique sub illius alvo
Disce Deum: sicut virides produxit Aronis
Virga carens humore comas floremque coruscum,
Sic ignara viri divinum regia Virgo
Semen, et aetherios accepit viscere partus;
Coeleste est quod cernis opus; tuque ipse minister
Et custos utriusque datus, nato atque parenti
Sic maternus honor; sanctaeque illaesa manebit
Fama pudicitiae, neu quis temerarius ausit
In caput illius quidquam crudele minari.
Adde quod a Stygiis nesciri manibus istos
Vult Deus ingressus. Occulto Tartara marte
Venit, et ardentem debellaturus Avernum.
His igitur curis liber, ne despice sanctum
Virginis os, et dulce decus, moresque venustos.
Incipe mentis inops placidi cognoscere coeli
Munus, et hospitio magni laetare Tonantis.
Hinc decus aeternum referes, hoc munere nomen
Immortale paras, partemque acquiris Olympi.
Crede; fides est grata Deo, quia credit ultro
Seminis et nostri princeps Habrahamus et auctor.
Nil magis avertit coelum a telluris amore
Quam scelus ingratae mentis, quae corde maligno
Muneris auctorem nullo dignatur honore.
Propterea Solymis fatum grave finibus instat:
Nam neque Numinibus pro donis vota futuris
Ulla dabunt, sed dira leves incuria turbas
Et stupor obtusae mentis, commenta dolosque
Texere compellet, fraudemque movere nefandam;
Tu coelum superosque petes multo ante, beatam
Virgineos inter coetus tibi vidimus aedem.
Infelix quicunque dies producit in illud
Exitium patriae, tantas cui cernere clades
Fata dabunt, Phrygiae celebrata incendia Troiae
Atque Numantini strepitus, Libycaeque ruinae,
Et pulchrae casus Ephyres, Thebanaque bella,
Atque Syracusii planctus, et quidquid acerbi
Hactenus ardenti Mauros exercuit ira,
Excidiis collatum istis (tam saeva futura est
Tempestas), horrore caret et mite putatur.
Romanas acies Solymam Deus armat in arcem,
Ingentique parat genus hoc abolere tumultu.
Ille ego, qui vetui quondam tibi Virginis huius
Concubitus, ista e coelo nova nuntia porto.
His abiit dictis.....

(*Parthenice*, Baptistae Mantuani, lib. II).

2156. **Memento.** — Consideranda sunt etiam verba, quibus Angelus Dei mandatum Iosepho denunciavit, quae gravia imprimis fuerunt, brevia, et cum imperio ac circumstantiis, ad S. Iosephi obedientiam probandam accommodatis. Hac enim ratione consuevit Deus viris perfectis suam voluntatem manifestare, tum, ut exerceat ipsos, tum ut obedientiae perfectae aliis exemplum praebeant. Sicut alter quoque Angelus similibus ad Abraham verbis est usus; dixit enim: « Egredere de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi ». Et eidem iterum: « Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac..., et offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi ». Ideoque sine ambagibus aut praeambulis, quorum inter mundi huius homines vulgaris est usus, non rogantis, sed imperantis more: « Surge, inquit, et accipe puerum et matrem eius et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi ». Expende hic circumstantias illas, quae quo exsecutionem difficiliorem reddebant, eo ipsam obedientiam magis exaltabant. Primum enim nocte, quum Ioseph dormiret quiesceretque, obedientia illa iniungitur, quo tempore solent homines maxime horrere labores; ut discamus, etiam in media quiete paratos nos esse debere ad labores semperque promptos ad lectum et quietem, quum Deus iusserit, deserenda, ut in eo, quod praecipit, obtemperemus (Ludov. De Ponte, p. II, Meditat. 27).

Digitized by Google

XVIII. — Sermo Sebastiani Sailer.

SEU PRAEMONSTRAT. MARCHOTALLENSIS.

Quod veneratio Sancti Sponsi Ioseph est praeclarum cultus Mariani supplementum.

De Imitatione B. M. V., cap. XXIV.

IOSEPH dilexi, quem mihi ad voluntatem Dei et parentum meorum in sponsum elegi.

Nihil hic fuit carnale, sed totum spirituale, quia nostrum connubium fecimus in puritatis et virginitatis triumphum.

2159. Totus mundus non vidit tale miraculum, sicut fuit nostrum virginale coniugium, quod divina Providentia tantum coniunxit.

2160. Voluit Deus mihi providere, ne pati deberem in meo honore, quia Filius Dei in me recubuit, et ideo meum Sanctum Ioseph in sponsum et custodem constituit.

2161. Nos duo fuimus sicut lilia, quae semper sunt sine macula, et sicut semper nobiscum fuit vera sanctitas, sic semper inter nos mansit inviolabilis virginitas.

2162. Multum mihi fuit fidelis meus Ioseph, et licet me Filio Dei praegnantem voluit occulte dimittere, non voluit me tamen diffamare.

2163. Tunc autem nescivit, quod essem Dei Genitrix, sed angelus mox ipsi revelavit.

2164. Duxit me in Ægyptum fideliter, et in Nazareth mecum habitavit semper.

2165. Fuit prius in Bethlehem in stabulo, et mecum Salvatorem mundi adoravit cum magno cordis gaudio.

2166. Dedit mihi alimentum in labore manuum suarum, et in sudore sui vultus, et cibum procuravit divino Filio meo et mihi, quia fuit noster Nutritius.

2167. Virtuosus fuit valde meus Ioseph, et habuit omnia, sicut decet sanctos.

2168. Humilitas, castitas, et mansuetudo eum mihi fecerunt admodum similem, et in omnibus bonis valde aequalem.

2169. Si consideras eius mortem, videbis maximam dulcedinem.

2170. Filius meus et ego fuimus cum eo, donec exspiravit in summo solatio.

2171. Ego detersi ipsi manibus meis sudorem mortualem, et Iesus meus ipsi clausit oculos in suavissimam obdormitionem.

2172. Nunc est nobiscum in aeterna gloria, et illis qui ipsum diligunt, exhibet magna in vita et in morte solatia.

2173. Oh! si videres, fili, ipsius in coelo thronum. Oh! si aspiceres eum in gloria super multos angelos exaltatum!

2174. De auxilio illius non debes dubitare, si studes ipsi semper bonam devotionem praestare.

2175. Ut tibi contingat mors bona, dic saepe: Iesus, Maria, Ioseph, ut habeas bona in morte auxilia.

2176. Si vis me perfecte amare, debes etiam meum Ioseph constanter colere. Sequere me!

2177. Hymnus XVIII.

Ioseph cum Virgine sub antro et Bethlehemico media reclinantes nocte Christus Deus-homo nascitur.

AUGUSTUS, rerum dominus, regna, oppida, et ipsos
Indigenas redigi in scriptis mandarat, et ibant
Caesareis omnes censum nomenque daturi
Praesidibus. Veterem patriam Davidis Ioseph
Cum consorte gravi Bethlemica regna petebat.
Iamque suburbanas aedes intrarat, et urbem
Turba frequens complebat; erant plena omnia [multo
Hospite; et ingenti strepitu, pleneque sonabant
Confuso clamore domus. Promiscua vulgi
Congeries atra sub apertis nocte iacebant
Porticibus, nulloque tegi vagus advena tecto
Iam poterat: sicut populo cum maximus omni
Pollicitus veniam scelerum post quina sacerdos
Lustra vocat turbas Romana in templa fideles.
Propterea exesi montis sub rupe cavata
Ligna senex ramosa ferens ex arbore caesa
Parvula congesto fixit praesepia feno.
Et circum iumenta locans asinumque bovemque
Fraxinea stravit saxosa cubilia fronde:
Fomiteque apposito circum de marmore flammas
Excutit, et claris noctem fugat ignibus atram;
Binaque saxa viae lapidoso ex aggere vellens,
Pronus humi duo scanma brevem convolvit in usum,
Admotaque uxore focis stridentia postquam
Ligna diu lacrymas nebulaque humente vapores
Eiecere graves, oculis et libera pulsis
Undique flamma micat fumis spelea ligato
Claudit, et hibernum prohibet velamine frigus,
Mox inopem e dorso coenam deportat aselli.
Cantarus, et passae Cereris cum frugibus uvae
Carica iuglandes, et cum cariotide mala,
Et siliquae dulces, et parvi caseus orbis,
Deliciae ruris nocturnae haec pabula mensae.
Ut dapibus sedata fames, de tempore partus
Colloquium subiit; nonum iam currere mensem.
Natalisque instare dies ut constitit, orant
Ante gravescentem ne sarcina deserat alvum
Quam patrium limen repetant notosque penates.
Propterea tardae quantum valuere senectae
Invalidae vires Mariae curam exhibet omnem
Sollicita pietate senex. Iam languidus ignis
In cineres ibat, levibusque albere favillis
Coeperat, et blando nutabant lumina somno:
Vestibus explicitis aegra cum coniuge fessus
Procumbit senior, tepidoque obductus amictu
Stertit, anhelanti stertit spelunca susurro.....
Attulerat medio nox alta silentia cursu,
Astraque per tenebras tremulis ardentia flammis
Lustrabant dubio frigentem lumine terram,
Occiderant ignes, et calligaverat antrum,
Cum subito Matris clausa Puer editus alvo

Digitized by Google

Expulit umbrosam coelesti lumine noctem,
Advenere chori superum, promptique agilesque
Dulce ministerium Nato exhibuere Tonanti,
Et dulces cecinere modos. Tulit ora repente
Territus hac novitate senex, et strata cubili
Membra levans, Pueri numen recubantis adorat.
Iam levis est partu nullos experta dolores,
Sustulit infantem Virgo, pannisque volutum
In praesepe tulit, iumentorumque sub ora
Mitia, ub tractis alternus anhelitus auris.
Spirabat Pueri trepidos in membra calores.

(*Partenice*, Baptistae Mantuani, lib. III).

2178. **Memento.** — « Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israël; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri »...

Perpende, quomodo Herodes, voto suo frustratus, prius obierit, quam, quod quaerebat, obtineret, et quidem infelici corporis et animae morte. (Ludov. De Ponte, p. II, Meditat. 28).

XIX. — Sermo Ioannis Pauli Berlendi.

VIRGINITAS S. IOSEPH.

Letan. Lauretan. num. 290-293.

CETERUM si Iosephus castissimus non cognovit Virginem suam ante partum, fidem praebens archangeli verbis, credensque solidissime Virginem honestissimam plenam esse et gravidam e Spiritu Sancto, atque eam ob rem reverenter aeque ac libenter a tanta sese Matre, sua licet sponsa, continens, quis credat, quis dicere ausit eum matrimoniali in sponsam iure usum, posteaquam probata effectu ipso vidit angeli oracula; posteaquam editum vidit infantulum, nemini mortalium similem, Divinitatem ipso vultu prodentem, nive candidiorem, rosa teneriorem, ambrosia dulciorem, sole splendidiorem, coelis optatiorem; posteaquam angelorum vidit myriades puello e superis accurrentes, cunis accinentes, pacem e coelis hominibus apportantes; gloriam excelsissimam consonantes; posteaquam et stellam novissimam vidit, quae principes Eoos ingentibus thesauris opulentos ad panniculos vagientis procubos fecit; posteaquam Simeonem, senem annosum, probatum, coronatum in amplexibus, in osculis Pueruli lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis Israel e sua coniuge prognatum esse, contestari, dulcique carmine illacrymari et vidit, et audivit; posteaquam alia ingentia prodigia circa et natum e sua Virgine Filiolum, et ipsam suam suavissimam, castissimamque Coniugem vidit? Quis, inquam, post haec omnia somniare ausit, hominem castissimum sensualia meditatum, nedum aggressum? Porta haec, ista Virgo debuerat esse « clausa Principi ».

2180. Verum demus, Iosephum Virginem sponsam « non cognovisse, donec peperit Filium ». At latet hic mysterium; nimirum quandiu divina Virgo Verbum Patris suis claudebat visceribus, tantis in vultu radiabat fulgoribus; tam venusta, tam serena, tam superangelica, tam prope divina fuit facie; tot nitidissimos eiaculabatur splendores, ac veluti fulgura, ut bonus eam Iosephus intueri nequaquam potuerit, cognoscere ex aspectu prorsus nequiverit, « donec peperit Filium », donec Divinitatis fulgetram umbra Sancti Spiritus conceptam caeco effudit mundo. Angelici Thomae haec mens est, et doctrina, ita scribentis (III part., q. 28, art. 3): « Quidam hoc: Non cognoscebat eam, donec peperit Filium, referunt ad notitiam visus. Sicut enim Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, ut non possent in eum intendere filii Israel, sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat a Iosepho, donec pareret; post partum autem a Iosepho agnita fuit specie faciei, non tactu libidinis ». Hactenus Angelicus magister, qui in Commentariis ad Evangelium Matthaei addit, satis probabilem esse istam opinionem; rursum usus Moysis exemplo, et profatus: « Si Moyses ex consortio Verbi hoc habuit; multo magis Beata Virgo, quae portavit Deum in utero, habuit tantam claritatem in facie, quod Ioseph non cognoscebat eam ».

2181. Aliam adnectit etiam Sanctus Epiphanius sententiam, aitque evangelistam scribentem, « non esse cognitam a Iosepho Virginem, donec peperit », exaudiendum de dignitate Virginis, non de cognitione personae; videlicet capere optimus homo (et merito) non poterat, fieri qui posset, ut creatura simplex, mulier praesertim, elevari ad veram, et naturalem Dei maternitatem, ad attinentiam et coniunctionem supremae Trinitatis posset, donec humanatum vidit suis oculis Deum, donec amplexus est ulnis divinum Mulieris partum, donec fateri libenter coactus est: Haec mea Nympha, vera est Dei Mater. Paucula haec sunt Sancti Patris verba: « Non noverat (non cognoverat, donec Virgo peperit) quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra, maxime mulier ».

2182. At aliud haeretica faex dubium, an absurdum, obgannit: dicere evangelistam, Mariam praegnantem in stabulo Bethlehemitico peperisse Filium suum primogenitum; clarum igitur esse, alios ab ea liberos esse

Digitized by Google

genitos, quorum intuitu Christus sit primus. Contentiose, et pervicaciter, non ex vero. Non vult evangelista dicere, alios e Virgine post Christum liberos natos, sed nullos ante Christum; valetque hoc loco Primogeniti vocula Unigeniti significatum; siquidem fieri nequit, alium esse ante illum genitum, qui sit unigenitus. Et hoc nihil novi esse in Scriptura, manifestum est. Exod. IV Deus vocat populum suum primogenitum; cum unicus Deo fuerit, a quo agnitus cultusque sit. Eodem libro, cap. XII, describitur, percussos esse totius Ægypti primogenitos, quos inter quis neget, complures fuisse unigenitos? Rursus hoc ipso libro, cap. XIII, imperat Deus offerri et sacrari sibi primogenita; quis dicat, exclusa hic esse unigenita? Quid, quod et gentium Magister ipsum huius Virginis Filium Primogenitum Dei nominet (Hebr. I, 6): nunquid inferre inde licebit, alium esse in ipsa Divinitatis substantia praeter Verbum Patri aeterno Filium? Primogenitum evangelista Virginis partum vocat, quod antequam editus sit ex Matre, natus iam fuerit Dei Filius ab aeterno ex Patre; unde non dixit, « Virgo peperit Filium primogenitum suum », sed prius dixit Filium suum, ac postea Primogenitum, significare cupiens, Christum, etsi Filius sit Virginis, esse tamen Deum quoque, a Patre ante parturitionem Virginis genitum, ut Apostolus dicere merito habuerit: « Ipse est primogenitus omnis creaturae » (Coloss. I, 15); rursumque: « Primogenitus in multis fratribus (Rom. VIII, 29).

2183. At Scriptura Christi fratrum meminit: « Dixerunt fratres eius ad Iesum », etc. (Ioan. VII, 3): quo sensu putabimus? Quod Mariae fuerint soboles? quis Scripturae locus id asserit? Fratres Christi alio dicuntur ex fonte; nempe triplex in Scriptura est fraternitas: naturae, affectus, cognationis. Naturae, ut in Abel et Cain, Iacobo et Esau; affectus, veluti Christus appellare dignatus est apostolos suos: « Ite, dicite fratribus meis » (Matth. XXVIII, 10; cognationis, uti in Lotho et Abrahamo, qui patrueles ut fuerint, fratres tamen se consalutarunt: « Ne quaeso sit iurgium inter me et te, fratres enim sumus » (Gen. XIII, 8); et tales fuere Christi fratres, agnati puta, et cognati illius, non uterini. Mansit igitur Virgo nostra, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum; visceribus illius mundis nulloque unquam humano semine temeratis, editoque Filio, ut unigenito Patris, sic et unigenito Matris.

2184. Et sane, quae fuisset aut oblivio, aut ingratitudo prudentissimae Virginis, virginum omnium antesignanae, si post habitam in se Spiritus Sancti operationem, post conservatam sibi divinitus a Deo Filio integritatem, contaminandam dedisset virginitatem suam; viscera sua, reclinatorium aureum, thronum eburneum, floridum lectulum optimi maximi Dei, nidum fecisset putidi homuncionis? Absit, absit hoc a Dei forma, a Nympha Dei, a promptuario sapientiae, a scientia scientiarum sanctarum, a sigillo virginitatis, a sponsario immortalitatis! Bene, bene Iustus ab ipso Evangelio declamatur continentissimus Ioseph, qui contingere noluerit Sacrarium Spiritus Sancti, « Concham quae coelitus conceperit ingentis pretii unionem, Christum (S. Ioan. Damasc. orat. I, De nat. Virg.) ». Bene compositus, praepositusque sit a Doctore melleo, castissimo veteris legis Iosepho, tactum herae suae abhorrenti; bene et optime ipsa quoque Virgo a Sanctis Patribus audiat: « Dux, Magistra, et Virgo virginum, Virgo primitiva, Virgo aeterna, Virgo virginissima, Virgo incomparabilissima, Virgo singularissima, Virgo virum dedignata, Virgo angelis coelorum purior, Virgo Deo digna ». Bene quoque et merito sancta illi accinat Ecclesia, et posteaquam celebravit eam, Matrem purissimam, Matrem castissimam, Matrem inviolatam, concinat ipsi gratulabunda, ac gemebunda, Mater intemerata, ora pro nobis.

2185. Hymnus XIX.

Ioseph cum Virgine Deum-Puerum in templo offerunt.

REGIA post partum Virgo, quae limina nunquam
Liquerat, et brevibus tectis abscondita, nondum
Venerat ad Solymas arces, altamque Sionem
Praevigil ante diem petiit cum Prole viroque.
Et cum pauperibus donis Salomonia templa.
Munus erat veteri gentis de more pudicae.
Turturis aut Paphiae duo pignora parva columbae.

(*Partenice* Baptistae Mantuani, lib. III).

2186. **Memento.** — Deinde providentiam Dei perpendam, Angelum e vestigio mittentis, haec Iosepho nunciare et ab exilio in eius patriam revocare. O quam is fuit in fiducia Dei confirmatus! quam laeto animo, curam sollicitam de puero et de se geri, animadvertit! Ex quo discam, posse me absque sollicitudine rerum mearum curam in Deum coniicere, « in cuius manibus sortes meae » et tempora successusque prosperi et adversi, quos, ut magis mihi expediet, disponere in se recipit. (Ludov. De Ponte, p. II, Meditat. 28).

Digitized by Google

XX. — Sermo Aloisii Lipomani episcopi Veronensis.

QUOD S. IOSEPH B. V. MARIAE SPONSUS VIRGO PERMANSERIT.

Ap. Surium, XXV Martii.

PRIUSQUAM ad hunc qui sequitur, Divi Ioannis Chrysostomi sermonem legendum accedas, benigne Lector, est quod te aliquantulum detineam, cautumque reddam. Videbis namque magnum Chrysostomum eiusdem hic esse sententiae, cuius et in libro de excidio Ierosolymitano. Egesippus, et Eusebius Caesarensis libro II, cap. I. Ecclesiasticae Historiae, multique ex Graecis patribus fuisse leguntur: nempe beatissimum Ioseph Sanctissimae Deiparae Sponsum, filios ex alia uxore suscepisse, et inter ceteros Iacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini. Ea vero deinde repudiata, seu, ut alii volunt, praemortua, in castitate vixisse et liberos in disciplina et timore Domini educasse. Huius etiam opinionis fuisse videmus Divum Hilarium Pictavorum Episcopum, super Matthaeum capite primo, et Divum Ambrosium Mediolanensem Antistitem, super Epistolam ad Galatas capite primo. Chrysostomum quoque secutus est compilator eius Theophylactus Bulgariae Archiepiscopus, qui eumdem Iacobum et reliquos fratres, filios asserit fuisse Ioseph: sed alio modo, quam Chrysostomus autumet. Cuius verba, ut melius res percipiatur, subnectam. Ait enim is super Matthaeum capite XIII. « Fratres habuit Dominus et sorores, Iosephi filios, quos genuit ex uxore fratris sui Clopae. Mortuo enim absque liberis Clopa, Ioseph, iuxta legem, uxorem eius accepit, et pueros procreavit sex, quatuor mares, et duas feminas: Mariam, quae dicebatur Clopae filia secundum legem, et Salomen ». Et haec quidem ille. Vides igitur, quid magni utriusque Ecclesiae viri de B. Ioseph sentiant.

2188. Ego, ut verum fatear, et animum meum coram Deo, teque ac toto Christiano orbe testatum faciam (pace sit dictum omnium horum praeexcellentium virorum, quos in aliis sequor plurimum, amplector, et tanquam venerabilissimos patres vehementer observo: at in hoc mihi placere nequaquam possunt), semper contrariam tenui sententiam, tenereque profitebor usque ad mortem: nisi sancta mater Ecclesia diversum aliquid super hoc statuat: vel nisi quis me potentioribus et efficacioribus urserit rationibus, ut a mea victus recedam opinione. Credoque et firmiter teneo, Beatissimae Virginis Sponsum, virginem et ipsum fuisse, nec unquam pudicitiae suae florem amisisse. Talem enim matrem, talem sponsum, et talem tantumque filium, talem putativum patrem habere par erat. Et ne ex meo cerebro haec eruta videatur sententia, tribus eam, si potero, enitar mediis confirmare. Sacrae primum ipsius Scripturae fontibus, iisque pie recteque, et secundum germanum sensum deductis: constanti etiam, ut credimus, et quae vinci non possit, ratione; tum demum sanctorum aliquorum patrum auctoritate. Quod nisi effecero, tum tu me imperitiae stultitiaeque arguito: atque ego liberam tibi concedam, quicquid volueris, credendi potestatem. Audi ergo diligenter et patienter ausculta quae pro hac sententia firmanda tibi affero.

2189. Ac primum quidem id nobis explorandum censeo, num ex Scripturis, quisnam verus pater, et quae vera mater fuerit Iacobi istius minoris qui etiam dictus sit frater Domini reperiri possit. Credoque non fore id difficile, immo ex propatulo loco satis constare. Sed assertio illa praemittenda quam negare mihi nequaquam possunt etiam ii qui vel sacras litteras eminus salutaverint: Scripturam nempe sacram quoties ita loquitur, Isaac Abrahae, vel Iacob Isaac, hunc in audientium aures sensum et intelligentiam immittere, et non aliam, Isaac esse filium Abrahae, et Iacob filium esse Isaac. Hoc Lucae III capite maxime ostendere possumus, ubi genealogia Domini ex Ioseph ascendendo usque ad Deum describitur. Dicitur namque ibi: « Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph qui fuit Heli », subauditur filius: « qui fuit Mathan », nempe filius: et sic de singulis usque ad Adam, de quo loco dicitur: « Qui fuit Dei »: et subintelligitur filius. Hoc idem probatur Ioannis ultimo, cum dicit Dominus Petro: « Simon Ioannis, amas me? » Hoc est, Simon fili Ioannis. Quod ita esse ostendit Dominus ipse, Matthaei XVI, ubi dicit ad eumdem: « Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». Bar enim Hebraice, Latine filium sonat.

2190. Unus est dumtaxat locus, in quo propositio ista non currit, quando videlicet aliter interpretari Scriptura ipsa te necessario compellit. Et ut me intelligas, opportunum tibi affero exemplum Lucae VI, ubi duodecim Apostolorum nomina recensentur: quo in loco inter cetera habetur: « Et Simonem qui vocatur Zelotes et Iudam Iacobi et Iudam Iscariotem qui fuit proditor ». Quomodo hic expones Iudam Iacobi? Filium ne? Minime quidem, quoniam te alia scriptura ita facere prohibet. Quomodo ergo

Digitized by Google

Iudam Iacobi fratrem interpretaberis? quoniam is in sua Canonica Epistola, ita de seipso loquitur: « Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi ». Ubi autem nulla nos adigit Scriptura, semper praedicta regula propositioque tenenda est.

2191. Venio nunc ad ipsum quaestionis scopum, et patrem Iacobi minoris dico non fuisse Ioseph, sed Alphaeum. Hoc probamus ex Matthaei capite X ubi ponens Evangelista duodecim Apostolorum nomina, ita inquit: « Duodecim autem Apostolorum nomina haec sunt: primus Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius, Philippus et Bartholomaeus, Iacobus Zebedaei et Ioannes frater eius, Thomas et Matthaeus publicanus et Iacobus Alphaei et Thaddaeus, Simon Chananeus et Iudas Iscariotes qui et tradidit eum ». Marcus quoque capite III et Lucas capite VI et ipsi duodecim Apostolorum catalogum recensentes, sicut primum Iacobum cum Ioanne fratre, Zebedaei, ita Iacobum alterum, Alphaei dicunt. Quod si primum illum Zebedaei filium exponere cogeris (eius enim filius fuit, ut ex Matthaeo eodem capite IV et Marco capite primo constat), ita etiam secundum Iacobum, hunc videlicet minorem, fratrem Domini nuncupatum, Alphaei filium exponere, velis nolis, compelleris. Cur enim Iacobum illum ex Zebedaeo natum patre asseras, hunc autem ex Alphaeo natum neges? Aut ergo utrosque filios expone, aut utrosque nega: vel Scripturam adducito aliquam, propter quam Zebedaeum Iacobi maioris patrem dicere cogaris, Iacobi autem minoris Alphaeum patrem non ita. Quam certo scio haudquaquam invenire poteris. Crede ergo expositioni nostrae. Et hoc quantum ad patrem pertinet.

2192. Quae vero Iacobi huius Iusti mater fuerit et ipsa Scriptura se consulentibus aperit. Si enim legeris XXVII Matthaei caput, invenies profecto ita in eo scriptum: « Erant autem ibi (nempe ubi crucifixus est Dominus) mulieres multae a longe, quae secutae erant Iesum a Galilaea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene et Maria Iacobi et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei ». Et ne qua detur tibi dubitandi occasio, quis iste sit Iacobus, cuius mater Maria dicitur, scrupulum tibi omnem aufert Marcus, capite decimoquinto, inquiens: « Erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Iacobi minoris et Ioseph mater, et Salome: quae, cum esset in Galilaea, sequebantur eum et ministrabant ei ». Et quia futuros esse haereticos praevidebat Spiritus Sanctus qui hanc Mariam quae Iacobi minoris et Ioseph mater dicitur, eandem esse quae et Salvatorem nostrum peperit, quaeque ex Ioseph marito Iacobum hunc fratrem Domini et alios fratres eius genuisset, imprudentissime asserturi erant: Ioannes discipulus Domini dilectus, omnium Evangelistarum ultimus, hanc haereticorum blasphemiam omnino sustulit, cum dixit capite XIX: « Stabant autem iuxta Crucem Iesu mater eius et soror matris eius Maria Cleophae et Maria Magdalene ». Mariam Cleophae, id est, filiam accipe, secundum propositionem nostram primo loco positam. Ecce ergo quam alii evangelistae Mariam Iacobi minoris et Ioseph matrem nominant, Ioannes sororem Matris Iesu dicit et Cleophae filiam. Et quia soror erat Sanctae Dei Genitricis, ideo Iacobus, Ioseph, Iudas et Simon fratres Domini usitato Scripturae more quo filii duorum fratrum, seu duarum sororum, hoc est patrueles, vel consobrini, fratres nuncupari solent, et ipsi fratres Domini dicti sunt Matthaei XIII in fine.

2193. Ex his omnibus luce, ut arbitror, clarius meridiana liquet, patrem Iacobi minoris, fratris Domini dicti et fratrum illius fuisse Alphaeum: eorum vero matrem Mariam sororem Sanctissimae Deiparae, filiamque Cleophae. Quae autem Mariae istius mater fuerit, ad praesens intactum relinquo (forte in fine huius epistolae et de hoc aliquid dicetur). Non enim ad praesentem quaestionem multum spectare videtur. Satis namque nobis est scire, sororem illam Beatissimae Virginis extitisse. Quod si Iacobus et ceteri eius fratres, Alphaei et huius Mariae Cleophae filiae, filii fuerunt, videant, obsecro quomodo id fieri possit, ut Ioseph pater Domini putativus, ex alia uxore eos genuerit.

2194. Venio modo ad rationem urgentissimam trimembrem, cui iudicio meo nullus apte satis et idonee respondere poterit: quae est huiusmodi: Aut Ioseph aliam uxorem, ex qua Iacobum et alios fratres suscepit, ante Beatam Virginem habuit: quae postea mortua est, vel repudiata. Aut simul cum Beata Virgine et alteram habuit. Aut denique post mortem Sanctae Mariae alteram uxorem superinduxit, ex qua filios illos suscepit. Nec enim quartum membrum mihi dare poteris.

2195. Si primo modo dixeris, ut velle videtur Hilarius: videlicet ex priori coniugio filios illos susceptos hoc profecto falsum est et a veritate alienum. Nam ista coniux quam tu praetendis ante ductam et postea mortuam, non potuit esse altera a Maria ista, sorore matris Domini quae ab Evangelistis mater dicitur fuisse Iacobi minoris: quae tamen tempore mortis Christi viva erat et stabat iuxta Crucem Iesu una cum sorore sua Sancta Deipara, quae dudum

Digitized by Google

ante et iam annis 33 fuerat ipsi Ioseph desponsata, ut superius ex Evangeliis ostensum est. Quod si dicas, ea quidem viva potuit esse, sed repudiata, ut vult Chrysostomus: vide, obsecro quomodo id asserere possis: tum quia non convenit viro iusto, cuiusmodi erat Ioseph, Evangelio teste, sanctam mulierem quae continue Dominum sequebatur ministrans ei, repudiare: tum quia, ea adhuc vivente, minime Beatam Virginem sororem suam habere potuisset, ut in sequenti membro evidenter patebit.

2196. Dices forsitan: Ambas Ioseph uno eodemque tempore uxores habuit, Mariam scilicet Domini matrem et Mariam alteram sororem eius. Hoc simili modo mendacium esse convincitur, sed et insulsius primo dicto. Nam licet Iacob Patriarcha duas simul uxores habuerit, Liam et Rachelem, hoc tunc ex divina permissione, aut etiam significatione factum est. Praesignificabatur enim in duabus illis sororibus Iudaeorum Synagoga et Ecclesia de gentibus congreganda, sive activa vita et contemplativa. Quod si fortasse in aliis quoque factum fuisse reperiatur, quod haud credo facile ostendi posse: id usque ad legis Mosaicae promulgationem licuit: at ea lata, minime; immo qui id faceret, mandatum est tolli de medio populi sui. Adduco autem tibi divinam ipsam legem, factum hoc omnino inhibentem quae est huiusmodi, Levitici 18: « Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem eius adhuc illa vivente », vel, ut alii legunt: « uxorem cum sorore eius non accipies ad aemulationem, vel ad lacessendum ». Nempe sicut faciebant duae uxores Iacob, quae magna inter se ob virum ardebant zelotypia. Quam legem Hesychius, Rodulphus, ceterique libri illius expositores, de eo intelligunt qui uxori simul et eius sorori iungatur, ita ut duas sorores pariter uxores habeat, illaeque in unius viri contubernio simul habitent, aut quomodocumque, una vivente quam cognoverit, alteram superinducat.

2197. Superest ergo, ut tertium modum eligas, et dicas, post mortem Sanctissimae Virginis Ioseph hanc Mariam in coniugem accepisse, ex qua Iacobum minorem et alios filios et filias genuit. Hoc si dixeris, in eandem et adhuc maiorem foveam te praecipitem dabis, a qua nunquam exire poteris. Nam cum Beata Virgo post mortem filii sui supervixerit, quomodo potuit Ioseph, ea mortua, sororem Mariam ducere et Iacobum et ceteros fratres eius ex ea generare, qui iam, adhuc vivente Salvatore nostro, grandaevi erant et in Apostolos eius assumpti: ut patet ex Evangelistarum libris, in quibus etiam Maria haec Iacobi minoris iam profecto nati et non nascituri, matris titulo praenotata, iuxta crucem Domini stetisse reperitur? Impossibilia haec sunt et eruditis auribus indigna. Vides iam quocumque te vertas, indissolubiles esse tricas, a quibus te explicare non possis? Non ergo verum, Ioseph ex alia uxore Iacobum minorem, cognomine fratrem Domini, genuisse.

2198. Tertium erat medium quo nostram hanc assertionem nos probaturos dixeramus. sanctorum nonnullorum patrum auctoritas qui virginem fuisse sanctum quoque Domini patrem putativum manifeste astruunt. Inter hos post Abdiam Babyloniae Episcopum, in vita Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae, quam is eorum discipulus longo sermone descripsit, primum obtinet locum Divus Hieronymus qui in libro de perpetua virginitate Mariae contra Helvidium haereticum ita ait: « Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria qui pater Domini meruit appellari ».

2199. Huic proxime succedit Divus Augustinus, et ipse Ecclesiae Doctor insignis, qui in fine Sermonis 14 de Nativitate Domini ita dicit: « Habe ergo, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate servata: sis autem et tu pater Christi, cura castitatis, et honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris genitricis saeculis Christianis nulla sit zelotypia ». Et paulo post: « Gaude itaque, Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii: quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ». Rupertus quoque Abbas Tuitiensis super Matthaeum capite 1, relatis Divi Hieronymi verbis contra Helvidium, eius sententiam amplectitur et approbat. Sequitur hanc eandem et Hugo de Sancto Victore, in Annotationibus super Epistolam ad Galatas, quaestione 5. Demum Beda Venerabllis, quem de industria in ultimo loco reservavi, in hanc sententiam et ipse accurrit, qui etiam super Marci caput VI, de fratribus Domini loquens, inter cetera ait: « Fratres et sorores Domini, Iudaei secum esse testabantur: qui tamen non liberi Ioseph, aut Ma-

Digitized by Google

riae, iuxta haereticos, putandi sunt: sed potius, iuxta morem sacrae scripturae, cognati ipsorum sunt intelligendi: quomodo Abraham et Lot fratres appellantur, cum esset Lot filius fratris Abrahae ». Cuiusmodi invenies multa. Vides ergo, si quis dixerit hos Domini fratres, vel ex Beato Iosepho natos, vel ex sancta ortos Dei Genitrice, nedum inhonestam assertionem, sed etiam haereticam inventionem esse.

2200. Quod si adhuc clarius, quomodo Iacobus et ceteri fuerint Domini fratres, cognoscere desideras, et per quem sanguinis gradum, vel cognationis, sive affinitatis lineam, lege Hugonem ipsum praedicto loco, qui abunde tibi in hoc satisfaciet, idipsum ostendere satagens. Quod si forte nec, quae ibi dicit, tibi placuerint, nempe Cleopham post mortem Ioachim accepisse Annam Beatae Virginis matrem in uxorem, ex qua Mariam hanc Iacobi et ceterorum fratrum matrem genuerit: quemadmodum nec mihi placere potest, tantam illam matronam, post sterilitatis divina gratia solutum impedimentum, et post dignissimae illius plantulae foeturam, nempe Reginae Angelorum et Dominae nostrae ortum, mortuo Ioachim, unum atque alterum, ut vulgo dicunt, sibi maritos superinduxisse: et rursus atque rursus coniugales amplexus adamasse: dicito Cleopham, qui hanc Mariam Iacobi matrem genuit, fratrem germanum Sancti Ioseph fuisse, ut Theophylactus asserit, qui ex coniuge sua, quaecumque ea fuerit, Mariam hanc genuerit, quae postea Alphaeo nupta, mater horum filiorum effecta sit. Cum ergo Sanctissima Maria Sponsa fuerit Beati Ioseph, Cleophae glos fuit, illeque ei levir, atque filia eius Maria Beatae Virginis neptis, quae eius soror more scripturarum, dicta fuerit, sicut Lot, frater Abrahae. Hincque factum, ut Iacobus minor, et reliqui eius fratres, fratres etiam Domini dicti fuerint. Et hoc modo si dixeris, in nullam incides difficultatem. Quod si nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, cui ego libens acquiescam, modo ne dixeris, sanctum et iustum virum Ioseph, a Deo ad custodiam castissimi templi eius et Spiritus Sancti tabernaculi, hoc est, Beatissimae Deiparae, electum, et tanta dignitate decoratum, ut pater Filii sui in terris dici mereretur, alterius se uxoris osculis et amplexibus miscuisse, ac suavissimum decorae pudicitiae florem amisisse. Non quod, si hoc fecisset, aliquid iustitiae eius, aut Beatissimae Virginis, vel admirabilis Filii eius sanctitati detraheret, cum honorabiles ubique praedicentur nuptiae, et torus immaculatus: sed quia indecens quodammodo Dei Filio videretur, si, dum virginitatis gloriam, meritum ac privilegium in suae Sanctissimae Matris persona primum dedicabat, eandem minime in patre quoque suo putativo, tanquam non suaviter omnia disponeret, cooptasset. Cum ille maxime ad novi testamenti gratiam, in qua bibitur vinum germinans virgines, pertinuisse videatur.

2201. Quod si dixeris: Et quid ad dicta sanctorum patrum, contrariam sententiam tenentium, respondebis? Quid, inquis, respondebo? Ex duobus alterum: vel (quod tangere visus est Beda) ab haereticis haec in eorum voluminibus fuisse interiecta, cuiusmodi plurima etiam aliis in rebus immista quandoque cognoscere possimus: vel quae ab eis dicta sunt, imprudentiuscule ac minus accurate (prout humana fragilitas fert, quod gravissimi etiam et eruditissimi viri quandoque dormitent) fuisse enunciata. Nam si maiori cum diligentia Evangelicos codices perpendissent, nequaquam Iacobum minorem fratrem Domini, filium Ioseph, sed Alphaei proculdubio asseruissent: sicut et Iacobum maiorem, Zebedaei filium, et Petrum Ionae, vel Ioannis, adstruere compulsi sunt.

2202. Habes ergo meam, bone lector, hac de re sententiam: quam et te quoque, si pius es, si castitatis et sanctimoniae amator, si Beati Ioseph devotus filius existis, securum non ambigo. Plura autem, si Veronae in Episcopatu meo fuissem, super hoc forsitan collegissem, ubi et librorum mihi copia suppeditat, et adsunt nonnullarum Epistolarum schedae ultro citroque missarum, dum recolendae memoriae Ioannes Cochlaeus vir doctissimus et de Christiana republica optime meritus, adhuc nobiscum in humanis ageret. Nam memini hac de re inter nos multa et dicta et constituta fuisse. Haec vero, quae per me nunc apud nobilissimum Poloniae regnum Pontificium Legatum agentem, et libris fere carentem, atque assidue hic illucque obequitantem, ac negotiis difficillimis implicatum, quasi ex memoria dici potuerunt, tu et benigne suscipito, et aequi bonique consulito. Vale.

2203. Hymnus XX.

Ioseph herodianae caedi Puerum Matremque subtrahit: Ægyptum petit.

Rex erat Herodes Solymis, de sanguine cretus
Gentis Idumaeae. Sceptrum Iudaea propago
Perdiderat, saevumque ferens invita tyrannum
Amissos regni veteris plorabat honores.
Ipse igitur Regis metuens haec signa futuri,
Protinus innocuo Bethlemica rura cruore
Tinxit; et effusa ingenti per tecta, per agros,
Caede domos lacrymis implevit, et aethera planctu,
Moerentes crebi campos insontibus umbris.
Sed neque quod scelus infelix tentavit ademptum
[est;

Digitized by Google

Nam vigil ante levi dederat Pater ista ministro,
Quae ferret mandata seni, cui tradita dudum
Cura novi partus fuerat teneraeque Parentis:
Subtrahe venturo Puerum, Matremque periclo,
Et pete Niligenas; cladem et saevissima iussa
Rex parat Infanti; sparso iam rura natabunt
Sanguine; de matrum sinibus sua pignora miles
Aufert; allidens teneras ad marmora frontes,
Atque in frusta secans parvos crudeliter artus
Sparget, et ingenti resonabunt omnia luctu.
Territus hoc monitu senio vicina petivit
Regna Phari, et Libycis contermina Syrtibus arva,
Hermopolimque domum tutam perduxit in urbem,
Mox Theben, quondam portis celeberrima centum
Moenia, pensilibus tectis templisque deorum
Claruit, imperium cum rex Busiris habebat.
Dehinc Memphitis agros, feriunt ubi sidera celsae
Pyramides, opus aeterna memorabile fama.
Hic tandem hospitio patrii susceptus amici.
Artifices versare manus, victumque labore
Rimari, et dure studuit succurrere sorti.
Utque erat ingenio praestans usuque peritus
Assiduo, et quoniam rebus solertia maior
Semper adest misoris, animumque exercet egestas,
Virtutis non pauca suae monumenta reliquit.

(*Partenice* Baptistae Mantuani, lib. III).

2204. **Memento.** — Attende, S. Iosephum consuevisse in dubiis suis ad orationem recurrere, Deumque vel ad eius nutum paratum fuisse, ut eum exaudiret atque a dubiis expediret. Disce itaque in dubiis tuis confidenter ad eundem in oratione recurrere; si enim sincere veritatem agnoscere cupis, Deus ad eam assequendam certo mentem illustrabit. (Ludov. De Ponte, p. III, Medit. 28).

XXI. — Sermo Pelbarthi de Themeswar.

MAGNALIA S. IOSEPH.

Stellarium Coronae glor. Virginis. Lib. I, p. 2, c. 11, et p. 6, art. 3, c. 1; Lib. VIII, p. 2.

UNDECIMA stella, qua gloriatur Dei Genitrix, dicitur sponsi probitas. Debuit quippe talis in Dei matrem Virgo eligi, quae esset desponsata viro probissimo, et castissimo, nomine Ioseph. Et hoc ostenditur secundum Albertum, ubi supra c. 1 rationibus pluribus.

I. Ratione praefigurationis.
II. Ratione interpretationis.
III. Ratione testificationis.

Primo ratione praefigurationis. Nam non congruebat, ut Sponsus Beatae Virginis praefiguraretur per aliquem, qui extiterit maritus per carnalem copulam, cum ipse sine carnali copula sanctum coniugium cum Virgine contraxerit, virgo coniugem virginem custodivit, et ministravit Filio et Matri paterno affectu sincero. Unde licet Hester figuravit Beatam Virginem: non tamen decuit ut eius Sponsus praefiguraretur per Assuerum, ut sic Sponsus Dominae Nostrae Assuerus debuerit nominari, quia inter Assuerum et Hester carnalis copula fuit. Similiter eadem ratione, licet Sara gignens filium praeter naturam in monte immolandum teneat figuram Dominae Nostrae quae genuit filium contra naturam in cruce immolandum. Non decuit tamen, ut eius sponsus Abraham nominaretur, quia inter Abraham et Saram carnalis copula intervenit, et eodem modo de Rebecca, et Isaac, ac aliis similibus, sed decebat ut istud coniugium, et ipse Sponsus Beatae Virginis praefiguraretur per Ioseph in sui fidelitate, et castitate erga uxorem domini sui, ac mysteriorum revelatione, procurationis commissione, cibi conservatione et terrae praelatione.

2206. Unde Bernardus super Missus est dicit sic: « Quis et qualis fuerit iste Sponsus Ioseph, memento simili et illius magni Patriarchae venditi in Ægyptum, et scito ipsum istud vocabulum non solum sortitum fuisse, sed et castimoniam adeptum, innocentiam et gratiam consecutum. Siquidem ille Ioseph venditus in Ægyptum domino suo fidem servans, dominae suae noluit commisceri. Iste herodianam invidiam fugiens in Ægyptum Christum portans, dominam suam domini sui Matrem virginem, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia mysterii somniorum. Isti datum est participem esse coelestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi soli sed et omni populo. Iste panem vivum de coelo servandum accepit sibi et toti mundo. Non ergo dubium quin fidelis et bonus homo fuerit iste Ioseph, cui mater Domini Salvatoris desponsata extitit ». Haec ille.

2207. Secundo ratione interpretationis, sive significatione nominis, quia Ioseph interpretatur, augmentum, vel incrementum, quod optime ipsi congruit Sponso Mariae, quia per hanc desponsationem quantum ad se, quantum ad Deum, quam plurimum sublimatus fuit, virtutum et praecipue castitatis augmento. Nam et ipse castitatem vovisse creditur cum coniuge virgine, sicut dicit Augustinus, libro de coniugali bono. Item auctus fuit famae celebritate, hominum reverentia et dilectione, ac Matris Dei familiaritate.

2208. Tertio ratione testificationis, ut scilicet ipse Ioseph castus testis esset, et custos castitatis Beatae Virginis. De hoc infra eodem libro, parte 6, art. 3, cap. 1, latius habes... [*Sequitur ex parte 6*].

2209. Huius ergo dicti gratia quaestio oritur utrum Ioseph, quando Beatam Mariam desponsavit, fuerit vetulus, et senex. Et arguitur quod sic: quia cum Ioseph diu, et familiariter convixerit, et cohabita-

Digitized by Google

verit Mariae Virgini in via, in domo, in mensa, nunquam motus fuit ad libidinem, ergo videtur, quod fuit senio confractus, et debilitatus, ac frigidus.

2210. Ad hoc protinus respondetur, quod ex hoc non concluditur Ioseph fuisse vetulum: quia hoc, quod non movebatur ad concupiscentiam, fuit per virtutem Spiritus Sancti, quae plus potest in reprimendo fomitem et conservando castitatem, quam senium. Fuit etiam ex abundanti gratia in Maria Virgine, quae, ut dicit Alexander de Ales, et Bonaventura in tertio, distinctione tertia, quamvis esset pulcherrima, a nullo tamen viro potuit concupisci. Nec eius aspectus urebat, aut inflammabat ad concupiscendum: sed potius omnem concupiscentiam etiam in aliis aspicientibus extinguebat, tamquam si quidam virgineus ros per oculos eius efflueret, et corda omnium ad castitatem moveret.

2211. Si adhuc quaeras: Quare ergo ab Ecclesia communiter depingitur senex Ioseph? Respondetur, quod hoc solitum est ad significandum castitatis virtutem in Ioseph; quia aetas senectutis est vita immaculata, Sapientiae quarto. Econtrario autem « maledictus peccator centum annorum ». Isaiae sexagesimo quinto. Unde sic pingi solet senex, ne homines suspicarentur carnale aliquid de Ioseph et Maria. Vel quia (ut dicit Horatius) « Pictoribus, atque Poetis quodlibet fingendi semper fuit aequa potestas ».

2212. Credendum est ergo, quod Ioseph non fuit senio confractus, quod probatur. Primo ex causa desponsationis: ut scilicet obsequium praestaret Virgini, et Puero Iesu, tam fugiendo in Ægyptum, quam redeundo, et consequenter usque ad perfectam pueri aetatem deserviendo. Constat enim, quod ad talia non fuisset idoneus senio confractus: quia talis eget potius, ut ei serviatur, quam serviat aliis, et sic onerosior potius fuisset Mariae, quam obsequentior.

2213. Secundo quoque probatur ex auctoritate Isaiae, LII: « Habitabit iuvenis cum virgine, et gaudebit sponsus super sponsam ». Glossa interlinearis dicit: « Habitabit iuvenis Ioseph cum Maria Virgine ». Unde debuit esse iuvenis Ioseph ad commendandum divinum miraculum prophetiae descriptum de cohabitatione iuvenis cum virgine. Et quoniam aetas iuvenilis secundum Isidorum, libro ethimolog. II, incipit ab anno 28 et durat usque ad annum 50. Nam dicit quod infantia septem annis finitur. Praeterea pueritia, eo quod pura dicitur (necdum ad generandum apta) durat usque 14 annum. Inde usque ad 28 annum durat adolescentia, id est ad gignendum adulta. Deinde usque ad 50. annum protenditur iuventus, quae vulgariter virilitas dicitur. Tandem senectus usque ad finem vitae. Sequitur ergo ex dictis, quod fuerit Ioseph aetatis inter 28 et 50 annos existentis, ut iuxta historiam praescriptam, esset nuptui habilis. Sed quare virgam suam subtraxerit dicendum quod non pro vetustate sua: sed ex humilitate, et castitatis amore: quia cum esset iustus, reputabat ex humilitate se indignum fieri sponsus talis et tantae virginis, de qua tam mirabilia audiebat, cum esset etiam pauper faber ligni.

2214. Ad historiam itaque prosequendam redeuntes, cum pontifex iterato Dominum consuluisset, eo quod nil divinae voci consonum in virgis allatis super altare apparere videret, responsum accepit, quod solus ille virgam non attulit, cui Virgo Maria desponsari deberet. Comperto quoque, quod Ioseph non attulisset, mox eum afferre coegerunt virgam ad altare, quae statim floruit, et in eius cacumine de coelo veniens columba consedit. Sicque cum cogeretur, ut accipiat Virginem, ipse quoque se excusaret, ait ei pontifex: Ioseph, time Deum et memento, quae fecit Dathan et Abyron propter inobedientiam, quos terra deglutivit, ne tibi simile contingat propter contemptum. Tunc Ioseph, desponsata Virgine per primam fidem et iuxta morem mancipata, statim gratia castitatis ex Beata Virgine redundante adeo ipsum Ioseph replevit, ut omnis motus concupiscentiae in eo sopiretur, et observatio virginitatis in se, et sua Sponsa summe desideraretur, et sic factum est, quod mox divinitus inspiratione facta uterque de altero, quod scilicet in virginitate vellent permanere, consenserunt in maritalem societatem, et pari consensu continentiam Deo devoverunt.

2215. Credendum est ergo de Ioseph, quod fuerit virgo: ut dicit Augustinus, libro de coniugali bono. Tunc pontifex, visa tam mira ostensione, dedit ad societatem Beatae Mariae septem virgines coaevas pro eius honore et solatio, ut honorifice deducerent eam ad domum Ioseph. Accepit ergo Ioseph Mariam, et deduxit eam ex templo in Nazareth ad domum suam, secundum Chrysostomum, statuens in futurum diem nuptiarum celebrandum. Et sic patet modus desponsationis...

Pars secunda libri octavi: de virginalis sponsi Beatae Mariae, id est, ipsius Beati Ioseph sanctitate, atque dignitate, qui fuit custos Mariae.

2216. « Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam », Matth. I cap. Quoniam, ut ait Dominus Bonaventura, super

Digitized by Google

4 sentent. dist. 45 : Nobilissima res est nobis miseris mortalibus in hoc mundo habere singularem devotionem non solum Deo aeterno, sed etiam suis gloriosis Sanctis. Et hoc primo, propter nostram inopiam, quia nil ex nobis meremur coram Deo, immo pleni peccatis demeremur supplicia, propter quod ad sanctos opus est nobis refugere, quatenus eorum meritis Deus placetur, et quod petimus, efficaciter consequamur. Hinc Iob, 5 : « Ad aliquem sanctorum convertere ». Secundo, propter Dei reverentiam, quia in eis Deus, qui habitat, veneratur. Qui enim sanctis honorem tribuit, illum specialiter honorat, qui eos inhabitando per gratiam sanctificavit. Idcirco Damascenus, lib. 4, cap. 7, dicit : « Quoniam per intellectum in corporibus sanctorum habitat Deus, teste Apostolo. Nescitis, inquit. quoniam corpora vestra templum sunt inhabitantis in vobis Spiritus Sancti : Deus autem spiritus est. Quare ergo non essent honoranda animata templa Dei, et animata Dei tabernacula?» Haec ille. Tertio propter eorum virtuositatemi et gloriam, propter quam dignissimi sunt honore. Nam teste Aristotele 4 lib. Eth. honor est praemium virtutis, et virtuti perfectae non fit condignus honor. Debent ergo sancti honorari tamquam virtuosissimi et gloriosissimi nostri patroni spirituales, quia, ut habet 2 q. 7 cap. qualis : « Qui patronum, sive patrem spiritualem non honorat, plus videtur peccare, quam qui carnalem patrem contemnit ». Haec ibi.

2217. Sed quia Ioseph est unus de gloriosioribus sanctis Paradisi, cui Dominus tantam gratiam contulit, ut suam dilectissimam Matrem ei in custodiam, et Sponsam daret, ideo merito ad ipsum devotione movemur. Unde quia ipse Ioseph Sanctus meruit sociari Beatissimae Virgini Mariae, et fore eius virginitatis fidelissimus custos, Sponsusque, et fide dignissimus testis : idcirco in hac parte secunda incidentaliter agere decrevi in hoc libro de eius sanctitate, quae multum confert ad testimonium virginitatis, et puritatis Beatae Virginis Matris Dei. Unde de ipso tria mysteria notabimus, quae elici possunt ex praemisso themate.

Primum dicitur mysterium sponsalitatis.
Secundum dicitur mysterium sanctitatis.
Tertium dicitur mysterium dignitatis.

Articulus primus, quare voluit Deus suam Matrem desponsatam fore viro nomine Ioseph, fabro lignario.

2218. Circa primum mysterium, videlicet sponsalitatis, vel dicam societatis, investigandum nobis est, cur Deus omnipotens, cuius sapientiae non est numerus, sic disponere voluit, ut sua Mater virgo Sancta Maria, desponsari deberet viro nomine Ioseph fabro, antequam impraegnaretur, et conciperet filium Dei. Et arguere potes, quod non debuit desponsari alicui viro, quia ipsa ante desponsationem voverat virginitatem, ut patet ex auctoritate Beati Augustini, lib. de sancta virginitate dicentis : « Annuncianti Angelo Maria respondit : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? i. e. non cognoscere propono, quod profecto non diceret, nisi se virginem ante vovisset ». Sed, ut dicit Augustinus, virginitatem voventibus non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est. Ergo videtur, quod Beata Virgo non debuit desponsari ne transgrederetur votum. Item non videtur ratio, quare potius viro Ioseph debuit desponsari.

2219. Et ratio est, quia figuratum et figura convenire debent, sed ex omnibus sanctis mulieribus, quae figuraverunt in Veteri Testamento Benedictam Virginem, nulla earum coniuncta est Ioseph Patriarchae, qui figura fuit Sponsi Matris Dei. Nam Assene filia Phutizaris sacerdotis pheliopoleos, quae fuit uxor Ioseph Patriarchae Gen. XLI, non ita expresse figuravit Matrem Dei, sed potius aliae sanctae mulieres, ut patet de Sara, quae genuit filium praeter naturam in monte immolandum, unde tenuit figuram Dominae Nostrae, quae genuit filium contra naturam in cruce immolandum, et tamen Sara coniuncta fuit viro Abraham nomine. Item Esther figurat Beatam Virginem, quae tamen nupta est Assuero regi. Eodem modo patet de Rebecca, quae fuit coniuncta Isaac, et sic de aliis : ergo nec Mater Dei debuit coniungi matrimonio ipsi Ioseph, sed potius viro nomine Abraham, aut Assuero, aut Isaac, aut aliquo nominum eorum, quorum uxores vel sponsae Dominam figuraverunt.

2220. Item si desponsari debuit, potius hoc fieri debuisset, ut desponsata fuisset alicui viro regi magno, ut significaretur, quia regis aeterni et excellentissimi, i. e. Dei, erat sponsa. Aut desponsata fuisset potius pastori propter humilitatem, quam fabro, tum quia pastores gregum inferioris status sunt secundum saeculum fabris, tum quia, nascente Domino, non fabris sed pastoribus angelis revelare congruit eius nativitatis mysterium, Luc. 1. Ergo et hoc mysterium desponsationis debuit fieri potius pastori. Amplius : videtur, quod debuit Dei Mater desponsari piscatori, quia sub cruce commendata est piscatori Ioanni discipulo : cur ergo in desponsatione non debuit desponsari piscatori, ratio non videtur congruitatis.

2221. In contrarium est divina sapientia,

Digitized by Google

quae in sui dispositione non fallitur, nec falli potest, et tamen, ut evangelicus sonat textus, Dei Mater desponsata est congruentissime viro, cui nomen Ioseph, qui erat faber lignorum.

2222. Respondetur igitur ad praemissa per tres veritates, seu conclusiones. Prima est: summe decebat, ut Virgo Beata viro desponsaretur, antequam Dei filio impraegnaretur. Haec conclusio claret per multas rationes, tam ex parte prolis, quam ex parte matris, quam ex parte humani generis: quae rationes, quia descriptae sunt in hoc volumine, lib. I, part. 6, art. 3, cap. I, ibi recurrendum relinquo.

2223. Secunda veritas seu conclusio est: congruum erat, ut vir Sponsus Matris Dei Ioseph nominaretur, quam quodcumque nomen viri aliud sortiretur. Haec conclusio ostenditur per rationes et auctoritatem Beati Bernardi super Missus est, quae descripta sunt lib. I huius voluminis, part. 2, art. 3, cap. II.

2224. Tertia veritas, seu conclusio est: summe congruebat, ut Mater Filii Dei lignario fabro desponsaretur, quam alterius artificii viro in sponsam sociaretur. Haec patet: quia hoc prae omnibus magis congruebat significationi eius spiritualis desponsationis. Nam per hoc, quod fabro desponsabatur, designari dabatur, quod Deo, qui fabricavit et creavit totum mundum, spiritualiter sponsabatur, iuxta illud Osee II cap. a Domino dictum. « Sponsabo te mihi in fidei, et sponsabo te mihi in sempiternum », etc.

2225. Item hoc magis congruebat significationi divinae incarnationis: quia ex hoc significabatur, quod in ipsa virgine desponsata fabro humana natura sponsaretur, et copularetur per unionem Dei Filio, qui fabricavit mundum una cum Patre et Spiritu Sancto. Propterea ipsa Beata Virgo pulchra describitur ut Luna; Cant. IV cap., quia, ut nobis videtur, Luna usque ad 14 diem continue crescit, quousque ipsa appareat imago hominis, quasi fabri, et ultra crescere non potest, sed postea decrescit: ita Beata Virgo Maria a sua nativitate crevit usque ad 14 annum, quo anno in eius utero integra imago hominis, idest ipse Christus imago Dei Patris, qui fuit fabricator, idest creator mundi, apparuit; quoniam 14 anno suae aetatis creditur Virgo Christum concepisse secundum historiam. Mox quoque ipsa videlicet Dei Mater effecta, in sua reputatione coepit decrescere per humilitatem, non tanquam Matrem Dei, vel Dominam mundi, sed tanquam ancillam Dei se reputando. Unde ait Luc. I. « Ecce ancilla Domini, fiat mihi » etc.: et sic in eo, quod desponsata est fabro, significabatur, quod esset sponsa Dei Creatoris mundi: unde et voluit Filius Dei Christus fieri faber lignarius cum Ioseph patre putativo exercendo artem illam usque ad aetatis suae annum 30, sicut sonat Scriptura. Marc. IV. Et ibidem exponendo testatur Lyra. Denique claruit in ipsa desponsatione non solum mysterium divinae incarnationis. verum etiam maximum bonum humilitatis, ut quanto sit maior in omnibus, tanto fiat et humilior, ut sit Mater Dei, et uxor fabri.

2226. Item tertio haec veritas seu conclusio probatur: quia desponsatio fabro lignario facta summe congruebat significationi nostrae reparationis, et salvationis per lignum crucis. Unde Chrysostomus super Matth. dicit: « Ideo Ioseph fabro lignario Maria Dei Mater desponsata fuit, quoniam sponsus Ecclesiae Christus omnium salutem hominum operaturus erat per lignum crucis ». Haec ille. Et sic patet responsio ad quaesitum.

2227. Ad obiecta in contrarium respondetur. Ad primum: quod ut dicit Beatus Thomas, 3 part., Sum. q. 28, art. 4, Beata Virgo habuit virginitatis votum tribus modis. Primo in desiderio: quia antequam incarnatio Filii Dei ab angelo sibi annunciaretur, virginitatem simpliciter et absolute non voverat, eo quod non licebat: quoniam lege veteri prohibitum erat, ne sterilis quis fieret in Israel, Exod. XXII. Propterea, quia tempore legis oportebat generationi insistere tam viros, quam mulieres, eo quod etiam ex illo Christus populo expectabatur secundum carnis originem nasciturus: habuit tamen Beata Virgo tunc temporis virginitatem, et eius votum in desiderio, vovitque virginitatem sub conditione, scilicet si Deo placeret, voluntatem suam et desiderium divino committens arbitrio. Secundo Beata Virgo habuit virginitatem in facto: quia postquam sibi innotuit hoc Deo fore acceptum, scilicet ut virginitatem voveret, antequam ab Angelo sibi denunciaretur, et antequam Ioseph desponsaretur, absolute virginitatem vovit. Tertio habuit virginitatem ex communi beneplacito: nam postquam fuit desponsata simul ipsa cum Sponso suo ex communi voluntate et beneplacito ac consensu, virginitatis votum emisit. Ad argumentum igitur dico cum Alberto, super Missus est, cap. 40. quod licet Beata Virgo habuit firmum propositum, et votum continentiae, poterat tamen consentire in desponsatione in materialem societatem, facta tamen divinitus inspiratione utrique de altero, quod vellet virgo permanere, et sic consentire in coniugalem vel materialem societatem, et non in copulam carnalem absolute; et sic non obstat verbum Augustini dicentis, quod vo-

Digitized by Google

ventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est: quia hoc intelligitur de nuptu carnalis copulae, et quando sine certificatione a Deo facta vellet quis post votum virginitatis coniugium contrahere.

2228. Ad secundum obiectum respondetur per secundam conclusionem. Et ad probationem dico secundum Albert., super Missus est, cap. 50, quod licet Sara, Esther, Rebecca, et plures aliae sanctae mulieres praefigurarint Beatam Virginem Mariam: propterea tamen non congruebat, ut illarum sponsi, vel mariti praefigurarent quoad denominationem sponsum Beatae Mariae Virginis. Cum enim ipse sponsus, videlicet Ioseph, contrahere habuit cum virgine Maria sanctum coniugium sine carnali copula, ut virgo conciperet, virgo pareret, et post partum virgo permaneret, quam scilicet Beatam Virginem virgo Ioseph coniugem in virginitate custodivit et ministravit eidem, ac eius Filio paterno affectu sincero: nullo modo igitur decens erat, ut quoad hanc desponsationem sponsus Beatae Virginis Mariae praefiguraretur per aliquem talem, qui extiterit maritus per carnalem copulam. Unde, cum inter Saram et Abraham, inter Esther et Assuerum, et eodem modo inter Rebeccam et Isaac, ac alias consimiles, copula carnalis intervenerit, non decebat, ut eis nominibus Sponsus Mariae nominaretur: sed decebat, ut istud coniugium ac castissima desponsatio Mariae praefiguraretur per Ioseph, qui castitatem et fidelitatem erga uxorem domini sui servavit, ut patuit libro 1, part. 2, art. 3, cap. 11.

2229. Ad tertium dicendum, quod haec desponsatio Matris Dei taliter et tali fieri debuit ut et humilitas commendaretur et nobis in exemplum proponeretur, et cum hoc significationi mysterii incarnationis divinae, ac nostrae reparationis congrueret: sed quia si Beata Virgo desponsata fuisset alicui regi magno humilitas non claresceret, si vero pastori, humilitas quidem claresceret, sed mysterio non satisfieret significationis praedictae. Similiter si piscatori desponsata fuisset, non ita satisfactum fuisset significationis praetactae ex praemissis rationibus circa tertiam conclusionem positis; igitur, etc.

2230. Itaque concluditur, quod licet nativitas Salvatoris ex Beata Virgine debuit manifestari ab angelis pastoribus, propter hoc, secundum Lyram super Luc., quia pastores erant simplices et absque cautelis malitiae, et occupati in officio sanctorum patriarcharum, qui dicuntur fuisse pastores, Gen. XLVII; talibus autem solent fieri divinae illuminationes et consolationes, iuxta illud Matthaei, XI. « Confitebor tibi, pater coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis »; licet et congruebat Matrem sub cruce commendari Ioanni, non quidem ratione eius quod Ioannes piscator erat, quia hoc ad id nil pertinebat, sed ratione virginitatis et humilitatis, ut videlicet humilis discipulus Ioannes, et virgo virgini, et humillimae matri suae obsequium et solatium praeberet; nihilominus summe congruebat, ut virgo Mater Dei virgini Ioseph fabro desponsaretur: sicut ex rationibus antedictis in tertia conclusione tactum est. Vere ergo, carissimi, Dei Mater per omnia commendabilis nobis existit, honorabilis et devote celebris, per quam miro ordine divinae sapientiae nobis salus provenit: vere et Ioseph eius Sponsus non immerito a nobis honoratur, et devotius ob amorem Beatae Virginis veneratur, qui tantam gratiam meruit, ut in Sponsam familiarem Matrem Dei habuerit. O utinam huic eorum sanctae societati pauper ego et humilis servulus adfuissem et eis servitia exhibere dignus fuissem.

Articulus secundus, quod ipse Sanctus Ioseph Sponsus Beatae Mariae, debuit esse sanctissimus, et mundissimus.

2231. Secundum mysterium dicitur sanctitatis. Ubi investigandum est utrum iste Ioseph Sponsus Benedictae Virginis Mariae, fuerit inter omnes viros sui temporis excellentissimae sanctitatis, ut dignus habitus sit eligi in Sponsum Virginis Dei Matris. Et potest argui quod non: quia si fuisset homo gratiosus, et magnae sanctitatis, non debuisset dubitare. vel suspitionem habere de Beata Virgine Dei praeelecta Matre. Cum enim dicat Apostolus, I Corint. XIII: « Charitas non cogitat malum », scilicet de proximo suo, sequitur quod homo perfectus in gratia et sanctitate atque charitate, non poterit de altero, quem novit esse perfectae sanctitatis hominem suspicari sinistrum, vel cogitare malum, quin eo ipso designetur veraciter, quod ipse non est bonus, aut perfectus, qui de alio perfecto credere potest malum. Quod et probari potest ex eo: quia apud sanctos maxime, immo etiam apud alios probos et imperfectos homines dubia sunt in meliorem partem interpretanda: ut habet regula iuris extrav. de re. iu. c. estote. Sed quia iste Ioseph novit Beatam Virginem Mariam esse perfectissimae sanctitatis: tum ex attestatione virginum, cum quibus morata fuerat in templo Domini a sua infantia, apud quas publicum et famosum erat, quod ipsam quotidie visitabant angeli Dei, et familiariter ei cibum deportabant e coelo: tum ex miraculo divino, quo fuit coactus, et pontificibus

Digitized by Google

manifestum, ut ipse cuius videlicet virga germinavit florem, et in eius cacumen columba a coelo veniens consedit, desponsaret eam: ut patuit supra, per Hieronymum et alios historiographos, libro 1, p. 3, art. 3, cap. 1, tum quoque ex splendore divino in facie eius relucente; et tamen suspicabatur, et dubitabat de virginali Beatae Mariae conceptu, unde noluit traducere eam, sed voluit occulte dimittere eam, Matth. 1, sequitur ergo, quod ipse Ioseph non fuit sanctus nec perfectus, immo minus bonus, quia de tali ac tantae perfectionis et sanctitatis Virgine, suspitionem habuit adulterii.

2232. Item confirmatur, quia secundum sententiam doctorum, praecipue Alexandri de Ales, concordat Thom. 2. 2. q. 60. art. 3., suspicio mali de altero contingit, seu provenit ex tribus. Primo ex longa mali experientia in seipso. Unde Aristot. 2. lib. Rethor. dicit quod senes sunt maxime suspiciosi, eo quod multoties experti sunt in seipsis aliorum defectus. Senes enim, inquit, cacoethes sunt. Est enim cacoethia in deterius extimatio omnium. Unde iuvenculae mulieres, si nubant viris senioribus, semper propter suspitionem virorum turbationes patiuntur ab eisdem. Secundo provenit suspitio mali ex eo, quod aliquis male afficitur ad alterum. Cum enim quis contemnit alium, aut odit, vel irascitur, vel invidet, ex levibus signis opinatur male de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. Tertio provenit ex hoc, quod aliquis in seipso malus est, ex quo conscius suae malitiae faciliter de aliis malum opinatur. Propterea Eccl. x. «Stultus, idest peccator, in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes existimat insipientes ». Et Seneca lib. de moribus dicit: « Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse insanit, ceteros putet insanire ». Unde avarus, cum ipse sit assuetus fraudibus et mendaciis in emendo, vendendo, credit omnes ementes et vendentes similia facere. Similiter luxuriosus, cum ipse videat et loquatur mulieribus mala intentione, ita quos videt loqui vel respicere, huiusmodi malum inde iudicat.

2233. Ex quo Ioseph dubitavit et suspicatus est malum de Beata Virgine, et eius conceptu, propter quod et voluit dimittere eam, ex quacumque praemissarum causarum hoc provenerit, semper derogat eius sanctitati; immo ex causis praetactis suspicando arguitur ipse non bonus fuisse, vel saltem valde imperfectus. Pro huius quaestionis propositae responsione tripliciter procedemus. Primo dictas obiectiones de eius dubitatione vel suspitione solvendo. Secundo conclusionem responsalem de eius sanctitate inferendo. Tertio rationes probantes sanctitatis eius excellentiam subnectendo.

2234. Primo itaque solvendo praetactas obiectiones quae dependent ex eo, quod in Evangelio scribitur, quia cum Beata Virgo inventa est habere in utero filium post desponsationem, Ioseph noluit traducere eam, sed voluit occulte dimittere, etc. Notandum est, quod de hoc duplex est doctorum sententia. Una est opinio quorundam dicentium, quod Ioseph videns Beatam Mariam gravidam dubitaverit, et vehementem suspitionem incurrerit de opere sinistro ex parte Virginis, et idcirco voluerit dimittere eam. Et illi attribuunt hanc opinionem Augustino in sermone, « Castissimum Mariae Virginis uterum », vel, « Vidi portam », licet a pluribus asseratur ille sermo non esse Augustini. Ego tamen nullo modo credo, quod ista dubitatio fuerit firma in mente Ioseph, nec credendum est, quod Ioseph cum esset vir iustus, firmiter credidit aliquid sinistri de Virgine, quam probaverat de tanta sanctitate, et desponsationis miraculositate.

2235. Si quis tamen hanc opinionem, scilicet quod dubitaverit, tenere vult, hoc habet credere, quod haec suspitio in mente Ioseph non fuit omnino firma, sed dubia. Nam secundum Thom. 2. 2. q. 60. a. 3. Aliud est ex aliquibus signis dubitare de malo proximi. Aliud est illud affirmare. Primum pertinet ad humanam tentationem, sine qua etiam sancti vitam istam non ducunt, secundum illud Apostoli I. ad Cor. x: « Tentatio vos non apprehendat nisi humana ». Affirmare vero pro signis levibus de proximo malum, praecipue quando sunt plura, et fortia signa boni, peccatum est. Unde Augustinus super illud 1 Cor. IV: « Nolite ante tempus iudicare », ait: « Et si suspitiones vitare non possumus quia homines sumus, iudicia tamen, idest diffinitivas sententias continere debemus ». Haec ille.

2236. Sed alia est opinio verior, quam tenent Gregorius, Origenes et Ioannes os aureum, qui aperte ostendunt, quod Ioseph quando vidit Mariam praegnantem non cogitavit aliquod malum de ea, sed credendo bonitati Virginis putabat quod Deus aliquod operatus esset secrete in ea, ex humilitate reputavit se indignum eius consortio, quam sciebat esse plenam Deo. Voluit ergo recedere et dimittere eam timens ne ex praesumptione offenderet, si tantae Virgini cohabitaret, sicut in exemplo etiam Petrus ex eadem reverentia dixit Christo: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ». Unde Chrysostomus, super Matth. lib. 1. dicit: « O inextimabilis laus Mariae, magis credebat Ioseph castitati eius, quam utero eius, plus gratiae quam naturae. Manifeste conceptum videbat, et fornicationem suspicari non poterat, possibilius esse credebat mulierem sine

Digitized by Google

viro posse concipere, quam Mariam posse peccare ». Haec ille.

2237. Huic sententiae concordat Bernardus, super Missus est, addens quod ideo occulte voluit eam dimittere, quia si manifeste dimitteret, causa divortii quaereretur, et exigeretur. Et si diceret id, quod scierat, et probaverat de Virginis puritate, mox populus incredulus et durae cervicis illum subsannaret et illam lapidaret. Quomodo enim crederent tacenti Christo in utero, quem postea crucifixerunt mira facientem et docentem in templo? Haec Bernardus. Itaque claret, quod Ioseph nil sinistri credidit de Virgine, sed cum vidit eam praegnantem, et in facie eius divinum splendorem relucentem adeo quod non poterat eam intueri, ut dicunt Bernardus et Hieronymus, partim ex stupore, partim ex Virginis reverentia, et partim ex incomprehensione operis, id est virginalis conceptus, cogitabat se absentare et eam dimittere, totum hoc factum volens divino consilio relinquere. Et propterea Angelus sibi revelavit hoc mysterium dicens: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam », idest, non expavescas cum illa habitare et sibi servire, cuius Deus te socium fecit in sancta puritate, et devotione castitatis, quam una simul devovistis mutua voluntate, « quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est ».

2238. Quod si quaeras: quare Beata Maria non dixit eidem hoc divinum secretum? Dicendum, secundum Lyram super Matth., quod ideo, quia scivit, quod talia non sunt revelanda nisi quantum se extendit voluntas divina, et ideo Beata Virgo tacuit, tenens firmiter, quod istud secretum revelaretur tempore competenti ex beneplacito voluntatis divinae, sicut et revelatum est Sanctae Elisabeth miraculose; Luc. 1. Item: quare Ioseph non petivit Beatam Virginem, ut diceret? Dicendum, quod ex reverentiali timore non fuit ausus, et hoc factum est ex divina dispensatione, ut videlicet per revelationem Angeli ipse Ioseph, et per consequens omnes nos, sic certificaremur in fide, quod nullo modo de cetero dubitari posset.

2239. Secundo principaliter ad quaestionem propositam de sanctitate Ioseph ponitur conclusio responsalis, quam salvo aliorum meliori iudicio tutam fore decerno, et est conclusio talis. Fidei piae dictamen dat Virginem Christi Matrem habuisse Sponsum talem Dei ordinatione, ut nullus vir sibi parem habuerit sanctitatem, aut aequalem puritatem toto pro tunc terrarum orbe. Dico notanter, pro tunc, quia licet Ioannes Baptista fuerit tam excellentissimae sanctitatis, teste Salvatore, Matth. 1, « inter natos mulierum non surrexit eo maior », tamen ipse Ioannes nondum erat pro tunc, idest tempore desponsationis Mariae natus in mundo, sed postea surrexit in mundo. Pro illo autem tempore arbitror, quod Ioseph fuerit sanctissimus in toto mundo, prae omnibus hominibus, qui tunc erant. Ad quod credendum, et probandum subnecto: Tertio rationes, quibus claret eius sanctitatis excellentia, et ad idem ratio triplex, videlicet physica, canonica et theologica.

2240. Prima ratio physica: quia cum iuxta Aristotelis sententiam omnia bonum appetunt et diligunt, unumquodque ens quantum habet de bonitate, tantum habet de eligibilitate, lib. 3 Topic. Sed quia Deus prae omnibus mundi hunc Ioseph dilexit et elegit sibi in patrem putativum, et familiarem nutricium, ac suae Sanctissimae Matri in Sponsum, et custodem virginitatis, devotumque ministrum; ergo sequitur quod prae omnibus hominibus tunc in mundo existentibus, ipse Ioseph fuerit melior et sanctior.

2241. Secunda ratio canonica: quia habetur, 23 q. 4 c. « obtineri »; quod praedestinatio ita est a Deo disposita, ut electi meritis et precibus ad ipsam perveniant. Haec ibi. Sed quia Ioseph fuit ab aeterno praeordinatus a Deo et praedestinatus in Sponsum Matris Dei et nutricium Christi, atque cetera mysteria divinae Incarnationis; ergo, Deo disponente, ipse tantae sanctitatis et tanti meriti esse debuit, ut prae omnibus hominibus dignior ad praetacta mysteria redderetur.

2242. Tertia ratio theologica: quia quanto ad maiorem dignitatem spiritualem, et secundum Deum existentem eligit Deus aliquem, tanto eundem facit bonum et meliorem. Unde Augustinus in glossa super Ephes. 1. dicit: « Deus quos eligit, facit bonos, sicut ait Apostolus. Elegit, inquit, nos, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu eius in charitate: qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum ». Haec ibi ubi supra. Sed quia Deus elegit ab aeterno hunc Ioseph ad summas gratias, et maximas secundum Deum dignitates, ut patuit, ergo sane credo, quod sicut suam reverendissimam Matrem, quam praeelegit ab aeterno, ut decebat, dignissimam et sanctissimam fecit: sicut etiam suum praecursorem sanctissimum elegit et fecit, atque discipulos et apostolos, quos elegit, ut lumina mundi forent effecit sanctissimos, ita hunc Ioseph, quae in specialissimum sibi et suae Matri nutricium ac Sponsum elegit, ita sanctissimum effecit, quod dignissimum prae omnibus hominibus reddidit. Secure igitur, charissimi, eius merito nos commendare possumus: merito eius suffragia exoramus, quia magnum, utpote sanctissimus, valet coram Christo efficere et impetrare beneficium pro nobis.

Digitized by Google

Item ad sanctitatis ipsius Ioseph excellentiam probandam faciunt etiam privilegia immediate, infra artic. 3, descripta, quibus eum Deus dignificavit et sanctificavit.

Articulus tertius, quod sanctitas Ioseph Sponsi Mariae duodecim privilegiis est dignificata.

2243. Tertium Mysterium declarandum in hac parte dicitur dignitatis. Quantae nempe dignitatis et privilegiatae sanctitatis sit iste Ioseph Benedictae Virginis Mariae Sponsus elucidando advertere debemus: quia quicquid gloriae et laudis impendimus Sponso, scilicet Ioseph, totum est ad laudem Sponsae, idest Beatissimae Virginis Matris Dei. Ad cuius gloriam, ut maiori devotione moveamur erga hunc Sanctissimum Sponsum Ioseph, notare possumus, quod sicut Beatissima Virgo Dei Mater gloriosa existit, corona 12 stellarum, iuxta illud Apoc. XII: « In capite eius corona duodecim stellarum », ita Sanctissimus eius Sponsus Ioseph inter omnes sanctos comprobatur fore gloriosus duodecim privilegiis sanctitatis, tanquam duodecim stellis relucentibus in corona gloriae ipsius, quae quidem ordinari possunt in tribus quaternariis, quorum primus potissime se habet ex parte sui ipsius, idest Ioseph. Secundus ex parte Virginis benedictae eius Sponsae, atque Filii eiusdem Virginis Christi Iesu benedicti. Tertius quaternarius indifferenter se habet, vel teneri potest, ut claret in subscripta quaternariorum divisione:

Primum privilegium nobilissimae generationis.
Secundum evangelicae commendationis.
Tertium dignissimae electionis.
Quartum virgineae gloriationis.
Quintum privilegium singularissimae dilectionis.
Sextum sanctissimae conversationis.
Septimum meritoriae auxiliationis.
Octavum maximae honorationis.
Nonum privilegium praecelsae glorificationis.
Decimum dulcissimae consolationis.
Undecimum angelicae frequentationis.
Duodecimum potissimae impetrationis.

2244 Prima itaque stella seu privilegium sanctitatis Ioseph Beatissimi dicitur nobilissimae generationis: quia erat de domo David, et generatione nobilissima: ex qua Christus descensurus erat secundum carnem sicut per prophetas fuerat praedicatum. Nimirum ad nobilitatem summam eius pertinet, quod ipse Ioseph fuit de eadem tribu, et familia cum Maria Matre Domini Virgine nobilissima. Unde et genealogia Christi describitur per Ioseph ab evangelistis: licet Ioseph fuerit penitus alienus a conceptione Christi, qui de sola Virgine natus est, et conceptus a Spiritu Sancto. Nihilominus per genealogiam Ioseph descriptam, Matth. I. et Luc. III, sufficienter probatur quod Iesus Mariae filius fuerit de stirpe David: ut dicit Lyra: « quia Ioseph fuit de eadem tribu cum Maria; quod probatur per hoc, quia secundum legem mulier, ad quam pertinebat haereditas paterna, non poterat contrahere matrimonium nisi cum viro suae tribus, ne fieret confusio sortium, ut habetur dicta sententia Num. XXXVI. Beata autem Virgo Maria fuit unico Ioachim patri suo, succedens ei in haereditate, et ideo ex lege cogebatur viro suae tribus nubere: propter hoc et ivit cum Ioseph in Bethlehem civitatem David, ut profiteretur cum eo, Luc. III ». Haec Nicolaus de Lyra super Matth. Si autem vis scire modum, per quam fuerunt de eadem tribu et familia, scilicet David, Damascenus lib. IV, cap. 6. describit: dicens Beatam Mariam descendisse a David per Nathan, Ioseph autem per Salomonem. David quippe inter ceteros habuit duos filios, scilicet Nathan prophetam, et Salomonem sapientissimum regem: ut patet I Paral. 3. Secundum autem quod refert Lyra in postilla super Luc., licet omnes sapientes hebraeorum concorditer tenerent ex scripturis Christum debere descendere de David, aliqui tamen eorum opinabantur ipsum descendere a David per Nathan propter excellentiam sanctitatis et prophetiae ipsius Nathan. Alii vero per Salomonem propter dignitatem regiam et excellentiam sapientiae, secundum veritatem autem descendit per utrumque: aliter tamen, quia per Salomonem descendit secundum lineam naturalis generationis: per Nathan vero secundum lineam generationis legalis: quia Ioseph Sponsus Beatae Virginis fuit filius Heli adoptivus, seu legalis, secundum Hieronymum.

2245. Quod ut magis intelligatur, nota secundum Ioannem Damascenum, quod per catenam Nathan prophetae filii David descendit Melchi, a quo Melchi quarto gradu descendit et distat in certa linea Ioseph, ut patet Luc. III, unde Melchi est ipsi Ioseph abavus vulgaris, idest avus avi. Iste Melchi habuit fratrem nomine Panthera, qui genuit Barpanthera, et hic genuit Ioachim, qui genuit Beatam Mariam. Per catenam autem ipsius Salomonis filii David naturalis descendit Mathan qui fuit avus Sancti Sponsi Ioseph, Matth. I. Iste Mathan habuit uxorem, ex qua genuit Iacob patrem Ioseph, ut patet Matth. I. Defuncto autem Mathan, ipse Melchi de quo antea meminimus, scilicet ex catena Nathan prophetae, frater videlicet Pantherae, nupsit uxori Nathan, ipsi matri videlicet Iacob, et genuit ex ea Heli. Facti sunt ergo fratres uterini Iacob et Heli, sed de duobus fratribus a David diversimode descendentibus, quia Iacob a Mathan ex

Digitized by Google

tribu vel catena Salomonis, Heli vero a Melchi ex tribu seu catena Nathan. Heli autem accepta uxore mortuus est sine semine, et idcirco Iacob frater eius accepit uxorem fratris sui, ut ei suscitaret semen, et genuit Ioseph, ita ergo Ioseph fuit filius naturalis ipsius Iacob, prout dicitur Matth. I. c. Fuit et idem Ioseph filius legalis Heli, quia filius qui nascebatur ex tali uxore. erat quidem secundum naturam generantis, secundum autem legem defuncti, et sic dicit Luc. cap. III Ioseph fuisse filium Heli. Haec secundum Ioannem Damascenum. Denique secundum Nicolaum de Lyra in postilla super Matth.; haec contrarietas, quod Matthaeus dicit: « Mathan genuit Iacob, et Iacob genuit Ioseph »; Lucas vero dicit: « Mathath genuit Heli, et Heli genuit Ioseph »; sic solvitur, quod Mathath et Mathan ambo descenderunt a David, sed Mathath fuit filius David adoptivus, Mathan autem per Salomonem. Et isti duo Mathan et Mathath habuerunt unam uxorem successive, quae dicta est Yesca, et ista a Mathan concepit Iacob et a Mathath Heli, et sic Iacob et Heli fuerunt fratres uterini, ut dictum est.

2246. Ex his omnibus aperte monstratur nobilitas tam Beatae Virginis, quam eius Sponsi Ioseph Sanctissimi, quia fuerunt propinqui, si bene calcularetur, forte in sexto gradu consanguinitatis, quo gradu non prohibetur secundum iura etiam matrimonium contrahendi. Equidem, quanta sit eorum nobilitas generis, patet, quia Matthaeus ponit tres quaterdenas generationes ab Abraham usque ad Christum, in quibus describitur generatio a quatuordecim patriarchis, et quatuordecim regibus, et quatuordecim ducibus, secundum quod dicit Nicolaus de Lyra. O igitur quam nobilissimus est iste Sponsus, qui utique est propinquus multorum sanctorum istius genealogiae, immo et Ioannis Baptistae, et plurimorum apostolorum fratrum Christi. Insuper et matris Dei, atque ipsius Christi per matrem, quod est summum. Sicque propinquitate coniunctus est Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto, per hoc quod Christus Dei filius carnem assumpsit ex eius genealogia.

2247. Secunda stella est privilegium evangelicae commendationis, quia in Evangelio ipse Ioseph commendatur iustus fuisse, Matth. I, « Ioseph cum esset iustus nolebat traducere », etc. quo verbo ipse commendatur a perfecta virtuositate, quia ut testantur doctores catholici, praecipue in talibus scriptis accipitur, inquantum iustitia virtus est generalis omnes virtutes comprehendens. Unde Macrobius, lib. de virtutibus, dicit, quod ex iustitia procedunt amicitia, innocentia, concordia, pietas, religio idest cultus divinus, affectus idest dilectio fraterna, et humanitas, quae omnia creduntur perfectissime fore in Ioseph, propter quod merito iustus nominatus est, quia ut Tullius, lib. I, de officiis, c. 7, ait: « iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua viri boni nominantur »; et Arist. V lib. Ethic. c. I, dicit: « Praeclarissima virtutum, scilicet moralium, videtur esse iustitia, et nec Hesperus nec Lucifer ita mirabiliter lucet ». Unde maximum est hoc privilegium Ioseph, ut dicatur quasi antonomastice, idest per excellentiam « iustus » in sacro Evangelio. Unde argui potest, quia in ipso videre potuisses virtutes omnium patriarcharum et prophetarum. Et certe haud dubium, quia in ipso erat obedientia prompta, quae et fuit in Abraham, patientia Ioseph patriarchae, humilitas David, devotio prophetarum et sanctorum patrum, etc. quibus dignus reddebatur Sponsus tantae Virginis.

2248. Tertia stella est privilegium dignissimae electionis. Alii quippe sancti electi sunt, quidam in servos tantum, ut sancti angeli, de quibus, Hebr. I: « Omnes sunt administratorii spiritus ». Quidam in servos et amicos, scilicet Dei, ut sancti apostoli, quibus, Ioan. XV. Salvator ait: « Iam non dicam vos servos, sed amicos etc. » Nullus autem sanctus praeter Ioseph est electus in hanc praecelsam dignitatem, ut fieret et servus et amicus, et insuper pater Christi putativus, ac Sponsus Matris Dei, unde post Dei Matrem summam dignitatem ipse obtinet.

2249. Quarta est privilegium virgineae gloriationis, quia refulget gloria, et aureola virginitatis. Fuit enim virgo incorruptus, quam virginitatem voverat mutuo consensu una cum Benedicta Virgine, sicut supra patuit. Hoc autem probatur auctoritatibus videlicet doctorum, et rationibus, atque similitudinibus. Primo, inquam, doctorum auctoritatibus, quibus et convincitur, quia liber infantiae Salvatoris, qui dicit, quod Ioseph de alia uxore habuerit filios, in hoc dicto non est tenendus, quia falsum dicit, sicut et in quibusdam aliis certis locis, utpote quod obstetrices Beata Virgo habuerit in partu, et similibus, quibus reprobatur.

2250. Ad id autem, scilicet quod Ioseph virgo fuerit incorruptus et perpetuus, est primo auctoritas Hieronymi contra Helvidium dicentis sic: « Grata, inquit, gratia et florida fuit Virginis Matris et Ioseph societas, et sicut amatores puritatis in matrimonio virginitatis fuerunt a Spiritu Sancto electi ». Haec ille. Unde credo post Virginem Matrem fuisse hunc Ioseph puritatis maximum amatorem.

2251. Ad idem est auctoritas etiam Aug. lib. de coniugali bono, expresse dicentis, quod Ioseph nisi virgo fuisset, Virgo Mater Dei

Digitized by Google

nequaquam in Sponsam sibi a Deo data fuisset, alias hoc sanctum coniugium claudicasset. Nicol. quoque de Lyra, super Matth., cap. I in postilla, hoc credendum astruit et dicit, quod cum Maria esset desponsata Ioseph, iam erat in domo ipsius Ioseph, secundum Chrysost. Et quia modus erat iustorum non perficere matrimonium per carnalem copulam nisi prius vacarent orationi per aliquod tempus implorando divinam misericordiam, ut patet Thob. VIII. Et tunc, inquit, creditur revelatum esse ipsi Ioseph propositum Mariae de observanda virginitate, tunc quoque ex communi consensu voverunt virginitatem, quam quaedam virginitatem ipse Ioseph habebat etiam antea in desiderio et proposito, sed votum non expresserat. Contraxit igitur matrimonium coactus per miraculum virgae germinantis, et columbae de coelo venientis, et considentis committens se divinae voluntati et tunc ex revelatione divina cognoscendo propositum Mariae, ex communi consensu voverunt virginitatem, unde Ioseph adhuc virgo erat.

2252. Secundo ad id probandum idem Nicol. de Lyra adducit rationem talem, quia cum Christus in passione sua nulli matrem suam servandam tradidit nisi virgini, non est probabile quod ante conceptum, dum adhuc esset iuvencula, traderetur alicui nisi virgini custodienda.

2253. Tertio probari potest similitudinibus, quia cum de similibus idem sit iudicium, ut dictat regula logica, ex quo Christus in omnibus maiorem quam habuit et specialiorem societatem, ac familiaritatem semper cum virginibus habere potissime voluit, iuxta illud Cant. VI: « Qui pascitur inter lilia », scilicet virginitatis. Unde et Matrem Virginem eligere voluit, virgineo lacte nutriri voluit, in sinu virgineo recumbere. Sed et discipulum virginem, scilicet Ioannem, familiarius dilexit, et in pectore suo reclinari eum voluit in coena. Item Praecursorem virginem habere voluit, scilicet Ioannem Baptistam. Iuxta quoque crucem Virginem Matrem, et virginem discipulum adstare voluit, sed et in sepulchro quasi virgineo, idest in quo nondum quisquam positus fuerat, locari voluit. Denique a virgine Martha ministerium sibi et hospitium exhibitum plus placuit. Praeterea in coelo supra virgines in comitatu habere vult, « qui eum sequuntur quocumque ierit », Apoc. XV. Sane ergo iudicandum, et credendum est, quod patrem putativum, et nutricium atque ministrum suum et suae Matris Sponsum nonnisi virginem habere voluerit, ut virginum societatem ab instanti conceptionis usque ad tempus suae manifestationis et praedicationis semper habuerit, et inter virgines conversatus fuerit.

2254. Quinta stella est privilegium singularissimae dilectionis, quia inter Mariam et Ioseph fuit amor sanctissimus et singularissimus, et Maria post Filium magis amavit Ioseph, quam alium sanctum; quia fuit Sponsus eius, et ei in omnibus necessitatibus providens. Pie enim creditur, quod Spiritus Sanctus Virginem Mariam et Ioseph sancto amore mutuo univit, et nisi iste amor a Spiritu Sancto inter eos castus, et sanctus processisset, matrimonium eorum contractum non fuisset. Dilexit igitur Virgo Maria Ioseph tanquam Sponsum suum sanctissimum a Deo sibi miraculose datum.

2255. Et secundum Magistrum Ubertinum de Casali, lib. qui intitulatur Arbor vitae Crucifixi Iesu: « credendum est, inquit, quod Beata Virgo, quae in omnibus a Spiritu Sancto agebatur, fuit ab eodem Spiritu Sancto certificata de sanctitate Ioseph, et de divina protectione: ita quod non dubitavit, immo certa fuit, quod Ioseph nunquam vellet eam carnaliter amare, vel concupiscere, sed purissimo amore ex divina dilectione devote sibi servire, et ideo non mirum si plene in Ioseph coniugium consensit, ut verum matrimonium fuerit inter eos nunquam habendo respectum ad carnalem concupiscentiam vel actum ». Unde patet, quia singulari divino amore, et castissimo se mutuo dilexerunt.

2256. Sexta stella dicitur privilegium sanctissimae conversationis. Ista enim est regula generalis, quia cum « sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris » : teste Psalmista. Unde qui malam habent societatem in hoc mundo, male agunt, et econverso, qui bonam bene. Erit enim, quod unus malus malam habet voluntatem, et in societate bonorum si fuerit, unus bonus suis exhortationibus prohibet, et retrahit illum, et econverso. Itaque quum Ioseph habuerit sanctam societatem Mariae de qua Ambrosius: « Virgo fuit sanctior aliis plena Spiritus Sancto. Et propterea quid credis, quod agebat Ioseph, quando videbat Sponsam suam in nocte surgentem ad orationem, et plorantem, ac Deum collaudantem, an non credis, quod ad bene agendum inflammaretur? Arbitror, quod saepe orabat cum orante et cum Virgine pariter benedicebat Deum » :

2257. Considera, quantum erant devota eorum colloquia, et quando Maria loquebatur de Deo, ille stupebat. Item considera, quomodo Beata Virgo omnia secreta mysteria divinae Incarnationis ei pandebat, et pariter conferebant quomodo Christus de ea natus, secundum prophetias deberet in mundo vivere, et pro hominibus pati, et mori. Item considera, quantum stetit cum Maria, quia fere 30. annis. Licet enim de morte Ioseph

Digitized by Google

in Scriptura non reperitur, sed constat quoniam parum ante Baptismum Christi mortuus fuerit. Nam quando Christus disputabat in templo, vivus erat. Tempore autem passionis, non fit mentio de eo. Cum ergo tot annis steterit cum Virgine in sancta conversatione, sequitur utique, quod magni meriti fuit, et magnae sanctitatis.

2258. Septima stella est privilegium meritoriae acquisitionis, auxiliationis: quia ipse meruit in omnibus laboribus, et in omni negotio Virginis Mariae, et Christi auxilium praebere: ut patet, quando Virgo in Bethlehem ad pariendum ascendit, quando in Ægyptum aufugit, et in exitu de Ægypto, atque in quaerendo parvulum Christum perditum, Luc. II. Quis in omnibus his eam sociavit ei, nisi Ioseph, qui cum plorante Virgine ploravit, et cum dolente doluit. Unde Maria ait: « Ego, et pater tuus dolentes quaerebamus te ».

2259. Octava stella permaximae honorationis. Quaere quem volueris post Virginem in terris, cui Christus tantum honorem exhibuit, sicut Ioseph: cui, ut dicitur Luc. II, « erat subditus » descendens in Nazareth. Ista autem subiectio erat, ut volunt doctores, quod illa divinitas aliquando familiariter ministrabat Ioseph, dabatque sibi thobaliam seu manutergium ad tergendum manus, aquam ad lavandum, sedile offerebat ad residendum, nec dubites, quod multa obsequia fecit Deus ipsi, ergo etc.

2260. Nona stella est privilegium praecelsae gratificationis. Nam quis sanctorum tantam gratiam promeruisse cernitur sicut Ioseph, si advertimus rationem electionis, atque rationem meritoriae suae servitutis? Nimirum si pensamus rationem electionis, utique ipse magnam gratiam habere debuit, quia quando aliquem Deus eligit ad tantam gratiam, ut sit sibi tam familiaris, sicut patuit, semper sibi dat maximas gratias, et propterea eligendo ipsum Ioseph ad tantum mysterium, quantas sibi gratias dedit, cogita. Item, si pensamus eius servitutem, quis reperitur, qui tantum servierit Virgini Mariae atque Christo, sicut Ioseph: modo Christus dixit, Ioan. XII: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus ». Quantum ergo putas honoris et gratiae Deus Pater exhibuit pro tanto servitio Ioseph? Item, si Benedicta Virgo est tam gratiosa, quod, qui dicit ad eius reverentiam unum Ave Maria, facit sibi gratiam, quanto magis credis, quid fecerit Ioseph, qui tanto tempore, et in tantis, eidem et Filio servivit?

2261. Decima, est privilegium dulcissimae consolationis. Revera nullus sanctorum habuit, vel habere potuit, tantam consolationem de Christo sicut Ioseph hic in terris, qui vidit omnia, quae Prophetae praedicaverunt de Virgine et de Verbo Incarnato, quem et portavit manibus, ac tetigit, fide sensit, osculatus est, et multoties amplexatus est. Si ergo, « Abraham exultavit, ut videret diem Christi, vidit, et gavisus est », Ioan. VIII., quanto magis Ioseph gavisus est, qui vidit, et tetigit per experientiam. Denique consolationem habuit Petrus, quando vidit faciem, et gloriam Christi in Transfiguratione, adeo ut efficeretur quasi fatuus, nesciens quid diceret. « Domine, inquit, bonum est nos hic esse », Matth. XVII. Consolationem habuit Ioannes, quando dormivit super pectus Iesu. Omnes etiam Apostoli consolabantur, qui manducabant et bibebant cum Verbo vitae. Magna utique dulcedine tenebatur Magdalena, quando iuxta pedes Iesu sedens audiebat verbum illius. Beatus Franciscus, dum semel oraret, apparuit ei Christus quasi crucifixus dicens: « Francisce amice, tolle crucem tuam et sequere me ». Et mox praemaxima dulcedine eius effectus fuit quasi fatuus et spiritu ebrius. Fratri Ruphino apparuit Beata Virgo cum Filio in brachio tenendo, et tantam consolationem habuit frater Ruphinus ex illa visione, quod quasi anima exivit de corpore.

2262. Quid tunc Ioseph habuit consolationis, qui tanto tempore habitavit cum Christo et Virgine Matre, comedit in una mensa, cum eis dulcissima colloquia habuit multoties et quotiescumque voluit. Et, ut pie credo, Christus saepissime osculabatur ipsum Ioseph, sicut solent facere filii parvuli suis patribus. O igitur, Ioseph sanctissime, o quanta fuit consolatio tua, quando Christum natum, quem Filium Dei credidisti, in ulnis tenuisti, quando Angeli cecinerunt « Gloria in excelsis »; et in multis aliis actibus eius felicibus, vere dicere poteras cum Psalmista, « Consolationes tuae, Domine, laetificaverunt animam meam ». O anima mea, quid faceres, si saltem semel osculari a Christo mereris?

2263. Undecima, privilegium angelicae frequentationis et visitationis. Non enim omnibus sanctis donatum est frequenter angelos videre et alloqui. Ioseph autem saepius hanc gratiam promeruit, sicut patet, cum angelus ei apparuit dicens: « Noli timere accipere coniugem tuam », et eum monuit, ut in Ægyptum iret. Item cum post reversum, angelus ei apparuit monens, ut in partes Galileae, scilicet Nazareth, diverteret habitaturus. Pie etiam credo, quod multis aliis vicibus vidit angelos Virginem Benedictam visitantes et consolantes quia, ut dicit Hieronymus, quotidie eam visitabant angeli cibum ei ferentes.

2264. Duodecima stella est privilegium

Digitized by Google

potissimae impetrationis, seu suffragationis. Alii quippe sancti, post Benedictam Virginem, non ita potissime habent, et possunt impetrare nobis suffragia sicut Ioseph Sanctissimus. Ratio, quia alii sancti solum deprecatorie, seu supplicatorie tanquam servi Dei pro suis meritis habent impetrare pro nobis: sed Sanctus Ioseph in coelesti regno quodammodo et auctoritative tanquam pater Christi putativus et nutritius habet impetrare, quia Christus habet eum honorare, iuxta illud: « Honora patrem tuum et matrem », Exod. xx, ex quo habet quodammodo ius praecipere posse Christo, et non tantummodo supplicare sicut alii.

2265. Quisquis ergo ei devote servit, quisquis eius suffragia exposcit, haud dubium quia exaudietur in orationibus apud Christum.Non est fas ei negare quod petit, propter paternum honorem. O igitur anima fidelis, ex his vide, quantae sanctitatis sit iste Ioseph, et quanti meriti coram Deo, ut devotius moveri studeas erga ipsum. O quam dulcis eius societas fuit cum Beata Virgine, ex Christo! O quanta nunc in coelo felicitas eius! O virorum felicissime, et sanctissime Ioseph: rogamus, ora pro nobis una cum tua Sponsa Virgine Benedicta apud Christum, ut nos perducat ad coeleste regnum. Amen.

2266. Hymnus XXI.

Iosephi cum Virgine de Iesu Puero dependito lacrymae.

Iam ferus Herodes fato sublatus, ad undam
Raptus erat Stygiam aeterna cruciandus Erinne,
Et post prima fugae iam septima venerat aestas.
Tempora, iamque pedes Puer exercebat ei ora
Rectius, et formae dulci florebat honore,
Cum divis iterum Galilaea moventibus arva.
Ocius Ægypti laribus petiere relictis.
Nec Bethlehem tetigere domos, nec rura Sionis;
Archelios nam tunc Solyma regnabat in ora
Natorum primi Herodis saevissimus. Illo
Post lustrum expulso, dulci cum Pignore Mater
Longaevusque senex ad primi maxima veris
Orgia, cum typico faciunt solemniter agno
Convenere. Puer subitae sese abdidit umbra
Nubis; ab aspectu Matris sublatus, in alta
Templa sacerdotis inter legisque magistros
Mirantem vario tenuit problemate turbam;
Tres illum gemebunda dies, tres anxia noctes
Agnatos natosque inter, per rura, per urbem,
Cum tremulo consorte pares quaesivit, et auras
Questibus implevit, lacrymisque tepentibus ora
Saepius haec iterans: Magni, mi Nate, Tonantis
Progenies, si terram habitas, te ostende Parenti;
An potes ardorem hunc afflictae spernere mentis;
Si coelos, aeterna Patris si regna petisti,
Me quoque depositis in sidera collige membris.
Vel vivam me tolle, precor; quo veneris aequum
[est
Me quoque, Nate, sequi; tuus est ex sanguine
[sanguis,
Ex membris tua membra meis, ex corpore corpus;
Quod totiens alimenta dedit tibi lactea pectus
Ferre potes tantis curarum molibus angi?
Tertia lux aderat, cum se quaerentibus ultro
Obtulit, et media sese monstravit in aede.
Tunc illum formosa Parens amplexa: Quid, inquit,
Nate, tot in lacrymas tanta in suspiria mittis
Me miseram, tristemque virum? Tum lumina tol-
[lens
In Matrem Genitus dulces se misit in ulnas.

(*Partenice* Baptistae Mantuani, lib. III).

2267. **Memento.** — Verbum illud expendam: « Pater tuus et ego; » in quo Beatae Virginis splendet humilitas, non solum quod priore loco S. Iosephum posuit ob reverentiam erga Sponsum, sed etiam quod palam coram omnibus Christi patrem eum appellavit. Ex quo audientes coniicere poterant, viri illius opera Christum fuisse generatum; quod ad ipsiusmet Virginis etiam pertinebat humiliationem. Sed quae vere humilis erat, pluris Sponsi sui, quam proprium faciebat honorem ideoque honorifico illo titulo eum compellavit, suo hoc exemplo docens nos, proximos honorare etiam cum nostri honoris aliqua imminutione. (Ludov. De Ponte, p. III, Meditat. 30).

XXII. — Sermo Sebastiani Barradas.

VARIA DE S. IOSEPH.

Comment. in Concord. et Hist. Evang. tom. I, lib. VI, cap. 7, 8.

De Desponsatione Virginis.

Venit in templo Virgo Deipara quousque ad aetatem coniugio aptam pervenit, Iosephoque viro sanctissimo tradita est; qua de re Gregorius Nyssenus in Oratione de Nativitate, ex arcana historia sic scribit: « Cum crevisset, et adulta esset, consilium sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuentes in Deum peccarent. Nam subiugare eam legi naturae et addicere quasi servam, si quis eam in matrimonium duceret, res longe absurdissima, minimeque decora videbatur. Sacrilegium enim prorsus existimatur, si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum, ac dedicatum esset, haberet, quoniam legibus sancitum est, ut vir potestatem habeat in uxorem. Ut autem intra templum una cum sacerdotibus mulier versaretur, et in sacris conspiceretur, neque consuetum et usitatum erat, et simul gravitas, et honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, divinitus incidit consilium, ut darent eam quidem viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. Inventus est igitur Ioseph talis, qualem

Digitized by Google

ratio consilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, ac tribu, isque de consilio sacerdotum, sibi puellam despondet. Coniunctio autem non ultra sponsalia progrediebatur ». Haec ille.

2269. Nicephorus similiter lib. I. c. 7 : « Postquam, inquit, adolevit Virgo, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur. Sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in servitutem coniugalis legis redigerent, quae semel Deo dicata esset, e diverso autem puellam eo aetatis flore, in secretiore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam et decorosam esse videbant. Saepe itaque et multum re deliberata, divinitus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsae nomine committerent, cum vero talem esse debere, cui recte virginitatis custodia demandaretur. Porro non alius Ioseph visus est magis idoneus, ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret, eiusdem enim tribus erant, insuper vero, et senio, et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consecutus esset. » Haec Nicephorus.

2270 Germanus item Archiepiscopus Constantinopolitanus: « Mansit, inquit, Virgo in templo usque ad secundam aetatem, tunc autem Dei nutu, et consilio sacerdotum, de ea datur sors, et sorte eligitur Ioseph iustus etc. ». D. Epiphanius, haeresi 68: « Virgo tradebatur Iosepho, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire etc. » Damascenus in oratione prima de dormitione Virginis: « Cum Virgo ad aetatis florem iam perveniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est, virginitatis custodi Iosepho, a sacerdotum choro traditur, qui quidem integram et inviolatam legem, ad senectutem usque, si cum aliis conferatur, servaverat etc ».

2271. Operae etiam pretium erit his ea addere quae scribit auctor libri de Nativitate Virginis iam citati aliquoties: « Pontifex, inquit, publice denunciabat, ut Virgines, quae in templo constituebantur, et aetatis tempus implessent, domum reverterentur, et nuptiis secundum morem gentis, et aetatis maturitatem, operam darent. Cui mandato cum ceterae paruissent, sola Virgo hoc se facere non posse respondit, dicens, se quidem et parentes suos Domini servitio mancipasse et insuper seipsam Domino virginitatem vovisse. Tunc Pontifex praecipit, ut ad festivitatem, quae imminebat, omnes ex Ierosolymis, et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset, omnibus in commune placuit Dominum consulendum, et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit. Nec mora, cunctis audientibus de oraculo, et propitiatorii loco, vox facta est, secundum Isaiae vaticinium requirendum esse cui illa Virgo desponsari et commendari deberet. Secundum ergo Isaiae vaticinium cap. XI: « Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini », cunctos de domo et familia David nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare praedixit et cuiuscumque virgula florem germinasset, et in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbae consedisset ipsum esse, cui Virgo desponsari deberet. Erat autem Ioseph de familia David grandaevus, cunctis vero virgas suas iuxta ordinem deferentibus ipse solus suam subtraxit, unde cum nihil divinae voci consonum apparuisset, Pontifex iterato Deum consulendum putavit. Qui respondit solum illum ex iis, qui designati erant, virgam suam non attulisse, et in cacumine eius columba de coelo veniens consedisset, liquido omnibus putavit, ei Virginem desponsandam fore ». Haec ille: quae non magnum habent auctoritatis pondus.

2272. Quod Nyssenus ex illa occulta historia, et Nicephorus aiunt, sacerdotes Virginem Iosepho tradidisse, ut virginitatem eius servaret, neque ad matrimonii consummationem perveniret, verum esse non videtur. Cum enim postea vidissent sacerdotes Virginem concepisse, tam de illo, quam de Virgine supplicium sumpsissent, nec fuisset satis honori Deiparae cautum, nisi velis dicere sacerdotibus illis mysterium incarnationis a Deo fuisse patefactum, quod non est verisimile. Oporteret praeterea etiam iis patefieri, quibus notum erat Virginem Iosepho in custodiam solum virginitatis traditam. Credendum ergo Virginem Iosepho traditam a sacerdotibus mysterium ignorantibus, tamquam coniugi ad liberos procreandos, quam ob causam nemo illius partum est admiratus, quia ex coniuge, non ex virginitatis custode, cuncti (etsi falso) concepisse arbitrabantur.

2273. Id praeterea, quod aiunt, Virginem cum Iosepho solum sponsalia contraxisse, ita exponendum est, ut sponsalium nomine matrimonium ratum, non consummandum intelligatur; fuit enim verissimum, a Sanctissima Virgine, cum Sanctissimo Iosepho, initum matrimonium. Id docet Matthaeus in fine genealogiae verbis illis: « Iacob genuit Ioseph virum, (idest coniugem) Mariae, ex qua natus est Iesus » etc. Et Angelus

Digitized by Google

Matth. 1: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam » et Luc. cap. 11: « Ascendit Ioseph cum Maria desponsata sibi uxore praegnante ». Unde Augustinus lib. 2 de consensu Evangelistarum. cap. 1: « Exemplo, inquit, Virginis et Iosephi insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non commixto corporis, sexu », et lib. 1 de nuptiis et concupiscentia, 12: « Cur non coniuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph et Maria qui concumbere nec coeperunt? » et cap. 11: « Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum, fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum divortium » etc. Ne tamen existimes fuisse hoc matrimonium sacramentum nondum enim, illo tempore, coniugium sacramenti habebat rationem.

2274. Sunt aliqui Patres, qui in contrariam opinionem ivisse videri possunt. Bernardus homilia secunda super Missus: « Virum, inquit, nominat Evangelista Iosephum, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Eodem loco, nec vir matris, nec filii pater Ioseph extitit, quamvis utrumque ad tempus, et appellatus sit et putatus. D. Cyrillus Ierosolymitanus Archiepiscopus, catechesi 12 in illa verba Lucae, cap. 11: « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore ». Non dixit, inquit, cum uxore sua, sed desponsata sibi », et paulo superius: « Maria propter solam desponsationem, uxor Iosephi vocabatur ». Divus Hieronymus in libro adversus Helvidium: « Ioseph Mariae custos potius fuit, quam maritus », et Matthaei 2. in illa verba: « Ioseph accepit puerum et matrem eius ». « Non dixit, accepit filium suum et uxorem suam, sed puerum et matrem eius, quasi nutritius, non maritus ». Quod si obiicias, Virginem dici ab Evangelistis uxorem Ioseph, respondet in lib. contra Helvidium, ac probat, hanc esse Scripturae consuetudinem, ut sponsas appellet uxores.

2275. Hilarius Matth. primo: « Quotiescumque de utroque, idest, Virgine et Iosepho sit sermo, Mater potius Christi Virgo, quia id erat, non uxor Ioseph est nuncupata, quia non erat » etc. Cyprianus de passione Domini: « Obsequium Virginis virgini discipulo tradis Domine, ut iam non Ioseph tanti mysterii honoretur praepositura, sed Ioannes, quia iam exigebat ratio, ut coniugii removeretur opinio, nec ultra pater Christi aestimaretur, qui eatenus vicem patris et coniugis tenuerat ». Ambrosius de institutione Virginis, c. 6: « Desponsata viro Virgo coniugis nomen accepit, cum enim initiatur coniugium, tunc coniugii nomen adsciscitur », etc.

2276. Haec Patrum verba interpretanda eo fere modo sunt, quo Nyssenum et Nicephorum sumus iam interpretati, de coniugio consummato; id enim solum contendunt, et volunt Patres, Deiparam Virginem, virginitatem servasse perpetuam, neque unquam ad matrimonii consummationem pervenisse. Non erat igitur Ioseph maritus, ut Bernardus ait et Hieronymus, non erat uxor Virgo, ut ait Hilarius et Cyrillus, consummato matrimonio. Erat tamen Ioseph maritus, Virgo uxor matrimonio rato.

2277. « Cum enim initiatur coniugium, (ut dixit Ambrosius lib. de institutione Virginis cap. 6) tunc coniugii nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur ». Haec Ambrosius.

2278. Significatum nomine desponsationis matrimonium, quod Theologi ratum vocant, indicat idem Ambrosius Epistola septuagesima nona: « Testis inquit, est Christus materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine, thori iura cognoverit » etc. Augustinus lib. 1 de nuptiis et concupiscentia cap. 11: « Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commistio » etc.

2279. Oppones Bernardi illa verba de homil. secunda super Missus: « Mirum, inquit, cur desponsata fuerit, non nuptura » et illa Magni Gregorii, homilia vigesima sexta in Evangelia: « Dominus Mariam habere sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit » etc. Et illa Augustini sermone 13 de Natali Domini: « Concepit virgo, antequam sponsum haberet, parit antequam nubat ». Et illa Divi Epiphanii, haeresi 18. « Desponsata, inquit, et non nupta ». Aperte affirmant hi Patres, Virginem non nupsisse Iosepho, atque adeo non fuisse eius coniugem. Respondemus nuptias sumi ab iis Patribus pro consummatione matrimonii ideoque dixisse recte Gregorium, Ioseph non pervenisse ad nuptias, id est, matrimonii consummationem et Bernardum Virginem non fuisse nupturam, id est, ad consummationem matrimonii perventuram. Eodem modo Augustinum et Epiphanium explicabis.

2280. Urgebis, Virgo ab ineunte vita, virginitatem quae matrimonio repugnat, voto illustravit, ergo matrimonium non iniit. Re-

Digitized by Google

spondemus paucis, Virginem ex divina revelatione, sine ulla virginitatis votique iniuria, matrimonium contraxisse, propterea quod sciret se viro tradi, cui perpetuam quoque colere virginitatem erat in animo. Cap. Beata Maria 27. q. 2 dicitur in carnalem copulam consensisse his verbis: « Committens Deo Virginitatem suam, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo ». Consensisse autem intellige in carnalem copulam, non explicato consensu, sed implicito in radice, quia matrimonio consensum praebuit, quod huiusmodi copulae radix est.

2281. Admirandi huius coniugii, multae a Patribus causae redduntur, prima per seipsa patens, Virginis et Christi honor fuit, si enim extra coniugii thorum virgo peperisset et Christus natus fuisset, labem uterque nominis non nimiam incurrisset. Unde Ambrosius initio lib. 2. in Lucam: « Desponsata, inquit, virgo, ne temeratae virginitatis adureretur infamia cui gravis alvus, corruptelae videretur insigne praeferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginis et lubricam famam pudoris, servatur itaque Sanctae Mariae, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas. Oportet enim Sanctos, et ab iis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus, velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur ». Haec Ambrosius; et Bernardus homilia 2 super Missus: « Tolerabilius, inquit, fuit atque honestius, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione » etc.

2282. Secunda ratio redditur a Divo Basilio, voluisse, ait, Christum ex Virgine virum habente nasci, ut virginitas maxime probaretur, coniugium vero non improbaretur, homilia 25 de Christi generatione: « Et Virgo, inquit, erat, et viro desponsata, et apta coniugali officio obeundo putata, ut virginitas in honore ante omnia haberetur, et matrimonium non propterea improbaretur » etc.

2283. Tertia causa est eiusdem Basilii eadem homilia: « Simul, inquit, ut et Ioseph domesticus puritatis Mariae testis esset »; et Bernardus homil. 2 super Missus: « A sponso, inquit, virginitas comprobatur, et Virginis famae providetur ». Item: « Dicam quod mihi, imo quod ante me Patribus visum fuit, illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Sicut Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est resurrectionis consessor, ita Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conservationem studiosus comprobando factus est pudicitiae fidelissimus testis ». Haec Bernardus.

2284. Quarta causa est Hieronymi Matth. 1. Teophylacti, et Origenis, ut in Ægyptum fugiens haberet Virgo comitem et solatium.

2285. Martyr Ignatius (teste Hieronymo) quintam adiungit, ut partus diabolo celaretur, dum Christum putat non de Virgine, sed de uxore generatum. Hanc rationem non probat Abulensis, quaest. 31 in primum c. Matthaei, Scotus quoque in 5 dist. 30, quaest. 2. Illam tamen amplectuntur Basilius in homil. de Christi generatione, Origenes homil. 6 in Lucam, Theophylactus Matth. 1, Ambrosius lib. 2 in Lucam, Hieronymus Matthaei primo, Damascenus libro quarto fidei, cap. 15, Rupertus, de victoria Verbi lib. 11. cap. 19, Bernardus homilia 3 super Missus et homil. 4 in vigilia Nativitatis. Damascenus vero existimat diabolum fuisse virginum observatorem, quia sciebat ab Isaia praedictum, Messiam ex virgine nasciturum; et Theophylactus: « Diabolus, inquit cum audisset, quod virgo uterum gereret, observavit virgines: ut igitur deceptor decipiatur, desponsat Virginem » etc. Chrysostomus, in Oratione de Annunciatione: « Diabolus, ait, singulas virgines observabat ». Obiicit Abulensis, diabolo facile esse Virginem a corrupta discernere, atque adeo Deiparae virginitatem facile cognoscere potuisse, etsi in matrimonio esset collocata. At responderi potest, singulari Dei voluntate factum, ut Deiparae virginitatem nec adverteret, nec cognosceret. Urget Scotus et ait potuisse quoque daemonem impediri. ne Virginitatem Deiparae exploraret, quamvis coniugio minime alligata pareret, non igitur hanc fuisse causam coniugii. Respondetur, non decuisse Deiparam extra coniugium filium procreare. Praecipua igitur causa coniugii, honor Virginis fuit, accessit, ut eo velo mysterium tantum, ne daemoni esset exploratum, tegeretur. Rupertus lib. 11 de victoria Verbi. capite 19: Desponsatio, inquit, Virginis diabolum fefellit et cunctos satellites eius, ut nescirent sacramentum, cuius sciendi nondum erat tempus » etc. Lege D. Thomam tertia parte, quaestione vigesima nona, art. 1.

2286. Dubium est, quanam aetate Virgo in matrimonium fuerit collocata? Respondeo ex Nicephoro libro secundo, capite tertio, Virginem cum tertium annum ageret, in templo praesentatam, in templo undecim annos mansisse, anno autem aetatis decimoquarto Iosepho traditam, apud eum cum menses quatuor traduxisset, de incarnatione laetissimum a Gabriele nuncium accepisse. Divus item Bonaventura cap. 3 in meditationibus, Virginem ait desponsatam Iosepho anno aetatis 14. Eiusdem fere sententiae est Lucidus lib. 2 cap. 1 et alii; unde Carthusianus in lib. de laudibus Virginis: « Dixe-

Digitized by Google

runt, inquit, quamplures etiam eruditi quod Virgo circa quintum decimum aetatis annum concepit, et decimo quinto completo Christum peperit ». Item vulgatior via prodit, Virginem iam 14 annum aetatis complevisse et 15 intrasse, sic quod in Domini nativitate, 15 annum implevit etc.

2287. Abulensis Matth. II quaest. 91, quosdam ait opinari Virginem quatuordecim annis ante nativitatem Christi in lucem editam, ipse vero cum aliis censet, sexdecimos egisse annos, cum Christus natus est, ortamque quartodecimo Herodis anno. Anno, inquit, sexto decimo regni Herodis Virgo nata est in Nazareth, ut asserunt, vel in Sephoro, quod est oppidum distans a Nazareth per tres leucas ad aquilonem, nam de hoc loco asserunt fuisse Ioachim, alii Divam Annam ibi ortam dicunt. Fuit autem hoc ante Christi maternitatem per annos quatuordecim ut quidam volunt, et sic fuit anno decimo sexto regni Herodis. Alii autem volunt Virginem fuisse 16 annorum, quando Christus natus est, quod verisimilius est, et tunc dicetur eam fuisse anno 14 Herodis regni et ab orbe condito annis tribus millibus nonagentis et 47 ». Haec Abulensis.

2288. Albertus Magnus maiorem aetatem ei tribuit; sic enim argumentatur: « Corpus perfectissimum secundum statum, non est ante statum viginti quinque annorum, ergo corpus Beatissimae Virginis debuit esse, ut minimum, viginti quinque annorum, dum Christum concepit. Itaque supponendo, quod in Beatissima Virgine, fuit omnis congruentia, tam ex parte naturae, quam ex parte gratiae, ad hoc ut mater Dei fieret, credimus, quod Deum concepit tali aetate, qua perfecta fuit statu corporis, et quantitate, et quod circa eandem quantitatem aetatis fuerit desponsata, tanto temporis spatio dempto, quanto sponsalia matrimonium solent praecedere, duorum videlicet mensium ». Haec Albertus, quae verba recitat Carthusianus in lib. de laudibus Virginis art. 17.

2289. Huic sententiae subscribit Cardinalis Caietanus, Luc. primo, ad illa verba: « Desponsata Ioseph », etc. Aetas, inquit, nubilis exigit saltem completum motum augmenti, quia naturalis ordo habet, ut prius perficiatur persona, quam detur opera ad conservandam speciem, et dico saltem; quia ratio suadet, quod natura exigit plus aetatis, videlicet, usque quo firmata sint ossa, ad quod quartum septennium dicitur requiri in viris. Quocirca certum est Beatam Virginem fuisse tunc ad minus annorum decem et novem, et hoc, si mulieris tertio senario annorum completur augmentum, et rationabile est, ut fuerit tunc annorum viginti quatuor, perfecta etiam secundum ossa mulier, perfecta mater perfectum filium gigneret ». Hactenus Cardinalis.

2290. Verumtamen non tot annos expectasse videntur sacerdotes, ut nuptui traderent Virginem, satisque fuit quatuordecim, vel quindecim annorum aetas summo incarnationis mysterio peragendo, ut alii opinantur. Ideoque Carthusianus, postquam Alberti verba recitavit, haec adiunxit: « Alberti non obstantibus dictis verius puto, quod Virgo dignissima, circa decimum quintum annum conceperit ». Damascenus annos Virginis non numerat, oratione prima, de dormitione Virginis, tantum ait traditam Iosepho, cum ad aetatis florem pervenisset; Nyssenus, cum crevisset et adulta esset.

2291. De aetate Virginis dictum, de Iosephi quoque aetate dicendum. Senem coniugium iniisse, sententia est antiquorum. Unde auctor ille libri de Nativitate Virginis. « Erat, ait Ioseph de familia David grandaevus ». Damascenus in oratione I de dormitione Virg. « Ioseph inviolatam legem ad senectutem usque servaverat ». Nicephorus libro I, cap. 7: « Ioseph senio, et honestate morum, iam pridem bonae fidei existimationem consecutus erat ». Divus Epiphanius haeresi 78: « Ioseph accepit Mariam agens annum fortassis octogesimum et ultra », etc. Item senex octogesimum annum supergressus, non accipit Virginem in usum, sed magis dispositus est ipsi in custodiam etc.

2292. Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson, in sermone de Nativitate Virginis, consideratione tertia, existimat Ioseph natum fuisse annos quinquaginta, a quo tempore senectus incipit. Abulensis Matthaei I, quaest. 32, ait aetatis fuisse, quae ad generationem apta iudicari posset. Num. trigesimo, quaest. trigesima prima. « Dicendum, inquit, quod quamvis Ioseph esset aliqualiter senex, tamen adhuc erat potens ad gignendum, et manifeste apparebat omnibus ex habitudine corporis » etc.

2293. Viguerius iuvenem fuisse censet in suis Institutionibus cap. 20 § 9. « Virgo, inquit, non evasisset notam infamiae, si vir eius fuisset senex, et decrepitus, prout olim nondum revelata veritate pingebatur nec fuisset virgini solatio, aut adiutorio, sed taedio Quod autem esset iuvenis apparet ex eo, quod habetur Isaiae LXII. Laetabitur sponsus super sponsam et habitabit iuvenis cum Virgine, hoc est, Ioseph cum Maria ». Haec Viguerius Maior, Matthaei I, triginta annorum aetatem, vel ampliorem illi tribuit; Lyranus in eadem opinione fuisse videtur, siquidem Isaiae LXII illa verba: « Habitabit iuvenis cum virgine », sic explicat: « Habitabit caste, et sancte, ut Ioseph et Ioannes cum

Digitized by Google

Maria, Valerianus cum Caecilia, et Chrysantus cum Daria » etc.

2294. Ekius in serm. de Iosepho, in antiquam sententiam magis propendet : « In hac, inquit, re non lubet ad alterutram patrem declinare, ubi nullum nobis constat scripturae pro quacumque parte testimonium. Eo maxime quod a recepta, et diu persuasa opinione temere discedendum non est, facilius igitur pateret, antiquori sententiae auctoritatem suam, fidemque manere ». Haec ille.

2295. Crediderim Ioseph non fuisse senem, sed aetatis perfectae virum, generandis liberis iuvandaeque Virgini, et fabrilis artis labori aptum. Alioqui nec Virginis famae satis consultum esset, si generationi esset propter senectutem ineptus, neque eius obsequium et ars utilis esset, si iam aetate esset confectus. Epiphanius senem fuisse dicit, quia uxorem alteram habuisse credidit, nec fuisse perpetuo Virginem, quod falsum est, ut infra ostendemus. « Quomodo (inquit ille) poterat tantus senex, Virginem habere uxorem, cum esset viduus a prima uxore, per tot annos ? » etc. Ceteri quoque qui Iosephum senem dicunt, idem videntur existimasse.

2296. Admirandum quidem fuit inter Deiparam Virginem Iosephumque coniugium, cui reliqua omnia coniugia cedere debeant. Fuit in primis coniugium hoc, maximi mysterii, id est incarnationis, veluti tegumentum. Quemadmodum enim ante Sancta Sanctorum olim, Exod. vigesimo sexto, velum ex hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et a bysso retorta, opere plumario, et pulchra varietate contextum, Deus iussit operandi, ita ante sanctissima illa incarnationis mysteria, sacrum coniugium veluti velum, ex omnium virtutum varietate, Spiritus Sancti opere compositum, voluit collocari. Magnum fuit coniugium. Primo, quia inter magnos coniuges, quo maiores sunt coniuges, eo maius est coniugium, inter nobiles magnum, inter duces maius, inter regem reginamque maximum. Hoc coniugium inter Virginem Deiparam, quae Seraphinis ipsis nobilior erat, et Iosephum virum praestantissimum contractum est, maximum igitur fuit. Secundo, quia coniugii dos fuit maxima. Etenim non terrenas opes, non aurum, gemmas, pecuniaeve magnam vim, sed sanctitatis ingentes divitias Virgo attulit. Tertio, quia maxima bona coniugii continuit, ut Augustinus ait, libro primo de nuptiis et concupiscentia, cap. 11: « Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum : fidem quia nullum adulterium ; sacramentum, quia nullum divortium » etc.

2297. Nuptiarum illarum bonum fuit infinitum bonum, proles nimirum illa infinita Christus, quod igitur coniugium cum hoc conferri poterit ? Quamvis enim Christus Iosephi filius non fuerit, tamen Virginis, quae coniux illius erat, filius fuit : Iosephi quoque filius hominum existimatione est habitus. Fuit etiam bonum fides, qua nulla maior, et sacramentum, quia sola mors coniugium dissolvit.

2298. Quarto. Magnum fuit coniugium quia virginitate floruit. Unaquaeque arbor peculiarem profert fructum, nec pyrus ficus, nec ficus pyra umquam tulit nec coniugium virginitatem, nec virginitas liberos solet procreare, at magnum hoc coniugium virginitatem illibatam, virginitas vero in eo illibata, filium admirandum produxit. Quinto, magnum fuit, quia ab omni mundi sollicitudine alienum. Longe ab hoc coniugio illud Paul. 1 Corinth. 7. « Quae nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro, et qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori ». Nec cogitavit umquam Virgo, quae sunt mundi, nec Ioseph quae sunt mundi, sollicitus fuit, quamvis et Virgo viro suo, et Iosephus sponsae suae maxime voluerit placere. Non aurum, non margaritae, non serica vestes, non vitrea pulchritudo, sed virtus, eximiaque sanctimonia complacentiae, causa esse poterat. « Si amorem strinxeris, Nazianzenus Gregorius orat. 31, totaque Deo coniuncta fueris, sursum tendes, numquam humi prolaberis, nec difflues » etc. Amorem strinxit virgo, strinxit et Ioseph, cum Deo solo coniuncti, strictissimo modo constringebantur. Quamobrem sursum tendebant semper neque humi in terrenas inutilesque curas prolabebantur. Sexto, magnum fuit illud coniugii vinculum aureum, quia duobus virginitatis votis, veluti quibusdam fulgentissimis pyropis fuit exornatum. Etenim Virgo, et Ioseph virginitatis votum nuncuparunt. Ut ad ardentem rubum accedens Moyses calceos exuit, Exod. tertio: « Ne appropies, inquit Angelus, huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est ». Eundem in modum, ut ad Virginis domum, et consortium cuius rubus ardens typus fuit, accederet Ioseph, omnem carnalem cogitationem velut calceos per votum abiecit, terra enim illa, domus illa Virginis, sancta erat, ne umbram quidem carnis ferre poterat. Sed postulat locus hic, ut de Iosephi virtute plura verba faciamus, quae cum fuerit eximia, tamen a multis suo pondere non penditur.

De Iosepho Sponso Deiparae.

2299. Quemadmodum ut Virginis dignitatem agnoscamus, admirabilem Matris Dei

Digitized by Google

titulum expendere necesse est, ita ut Iosephi virtutem intelligamus, praecellentes eius titulos considerare oportet. Ex titulis enim a Deo datis firmoque fundamento stabilitis, veluti principiis, sanctorum magnitudo, et virtus veluti conclusiones derivatur. Tanto melior Angelis effectus, ait de Christo Paulus ad Hebraeos primo, quanto differentius prae illi nomen et titulum habet. Nec enim Deus inanes titulos, et rebus vacua nomina donat; si titulum dat, largitur ea quoque quae titulus datus flagitat. Secundae Corinthiorum tertio: « Idoneos, inquit Paulus, nos fecit ministros novi testamenti ». « Ministros fecit»:ecce titulum, «idoneos», quia necessaria praestat ». Deus enim, ait Divus Thomas eodem capite, cuilibet rei dat ea, per quae possit consequi perfectionem suae naturae, unde quia Deus instituit ministros novi testamenti, dedit eis idoneitatem, ad hoc officium exercendum », etc.

2300. Sunt autem Iosephi duo praestantissimi tituli; etenim coniux Deiparae Virginis et pater fuit Christi, hominum opinione. Quid praestantius toto terrarum orbe reperiri potest, quam coniugem esse Deiparae Virginis? Si laudatur maxime Ioannes, quod Virginem a Christo sibi commendatam in sua acceperit, quibus laudibus afficiendus erit Ioseph, qui Virginem non in sua solum, verum in suam etiam coniugem accepit, qui cum ea multos annos vixit, cum ea habitavit, cum ea familiarissime, ut cum sponsa versatus est? Sane quemadmodum aureus torques, sive aurea catena, summi pretii gemmis exornata, colloque appensa plurimum homini splendoris addit; ita coniugium hoc, quod vinculo, et aureae catenae omnibus gemmis fulgenti simile est, indicibilem Iosepho dignitatem affert. Quamobrem Cancellarius Parisiensis Ioannis Gerson in sermone de nativitate Virginis: « O miranda, inquit, prorsus Ioseph sublimitas tua, o dignitas incomparabilis; ut Mater Dei, Regina coeli, Domina mundi, appellare te Dominum, non indignum putaverit » etc.

2301. « Non est bonum hominem esse solum, ait Deus, (Gen. II), faciamus ei adiutorium simile sibi ». Eumdem in modum dixisse videtur: Non est bonum Virginem Matrem Filii mei esse solam, ne partu pudicitiam violasse videatur, ne ignominiae nota magna afficiatur, faciamus ei adiutorium simile sibi. Quodnam igitur fuit hoc adiutorium Virgini Sanctissimae simile? Sanctissimus Ioseph, unde D. Bernardinus t. 3, in sermone de Sancto Iosepho: « Quomodo, ait, cogitare potest mens discreta, quod Spiritus S. tanta unione (coniugii scilicet) uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione », etc. Videlicet, ut esset adiutorium simile Virgini. Et Bernardus, homil. 2, super Missus: « Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris, fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem fidelissimum ».

2302. Itaque si roges, qualisnam vir fuerit Ioseph? paucis respondeo: fuit adiutorium simile Virgini Deiparae. Gregorius Nazianzenus, oratione undecima de laudibus Gorgoniae sororis suae, cum indicare vellet qualis vir fuisset Gorgoniae coniux, uno illum verbo descripsit, virum Gorgoniae fuisse dicens: « Vultis, inquit, uno verbo virum describam? vir illius, id est Gorgoniae, nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit ». Idem meliori iure nos in Iosephum transferre possumus: Vultis uno verbo Iosephum describamus? Vir erat, et coniux Deiparae Virginis. Eadem Gorgonia dimidia ex parte se baptizatam putabat, quod eius maritus nondum esset baptizatus, maritus enim dimidia veluti pars est uxoris: « Porro (inquit Nazianzenus) cum unum hoc ad omnia accedere cuperet, ut maritus quoque perficeretur; ut sic toto corpore consecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueretur, hoc quoque precibus impetravit » etc. Similem in modum Deipara Virgo, quamvis ipsa esset perfectissima, imperfectam se poterat existimare, si dimidia ipsius pars, id est coniux Ioseph imperfectus esset. Quamobrem perfectionem summam credibile est, suis precibus illi impetrasse. Quod D. Bernardinus docet serm. citato: « Cum Virgo, inquit, tot et tanta impetret peccatoribus sceleratis, quanta putas charismata Iosepho Sponso? » etc.

2303. Multum precibus Virgo, multum etiam coniugali familiaritate, verbisque suis Iosepho profuit. « Si enim nos miseri, ait Bernardinus, ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus, quantum existimandum est Iosephum cum Sacra Virgine profecisse? » « Haec est, (ait Bernardus, in serm. 1 de Assumptione) cuius salutationis vox, et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli, necdum nati, anima liquefacta est ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit coelestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata eius praesentia frui meruerunt? » Haec Bernardus; quae nos in nostrum Iosephum, merito traducemus. Si

Digitized by Google

parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit Iosephi exultatio, et in virtutibus progressio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata eius non solum praesentia, sed etiam coniugali familiaritate, et amicitia frui meruit?

2304. Quis enim neget coniugalem Virginis erga Iosephum familiaritatem, amicitiam fuisse maximam? « Quia noverat Virgo, ait D. Bernardinus, quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, et sciebat Iosephum sibi a Spiritu Sancto datum in Sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem, et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine, divinissimam prolem Dei, ideo credo, quod totius ex cordis affectu, eum sincerissime diligebat. Amplius, cum omnia quae sunt uxoris, sint viri, credo quod Beatissima Virgo, totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat. « Haec Bernardin. Quid excellentius hoc Virginis amore erga sanctissimum virum, quid praeclarius hac tanta familiaritate reperiri potest? Nulla in orbe pura creatura fuit, quam maiori quam coniugem suum amore, Virgo prosequeretur: nulla fuit qua familiarius, quam illo uteretur.

2305. « O coniugium verum, et sanctum, ait Rupertus (Matth. I). Coniugium coeleste, non terrenum, unus spiritus et una fides erat in eis, sola illic carnis corruptio desivit ». etc. Congruit potius huic, illud quod de suorum parentum coniugio, Nazianzenus oratione decimanona dixit: « Sic existimo, siquis ab ultimis terrarum finibus, atque ex universo hominum genere, praestantissimum coniugium consiliare studuisset, nullum umquam hoc praestantius, aptiusque reperiri potuisse ». Haec ille.

2306. « Mulieris bonae, ait Ecclesiasticus Proverb. XXVI, beatus vir ». Si beatus vir est mulieris bonae, o terque, quaterque et millies Beatum Iosephum Virginis virum, quae cunctos homines, Seraphinosque bonitate superat. Si prudens uxor Dei donum es, ut docet Salomon Proverb. XIX, « a Domino, inquit, uxor prudens », quam eximium Dei donum Iosepho datum Virgo fuit, usque ad miraculum prudentissima? « Pars bona, ait Eccl. XXVI, mulier bona, in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis » etc. Si pro factis bonis bona datur mulier a Deo, eximia sane fuere facta Iosephi, pro quibus eximia illi Virgo data est, de qua illud merito dicere potuit, quod de sapientia dixit sapiens, Sap. VIII. « Intrans in domum meam conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam, et gaudium » etc.

2307. Magnus igitur titulus, scilicet, coniux Virginis, magnum virum fuisse Ioseph ostendit. Idem indicat alter quoque titulus, scilicet, Pater Christi, etsi non generatione, sed hominum opinione fuerit. Praeclarus existimatur Evangelistae Ioannis titulus omnium ore celebratus, Christi ore pronunciatus; Ioann. XIX. « Ecce filius tuus ». Cur non etiam omnium ore celebretur titulus Ioseph Virginis ore prolatus, Luc. II. Ecce pater tuus? « Ecce, inquit, pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te ». Quid maius est filium esse Virginis, an coniugem esse Virginis? Quid mirabilius est filium dici Virginis Deiparae, an Patrem Christi Optimi Maximi? Miratur Elisabeth et exclamat, Luc. I. « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » O quoties Ioseph similem in modum in admirationem magnam raptus exclamavit: nde hoc mihi, ut Mater Domini mei, et Dominus ipse meus, in domo mea versentur? Unde hoc mihi ut Matris Domini mei coniux sim? Unde hoc mihi, ut Dei mei pater appellet? Unde hoc mihi, ut Deus mihi obediat? Mirabile quidem fuit solem in coelo stare, Iosue X: « Obediente Domino voci hominis », sed multo fuit mirabilius iustitiae Solem, in terras retrogredi, ac descendere, incarnatumque Deum voci Iosephi veluti patris obedire. « Erat enim subditus illis » Luc. II. « Haec subiectio, ait Gerson, sicut inaestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho, et Maria » etc.

2308. Vidit Iacob Deum in coelo, scalae supremo gradui innixum, Gen. XXVIII. Nos eumdem videmus in terris, Iosepho, qui supremus est Genealogiae Matthaei gradus, incumbentem. « Supremus, ait Rupertus, Matth. I. Scalae gradus, cui Dominus innixus est, Beatus Ioseph est, innixus illi est tamquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo, sine patre natus est, ita innixus est Beato Iosepho, ut esset infantulo pater optimus, ut eius solatio paterno, puer cum Virgine sustentaretur ». Haec ille. Nonne Deus Iosepho innitebatur, cum Iosephi brachiis Christus saepe ferebatur, cumque in gremio Iosephi saepe somnum capiebat? Semel « Simeon Christum in ulnas suas accepit », Luc. II, miroque exhilaratus gaudio praeclarum canticum Deo cecinit, at Iosephus non semel sed saepissime eumdem optatissimum Messiam brachiis tulit, et amplexatus est. Quae ergo cantica, quas gratiarum actiones, quas Deo laudes, si non ore, saltem corde illum cecinisse credendum est? Recubuit caput Ioannis super pectus Christi semel, recubuit pectus et caput Christi, imo totus Christus, super Iosephum saepe. O levissimum onus! O dulce pondus, vere onus

Digitized by Google

tuum leve est Domine Iesu, quis nolit sic onerari? O onus aureum, onus omnibus margaritis levius. Leva tua sub capite Iosephi, et dextera tua amplexabatur eum.

2309. Optabat sponsa, Cant. VIII: « Quis mihi de te fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat ». Invenit felix Ioseph sponsae desideria, invenit aeternum Dei Verbum foris, in mundo hoc incarnatum, amplexatus est, et deosculatus. Quis ergo eum despiciat? imo quis non maximi faciat? quis illius virtutes non aequet coelo? Ille primus post Virginem, coelestem sponsum e thalamo prodeuntem, in praesepio Bethlehemitico vidit, primus adoravit, primus coelestis mannae e coelo venientis dulcedinem degustavit, primus post longissimam noctem Solem Orientem vidit, primitiasque nati Christi cum Virgine tulit. Natum vero infantem postea, ut filium enutrivit, ut Deum coluit et ardenter amavit, non enim potest quisquam ignem sinu gerere, quin ardeat, iuxta illud Proverb. VI: « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? » Cum igitur Ioseph, sinu suo ignem, id est, Christum, tulerit, quis inficiabitur vehementer exarsisse, et vehementer amasse?

2310. Splendidam reddidit Moysis faciem consortium sermonis, iuxta illud Exod. XXXIV. « Ignorabat quod cornuta esset, id est splendida, facies sua, ex consortio sermonis Domini ». Faciem Moysis, consortium sermonis Domini non multorum mensium radiis fulgoris incendit, pectus Iosephi consortium non sermonis solum, verum etiam convictus Dei multorum annorum, radiis amoris mirum in modum inflammavit. O beatos oculos qui Christum toties viderunt, siquidem « beati oculi, ait Christus, qui vident quae vos videtis » Luc. X. O beatas manus, quae Christum toties tetigerunt, nec umquam illo ad Magdalenam dicto prohibitae sunt, « Noli me tangere »; O beata brachia, quae Deum toties portaverunt; O beatam domum, in qua beatissima illa Trinitas habitabat, Christus Maria, Ioseph, sic vocat Parisiensis Cancellarius. « Cuperem, inquit, ut mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum mysterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem, Iesus, Mariae, et Iosephi » etc. O quam dilecta Trinitati, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, domus illius Trinitas, Christus, Maria, Ioseph. Nihil carius, nihil melius, nihil in terris erat excellentius. Invidebat terris tales habitatores coelum, coelo digniores, quam terris.

2311. Vere hortus erat amoenissimus, sed hominum oculis conclusus domus illa, in qua coelestis ille Agnus, inter lilia pascebatur simul ac pascebat, Cant. II. Inter lilia, inquam, id est, Virginem, et Iosephum, ut Rupertus interpretatur. Vere, ait ambo lilia, Virgo, et Ioseph pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima. Pascebatur corporeo cibo, pascebat Virginem, et Iosephum, coelestibus epulis. Quid hortum dixi? coelum erat domuncula illa, in coelo habitat Deus, in domuncula quoque illa habitabat. Coelum a celando dictum, eximias opes, beatorumque gloriam celat domuncula illa, infinitam maiestatem, summum Virginis splendorem summumque Iosephi honorem celabat, rectum illum instar coeli, quod tetigit omnia, summum Incarnationis mysterium regebat. Cui hominum in mentem veniret poterat, Deum, Deum inquam incarnatum, in domo illa habitare, coniuges illos virginitatem colere, Virginem Dei Matrem esse, Iosephum Christi non patrem sed nutritorem? Videlicet, coelum erat domus illa admirandum mysterium celans: nigra erat foris, sed formosa intus; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, Cant. I.

2312. Denique benedictio illa Iosephi filii Iacob, nostro Iosepho cum nomine congruit, Genes. XLIX. « Filius, inquit, accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu ». Hebraice non est verbum «Iasaph» id est, « addidit » a quo deducitur nomen Ioseph, id est, « addens », sed est verbum « Parah » id est, «fructificavit». Verti etiam potest ex Hebraeo « filius fructifer Ioseph, filius fructifer, vel crescens iuxta fontem, vel iuxta oculum ». Pagninus vertit, « ut ramus crescens Ioseph, ut ramus fructificans iuxta fontem » etc. Nonne infans ille, quem Ioseph amplexabatur, cuius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, virtutibus crescebat, omnium bonorum fons erat uberrimus? Quam bene ergo iuxta fontem crevisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum; iuxta oculos enim Christi versabatur, quem in oculis ferebat. O felicem arborem, tali irrigatam fonte ad maximum incrementum pervenisse quis non putet? « Filius equidem accrescens Ioseph » noster, filius accrescens, plusquam alter Ioseph filius Iacob.

2313. Iosepho illi data est (ut ait Bern. homil. 2, super Missus) intelligentia in mysteriis somniorum, nostro datum est conscium fieri coelestium sacramentorum; ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo, hic panem vivum, e coelo servandum accepit, tam sibi quam toti mundo. Illi subditi fuere Ægyptii, huic subditi fuere Deus incarnatus, eiusque admirabilis Mater, illum honore affecit Pharao, hunc multo maiori honore affecit Deus, illi dedit Pharao uxorem filiam Putipharis sacerdotis, huic dedit Deus coniugem Matrem suam, illius castimonia ma-

Digitized by Google

gna fuit, quod adulterium fugerit, huius multo maior, quod virginitatem servarit; ille dictus est Salvator mundi, quod ab Ægypto famem depulerit, hic Pater Domini veri totius mundi salvatoris est appellatus, quod Matris Domini coniux fuerit. Ille Ægyptum a fame, hic Christum ab Herode liberavit, ille longe a Domini ortu abfuit, hic cum Domino, et Matre eius habitavit. Uterque virtutem habuit suo congruentem muneri, sed hic tanto maiorem quanto maiori munere functus est. Filius igitur accrescens Ioseph noster, super Ioseph filium Iacob filius accrescens, et decorus aspectu.

2314. Erat enim Ioseph, ut credibile est, aspectu venerando; et si Gersonis coniectura aliquid haberet momenti, Christo similis. ut eius filius videri posset, sic enim in fine Iosephinae cecinit:

Personas inter similes est nexus amoris;
De Ioseph et ratio suadet, sua quod facialis
Forma, Iesu formae similis reputanda fuisse est.
Si non: quo pacto pater eius creditus esset?
Qualiter omnimodo matris salvasset honorem;
Disparitas vultus prolis, cum patre putato?
Gratia naturae fieri vult consona saepe;
Nonne minor Iacobus frater Domini, perhibetur
Valde sibi similis? quod gratia non caro fecit.

Haec ille.

2315. Existimat idem auctor, pia (ut ait) credulitate, in sermone de Nativitate Virginis, in Concilio Constantiensi habito, Iosephum in utero matris fuisse sanctificatum, idque affirmat in officio Ierosolymitano de Ioseph composito contineri. Addit, peccati fomitem, vel extinctum, vel repressum in eo fuisse, ne Virginis pulchritudine et familiaritate laederetur. Videtur idem sentire Ekius in sermone de Ioseph, et Iacobus episcopus Christopolitanus, in Canticum Virginis, cum agit de quarta Virginis dignitate: « In ambobus, inquit, idest, in Virgine et Ioseph, erat fomes extinctus per santificationem » etc. Sanctificatio Ioseph in utero infirmum habet fundamentum, fomitem repressum cum coniugium iniit, non caret verisimilitudine.

2316. Sentit praeterea Cancellarius eumdem Iosephum ea gratia donatum, quae omne peccatum mortiferum superaret. « Sicut decuit, inquit, ut Virgo summa puritate niteret, sic decuit, ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret. Uterque regali progeniae illustris, uterque sanctificationem in utero recipiens, cum Maria plena gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia peccatum mortale quodlibet superante » etc. Verisimile admodum est, maxime post coniugium, huiusmodi peccatum Iosephum non incurrisse. Filius igitur fuit accrescens Ioseph, tot auctus incrementis. Videlicet, coniugis Deiparae, putati patris filii Dei, gratiae, virtutumque maximarum, quae incrementa gloriae secuta est mensura singularis.

2317. Antequam Christus cruci suffigeretur sanctissimam vitam cum clarissima morte videtur commutasse, clarissimam dico mortem, quae Christi, Deiparaeque Virginis praesentia, veluti Solis, ac Lunae splendore est illuminata. « Quantas (ait Divus Bernardinus) exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, et aeternorum bonorum revelationes, recepit in transitu suo Ioseph, a Sanctissima Sponsa sua, et a dulcissimo filio Dei Iesu? » etc. De hac morte in sua Iosephina Cancellarius sic scripsit.

Venerat illa dies, quae vitam morte pararet
Perpetuam tibi, iuste Ioseph, inclyta proles.
Christus adest cum Matre pia, quibus officiose
Servieras: vultu placido solantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleverit intus obortis.
Naturalis amor, et enim sat credere fas est,
Quod patrem Iesus, et sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, etc.

2318. O funus laetissimum, quod ipsum mundi gaudium est prosecutum. Nam Christus, et Virgo Deipara, Iosephi feretrum comitati sunt. Huiusmodi fuisse apud Iudaeos morem, vidua illa indicat, quae filium vita functum ex civitate Naim in sepulchrum sequebatur. Luc. VII. Potuit quidem Christus tacto feretro Iosephum ut viduae filium, vitae restituere; sed in tempus resurrectionis suae, sui Iosephi distulit forsitan resurrectionem, ut qui pariter vixerant, pariter et resurgerent. Si enim cum Christo multi ex sanctis Patribus in vitam sunt revocati, quid prohibet credere ex illis fuisse unum Iosephum? Unde Gerson: « Legimus, inquit, multa corpora sanctorum resurrexisse, et venisse in sanctam civitatem, et apparuisse multis »; recogitet, oro, pius animus, si iustus Ioseph unus ex illis putandus est, qui apparuerit carissimae sponsae, qui eam consolatus sit. Qui tandem Christo in coelos ascendente, simul et ascendit glorificatus; non dubium in anima, sed et in corpore nescio, Deus scit ». Haec Gerson.

2319. « D. vero Bernardinus, in anima simul et corpore glorificatum pie credit ». Pie, inquit, credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus Filius Dei pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut suam Sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die resurrectionis suae, Sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum. Ut sicut illa Sancta Familia, scilicet, Christus, Virgo et Ioseph, in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt

Digitized by Google

in terris, nunc et corpore et anima regnent in coelis : iuxta regulam Apostoli II Cor. 1 : « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis ». Haec D. Bernardinus.

2320. Quanta autem in coelo gloria fulgeat, docet Cancellarius his verbis : « Collocatus est a dextris Iesu, hoc est, in potioribus bonis suis », item : « Quantus existimandus est iustus Ioseph in gloria, et in coelis, qui talis, ac tantus inventus est in miseria, et in terris ? Profecto cum dicat Christus : Ioan. XII. « Ubi sum ego, illic et minister meus erit ». ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam, inventus in terris ». Haec ille.

2321. Quantum illius preces valeant, idem sapientissimus auctor in Iosephina his versibus significat :

Quanta o fiducia, quanta est
Vis impetrandi : quia dum vir, dum pater orat
Uxorem et Natum ; velut imperium reputatur, etc.

De transitu S. Ioseph (ex tom. II, lib. III, cap. 1).

2322. Quaeret aliquis hoc loco : An Ioseph Virginis Sponsus, vocatus quoque fuerit ad nuptias. Etenim cum Deipara Virgo, Christus, eiusque discipuli vocati sunt, videtur quoque Ioseph fuisse invitatus. Atqui Evangelista nullam illius fecit mentionem. Respondemus, Ioseph ad nuptias non fuisse invitatum ; neque enim invitari potuit, quod e vita iam excessisset. D. Epiphanius haeresi 78, opinatur post duodecimum Christi annum obiisse. Cum enim Christus duodecim annos natus in templo repertus est, aderat Ioseph superstes ; post illum annum, nulla ab Evangelistis illius mentio fit. Unde coniicit Epiphanius, usque ad illud tantummodo tempus in vita mansisse. « Post reditum, inquit, ab Ægypto, Ioseph non multis annis vixit. Permansit octo annis superstes. Et in duodecimo anno, ascendentibus illis Ierosolymam, quaesitus est Dominus, quando non reperiabatur in itinere, velut habet Evangelium secundum Lucam. Post hos annos moritur Ioseph. Unde non amplius dicit Evangelium : « Quod venit pater ipsius, et fratres » ; sed : « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant ». Et quando in cruce pendebat, si fuisset Mariae vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni ? Et Ioannem Mariae ? « Haec ille et alia. D. Bonaventura in libro de vita Christi, cap. 17, putat, etiam post baptismum, et ieiunium Christi vitam propagasse. Comestor cap. 38, hac de re sic scribit : « Non est vocatus Ioseph ad nuptias, sed Maria. Unde quidam dicunt, Ioseph fuisse mortuum, et Virginem transiisse in custodiam filii ; quia nec etiam deinceps legitur de eo in Evangelio. Quod si nondum mortuus, tamen certum est, quod in passione Domini mortuus erat ; quia Virgo alii, id est, Ioanni commendata est ». Haec ille. D. Bernardinus tom. 3, sermone de S. Ioseph, cap. 3 : « Licet inquit, quo tempore mortuus fuerit Ioseph non legatur in sacro textu ; tamen probabiliter creditur quod defunctus est ante Dominicam passionem. Non enim absens fuisset a Dominica cruce si extitisset vivus, et ipso vivente, non potuisset sacram Virginem alteri commendare. Forte etiam mortuus fuit ante Christi baptismum. Qui ex tunc nulla de eo in Evangelio mentio facta est » etc.

2323. Tamen Cyprianus, de Passione Domini, passionis quoque tempore Iosephum fuisse superstitem, existimat. « Passus, inquit, est Ioseph aequanimiter, praeponi sibi Ioannem, quem digniorem se iudicabat » etc. Idem sentire videtur D. Ambrosius, in lib. de institutione Virginis, c. 6, et Luc. XXIII. D. vero Augustinus, serm. 81, de temp. resurrectionis quoque tempore inter vivos fuisse putat, et Christum adorasse. « Sol, inquit, et luna, et undecim stellae Christum adoraverunt : quando post resurrectionem, Sancta Maria quasi luna, et Beatus Iosephus velut sol, cum undecim stellis, id est, Beatis Apostolis, prostrati sunt ante eum » etc.

2324. Mihi verisimilior videtur prior sententia, quae plures habet sectatores ; videlicet Ioseph antequam Christus in crucem ageretur, obiisse. Quo autem tempore obierit, incertum est. Ante has nuptias obiisse, et antequam Dominus inciperet concionari est probabile. Nulla enim mentio illius fit ab Evangelistis post duodecimum Christi annum. Non tamen crediderim post duodecimum Christi annum e vita excessisse, sed multo postea ; non multo ante baptismum, ut ait D. Bernardinus.

2325. Hymnus XXII.

Virginalis coniugii laudes.

Collaudemus cum canticis
Coniugium virginale,
Quod commercium carnale
Non pertulit.

2. Quia filium protulit
Virgo Mater vocat virum
Virginem per modum mirum
Consentiens.

3. Uxor Ioseph concipiens
Carne sola, praeter thorum
Non solius, sed amborum
Non pluribus

4. Sed communi coniugibus
Lege matrimoniali

Digitized by Google

Vir datur uxori tali
Divinitus.
5. Columba missa coelitus
Supra virginem certum signum
Dedit Ioseph fore dignum
Prae ceteris
6. Coniugio mulieris
Supra facultatem rerum
Parituraе Deum verum
Et hominem.
7. Virgo suscipit virginem
Sub foedere nuptiarum
Qui traxerunt genus clarum
A regibus.
8. Uxor a sacerdotibus
Clara sacerdotem gignit,
Regem quoque, qui praesignit
Coniugium:
9. In quo se praebet filium
Omni procul a cubili
Sine semine virili
Progenitum:
10. Et parentibus subditum
Creatorem creatura
Suscipit in sua cura
Fideliter.
11. Deus paret humiliter
Uxor parit genitorem
Vir suis alit rectorem
Laboribus.
12. Coniugatis pauperibus
Sed iustis hoc dedit donum
Ut haberet omne bonum
In unico
13. Omnibus iustis publico;
Quod circumcidens vocavit
Vir Iesum nec dubitavit
Accipere.
14. Coniugem plenam onere
Quod nomen dedit descriptum
Censum solvens, in Ægyptum
Non distulit
15. Ire, quem furor compulit
Herodis, matrem natum
Portans Dei mandatum
Post referens.
16. Quo adire non deserens
Audivit coeli cantores
Magos vidit pastores
Cum gaudio
17. Dantes decus praesepio
In quo fuit reclinatus
Puer, mox in templo latus
Ad Dominum,
18. Parvo pretio virginum
Redemptus; en, invenitur
Duodenus, custoditur
In pretium.
19. O felix matrimonium!
Nulla tale tulit aetas,
Quod supra naturae metas
Deducitur.
20. Textris pauperi subditur,
Fabro praesidet regina
Utrisque proles divina
Se subiicit.
21. Quos nunc in coelo reficit
Uxorem, matrem coronans
Imperium orbis donans
Sublimiter
22. Alumno dat feliciter
Perfrui se cunctis horis
Ubi Deum iunctum choris
Collaudemus canticis.

(Miss. Aurelian. an. 1519).

2326. **Memento.** — O S. Ioseph, ora pro me, ut fidelis servus et cliens Sanctissimae Sponsae tuae perpetuo efficiar; fac me in mariana devotione devotissimum et assiduum: nam teste Bernardino de Busto, Maria merito vocatur: Annulus, quem qui portaverit in digito suo per devotionem, poterit intrare in coelestes nuptias.

XXIII. — Sermo S. Bonaventurae Episc.

VARIA DE S. IOSEPH.

Comm. in Luc. cap. 1, 2, 3.

CONGRUENTIAM personae insinuat in hoc quod dicit: « Ad virginem desponsatam »; cuius congruentia ostenditur pudica, cum dicit: « Virginem »; primae ad Corinthios septimo: « Mulier innupta et virgo cogitat quae Dei sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu ». Bernardus: « Missus est ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam ». Ostenditur etiam probata, cum dicit: « Desponsata viro, cui nomen erat Ioseph » etc., ut scilicet « Ioseph, vir iustus », secundum quod dicitur Matthaei primo, esset testis castitatis ipsius, secundum illud Proverbiorum ultimo: « Et vir eius laudabit eam ». Bernardus: « Virum nominat, non quia maritus, sed quia homo virtutis et iustus erat »; et ideo fuit testis legitimus. Bernardus: « Uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris; alioquin, quomodo pepercisset iustus adulterae? ». « Quia zelus et furor viri non parcet », Proverbiorum sexto. Ostenditur etiam promissa in hoc quod dicit: « De domo David; » quod refertur ad Virginem et Ioseph, quia uterque de semine David, cui facta erat repromissio in Psalmo: « Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui » etc. Bernardus: « Ambo erant de domo et familia David; sed in altera completa est veritas, quam iuravit Dominus David, altero tantum teste et conscio », scilicet ipso Ioseph. Ostenditur etiam praenominata in hoc quod dicit: « Et nomen Virginis Maria ». Maria enim stella maris interpretatur, et sic ostenditur impleta illa prophetia Balaam; Numerorum vigesimo

Digitized by Google

quarto: « Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel »; Ecclesiastici quinquagesimo: « Quasi stella matutina in medio nebulae »; Apocalypsis ultimo: « Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina » [*cap. 1, n. 44*].

2328. « Ascendit autem et Ioseph » etc. Postquam descripsit tempus debitum, describit hic locum idoneum, et hoc, quia locus ille conveniens erat prophetali vaticinio, conveniens erat divino promisso, conveniens etiam imperiali edicto.

2329. Ostenditur ergo conveniens prophetali vaticinio in hoc quod dicit: « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth »; quia secundum unam prophetiam Nazareth, « ubi fuerat Christus conceptus », competebat conceptioni; Isaiae undecimo, secundum aliam litteram: « Nazaraeus de radice eius ascendet »; secundum aliam vero Bethlehem, nativitati. Ideo subdit: « In Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem »; Michaeae quinto: « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel; et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis ». Unde dicitur Matthaei secundo, quod Herodi quaerenti, ubi Christus nasceretur, responderunt scribae: « In Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum ». Haec fuit civitas David, quia inde sumsit originem; primi Regum decimo sexto: « Dixit Dominus ad Samuelem: Veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem; providi enim in filiis eius mihi in regem ». Et nota, quod alibi natus est Christus, alibi conceptus, alibi educatus, ut Herodem et alios impios lateret incarnationis mysterium; unde Ioannis septimo: « Nunquid a Galilaea venit Christus? Nonne de Bethlehem castello? ».

2330. Ostenditur etiam locus ille conveniens divino promisso, cum subditur: « Eo quod esset de domo et familia David », ipse scilicet et Sponsa sua virgo Maria. Unde dicit Bernardus, quod « in altera completa est promissio facta David; altero vero tantum teste et conscio ». Haec promissio facta est David, secundi Regum septimo, per Nathan: « Praedicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus; cumque completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum »; et rursus in Psalmo: « Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam ».

2331. Ostenditur postremo ut conveniens imperiali edicto, cum subditur: « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante ». Hoc enim processerat ex imperiali edicto. Et licet ante iam concepisset Virgo Regem coeli et terrae, tamen imperiali edicto etiam praegnans voluit obedire, ut posset cum Filio dicere illud Matthaei tertio: « Sic decet nos implere omnem iustitiam »; et per hoc exemplum daret nobis obtemperandi omni potestati superiori, secundum illud primae Petri secundo: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Dominum, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ». In hoc autem apparet, quomodo humanum imperium famulatur divino. Praecipiente enim Caesare, ut omnes in civitatem suam irent, et obedientibus eius imperio Maria et Ioseph, factum est, quod neuter intendebat, scilicet quod Christus nasceretur in Bethlehem, secundum quod erat aeternaliter dispositum et temporaliter promissum et vaticinatum et prophetatum. Et ideo non est contemnendum aliquo modo mandatum praepositorum [*cap. 2, n. 6-8*].

2332. « Et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio ». Ideo invenerunt, quia sollicite quaesiverunt et absque fictione; unde dicitur Sapientiae primo: « In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum ». Et nota, quod invenitur cum Maria Virgine et Ioseph, viro iusto, et in praesepio, quia eum qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam respectu sui, iustitiam respectu proximi, humilitatem et reverentia respectu Dei. Et ista sunt tria munera, quae offerunt reges Christo infanti, et ideo ab eis voluit inveniri; Matthaei secundo: « Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria, matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham » [*cap. 2, n. 37*].

2333. « Et erant pater eius et mater » etc. Hic tertio subditur ex hoc consurgens parentum admiratio, cum subditur: « Et erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo », scilicet super quatuor praedictis. Nam Christus admirabilis est secundum quod mediator in pacis concordia; Esther decimo quinto: « Valde admirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum ». Admirabilis etiam secundum quod salvator in clementia; propter quod in Psalmo dicitur ita: « Mirabilis Deus in Sanctis suis », quia « gratia et misericordia est in Sanctos eius et respectus in electos illius », Sapientiae quarto. Admirabilis secundum quod doctor in sapientia; Psalmus: « Mirabilis facta est scientia tua ex me ». Admirabilis se-

Digitized by Google

cundum quod triumphator in potentia, secundum illud Psalmi: « Mirabilis in altis Dominus »; et Exodi decimo quinto: « Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? ». Et ideo non est mirum, si pater putativus et mater vera mirabantur super his quae dicebantur.

2334. « Et benedixit illis Simeon « etc. Post testificantis meritum et testificationis praeconium subiungitur hic tertio praeconii temperamentum humilians ad compatiendum, unde in compassione terminatur; Psalmus: « Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto »; ideo post Christi dignitatem subiungit infirmitatem. In hoc autem temperamento primo praemittitur propheticae benedictionis solatium; deinde additur dominicae passionis mysterium; tertio subiungitur maternae compassionis martyrium.

2335. Quantum ad solatium benedictionis propheticae praemittitur: « Et benedixit illis Simeon », id est, benedictos praedicavit Mariam, quia concepit, et Ioseph, quia educavit; unde poterat eis dicere illud Davidicum: « Benedicti vos a Domino ». Benedicuntur enim parentes in filio et pro filio, secundum quod, primi Regum secundo, « benedixit Eli Elcanae et uxori eius », scilicet pro Samuele, optimo puero [*cap. 2, n. 74-76*].

2336. Ipsa fiducialius loquitur et interrogat causam dimissionis, cum sciat, se honorari debere ab eo, secundum illud Exodi vigesimo: « Honora patrem tuum et matrem tuam »; et Proverbiorum sexto: « Conserva, fili, praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae ». Sed tu, inquit, conturbasti nos: unde et subdit: « Pater tuus », scilicet putativus vel adoptivus sive educativus; « et ego dolentes quaerebamus te », quasi insimul dicebamus illud Tobiae decimo: « Heu me, fili, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae! Omnia enim in te uno habentes, te non debuimus dimittere ».

2337. Et nota, quod ad quaestionem respondet humiliter et sapienter; unde et subditur: « Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? » quasi absentem, cum ego essem vobis praesens; Ieremiae vigesimo tertio: « Coelum et terram ego impleo »; et hoc ostendit, quia Filius erat aeterni Patris. Unde et subdit: « Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? » Ioannis sexto: « Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me ». Unde non debetis mirari, si vos dimisi propter Patrem aeternum, quia sic dicitur Actuum quinto: « Obedire Deo oportet magis quam hominibus » [*cap. 2, n. 105-106*].

2338. « Ut putabatur filius Ioseph »; in quo ostendit, quod secundum generationem temporalem non habebat patrem verum, sed putativum, quia de Virgine natus. Ioseph namque putabant homines eius patrem, secundum quod dicitur infra quarto: « Nonne hic est filius Ioseph? ».

2339. Sed ex hoc videtur, quod genealogia sequens nihil faciat ad Christum secundum veritatem. Ad quod respondet Beda, secundum Hieronymum, quod non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; deinde et Ioseph et Mariam ex eadem tribu dicit esse generatos, unde ex Lege tenebatur eam accipere ut propinquus. Cuius etiam signum est, quod simul in Bethlehem censentur, sicut habetur supra secundo. Et ideo generationis series in uno pertinet ad alium. Ex hoc apparet, quod ita parum in Scriptura de Maria fit sermo. Si enim de ipsa non fiat sermo in Christi genealogia propter servandum morem Scripturarum, cum tamen videatur quasi necessarium; multo minus fieri debet circa proprios actus. — Non fit autem sermo de mulieribus in ordine genealogiarum tum propter defectum a parte naturae, quia « femina est vir occasionatus », tum propter defectum ex parte significantiae, quia non Christum, sed Ecclesiam significat, non superiorem portionem rationis, sed inferiorem, primae ad Corinthios undecimo; tum propter defectum ex parte officii, quia nec docere nec praesidere eis competit; tum propter defectum ex parte remedii, quia ei competit non remediare, sed remediari; tum propter defectum principii, quia « non vir de muliere est, sed mulier de viro »; tum propter memoriam primi peccati; primae ad Timotheum secundo: « Adam non est seductus, sed mulier ». Et hac ratione non fit decursus per mulieres unde nec est mos in Scripturis, ut sit mentio magna de Maria — et quia Evangelia inceperunt a praecursore, Lucae primo et Marci primo: « Initium Evangelii Iesu Christi » etc., et etiam propter praedictas rationes. Scriptum tamen in veteri testamento fuit, quod esse poterat figura Virginis in aliquibus mulieribus, quae Mariae et Ecclesiae figuram gesserunt.

2340. Tertio adiungit gradus processionum, cum addit: « Qui fuit Heli » etc. Sed huic videtur contrariari illud Matthaei primo, ubi dicitur, quod « Iacob genuit Ioseph », qui descendit per Salomonem. Si ergo impossibile est, quod aliquis simul a duobus generetur, aut ista genealogia, aut illa Matthaei est omnino erronea.

Digitized by Google

2341. Ad cuius rei evidentiam est notandum, quod Mathat, qui descendit a David per Nathan, et Mathan, qui descendit a David per Salomonem, habuerunt successive unam uxorem, ex qua Mathan genuit Iacob, et Mathat genuit Heli. Et ita Heli et Iacob fuerunt duo fratres uterini. Heli autem, accepta uxore, mortuus est sine liberis, et ideo secundum Legem Iacob **frater eius** illam accepit, ut **suscitaret** semen fratris sui, et **ex** illa « genuit Ioseph, virum Mariae ». Ioseph ergo secundum carnem fuit filius Iacob, qui descendit per Salomonem; sed secundum Legem fuit Heli, qui descendit per Nathan. Et quoniam ad perfecte scribendam genealogiam Salvatoris oportuit, eam scribi et secundum Legem et secundum naturam; ideo Spiritus Sanctus hoc fecit per duos Evangelistas, ita quod per Matthaeum carnalem et per Lucam legalem [*cap. 3, n. 58-59*].

2342. **Hymnus XXIII.**

In Mariae et Ioseph nuptiis Epithalamium.

Psallat mundus
Gestiat omnis animus
In hac die
2. Quae dicatur
Desponsatione Ioseph
Et Mariae.
3. Coelices sunt nuptiae
Supra quae fari possunt
Auspicatae
4. Ubi est connubium
Verum omni redolens
Castitate.
5. Sicut fragat lilium
Et tanquam cinnamonum
Et balsamum
6. Salomonis lectulum
Vincit semper floridum
Velut pratum.
7. Benedictae nuptiae
Quando quidem sunt primae
Luca teste;
8. Sanctus enim Simeon
Benedixit spiritu
Impellente
9. Deiparam cum Sponso
Et ore fatidico
Dicens in ruinam
Fore natum
10. Israelis populo,
In contradictionibus
Esse multis positum
Signum Christum.
11. Rogemus Filium
Per matris meritum
Ut facinoris
Tollat naevum
12. Et in eius regnum
Cum beatis locum
Possideamus
In aeternum.

(Op. Dreves, XL, p. 77, n. 67).

2343. **Memento.** — O S. Ioseph, propter dilectionem qua Sponsam tuam purissimam diligis et qua ipsa diligit te, unde a Bernardino de Busto dicta es: Annulus quem Rex Aeternus dedit Ioseph, intercede pro me, et fac me amatorem ardentissimum Iesu, Mariae et Tui.

XXIV. — Sermo S. Bonaventurae episcopi.

VARIA DE S. IOSEPH.

Ex sermonibus de tempore et de Sanctis.

Sed hic occurrit valde notabile et dignum diligenti consideratione. Quae fuit ratio, quod fuit desponsata, et virgo tamen? Bene concedo, quod decuit esse virginem ratione puritatis; sed quare desponsata rusticello Ioseph? Licet esset de genere regum, tamen vixit de labore manuum suarum; erat enim faber. Dico, quod propter quatuor: primo, propter honestatis decentiam. Ambrosius: « Dominus maluit, ad tempus aliquos de suo ortu quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim, teneram esse Virginis verecundiam et lubricam famam pudoris ». Secundo, propter obsequii opportunitatem, ut esset Virgini peregrinanti in Ægyptum in solatium et Proli et Matri in familiare obsequium. Tertio, propter mysterii consummationem. Augustinus: « Mysterium maximum praecessit in Virgine, ut, sicut illa Virgo Deum peperit carnaliter, sic virgo Ecclesia pareret Christum spiritualiter ». Quarto, ratione paupertatis. Christus enim super omnia venerat confundere superbiam, et ideo maluit vocari fabri filius quam regis. O admirabile mysterium! Et vere mirabile, quod ex una parte se manifestat et ex altera se celat [*serm. 11 in Vigil. Nat. Dom.*].

2345. Anima uniuscuiusque fidelis habet ex summa devotione mentis in hodierna celebritate benedicere Deum et confiteri Deo, ipsius magnalia extollendo sicut viri Israelitae et electi Ierosolymitae, per viginti quatuor considerationes spectantes ad hodiernae festivitatis meditationem, quae ex Evangelio noctis praeteritae summarie eliciuntur: et harum quatuor considerantur ex parte Dei Patris, quatuor ex parte Filii, quatuor ex parte Matris, quatuor ex parte Ioseph, quatuor ex parte pastorum, et quatuor ex parte Angelorum.

2346. Nam ex parte Dei Patris Filium incarnari et nasci constituentis habemus considerare et benedicere mirificam liberalitatem, quam habuit in Filium mittendo; laudabilem fidelitatem, quae debito tempore

Digitized by Google

Patris implevit promissa; ineffabilem charitatem, quoniam, nobis compassus, sic placuit subvenire; aeternam bonitatem, quam sic nobis innotescere voluit.

2347. Ex parte Filii venientis habemus considerare et benedicere admirabilem dignationis benignitatem, imitandae obedientiae paternae promptitudinem, inexcogitatae clementiae circa nos pietatem, compassivam ipsius paupertatem, humilitatem et asperitatem.

2348. Ex parte Matris parientis habemus considerare et benedicere intemeratam virginitatem, gloriosam fecunditatem, pariendi modum singularem, partus felicis gratiositatem felicem et gaudium.

2349. Ex parte Ioseph invenimus considerandam et benedicendam reverentiae profunditatem, iustitiae copiositatem, obsequii sedulitatem, charitatis indefectibilitatem.

2350. Ex parte pastorum habemus considerare et benedicere sanctam simplicitatem, devotam iucunditatem, laudandam sollicitudinem, prosperam fidem et devotionem.

2351. Ex parte Angelorum considerare habemus et benedicere claritatis perfusivam magnitudinem, familiaritatis novam mansuetudinem, praedicationis studiositatem. In his omnibus anima nostra habet hodie benedicere Deum [*sermo 22 in Nat. Dom.*].

2352. In isto reverendissimo Evangelio circa Christi, superbenedicti Dei Filii, gratiosam nativitatem de Virgine, ad aedificationem fidelium octo summopere speculanda sunt, scilicet temporis Christi nativitatis decentis gratiosa idoneitas, quia tempore Octaviani Augusti, cui totus mundus erat subditus et per eum tunc descriptus et professus. Loci venerabilis praeordinata qualitas, quia in Iudaea provincia, Bethlehem civitate. Intemeratae Virginis benedicta fecunditas, quia impleti sunt dies, ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum. Superbenedictae Prolis natae sublimis simul et singularis humilitas, paupertas et asperitas, quia pannis est involutus, in praesepio reclinatus, in diversorio natus. Beati Ioseph officiosa simul et pia sedulitas, quod hinc inde subministrans, venerabatur et Partum et parientem. Pastorum simplicium devota simul et sincera credulitas, quia erant in regione eadem..... Supernorum spirituum nova simul et mira iucunditas, quia facta est cum Angelo etc. Humani generis inchoata et annuntiata felicitas, quia dixit illis Angelus: « Evangelizo vobis gaudium » etc. [*sermo 23 in Nat. Dom.*].

2353. « Surge et accipe Puerum et Matrem eius et vade in terram Israel », Matthaei secundo.

2354. In verbis his angelicis ad Ioseph invitatur quilibet Christianus ad duo, scilicet ad studiosam devotionem Christi nati et eius Matris, et ad proficuam rememorationem gloriae coelestis. Primum, ibi: « Surge et accipe Puerum et Matrem eius », brachiis fidei et devotionis sanctae. Secundum, ibi: « Et vade in terram Israel », scilicet visionis Dei gloriae, ut proficias in contemplatione maiestatis aeternae » [*sermo 2 in vigil. Epiph.*].

2355. « Consurgens Ioseph, accepit Puerum et Matrem eius et venit in terram Israel », Matthaei secundo.

2356. In verbis istis evangelicis traditur utilis et compendiosa forma salutis humanae, quae est, ut quicumque vult salvari, transumat in se per devotionem et accipiat Christum natum, et Matrem eius ad imitationem et venerationem, et sic perveniet ad terram Israel, id est praeclaram et aeternam Dei visionem.

2357. Est autem Christus puer natus transumendus ab omnibus per devotionem et accipiendus a singulis ad venerationem exemplo Beati Ioseph, qui ipsum taliter transumebat et accipiebat: propter deformitatem venerabilis apparentiae; relucebat enim in facie eius divina maiestas; primi Paralipomenon duodecimo: « Sadoc etiam, puer egregiae indolis ». Propter luciformitatem fontalis sapientiae; relucebat enim in facie eius aeterna veritas; Lucae secundo: « Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia ». Propter pulchriformitatem triformis gloriae; relucebat enim in facie eius summa bonitas; Isaiae quadragesimo secundo: « Ecce, puer meus, electus, quem elegi, ponam super eum » etc. Propter gratiositatem universalis innocentiae; relucebat enim in facie eius suprema sanctitas; Genesis trigesimo septimo: « Ioseph pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer » etc.

2358. Mater etiam Christi pueri transumenda et in veneratione et in imitatione habenda est exemplo Beati Ioseph: tanquam exemplar totius humilitatis evangelicae; Lucae primo: « Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Totius pietatis ecclesiasticae; Matthaei primo: « Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Totius religiositatis christianae; Ioannis decimo nono: « Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius » etc. Totius caritatis geminae; Actuum primo: « Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, Matre Iesu, et fratribus eius » [*sermo 3 in vigil. Epiph.*]

2359. Sic fuerunt ista duo praecipue in gloriosissima Virgine Maria, quia Virgo fuit pura et munda; et fuit etiam obediens,

Digitized by Google

quam etiam ut melius servaret obedientiam, voluit Dominus, ut esset desponsata Ioseph et ut ei esset subdita ed obediret sicut suo viro. Et ipsemet Dominus tantum dilexit obedientiam, quod voluit eam servare et esse sub obedientia minorum quoad suam Divinitatem. Unde legimus in Evangelio, quod « erat subditus illis », scilicet Filius Dei Virgini Matri et Ioseph. Quia ergo Filius Dei voluit servare obedientiam, et quod sua Mater eam servaret; ideo debemus (etiam) nos servare obedientiam ; et licet omnes, praecipue tamen illi qui ad hoc sunt astricti ; quia obedientia est tantae virtutis, quod res, quae in se non valent, facit valere et meritorias esse; levare festucam de terra non est bonum aliquid nec malum, sed tamen, si hoc facias per obedientiam, valet tibi ad meritum paradisi. Unde fac omnia, quaecumque facis, per obedientiam, et omnia sunt tibi meritoria [*sermo 1 de S. Marco Evang.*].

2360. **Hymnus XXIV.**

Ioseph regalis sacerdotii signaculum.

Ut collaudare gentes catervatim
Queant supremi Ioseph generosi
Miras virtutes patriarchae, Deus
Largire vota.

2. Quem de regali stirpe procreatum
Praedestinavit Pater aeternalis
Ut tantae stirpis unicus Virgini
Desponsaretur.

3. Dum cognovisset Sponsam concepisse
Stupescebat, cum unde nesciebat,
Virginem castam nolle traducere
Tunc cogitabat.

4. Et confortatur angelo dicente:
Noli timere, Ioseph, fili David,
Natum in ea beatum efficit
Spiritus Sanctus.

5. Huic Ioseph laetus coniugem accepit
Et famulatur intactam praeservans
Ac curam gessit praebuitque victus
Necessaria.

6. Cum iuxta regis Augusti edictum
Describeretur universus orbis
Sponsae praegnantis impleti sunt dies
Parit Bethlehem.

7. Ioseph collatum est ex hoc regalis
Sacerdotii veri signaculum,
Cum in praesepe tractans et adorans
Iesum obtulit.

8. Gloria Patri, Summo Genitori,
Gloria Nato, pio Redemptori,
Flamini Sancto, nexui utriusque
Honor aequalis.

(Op. Dreves, XLII, p. 200, n. 337).

2361. **Memento.** — O S. Ioseph, quoniam teste Idiota, B. V. Maria merito vocatur et est: Coniux Deifica S. Ioseph, gratulor Tibi, laudo te, superexalto Te, amo Te in Iesu et Maria; ora pro me, protege me; doce me Iesum diligere, doce me Sponsam tuam amare eiusque potentissimam intercessionem indesinenter invocare.

XXV. — Sermo B. Dionysii Carthusiani.

VARIA DE S. IOSEPH.

Enarrat. in cap. III Habacuc, art. 7.

In medio duorum animalium cognosceris » (vel innotesces), id est inter duos populos ex quibus collecta est Sancta Ecclesia, utpote in medio conversorum ex Iudaismo et paganismo. De quibus loquitur Zacharias: « Consilium pacis erit inter duos illos »; et Apostolus: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum ». Quemadmodum enim duo parietes in lapide angulari concurrunt et copulantur; ita in Christo summo lapide angulari, duo populi isti facti sunt unum mysticum corpus, unumque templum, de quo dicit Zacharias : « Ipse aedificabit templum Domino ». Vel duo animalia intelliguntur duo Testamenta, vere vivifica, gratiae vitam spirantia. Quidam per duo animalia intelligunt duos latrones inter quos suspensus est Christus atque innotuit, centurione dicente : « Vere Filius Dei erat iste » : quando et omnis turba eorum qui aderant, et videbant quae tempore passionis fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Postremo, non desunt qui per duo animalia intelligunt bovem et asinum quos Ioseph secum duxit in Bethlehem, Christi nativitate instante: inter quos infantulus Iesus in praesepio positus, agnitus fuit a Matre et Ioseph, vel ab istis iumentis, secundum similitudinem quamdam. Ad quod referunt illud Isaiae: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui ».

Enarrat. in Matth. cap. I.

2363. « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Erat autem Ioseph veraciter vir Mariae. Nam inter eos verum exstitit matrimonium, quamvis non fuerit consummatum. De qua Maria, id est ex cuius purissimis sanguinibus loco seminis a Spiritu Sancto formatus, natus est Iesus secundum humanam naturam, qui vocatur et est Christus, id est Deus et homo in una persona, duplicique natura...

2364. Difficultatem interea facit lectori in primis, quod beatissimi evangelistae Matthaeus et Lucas, describendo genealogiam Christi, in aliquibus dissonare videntur et opposito modo procedere. Primo itaque dubitatur, quomodo Lucas asserat Ioseph esse filium Heli, Matthaeus vero affirmet quod Ioseph sit filius Iacob. Et respondendum, quod Ioseph fuit filius naturalis ipsius Iacob, filius vero legalis Heli. Mathat enim

Digitized by Google

et Mathan fratres fuerunt, qui successive eamdem habuere uxorem de qua Mathan genuit Iacob, Mathat vero genuit ex ea Heli, ita quod Iacob et Heli fuerunt fratres uterini. Heli vero accepta coniuge, mortuus est non relicto semine : propter quod Iacob frater eius, de praecepto legis accepit coniugem fratris sui defuncti, ut suscitaret semen fratri suo ; genuitque ex ea Ioseph, qui fuit filius Iacob secundum naturam, et filius Heli secundum legem Mosaicam, quae praecepit, ut fratre aliquo uxorato sine liberis mortuo, frater eius seu propinquus uxorem eius acciperet, et filium ex ea natum, defuncto adscriberet, ne nomen eius deleretur ex Israel. Sed tunc dubium occurrit, quomodo duo fratres poterant eamdem habere uxorem, ita quod unusquisque eorum ex ea proprium semen habebat. Ad hoc aliqui dicunt, quod quando aliquis non habuit nisi unam prolem ex coniuge sua, non reputabatur semen relinquere, et sic propinquus seu frater ipsius cum uxore sua contrahere potuit, ac si nullum semen reliquisset. Unde in Deuteronomio pluraliter dicitur: « Si frater sine liberis mortuus fuerit, propinquus accipiat uxorem eius »; etc...

2365 Nono inquiritur, cur potius Ioseph quam Mariae origo describitur, quum tamen propositum evangelistae fuerit demonstrare Christum ex semine David natum, qui non de Ioseph, sed de Maria natus agnoscitur. Ad hoc omnium una responsio est, consuetudinem non esse divinae Scripturae mulierum genealogiam describere: et quoniam evangelista docuit Ioseph iustum fuisse, satis declaravit eum atque Mariam ad eamdem tribum spectare, quum secundum legem quaelibet tribus contrahere debuit cum personis propriae tribus. Sed obiici potest, quod consequentia ista non teneat, eo quod tribus Levitica cum qualibet tribu contrahere potuit. Ad hoc pro praesenti aliam responsionem non video, nisi ut dicatur evangelista id supposuisse quod omnibus suo innotuit tempore, utpote patrem Mariae fuisse de tribu Iuda et David, vel secutum esse communem cursum, secundum quod uterque coniugum ad eamdem tribum spectabat. Sed tunc rursus occurrit, cur non potius origo Ioachim patris Mariae, quam Ioseph enarretur. Dici potest quod ideo, quoniam maior est unitas mariti et coniugis, quam patris et prolis, iuxta quod scriptum est : « Erunt duo in carne una, et relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae ».

2366. Denique de ortu et genealogia superlaudabilis benedictaeque Virginis, Damascenus libro quarto, sic ait; « David inter ceteros duos habuit filios, Salomonem et Nathan. Ex catena itaque Nathan Levi genuit Melchi et Panthera; Panthera genuit Barpanthera, qui genuit Ioachim patrem Mariae. Ex catena vero Salomonis Mathan descendens, habuit coniugem de qua genuit Iacob; Mathan autem defuncto, Melchi duxit eius uxorem, videlicet matrem Iacob, de qua genuit Heli fratrem uterinum ipsius Iacob. Heli vero sine liberis mortuo, frater eius Iacob duxit eius uxorem de qua genuit Ioseph. Ioachim insuper nupsit Annae matri Mariae; soror vero Annae nomine Hismeria genuit Elisabeth, quae genuit Ioannem Baptistam ».

2367. Descripta consueta ac naturali generatione patrum, nunc nova et supernaturalis generatio Christi describitur. « Christi autem generatio sic erat ». Tanquam dicat: Praedicti solito modo generati sunt, sicut praedixi, per seminis descensionem; Christi autem generatio singulari modo et ordine facta est, quemadmodum subditur. « Quum esset desponsata », id est promissa vel in matrimonium tradita, « mater Iesu Maria Ioseph », id est viro sic dicto de eiusdem Mariae cognatione exorto, qui secundum Hieronymum, cogebatur eam accipere at propinquam; « antequam convenirent » ad cohabitandum, ut antiqui dicunt, vel ad carnalem coniunctionem, secundum alios, ad quam nec postea convenerunt, « inventa est », Maria a Ioseph eius diligenti custode ac sponso, « in utero habens », id est filio impraegnata, « de Spiritu Sancto », id est virtute et operatione Spiritus Sancti, qui ex purissimis Virginis Sanctae sanguinibus corpus Christi formavit, organizavit, et anima rationali decoravit: quae omnia facta sunt in instanti a tota superbeatissima Trinitate, quamvis adscribantur et approprientur Spiritui Sancto, eo quod ad misericordiam bonitatemque Dei pertineant, tamquam effectus ineffabilis clementiae Dei. Clementia autem et bonitas appropriantur Spiritui Sancto.

2368. De desponsatione autem et conventione Mariae et Ioseph multa leguntur, quae pro magna parte apocrypha sunt: idcirco talia praetermitto. Cur autem Unigenitus Dei de virgine desponsata nasci voluit potius quam de non desponsata, multae rationes traduntur. Prima, secundum Beatum Ignatium martyrem, ut partus Virginis lateret diabolum. Dicit tamen Thomas, et alii multi, quod si Deus permisisset, diabolus aliunde bene perpendisset Mariam esse virginem, non obstante eius desponsatione. Poterat enim sua naturali industria faciliter percipere quod corpore integra fuit. Secunda ratio, ne Virgo Sanctissima a Iudaeis reputaretur adultera; maluitque Christus Iudaeos de suo ortu ambigere, quam

Digitized by Google

de Matris pudore perverse sentire. Tertia, ne Iudaei occasionem haberent abiiciendi Christum, quasi de fornicaria natum. Quarta, ut Virgo Beata haberet casti viri solatium atque obsequium, et Christus nutricium. Alias plurimas causas assignant doctores, quae satis notae videntur. Denique conventionem praedictam Hieronymus accipit de conventione concubitus. Dicit enim quod nec postea convenerunt.

2369. « Ioseph autem vir eius, quum esset iustus, et nollet eam traducere », id est Iudaeis quasi adulteram tradere, seu puniendam exponere, vel publice accusare, « voluit occulte dimittere eam ». Secundum Hieronymum et Bernardum, S. Ioseph certus fuit de castitate Mariae. Si enim cognovisset eam fuisse adulteram et non traduxisset eam, fuisset iniustus, quia secundum legem, non solum auctor sceleris, sed et conscius eius obnoxius est peccato si taceat. Dum ergo evangelista affirmat Ioseph iustum fuisse, atque ob id Mariam non traduxisse, innuit quod de castimonia sponsae suae non dubitavit. Et si Christus noluit Iudaeos de suae Matris pudore sinistrum quid suspicari, probabile est quod non permisit iustum Ioseph de tanta Virgine adulterium opinari. Sed cur tunc voluit eam occulte dimittere? Ideo, quoniam reputavit se cohabitatione praesentiaque Mariae indignum. Quam ob rem et Petrus repulit Christum, dicendo: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum »; et centurio: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ».

2370. Chrysostomus vero testatur, quod Ioseph desponsata sibi Virgine, accepit eam in domum suam: ubi quum angelus Gabriel ignorante Ioseph Virginis conceptionem Filii Dei nuntiasset, et ipsa iam concepisset, suamque cognatam Elisabeth concepisse audisset, mox surgens accepta a sponso suo licentia, abiit et visitavit Elisabeth, ut ei congratularetur, obsequeretur, et ex Christi praesentia magnus profectus accresceret, tam ipsi Elisabeth quam eius infanti. Reversa autem Maria post trium mensium spatia, videns Ioseph eam iam impraegnatam, prima facie suspicatus est malum de ea; excusatione vero ab ea recepta, attenta etiam sanctitate suae conversationis, ambiguus fuit quid finaliter de ea sentiret. Idcirco voluit eam occulte dimittere, ne vel innocentem traduceret, vel adulterae consentiret. Verba divi Chrysostomi quae in diversis locis de hac materia introducit, intelligenda sunt sapienter, quoniam sibi invicem contrariari videntur. Alicubi enim ait, quod Ioseph putavit eam adulteram, alibi vero dicit, quod (inaestimabilis laus Mariae) magis credebat Ioseph castitati eius quam ventri eius, et magis gratiae quam naturae. Conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat: possibilius credidit mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. Quod ergo dicit Ioseph, putasse Mariam fuisse adulteram, referendum est ad tempus quo primo vidit eam prole fecundam. Quod vero dicit, eum non potuisse fornicationem suspicari de ea, referendum est ad tempus excusationis receptae et sanctitatis pensatae. Dubium enim non est, quin interior gratia, sanctitas, castitasque Mariae, mirabiliter ac potenter refulsit, non solum in eius vultu, sed in toto corporis gestu et apparatu, in tantum quod qui eius conversationem diligenter advertit, fornicationem aut crimen aliquod de ipsa suspicari non potuit.

2371. Praeterea aliqui asserunt, quod Ioseph profectus est cum Maria ad visitandum Elisabeth, tanquam obsequiosus ac diligens commissae sibi Virginis custos. Aliqui etiam dicunt, quod Ioseph nondum recepit Mariam in domum suam, sed quod desponsatione peracta, ipse descendit in propriam domum, quasi nuptiis necessaria praeparaturus; Maria vero interim fuit in domo parentum suorum. Quumque reversa fuisset ab Elisabeth, cernens eam Ioseph gravidam, noluit eam in domum suam recipere.

Quid horum sit verius, ignoratur.

2372. « Haec autem eo, videlicet Ioseph, cogitante », utpote quod Mariam occulte dimitteret, « ecce angelus Domini apparuit in somnis ei », id est ipsi Ioseph dormienti. Apparuit autem ei apparitione visionis imaginariae: et hoc, tempore somni, in quo revelationes divinae atque propheticae solent fieri, quia tunc anima aptior est ad talium receptionem propter exteriorum sensuum clausuram, et a sensibilium perceptione vacantiam, et praesertim propter imaginationis ampliorem quietem. Propter quod dicitur: « Per somnium in visione nocturna, aperit aures virorum, et instruit eos ». Apparuit ergo Ioseph, dicens: « Ioseph fili David », non solum carnis propagine, sed fidei atque iustitiae imitatione. Unde ad commendandam iustitiam Ioseph nominat eum filium David. « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam », id est, audacter eam recipias ad cohabitandum, nec aliquid mali suspiceris de illa; « quod enim in ea natum est », id est proles quam habet in utero, « de Spiritu Sancto est », hoc est, virtute et operatione Spiritus Sancti concepta est, non humano semine, sed deifico lumine, sine virginitatis iniuria...

2373. « Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam », quam decrevit dimittere. Accepit autem eam vel ad coha-

Digitized by Google

bitandum et obsequendum, secundum eos qui asserunt quod nondum suscepit eam in propriam domum, vel ad permanendum cum ea ex animo, secundum eos qui dicunt quod iam ante in domum suam eam accepit. Unde Chrysostomus: « Non in domum accepit eam, nondum enim de domo dimiserat eam; sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum recepit eam. Itaque eam accepit, tanquam de cetero iugiter permansurus cum ea sine suspicione. cum ingenti humilitate, puritate ac reverentia ministrando ei in omnibus velut dignissimae genitrici Creatoris Salvatorisque sui ».

2374. « Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum ». Haec Chrysostomus de intellectuali cognitione satis subtiliter veraciterque exponit. Nam ante Virginis partum, ipse Ioseph perfecte non scivit quantae dignitatis et gloriae esset haec Virgo. Post partum vero ipsius, plenius eius excellentiam novit, quia ex tunc in animo Ioseph facta est speciosior atque praestantior quam totus mundus. Quidam exponunt de cognitione sensitiva, dicentes, quod Christo in utero Virginis consistente, tantus in vultu eius splendor claritatis ex praesentia Christi refulsit, quod Ioseph eam intueri non valuit, sicut nec filii Israel poterant vultum inspicere Moysis propter eius fulgorem ex consortio angeli. Litteraliter vero exponitur de cognitione copulae carnalis, ita quod Ioseph non accessit ad eam maritali affectu, donec peperit Christum. Sed numquid postmodum eam cognovit? Non utique. Tunc enim impiissimus et praesumptuosissimus exstitisset, si templum Filii Dei, si sacrarium Spiritus Sancti, si uterum puritatis violare tentasset. Maria quoque ingrata fuisset. si tanto Filio non fuisset contenta. Sciendum ergo, quod dictio «donec» interdum importat tempus determinatum, quo evoluto fit aliquid. Sic Iob ait: « Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus? » Sicque communiter dicimus: Non faciam hoc, donec veneris. Interdum vero accipitur pro tempore indeterminato: sicque includit omnem differentiam temporis. Excludendo enim illud tempus quo magis videbatur aliquid esse, vel non esse, consequenter excludit alia tempora, quibus minus tale quid videtur. Et ita habetur in Psalmo: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum »; et iterum, « Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri »; et rursus, « Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum », etc. Non est sensus, quod postquam hostes Christi fuerint ei subiecti, tunc ipse cessabit sedere ad dexteram Patris: imo tunc maior est ratio ut sedeat. Unde quum Scriptura dicit eum sedere ad dexteram Patris, donec ponantur adversarii scabellum pedum eius, innuitur quod postea aeternaliter sedeat. Hoc itaque modo sumitur « donec », in proposito. Possibilius quippe videbatur, quod Ioseph cognoverit sponsam et coniugem suam ante conceptionem Filii Dei, quam postea. Ideo, quum Evangelista edocuit, quod non cognovit eam ante Christi generationem, pro certo reliquit, quod nec postmodum ad eam accesserit. Iuxta hunc sensum dicit de Christo Apostolus: « Oportet autem illum regnare, donec ponantur inimici scabellum pedum eius ». Numquid postea non regnabit? Hinc ait Chrysostomus: « Hoc quod fieri potuit, dixit Evangelista factum non esse; id autem quod fieri non potuit, quid necessarium habuit dicere quia factum non est? »

2375. Ex his patet error Helvidii haeretici, qui erat sacerdos et idiota, dicens, quod Ioseph non cognovit Mariam ante partum Christi, sed postea, eo quod scriptum sit: « Non cognovit eam donec peperit ». Item, quoniam Christus nunc dicitur primogenitus Mariae, ergo et postea alium genuit: praesertim quum in Evangeliis legatur Christus fratres habuisse, sicut patebit. Dicendum, quod in Scriptura primogenitus nominatur, non solum respectu sequentis, sed etiam quia priorem non habuit. Sic enim in Exodo legitur, Dominum percussisse omne primogenitum in terra Ægypti, nec erat domus in Ægypto, in qua non iaceret defunctus. Numquid in qualibet domo erant plures filii? Sic etiam in lege Moysis fuit praeceptum, omne primogenitum Deo offerri; et si parentes non habuerunt nisi unigenitum, tamen vi huius praecepti tenebantur illum offerre. Postremo, fratres Christi dicuntur, quia cognati, quomodo Abraham dixit ad Lot: « Fratres sumus »; et Ioab ad Amasam, « Salve, mi frater ». Et in libro Iudicum habetur: « Dixit Iudas Simeoni fratri suo ». Contra istum Helvidium prorsus turpissimum et insanum, composuit S. Hieronymus librum.

2376. Quod vero subiungitur, « Et vocavit nomen eius Iesum », hoc tam de Maria quam de Ioseph intelligi potest. Utrique enim seorsum praeceperat angelus, ut puerum Iesum vocarent: quod utique nomen secundum suam plenariam proprietatem, id est salvativam virtutem, a Deo impositum, et appropriatum est Filio Virginis, qui solus perfecte salvat, et universaliter liberat. Propter quod Isaias dicit: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei »...

Enarrat. in Matth. cap. II.

2377. Descripta pueri Iesu veneratione, in qua eius divinitas patuit, consequenter

Digitized by Google

describitur eius persecutio, in qua sua humanitas clare innotuit. Qui quum recessissent, id est, quum Magi a Bethlehem ad sua redire coepissent per aliam viam, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens ei: « Surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi », id est tamdiu donec annuntiem tibi de reditu. Causa autem huius commissionis subiungitur: « Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum », id est interficiendum, non ad adorandum sicut vulpino corde spopondit. Ista apparitio et allocutio angeli facta est S. Ioseph post praesentationem pueri Iesu in templo, ubi Simeon accepit eum in ulnas suas, et Anna prophetissa confessa est Domino, omnibusque habitatoribus Ierusalem de Christo locuta est. Herodes quippe cernens Magos non reverti ad se, aestimavit eos per phantasticam stellam illusos, sicque ex verecundia non rediisse ad eum, sed clam abscessisse: ideo non curavit requirere puerum. Verum, post purificationem Mariae percipiens verba Simeonis, Annae, atque pastorum perhibentium testimonium Christo, tunc credens Magos non esse deceptos, vehementer turbatus est, suspicatus successorem regni. Haec est enim implacabilis regum iracundia, dum sentiunt regnum suum ab alio impeti.

2378. Qui Ioseph consurgens a somno, sine dilatione, quia de pueri praeservatione atque custodia diligentissimus exstitit, accepit puerum et matrem eius nocte, id est, suo itineri eos associavit: et forte in propriis ulnis vel scapulis puerum baiulavit, nisi dicatur Mariam et Iesum iumento vexisse, propter itineris prolixitatem, sicut et Virginem sacram in asino creditur deduxisse ad Bethlehem, hora nativitatis Christi iam proxima. Accepitque eos nocte, forte eadem qua angelum vidit, quoniam tempus nocturnum magis aptum est fugae, ne de fuga accusaretur ab aliquo.

2379. Secundum principem theologorum divinum Dionysium, ecclesiastica hierarchia ab angelica gubernatur, et omnia opera Dei ordinatissima sunt. Quamvis ergo puer natus poterat S. Ioseph intus docere, imo et foris affari de fuga arripienda, tamen hoc fecit per angelum, ut ordo hierarchicus servaretur. Poterat quoque Iesus alio modo evadere manum Herodis, quemadmodum evasit manus Iudaeorum, eum praecipitare et lapidare volentium. Sed quia nostram assumpsit naturam, et ad patiendum atque ad exhibendum totius perfectionis exemplum advenit, voluit humano modo procedere, fugiendo, adversa patiendo, et exemplum praebendo, sicut in Evangelio loquitur: « Quum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam ».

2380. Et secessit Ioseph cum Maria et infantulo, in Ægyptum: prout per Isaiam fuerat prophetatum: « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius ». Fertur equidem in Scholastica historia, quod Christo Ægyptum ingrediente, omnia idola in fanis Ægyptiorum in terram collapsa sunt, Christi praesentiam ferre nequaquam valentia, sicut nec Dagon praesentiam arcae, sed corruit. Per quod figurabatur idolatriam penitus destruendam in toto mundo Christi virtute, iuxta illud: « In die illa, dicit Dominus, disperdam nomina idolorum de terra »...

2381. « Et erat Ioseph ibi » videlicet in Ægypto cum matre et puero, manibus suis victum conquirens, « usque ad obitum Herodis », utpote septem annis, ut fertur. Herodes enim triginta septem annis dicitur regnasse, eiusque imperii tricesimo anno Christus legitur natus fuisse. Ut impleretur in Christi reversione ab Ægypto post mortem Herodis, quod dictum est a Domino per Prophetam Osee dicentem: « Ex Ægypto vocavi filium meum »...

2382. « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade ex Ægypto in terram Israel ». Determinatam autem urbem ad quam revertatur non ei exprimit angelus, quia de hoc postea instructurus erat S. Ioseph, quando specialis ratio hoc exegit. « Defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri », id est Herodes et eius fautores, qui animam, id est vitam animalem, pueri quaerebant exstinguere. Per quod, secundum Hieronymum et Chrysostomum, datur intelligi sacerdotes et scribas de morte Christi cogitasse, et Herodis studio consensisse. Quod intelligi potest de Christo materialiter et formaliter: materialiter, quia consenserunt in mortem eius qui fuit verus Christus, quem ipsi non crediderant esse Christum, formaliter, quia eum Christum etiam cognitum optaverunt occidi. An hoc secundo modo intelligi possit, difficile est, et satis ambiguum, quum Apostolus dicat: « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent »; Et Petrus Iudaeis loquens, dicit: « Scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri ». Et Dominus in cruce pendens, dixit: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt ».

2383. « Qui consurgens, accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem Ioseph quod Archelaus filius

Digitized by Google

Herodis regnaret in Iudaea pro Herode patre suo ». Refert Iosephus, quod Herodes totum regnum suum dimisit Archelao, quem diligebat prae ceteris filiis. Herodes ergo et Philippus, filii huius Herodis et fratres Archelai, petierunt ab imperatore partem regni paterni: qui consilio habito, divisit regnum maioris Herodis in duas partes, dans unam medietatem Archelao; aliam vero medietatem in duas partitus est, dans unam Herodi minori, videlicet Galilaeam, aliamque Philippo, puta Ituraeam et Trachonitiden regionem. Medietas vero Archelao concessa, tenuit nomen Iudaeae: ideo Archelaus dicitur in Iudaea regnasse. Et quoniam a patre suo constitutus erat heres totius regni, et carior patri, idcirco favit machinationibus patris sui de Christi occisione et aliis malis. Unde Ioseph proditionem formidans, non audebat ad terram Archelai reverti, sicut subiungitur: « timuit illo ire », id est ad Iudaeam transire. Et admonitus in somnis, haud dubium quin ab angelo, secessit in partes Galilaeae, id est, per loca et terminos Galilaeae transivit, quia Herodes dominus Galilaeae patrem suum non dilexit, a quo regno erat privatus: ideo Ioseph in terra eius securius morabatur.

2384. Et veniens Ioseph habitavit cum Maria et puero in civitate quae vocatur Nazaret, in qua angelus Virgini Christi conceptionem annuntiavit; ut adimpleretur in Christi habitatione in Nazareth, quod dictum est per Prophetas: « Quoniam Nazaraeus vocabitur Christus », quia in Nazareth fuit moratus, conceptus atque nutritus. Hoc in Isaia secundum Hebraicam veritatem sic legitur: « Egredietur virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius consurget ». Loco cuius nos habemus: « Et flos de radice eius ascendet ». Et forsitan alii Prophetae, quorum scripta non habentur, idem dixerunt. Non enim omnium Prophetarum libros habemus, et tamen omnes Prophetae de Christo locuti sunt. Unde Philippus sciens hoc a Prophetis praedictum, ait ad Nathanael: « Quem scripsit Moyses et Prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth ». Cui concordans Nathanael: « A Nazareth, inquit, potest aliquid boni esse? »...

Enarrat. in Matth. cap. VIII.

2385. « Et accedens ad Iesum unus Scriba », id est eruditus in lege, ait illi: « Magister, sequar te quocumque ieris », id est, tibi inseparabiliter adhaerebo. Qua intentione hoc dixerit, ex subsequenti Christi responsione elicitur. Et dicit ei Iesus: « Vulpes foveas habent, id est latibula sua sub terra, et volucres coeli aer, in quo volant, habent nidos in quibus quiescunt et pullos enutriunt; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet », id est propriam domum. Sed nonne Maria, quae erat unica suis parentibus, ex parte patris habuit domum parentum suorum? et Ioseph (qui adhuc vixit, secundum quosdam) propriam habuit domum? Et respondendum, probabile esse quod Virgo Beata omnia sua vendidit, egenisque contulit, similiter Ioseph: aliter non implessent quod Christus edocuit alios, et Apostoli perfecerunt, qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Christus ergo in summa vixit inopia, proprio carens hospitio. Propter quod Ieremias vehementer admirans, ait ad eum: « Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare venturus es quasi vir vagus? »

2386. Quaeritur, cur Christus pauperem vitam elegit. Dicendum: Primo, ut Scripturas Prophetarum impleret. Sic enim primus Christi adventus in paupertate describitur: « Exsulta satis, filia Sion; ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper. « Et in Psalmo: « Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea ». Unde patet caecitas Iudaeorum exspectantium regem Messiam in primo suo adventu temporaliter regnaturum, et omnia regna saeculi possessurum. Secundo, ut faceret quod docere volebat. Venit enim ut mundi ac divitiarum praedicaret contemptum: non ergo debuit eas habere. Tertio, ut non solum verbis, sed etiam rebus futuri saeculi vitam doceret. Per hoc enim quod omnia temporalia contemnuntur, maxime declaratur esse vita alia post praesentem. Quarto, ne putaretur collatione divitiarum attraxisse sibi discipulos. Quinto, ut merito suae paupertatis, veras divitias consequamur, quemadmodum dicit: Apostolus: « Propter nos egenus factus est, quum dives esset, ut illius inopia divites efficeremur ».

Enarrat. in Matth. cap. XIII.

2387. « Nonne hic est fabri filius », scilicet ipsius Ioseph (qui fertur fuisse faber lignarius)? Marci sexto ita habetur: Nonne hic est faber, filius Mariae? Vocabant ergo Iesum fabrum: vel despective, sicut communiter fit quum filiis improperatur officium patrum (vocantur nomine talis officii, ut si filius fullonis promoveatur in episcopum, invidi dicunt, Ille fullo); vel, quia Iesus patrem suum putativum frequenter adiuvit in suo officio: quod Nazarenos istos non latuit. Nam usque ad tricesimum annum habitavit

Digitized by Google

cum eis. « Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius sunt Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas? » De istis fratribus dictum est supra, quod fuerunt consobrini Christi, et filii Mariae uxoris Cleophae, sororis Virginis gloriosae, ut dicit Hieronymus in libro contra Helvidium haereticum. S. Thomas in uno loco ait, quod illi qui in Evangelio appellantur fratres Christi, fuerunt filii Ioseph de alia coniuge. Alibi dicit, quod Ioseph creditur virgo fuisse: quod Beda et alii communiter asserunt; et sic fratres isti fuerunt Christi nepotes. Quum enim in cruce commiserit Matrem suam virginem virgini, quum esset adulta, probabile est quod iuvenculam non commiserit, nisi virgini sponso. Et sorores eius, id est cognatae, nonne apud nos sunt, hoc est inter nos habitando?

2388. « Et scandalizabantur in eo », id est, ex consideratione humilis genealogiae cognationisque Christi, in peccatum prolapsi sunt, aestimantes quod sapientiam et virtutes habuerit a diabolo potius quam a Deo. In quo patet infinita eorum caecitas atque perversitas, quum multi Prophetarum illitterati et egeni exstiterint, et tamen prophetali sapientia Deo miserante impleti sunt, ut Amos agricola vellicans sycomoros, Ieremias puer...

Enarrat. in Luc. cap. I.

2389. Fuit autem Sponsus Virginis castissimus Ioseph, de domo, id est semine, tribu, seu familia, David: de qua tribu fuit etiam Virgo Beata. Viri enim mulieribus suae tribus matrimonialiter iungebantur: praesertimque feminae in parentum hereditate succedentes, non poterant nubere nisi viris suae tribus, ne sortium distributio confunderetur. Virgo autem gloriosa unica fuit suo patri: propter quod ei in hereditate successit...

2390. « Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, (quod scilicet Filium Dei concipiam) quoniam virum non cognosco », hoc est, nequaquam cognoscere decrevi, et vovi quantum in me est? Iam enim, ut dicunt doctores, virginitatem promisit, tamen sub honestissima conditione, utpote nisi Deus aliter de ea disponeret. Aliqui vero affirmant, quod antequam desponsaretur, habuit virginitatis custodiam in proposito et affectu, non tamen promisit; postea autem desponsata Ioseph simile habenti propositum, simul cum ipso votum emisit. Quaerit autem de modo, non de facto secundum se, quia non dubitavit, sed de virginitatis observatione sollicita, sciscitata est operis modum. Verumtamen, teste Ambrosio, legit Maria illud Isaiae, « Ecce virgo concipiet »; modum vero non legit. Ex quo concluditur, quod litterata fuit, et in lege atque Prophetis humano quoque studio erudita. Nam et Origenes testatur, quod legis habebat scientiam...

Enarrat. in Luc. cap. II.

2391. « Et ibant omnes », videlicet principales de qualibet domo, vel etiam ceteri qui ire valebant, « ut profiterentur », hoc est, verbo et facto protestarentur subiectos se Romano imperio, « singuli in suam civitatem », hoc est in urbem de qua nati fuerunt, vel ad quam amplius pertinebant. « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth », in qua Christus fuit conceptus; et ibidem Virgo Beatissima cum Ioseph suo ministro, sponso et viro, tunc habitavit. Fertur quoque Ioseph ascendisse, quoniam civitas illa inferior fuit loco quem adiit. De qua subditur: « in Iudaeam civitatem », hoc est in urbem ad tribum Iuda spectantem: ut Iudaea adiective sumatur, quemadmodum in Ioanne, quo dicitur, « in Iudaeam terram »: civitatem, inquam, David, [quae vocatur Bethlehem], id est, de qua exstitit oriundus. Ibi enim pater suus moratus est, et ipse cum illo, ut in libris Regum habetur. Sion quoque dicitur civitas David, quoniam ibi specialem sibi constituit mansionem, puta palatium, et quia Ierusalem fuit metropolis regni David. Sion autem quandoque pro Ierusalem, quandoque pro illa parte Ierusalem ubi palatium fuit ac templum, accipitur. « Eo quod esset de domo, et, pro id est, familia David », ut patet in Matthaeo, et infra capitulo tertio. Vel per domum intelligitur genus seu cognatio in communi; per familiam, pars cognationis. Multae namque familiae de eodem patre prodibant, quando multos filios habuit. Circa quod ait Graecus: « Per hoc quod Evangelista ostendit Ioseph fuisse de cognatione David, contentus fuit ipsam quoque Virginem de eadem fuisse cognatione promulgare, quum divina lex praeciperet coniugales copulas ex eadem progenie contrahi ». « Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi » antequam illa conciperet Christum « Missus est enim Gabriel angelus ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph », ut dictum est. « Uxore praegnante, hoc est partui iam propinqua. Veraciter enim uxor ipsius fuit, quamvis eam nunquam cognoverit. Unde apud Matthaeum, angelus ait ad eum, ante Christi nativitatem ex Virgine: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Siquidem verum inter eos matrimonium fuit, quamvis non sit carnali copula consummatum.

Digitized by Google

2392. Porro, professio illa fiebat verbo et facto, quia dicebant se imperatori subiectos, atque in signum veritatis, ponebant denarium imperatoris imagine insignitum super proprium caput, quem statim porrigebant imperatoris ministro, qui nomina profitentium mox descripsit. Estque dubium apud quosdam, an solus vir profitebatur. Quod si dicatur, tunc quod ait Evangelista, « Cum Maria », refertur ad verbum, « Ascendit », non ad verbum, « Profitebatur ».

2393. « Factum est autem, quum essent ibi », puta in Bethlehem « impleti sunt dies ut pareret » Virgo benedicta, novem mensibus iam elapsis: quae revelante Spiritu Sancto noverat se in Bethlehem parituram, ut illud Michaeae impleretur, quo Dominus ait: « Et tu, Bethlehem Ephrata, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; et magnificabitur in medio universae terrae ». De quo fertur in Psalmo: « Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum ». Et Daniel ait: « Omnes populi, tribus et linguae servient ei ». « Et peperit filium suum primogenitum, » scilicet Iesum Christum, qui dicitur primogenitus per exclusionem prioris, non per respectum sequentis seu posterioris: ut dicatur primogenitus, ante quem alius non est natus, etiam si nullus post eum nascatur. Sic enim primogenitus in lege accipitur, dum omne primogenitum Domino offerri iubetur. Certum est enim, quod multi tunc unigeniti erant in populo Iudaeorum, qui tamen Deo offerebantur propter illud praeceptum.

2394. Denique, quoniam Christus nasci dignatus est ex Virgine, ut per spiritualem regenerationem fratres multos acquireret, hinc, ut sic, aptius dictus est primogenitus, quam unigenitus. Hinc Beda affirmat: « Unigenitus est in substantia deitatis, primogenitus in substantia humanitatis; primogenitus in gratia, unigenitus in natura. Excellentissimam namque gratiam secundum assumptam humanitatem accepit, ita quod de plenitudine eius accepimus omnes, ut Ioannes habet ». Iterum Christus dicitur primogenitus, quoniam dignior universis. Unde in Apocalypsi vocatur primogenitus mortuorum; et ad Colossenses de eo scribit Apostolus: « Qui est principium, primogenitus ex mortuis ». Rursus vocatur primogenitus omnis creaturae, quia secundum divinam suam naturam, natus est ante omnia saecula, ab aeterno. Secundum humanitatem quoque praelatus est omni creato, non solum per hypostaticam suae humanitatis unionem cum Verbo, sed et per excellentissimam gratiae et gloriae plenitudinem, quam a primo incarnationis instanti suscepit

2395. Itaque, « Peperit filium suum ». Deique Patris unicum natum, quem sicut sine carnali delectatione, cum ingenti spirituali laetitia, in alta exsistens contemplatione concepit, ita sine corporali dolore, cum interno dulcore, in sublimi exsistens contemplatione, quasi in ictu oculi peperit, natumque protinus ut Deum verum atque altissimum humillime fortis ac iucundissima adoravit; et pannis eum involvit, propriis manibus, nec utens nec indigens auxilio obstetricum, dicente Hieronymo: « Nulla ibi obstetrix, nulla mulierciularum sedulitas intercessit; ipsa pannis involvit infantem, ipsa mater et obstetrix fuit ». Itaque, si alicubi huius oppositum inveniatur, tamquam mendacium respuatur. Communiter autem asseritur, quod pannis, id est vilibus atque veteribus panniculis, eum involvit. Verumtamen in Revelationibus Beatissimae Brigittae, Virgo Maria inducitur loqui ad Brigittam, quod scivit se parituram in Bethlehem, ut impleretur Scriptura, idcirco de mundissimis et decentissimis lineis panniculis sibi providit, quibus et Filium suum mox reverenter involvit. Nempe, ut legitur ibi, credibiliter utique, sacratissima Virgo mox paritura genua devotissime flexit, et mente ad Deum erecta, velut in momento puerum est enixa, viditque eum ante se in terra iacentem, et paulo post prae frigore palpitantem: cui illa tenerrime condolens, susceptum et amplexatum, deosculabatur, stringens eum ad pectus suum et calefaciens ipsum; deinde candidissimis involvit panniculis, agens quod subditur.

2396. « Et reclinavit in praesepio » iuxta se posito: quod vel Ioseph faber lignarius ibi tunc fecit (propter bovem et asinum quos secum fertur duxisse, vehens Virginem super asinum, et bovem pro necessariis in itinere vendere volens, quamvis aliqui putent animalia illa, aut saltem bovem, aliunde fuisse adducta); vel praesepe iamdudum fuit ibi constructum in loco, de quo subditur: « Quia non erat ei locus in diversorio », hoc est, alium aptiorem locum, quo puerum poneret, ibi Virgo Sancta non reperit.

2397. Porro, diversorium, secundum Isidorum, dicitur, quia diversi ibi conveniunt; atque, ut asserit Beda, fuit domus seu spatium inter duos vicos, ex utroque latere habens murum, et ex utraque parte portam, desuper quoque ob aeris intemperiem coopertum: quo festis diebus cives ad conferendum et solatiandum convenerant, quo etiam urbem ingredientes animalia sua ad tempus locare solebant: sicque a divertendo diversorium est vocatum, quoniam illic homines divertebant. Alii dicunt, quod fuit hospitalaria, ad quam ab extra venientes

Digitized by Google

divertebant ad hospitandum, praesertim egeni. Unde, quia tunc Bethlehem fuit hominibus plena, et ditiores hospitia occupaverant meliora, Ioseph ut verecundus, simplex et pauper, cum Virgine divertit ad locum praefatum. Quod utique non casualiter factum est, sed Deo praeordinante ac moderante, propter multiplicem rationem, videlicet : ad commendandam paupertatem ac humilitatem, mundique contemptum edocendum, quia ad haec instruenda verbo ac opere, ipsemet Filius Dei advenit; item ad implendam Scripturam, quoniam per Habacuc de Christo praedictum est, secundum translationem Septuaginta interpretum : « In medio duorum animantium cognosceris ».

2398. « Et invenerunt Mariam »: quam divinus Ignatius in suis ad eam epistolis toties vocat Christiferam; et Ioseph Virginis sponsum, custodem, ministrum, eiusque integerrimae virginitatis verissimum testem, et infantem, id est parvulum: qui licet more aliorum parvulorum, infans, quasi non fans, seu loqui non valens, vocatus sit; tamen a prima suae nativitatis hora disertissime ac sapientissime loqui valebat, non Hebraea dumtaxat, sed et omnium gentium lingua: nam et dona gratiae gratis datae, ut prophetiam, genera linguarum, scientiam, interpretationemque sermonum, a primo incarnationis instanti accepit; positum in praesepio : in quo, secundum Gorram, impletum est spiritualiter illud admirabile in Iob scriptum : « Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum? » Rhinoceros quippe est animal fortissimum, quod unum in fronte fert cornu, propter quod unicornis vocatur, et capitur in gremio Virginis, in quo caput reclinat quando fugatur : et Christum designat, qui in virginalis uteri gremio, captus atque in nostrum redactus servitium dicitur...

2399. « Tulerunt illum », scilicet Iesum, Maria et Ioseph. Tunc enim egressa est Virgo Christifera stabulum in quo peperit Christum, tulitque eum ad templum (et forte saepenumero ipsa cum Ioseph detulit puerum) in Ierusalem; ut sisterent, hoc est, offerent, praesentarent, seu consecrarent, eum Domino, hoc est Deo Patri seu Deo trino ac simplici, quia et sibi ipsi secundum quod Deus est: quia offerri competit ei secundum humanitatem...

2400. « Et ut darent », hoc est, etiam ideo tulerunt Iesum ad templum, ut offerent pro ipso et matre eius « hostiam secundum quod dictum est in lege Domini » in Levitico, utpote « par turturum aut duos pullos columbarum ». Offerebaturque unus turtur Deo in holocaustum, alius pro peccato, qui cessit in usum sacerdotis orantis pro muliere quae sic purgabatur. Haec quoque fuit oblatio pauperum, nam divites agnum offerebant: ex quo patet paupertas Mariae et Ioseph. Verumtamen Maria a parentibus suis hereditatem bonam suscepit, nec dubium quin tres Magi in die Epiphaniae pretiosa Christo dona obtulerint ; sed perfectissima Virgo, inspirante ei spiritu Filii sui, omnia tenuissimae necessitati, hoc est parcissimo victui atque tegumento, superflua, per se, vel potius per manus Ioseph, erogavit egenis. Nec reor quod peregrinationi suae cum Iesu et Ioseph in Ægyptum aliquid notabile servaverit, vel tantam de crastino habuerit curam: quippe cuius spes in Deo perfectissima fuit, et quae noverat se Christum Dei sapientiam ac providentiam omnipotentem secum habere in filium...

2401. Postremo, Lucas non exprimit determinate quid Maria et Ioseph obtulerint, an scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum, quia redit in idem quidquid horum obtulisse dicantur. Per utrumque enim eorum inopia designatur, et res per utrumque illorum figurata, Deo est placita...

2402. « Et erant pater eius », videlicet Ioseph, qui dicitur pater Christi, quia nutricius, et quia ob famam Virginis Matris conservandam, permissus est aestimari pater Christi. Circa quod loquitur Origenes: « Qui altius aliquid inquirit, potest dicere quoniam generationis ordo a David usque Ioseph deducitur, ne videretur ipse Ioseph frustra nominari, quia non fuit pater Salvatoris ; attamen, ut generationis ordo locum haberet, pater Domini appellatus est ». Rursus, quoniam Ioseph vere fuit vir Mariae, cuius Christus fuit veraciter filius, Christus magis proprie dicitur filius Ioseph, quam si esset aliunde, seu ex alia coniuge adoptatus. Et mater eius qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus aeternus, omnipotens et immensus, Mater eius qui omnium est Creator, quem universi angelicorum spirituum ordines incessanter adorant. Mirantes, non admiratione dubitationis, sed reverentiae et congratulationis, super his quae dicebantur de illo, hoc est de magnalibus atque magnificis laudibus de puero Iesu prolatis, a parentibus Praecursoris, ab angelo exercituque angelico, a pastoribus quoque et Simeone. Itaque, mirabantur quod de eo qui in tanta paupertate ac humilitate advenit, tam altissima dicebantur, quod scilicet esset salutare Dei Patris, et omnium Dominus, lumen gentium, gloria Iudaeorum, mundi Salvator, Unigenitus Dei, verusque Deus. Mirabantur quoque non parum se electos ad tantum mysterium, et quod mundi thesaurus eis esset commissus.

2403. « Et benedixit illis », scilicet parentibus

Digitized by Google

Iesu Christi, Simeon. Consuetudo enim fuit sacerdotibus legis, benedicere parentibus infantem in templo offerentibus cum hostiis debitis: et benedictio illa videtur fuisse imprecatio boni, qua sacerdos expetebat seu imprecabatur eis bona a Deo. Formam tamen benedictionis illius non habemus expressam, ut dicitur; sed forte fuit illa, aut similis illi, de qua in Numeris habetur: « Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: Sic benedicetis filiis Israel: Benedicat tibi Dominus et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem ». Verumtamen, reor quod Simeon speciali omnino benedictione benedixerit Mariae et Ioseph, utpote benedictione laudis, beatos et benedictos eos dicendo. Dignitatem namque, electionem, et gratiam illorum, etiam ipsemet vehementissime mirabatur. Nihilo minus eis benedixit, quia maior fuit sacerdotali officio, quamvis non sanctitate et merito, saltem quoad Mariam. Maior autem officio, benedictionem largitur. Vere equidem beatus fuit ille Ioseph qui ad tantum secretum fuit admissus: qui sponsus et custos virginis Matris Genitricisque Dei esse, electus fuit ac meruit: qui Dei Patris Filium, Deum incarnatum, nutrire, tractare, deferre, cohabitantem, imo et obedientem ac ministrantem habere, fuit praeordinatus: nempe, ut infra habetur, Iesus fuit subditus illis, haud dubium quin Mariae et Ioseph...

2404. « Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini », id est, postquam Maria et Ioseph omnia peregerunt quae secundum praecepta legis ad ritum purificationis spectabant, videlicet Filium in templo offerendo, eumque quinque siclis redimendo, hostias quoque immolando legales, quamvis ad nullum istorum (ut dictum est) tenerentur, reversi sunt in Galilaeam, videlicet in civitatem suam Nazareth: quae dicitur urbs eorum, quia habitaverunt ibidem antequam venirent ad Bethlehem. Christus quoque in Nazareth fuit conceptus.

2405. Praeterea, secundum Origenem, Bedam, multosque alios, praetermittit hoc loco Lucas quaedam, quae a Matthaeo evangelista novit descripta, quomodo scilicet Iesus post haec sit in Ægyptum translatus, ne ab Herode occideretur, et post mortem Herodis reductus sit, tuncque coeperit Nazareth habitare. Itaque secundum istos, antequam Maria et Ioseph cum Iesu venirent in Nazareth, in Ægyptum profecti sunt. Dicuntque aliqui, quod in Bethlehem a Ierusalem redierunt, et a Bethlehem in Ægyptum progressi sint. Alii probabiliter dicunt, quod a Ierusalem non redierunt in Bethlehem, quia ob nullam causam a Nazareth venerunt ad Bethlehem, nisi propter descriptionem, ut patuit: idcirco expedito illo negotio, revertentes a Ierusalem, non ad Bethlehem, sed ad Nazareth redierunt, in qua velut in civitate patriae mansionisque suae, libentius morabantur; et postea, ex illa urbe, angelo nuntiante, in Ægyptum fugerunt. Ceteri quasi mediam viam tenentes, affirmant quod a Ierusalem coeperunt reverti in Nazareth, atque in via angelus locutus est ipsi Ioseph, ut cum matre et puero fugeret in Ægyptum. Verum quidquid horum dicatur, verum est quod evangelistae singuli aliqua hinc inde omittunt, quae ab aliis noverunt iam scripta, vel Spiritu revelante describenda viderunt: sic tamen, ut narrationis seu descriptionis suae serie continuata, quasi nulla praetermississe videantur, quae alterius Evangelistae pensata descriptione, quo loco transilita sint, diligens lector inveniet...

2406. « Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solenni Paschae ». Si Maria et Ioseph cum puero Iesu septem annis in Ægypto morati sunt, quomodo singulis annis pueritiae Iesu in Ierusalem circa Pascha profecti sunt? Praeterea in Matthaeo habetur, quod Ioseph angelo praecipiente rediens de Ægypto in terram Israel, audito quod in Iudaea, cuius metropolis fuit Ierusalem, regnaret Archelaus filius Herodis, timuit illo ire, ideoque in Galilaeam reversus est, atque in Nazareth habitavit. Quomodo ergo quolibet anno ivit Ierusalem, si timore Archelai non audebat illuc accedere? Insuper lex praecepit, ut tribus vicibus in quolibet anno, omne masculinum Iudaeorum appareret coram Domino in loco ad hoc electo, hoc est in loco praecipuo cultus divini, qui fuit Ierusalem, praesertim postquam ibidem constructum est templum. Ergo, qua ratione semel ascenderunt Ierusalem? Videtur quod ter ascendere debuerunt.

2407. Et respondendum ad primum, quod Lucas loquitur de tempore quo Maria et Ioseph in Galilaea seu Nazareth sunt morati. Ad secundum respondet Augustinus in libro de Consensu Evangelistarum dupliciter: primo, quod licet Ioseph timuerit in Iudaea morari, Archelao regnante, ne esset conspicuus inter turbam, tamen in gentem in qua facile quivit latere, secrete ascendere potuit, ne esset irreligiosus; secundo, quod Lucas loquitur pro tempore quo Archelaus non timebatur, defunctusve erat. Ad tertium respondetur, quod lex in Exodo iussit, ut omnis masculus Iudaeorum in tribus solemnitatibus, scilicet Paschae, Pentecostes, et Tabernaculorum, coram Domino appareret; sed cum his qui habitabant mul-

Digitized by Google

tum remote a loco praefato, dispensabatur quoad duas solemnitates, videlicet Pentecostes et Tabernaculorum. Maria autem et Ioseph a Ierusalem remote manebant: idcirco ad principalem dumtaxat solemnitatem venerunt, legi obedientes, et obediendi exemplum praestantes. De mulieribus tamen praeceptum non fuit ita venire; sed si comitabantur viros, ex devotione vel consuetudine fuit.

2408. Postremo quod ait, « Ibant Ierusalem in die solemni Paschae », non est intelligendum quod in die illo tam celebri ibant, sed quod iter sic arripiebant, ut in illo die in Ierusalem essent: imo in vigilia Paschae, quando agnus seu phase immolabatur, ibi esse curabant, ut manducarent de agno paschali.

2409. Deinceps recitat evangelista quomodo puer Iesus primo sapientiam suam declarare seu manifestare incepit. Et quum factus esset Iesus annorum duodecim, secundum quod homo: qui secundum divinitatem idem ipse aeternaliter et invariabiliter permanet; ascendentibus illis, videlicet Maria et Ioseph, Ierosolymam. Sic enim appellavit eam Salomon, quae communiter Ierusalem nuncupatur; situque altior fuit quam Galilaea, ideo ascendisse dicuntur; secundum consuetudinem die festi, id est, prout solitum fuit circa festivitatem paschalem. Bona quippe et laudabilis consuetudo vim legis habet, ideo sine idonea causa omittenda non est.

2410. Consummatisque diebus, id est expletis seu transactis diebus ad solemnitatem illam spectantibus: quae septem diebus durabat, iuxta illud Deuteronomii, « Septem diebus comedes absque fermento ». Verumtamen aliqui dicunt, quod octo diebus duraverit, quia et Glossa testatur: « Octo prolongabatur diebus ». Quod verum est cum praefatis septem integris diebus de quibus ait Scriptura, computando diem eos immediate praecedentem, in cuius vespera immolabatur phase, luna quartadecima, prout in Exodo fuit praeceptum. Quum redirent, id est, a Ierusalem reverti ad Galilaeam inciperent, « remansit puer Iesus in Ierusalem », non absque multiplici causa, rationabilissimisque motivis, videlicet: ut suam sapientiam tunc monstrare ad gloriam Patris inciperet; ut pueris, imo et cunctis, exemplum persistendi in templo et in cultu ac opere Dei praeberet; ut zelum suum circa divina ac Patris honorem a pueritia declararet; ut amore spiritualis profectus in sapientia, scientiis atque virtutibus, carnales parentes ostenderet relinquendos. « Et non cognoverunt parentes eius, quod ibi remansit »: quia ut Beda fatetur, ad solemnitates praefatas venientes atque ad propria redeuntes, viri et feminae incedebant seorsum, infantes autem ac pueri cum quolibet parente poterant ire: ideo Maria putavit puerum esse cum Ioseph, et vice versa. Sic namque seorsum tendebant viri ac feminae, ut continendo, devotius solemnitatibus interessent. Verumtamen Origenes subtilius aliquid tangit, nescio tamen si verius. Imaginabatur equidem, quod supernaturaliter imperceptibiliterque elapsus sit manus parentum, quemadmodum in Evangelio secundum Ioannem legitur saepe elapsus manus Iudaeorum eum lapidare volentium: quod qualiter factum sit, infra dicetur.

2411. « Existimantes autem illum esse in comitatu », id est inter eos qui pariter incedebant, ita quod Maria putavit quod esset in comitatu virorum, Ioseph autem, quod esset in comitatu mulierum, « venerunt iter diei, id est, unius diei iter confecerunt a Ierusalem recedendo, « et requirebant eum inter cognatos et notos ». Quum enim in fine primi diei, tam Maria quam Ioseph adverterent quod cum nullo ipsorum esset vel redisset Iesus, non mediocriter sollicitabantur: idcirco die sequenti eum in utroque comitatu, praesertim inter cognatos et vicinos seu notos et familiares, diligentissime requirebant. « Et non invenientes eum inter illos »: ad insinuandum quod carnalis amor atque propinquitas, societasque humana plurimum impedit a vacatione divina inventioneque Christi; « regressi sunt in Ierusalem » tertia die, requirentes eum in ea, ubicumque putabant spem esse quod inveniretur. Quo enim plus diligebant, eo vigilantius et abundantius quaerebant dilectum: quia ut ait Gregorius, vis amoris multiplicat intentionem et studium inquisitionis.

2412. « Et factum est, post triduum, utpote quarto die, invenerunt illum in templo », non in theatro, foro, ludorumve loco, ut pueri solent inveniri: ad innuendum quod Filium Dei quaerere et invenire optantes, templum, oratorium, ecclesiam, seu locum cultui Dei contemplationique aptum ingredi debent, non spectaculorum aut tumultuum loca...

2413. At vero affectuosissima atque piissima Mater, viso unico ac supercarissimo Filio suo, tanto amplius est gavisa, quo de eius amissione plus fuit tristata; verumtamen eum alloqui non praesumpsit, quamdiu vidit eum cum doctoribus occupatum. Sed Puer Matrem adesse conspiciens, actu illo completo, venit ad eam. Quae mox maternis concussis visceribus et prae gaudio lacrimans, fiducialiter, humiliter, dulciter et affectuose, tanquam mater ait ad ipsum: « Fili, quid fecisti nobis sic? ». Et est verbum hoc non

Digitized by Google

quasi increpatio, sed quasi pia et amorosa conquestio, seu avida inquisitio, exponendum. Noverat nempe beatissima Virgo Filium suum esse Deum et hominem, nec posse peccare, nec sine rationabili causa quidpiam agere. Ideo sciscitatur: O Fili, quid id est cur, fecisti nobis sic, nobis ignorantibus in Ierusalem remanendo, ac per hoc tantam nobis tristitiam ingerendo, quos noveras de tua absentia taliter affligendos? O felicissima incomparabilisque Maria, quae Unigenitum Patris aeterni tam vere ac confidenter filium vocat!

2414. « Ecce ego et pater tuus » putativus, dolentes de tua absentia, quaerebamus te cum grandi dolore. Cuius doloris causam Glossa assignat, quia timebant ne quod puero in infantia facere molitus fuit Herodes, alii puero iam provectioris aetatis inferrent, videlicet Archelaus et alii. Sed nonne sapiens Virgo cognovit, quod puer ideo venit, ut in virili aetate pro mundi salute crucifigeretur? Et respondendum, quod utique: nihilominus metuere potuit ne puero qui ad patiendum venit, aliquid adversitatis accideret, quamvis sciret sibi hoc contra ipsius voluntatem non posse accidere. Denique Origenes circa hoc subtiliter scribit: « Cur, inquiens, quaerebant puerum cum dolore? An ideo, ne forte perierit sive erraverit? Absit. Numquam enim fieri potuit, ut perditum formidarent, quem Dominum esse cognoverant, et quem Maria se de Spiritu Sancto concepisse perpendit. Sed quomodo tu, dum Scripturas legis, quaeris in eis sensum cum dolore et quodam tormento, non quod Scripturas errasse arbitreris, sed quoniam veritatem quam continent nescis, et invenire quaeris; sic illi quaerebant Iesum, ne forte eos relinquens ad alia demigrasset, et quod magis puto, ne forte reversus esset ad coelos, quum ei placuisset iterum descensurus ».

2415. « Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis? » quasi dicat: Necesse non fuit me taliter quaeri cum tanta moestitia. Quibus verbis non increpat eos quasi culpabiles, quia nec male egerunt quaerendo; sed charitative et pie insinuat, quod aliter quaerendus potius fuit, et quod melius ac sapientius facere potuissent, quam fecerunt ita quaerendo inter cognatos ac notos: quemadmodum Christi voluntas de qua dixit, « Pater, non quod ego volo », bona fuit; et tamen qua dixit. « Sed quod tu », melior fuit. Hinc subditur: « Nesciebatis (quasi dicat, Utique perpendere potuistis) quia in his quae Patris mei sunt, id est in cultu et templo Patris aeterni, oportet me esse », qui veni ad hoc, ut secundum formam servi quam accepi, Patrem meum coelestem indesinenter honorem? Unde apud Ioannem Christus ait de Patre: « Quae placita sunt ei, facio semper ». Tanquam dicat: Primo fui a vobis in templo, non inter cognatos quaerendus, ceteris paribus; vel advertere poteratis, quod non nisi in divinis essem moratus. Hoc tamen pro tunc non tenebantur considerare, sed paulatim proficere debuerunt. Et Christus his verbis interrogat eos, non ut reprehendat quasi peccantes, sed ut instruat aliqua ignorantes, ut moris est his qui ex praecipua charitate loquuntur.

2416. « Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos ». Non est putandum ignorasse eos, praesertim Mariam, quod per patrem intellexerit Deum Patrem aeternum; sed plene non intellexerunt quid Christus per ista verba praetenderet, hoc est, per quem modum assereret se esse oportere in his quae Patris sunt, utpote quantum ad locum et tempus, aliasque circumstantias, et quoad actus determinatos: quia et verbum hoc multipliciter intelligi potuit; et Maria non ignoravit Filium suum indesinenter Deo Patri actibusque divinis intentum, sed quando, qualiter, quoties oporteret eum esse in templo, non ita praevidit distincte.

2417. « Et descendit cum eis, et venit Nazareth », a qua cum illis ascendit Ierusalem. De qua ascensione sua ad festivitatem legalem, per Zachariam de se ipso praedixit, dicens: « Vadam etiam ego ». Nam paulo ante ibidem habetur: « Haec dicit Dominus exercituum: Usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores unusquisque ad alterum, dicentes: Eamus et deprecemur faciem Domini » Quibus mox subditur: « Vadam etiam ego», scilicet Dominus exercituum qui loquitur ista. Non enim Zacharias de se ipso hoc ait: quod super Zachariam clarius demonstravi. « Et erat subditus illis »: quoniam sicut in se ipso humillimus fuit ut homo, sic usque perfectum in exterioribus humiliavit se ipsum, non solum Matri, sed et nutricio et ministro se subdens, secundum naturam assumptam; et legem quam de honoratione parentum dedit, implevit, non necessitate, sed dignatione et pietate. Non enim communi legi fuit adstrictus, aut de necessitate praecepti subiectus, sed supra legem, non solum secundum divinitatem, sed et secundum humanitatem, ut a Verbo aeterno assumptam et toti creaturae praelatam...

2418. « Et Mater eius conservabat omnia verba haec », scilicet verba et facta Filii sui, in corde suo, tanquam optima ac docillima sapientiae aeternae discipula, sapientiae capacissima ac avidissima; et quidquid

Digitized by Google

Filius eius de cetero fecit aut dixit, cum summa veneratione pensavit, ac inde eminenter profecit, non ut puerum vel virum dumtaxat, sed ut Deum illum attendens. Unde nec ipsa, nec Ioseph, sine debita reverentia ei aliquid iniungere consueverunt...

Enarrat. in Luc. cap. III.

2419. Tot ergo annorum exstitit Iesus tempore baptizationis, « ut putabatur filius Ioseph », id est quod, seu quando, adhuc aestimabatur naturalis filius ipsius Ioseph, quem putabant cognovisse Mariam et ex ea Iesum genuisse. Sed ex isto tempore, per testimonium desuper factum, et per praedicationem Ioannis, deinde per verba et opera Iesu, coepit patere et comprobari quampluribus, quod Iesus est Christus in lege promissus, et per consequens ex virgine natus, iuxta quod Isaias praedixit: « Ecce virgo concipiet ». « Qui fuit Heli, id est, qui Ioseph fuit filius Heli. Sed videtur contrarium, quia apud Matthaeum dicitur filius Iacob. Ad quod respondetur, quod fuit filius Iacob vere, secundum carnalem propagationem, sed filius Heli, secundum legis institutionem. Heli namque accepta coniuge, mortuus est absque prole: ideo frater eius Iacob iuxta legis praeceptum sumpsit coniugem illius in uxorem: ut fratri suo defuncto semen seu prolem procrearet, genuitque ex ea Ioseph: qui secundum legem vocatus est filius Heli, quoniam lex praecepit, ut fratre uxorato sine liberis defuncto, frater eius seu propinquus uxorem eius acciperet, filiumque ex ea natum defuncto adscriberet, ne nomen eius deleretur ex Israel. De hoc et aliis multis quae hoc loco et in variis huius voluminis locis possent induci, praetermitto, quia super Matthaeum plura inde conscripsi...

Enarrat. in Ioannem, cap. II.

2420. « Post haec », videlicet post nuptiarum in Cana factarum, et praedicti miraculi perpetrationem, « descendit Capharnaum », urbem Galilaeae metropolim atque maritimam, « ipse, et Mater eius, et fratres eius », hoc est consanguinei et affines ex parte virgineae Genitricis. Non enim fuerunt filii Mariae, ut dixit infelicissimus ille Helvidius haereticus, asserens Christo nato, Matrem eius cognitam esse a Ioseph. Aliqui vero dixerunt, quod erant filii Ioseph ex alia coniuge. Sed probabilius est quod etiam Ioseph virgo fuit: quia non decuit tantam virginem, nisi a sponso virgine, a pudicissimo atque castissimo viro custodiri. Et item, quum Christus in cruce erectus, non commendavit Matrem suam iam provectae aetatis, nisi discipulo virgini, verisimile est quod iuvenculam non commisit custodiendam, nisi virgineo viro. Dicuntur itaque « fratres », iuxta consuetudinem sacrae Scripturae, quae saepissime homines eiusdem genealogiae nominat fratres...

Enarrat. in Ioannem, cap. VII.

2421. « Dixerunt autem ad eum fratres eius », id est consobrini sive affines. Non enim erant, secundum Bedam, filii Ioseph ex alia coniuge: qui creditur virgo mansisse, ut purissimae ac pudicissimae Virginis esset custos atque minister condignus. Sed erant cognati Domini Iesu: non tamen de numero eorum quos Christus iam ad apostolatum vocavit, quia post pauca subiungitur, quod isti fratres eius non credebant in eum: Apostoli autem credebant...

In libros S. Dionysii Areopagitae, de coelesti Hierarchia, cap. IV, art. 24.

2422. « Ast alius angelorum Ioseph erudiebat quomodo vere implerentur divinitus promissa progenitori David: » id est, alius angelus erudivit S. Ioseph, gloriosissimae Virginis Sponsum ac ministrum, quando cogitavit occulte dimittere eam eo quod vidit eam impraegnatam, quomodo vere in sacratissima et praeexcellentissima Virgine eiusque prole, protinus erant complenda quae Deus promisit electo David de unico Dei Filio ex sua stirpe incarnando. Hinc legitur in Matthaeo: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». De quo filio fuit promissum David in Psalmo: « Benedicentur in ipso omnes tribus terrae ». Unde et princeps Apostolorum in Actibus legitur praedicasse: « David quum esset Dei propheta, et sciret quia iureiurando iurasset ei Deus de fructu lumborum eius sedere super sedem ipsius ». Unde in Psalmo habetur: « Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam »...

2423. « Et per medios ipsos, id est, mediantibus angelis, annuntiatur ipsi Ioseph, a Patre disposita Filii ad Ægyptum recessio », id est, discessio Christi a Iudaea in Ægyptum, « disposita », id est praeordinata, « a » Deo « Patre, annuntiatur », id est, notificata est, ipsi « Ioseph », « et iterum ad Iudaeam ex Ægypto transductio, » id est, relatio Christi de Ægypto in Galilaeam

Digitized by Google

etiam per angelum commissa est illi electo Ioseph, prout in Matthaeo describitur, ubi narratur: « Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto », etc. Verum ibi subiungitur: « Audiens autem Ioseph quod Archelaus regnaret in Iudaea, timuit illo ire; et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae, et habitavit in Nazareth ». Ergo non rediit in Iudaeam, sicut hic dicitur. Et respondendum, quod Iudaea interdum accipitur pro toto territorio Israelitici regni, et sic Galilaeam Samariamque includit: ut in Psalmo, « Facta est Iudaea sanctificatio eius ». Aliquando autem, pro principali parte regni illius: ut quum ait Salvator: « Eamus in Iudaeam iterum ». Etenim quando hoc dixit, fuit in Galilaea, ut Ioannes tangit. Iuxta istam acceptionem Iudaeae locutus est Dominus Apostolis: « Eritis mihi testes in omni Iudaea, et Galilaea, et Samaria ». Porro in Evangelio non dicitur quod angeli apparuerunt Ioseph, sed singulariter angelus. Ideo ponitur hic fortassis plurale pro singulari; vel quia unus angelus commisit S. Ioseph traducere puerum in Ægyptum, et alter angelus reducere puerum in Iudaeam. Vel si fuit angelus idem (quod probabile reor), pluraliter dictum est, « Per angelos », propter iteratam eiusdem apparitionem.

2424. **Hymnus XXV.**

Iosephi Sancti in Christum officia.

Multaque mira hinc fidei nostrae
Sunt patefacta Ioseph mysteria,
Et de futuris in Christo complendis
Plene docetur.

2. Crudelitatem sentiens Herodis
Natum cum matre ducit in Ægyptum
Et more patris toto infantiae
Pavit decursu.

3. Infantem Iesum tractavit manibus,
Gestavit ulnis, suaves amplexus
Praebuit illi, ob id praecipue
Sollemnizandus.

4. Et cum defunctus esset rex tyrannus,
Iesum reducit iubente angelo
In terram Iudae, Archelaum timens
Vadit Nazareth.

5. Non solum Dei Mater suo sponso,
Sed, cui genu inclinatur omne,
Mandatis suis obedit quam prompte
Et comitatur.

(Op. Dreves, XLII, p. 201, n. 338).

2425. **Memento.** — O S. Ioseph, quae in Maria agrum habuisti sanctissimum, in quo invenitur thesaurus super omnes thesauros pretiosissimus, ipsa enim vocatur a S. Bonaventura: " Ager in quo thesaurus angelorum, absconditus est; felix qui vendit omnia quae habet et emit agrum istum „, ora pro me, ut in agro mariano devota meditatione frequenter conversari merear et thesaurum divinae gratiae invenire et in aeternum possidere.

XXVI. — Sermo S. Thomae a Villanova.

S. IOSEPH AD PRAESEPE DOMINI.

In festo Natal. Domini, concio I.

Neque hic leviter praetereunda Virginis angustia est, cum vicina partui lares proprios dimittere, et alienas petere cogitur aedes, longam terere viam, et per montuosam exulare regionem. Virgo, inquam, tenera, et gravida, virgo publici nescia, domi assueta, virgo super omnes foeminas prudentissima. Neque viri sancti anxietas, et afflictio dissimulanda: cum, pervagatis singulis quibusque domibus, nullum Virgini reperit domicilium, nullum sibi et sponsae invenit hospitium. Tristabatur utique, et seipsum forte de talibus infortuniis arguebat, sibique uni hospitii repulsam attribuebat, et quanto magis illam omni honore dignissimam cogitabat, tanto magis illam videns inhonoratam dolebat. Sed sacrae Virginis temperabatur eloquio, illum adhortantis, ut libenti, forti, et alacri animo ista pateretur: sciens sine decreto Dei nihil fieri posse; et quod vir bonus quidquid ei acciderit aequo animo debet sustinere.

Concio II.

2427. Sed iam ad propositum redeamus. Postquam igitur videritis Regem Salomonem pannis involutum, in praesepio recumbentem, ipsumque adoraveritis, et vos illi toto corde obtuleritis in obsequium: videte etiam ipsius praeclarissimam Matrem nimio gaudio laetabundam. Aspicite, qua devotione adoret, qua reverentia tractet, quam solerti diligentia serviat. Videte lactantem, quem adorat: adorantem, quem lactat. Animadvertite Virginem Puerperam, evacuatam neque vitiatam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore. Videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, et obstupescite cum Propheta, dicentes: « Quis audivit umquam tale, quis vidit huic simile? Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum ». Neque post haec omnia dedignemini illum cernere sanctissimum virum Ioseph in tam prodigiosa re trepidantem, haerentem, et ad tanta, et tam nova miracula expavescentem. Stupet, et gaudet; admiratur, et laetatur; fervet intus spiritu, neque audet in tantam maiestatem attollere vultum. O felicissime Ioseph! quam verum esse cernis, quod dictum est tibi ab Angelo: « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto-

Digitized by Google

est! » Vidisti certe sacri partus prodigium: vidisti, et omnium quae gesta sunt, testis fuisti. Vide quantam sortitus es a Deo gloriam: attende quo ministerio serviendum est illi, cui pro Fescenninis angeli concinunt. Videte quoque post haec prostrata iumenta in praesentia Creatoris: videte mugientem bovem; et quia humani eloquii expers, mugitus pro laudibus referentem. Pudeat, pudeat conticescere, ubi iumenta loquuntur. Nemo sit mutus loquentibus illis. Deus pro homine homo factus est. Bos agnoscit, et asinus adorat, iumentum prosternitur; et stabit homo, et silebit, et genua non flectet ingratissimus homo?

Concio VIII.

2428. Quis tuam valeat explicare laetitiam? Quis tuos possit gaudiorum fluctus exprimere, cum Deum ac Creatorem tuum gremio foves, pannis involvis, uberibus pascis, oculis, et amplexibus lenis? Quanto prius de te Propheta praedixerat: « Germinans germinabit sicut lilium: et exultabit laetabunda, et laudans ». Sicut enim lilium sine laesione spirat odorem, ita tu, o Virgo Beata, sine corruptione peperisti Salvatorem. Mirabilis partus et sacrum puerperium, cui pro doloribus laetitia, et pro anxietatibus gaudia compensantur. Felix Ioseph, cui donatum est talibus interesse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem; qui dulcissimos audire concentus, coelestium spirituum sentire tripudia, videre obsequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, laetantes pastores beatis oculis inspicere promeruisti. O si cui ex nobis daretur haec omnia in spiritu cernere! O si mentis inspiceremus obtutu, quod corporalibus videre oculis non est datum!

In Octava Epiphan. concio.

2429. Sed, ecce ducitur peregrinus in Ægyptum; crescit, pervenit ad decimum, vigesimum et quasi usque ad trigesimum annum, et non est memoria. O quantus stupor tenebat Ioseph et cognatos Virginis, videre adeo contemptibilem Dominum, et tacentem, et nihil operantem in tanta humilitate, illum de quo tanta sperabant! Interim Virgo sola, mysteria cognoscebat, sola illa aquila penetrabat oculis lynceis Dei virtutem in corpusculo, et poterat dicere: « Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi ». Siquidem, in ipsa conversatione et virtutum eminentia, magis mirabatur regiam virtutem, quam postea homines terreni mirabantur in virtute miraculorum. Sola ergo Deum in operibus agnoscebat occultis, et in silentio sapientiam, et in infirmitate virtutem. O quis poterit satis ponderare Dei clementiam et humilitatem! Octodecim annis sapientia Dei reputatur quasi stultitia, et virtus Dei stulta despicitur ab omnibus, et servit humiliter fabro « Rex Regum et Dominus Dominantium ». Denique de tanto tempore historia est sola haec: « Et erat subditus illis ». Dicit Basilius, quod in sudore et labore et fatigatione, eorum paupertatem adiuvabat. O quanta laetitia, cum illa pascebat Regem saeculorum! O mensa illa, tam diu frequentata a tribus: a Rege saeculorum, Regina Angelorum, et sanctissimo utriusque nutritore Ioseph! Vide quantus reputabatur ab hominibus. Nam, cum postea doceret, et faceret miracula; non minus stupebant de doctrina, quam de suscitatione mortuorum; dicentes: « Unde huic sapientia haec et virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? Unde ergo huic omnia ista? et scandalizabantur in eo ». O si sciretis unde habuit sapientiam, unde in illo omnia! Ab illa enim origine aeterna omnipotentis Dei, inde habuit omnia. Anselmus ait: « Videbat Virgo panem Angelorum secum famescentem, et secum indigentem, secum paupertatem sustinentem ». O quanto gaudio replebatur! O quanta patientia sustinebat egere cum omnium Domino!

2430. **Hymnus XXVI.**

Ioseph ritus veteris patriarcharum praestantissimus.

Hunc de profundo corde deitatis
Praedestinavit Deus, exaltavit
Prae cunctis scribis, regibus, prophetis
Ritus veteris.

2. Ceteri namque reges et prophetae
Christum venturum simul praedicabant,
Quem Ioseph iustus osculatur pio
Osculo oris.

3. Iam figuratus Ioseph patriarchae
Qui vinctos regis carcere servavit,
Hic redimentur captos universos
Cura tutavit.

4. Ille coniectat somniorum verba
Egenti vendit populo frumenta,
Fidem observat regi, stupri nefas
Inire spernens.

5. Isti patescunt divinorum sensus
Mysteriorum, fontem panis vitae
Propinat orbi, castitatem puram
Deo devovit.

(Op. Dreves, t. XLII, p. 201, n. 339).

2431. **Memento.** — O S. Ioseph, qui divinae legis observator fidelissimus, divinae voluntatis minister diligentissimus, divinae sapientiae discipulus studiosissimus semper fuisti, fac me imitatorem tui et B. M. V. Sponsae tuae, quae merito dicta est a Richardo a S. Laurentio: Mater sapientiae, quae est Filius Dei, in lege Filii misericorditer instruens servos suos.

Digitized by Google

XXVII. — Sermo Francisci Toleti.

LAUS S. IOSEPH.

Comment. in Lucam, cap. I.

Cui nomen Ioseph.

NOMEN viri manifestatur, non solum ut quis fuerit Sponsus Beatae Virginis, distincte cognoscatur, sed etiam ut virtus, et excellentia eius ipso nomine significetur, quod quidem in annotatione explicatum invenies. Hebraismus autem est ab iis, quae ultimo dicta sunt, incipere; erat enim dictum ad Virginem desponsatam viro, idcirco a viri nomine exorditur, quamvis etiam huius rei ratio sit, ut veritatem matrimonii indicet, caput enim uxoris vir est, etiamsi enim sponsae sanctitas absque ulla proportione maior fuerit, tamen quod ad desponsationem, et matrimonium spectat, vir praecedit, eaque de causa etiam angelus Matth. II, ad Ioseph loquitur: « Tolle, inquit, puerum, et matrem eius ».

2433. Quod attinet ad nomen Ioseph idem significat apud Hebraeos, quod apud Latinos « auctus », seu accrescens. Ad hanc significationem alludens Iacob, Gen. XLIX, quando filio suo Ioseph benedixit, sic locutus est: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens », quasi diceret; vere o fili Ioseph auctus es, et accrevisti, sicut nomen tuum significat, nam excelluisti, et in dignitatem provectus es tantam, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, et qui natu penultimus eras effectus, sis primus honore. Hoc idem nomen Sponsus Beatae Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus, vir accrescens Ioseph, vir accrescens, in tantam enim evectus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas sanctitate, et dignitate nihil est aequale, meruerit esse verus Sponsus, et unigeniti Filii Dei pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis, et titulis auctus est super omnes Patriarchas, et Prophetas, qui ante eum fuerunt, quibus si adiungas, quod quem Reges, et Prophetae desideraverunt videre, et non viderunt, et audire, et non audierunt, ipse eum non solum vidit, et audivit, sed in ulnis saepe portavit, frequenter amplexus, et exosculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, et paternis officiis ipsi ministravit, iure profecto hoc nomen adeptus videbitur. Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem invenies. In Ioseph enim illo castitas mirifice commendatur, qui ut refertur Genes. XXXIX, dominae sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram Domini sui pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere. Vere magna castitas haec est, at quis non admiretur supra modum nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima Sponsa sua ita conversatus est, ut tamen nec ullo verbo, nec cogitatione, nec motu interiori, quae minus cum summa puritate convenirent, quaeque solent in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus. Talem profecto Sponsum, et consortem habere decebat illam, in qua summa puritas erat, Deique Filium Matri suae si non parem, saltem non degenerem Sponsum eligere aequum erat, nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem. Multa dici possent de viri tanti sanctitate, quae ad conciones reservamus. Hoc unum adnotasse contenti, si qui in terris devoti sunt Matris Dei mirabiles in sanctitate progressus faciunt, quantos putabimus fecisse eum, qui per multos annos cum ipsa vivere ac familiariter agere meruit? si quibus ad horam Christum videre aliquando licet, ii spiritus fervorem ardentissimum concipiunt; quantam charitatis flammam existimabimus in illo fuisse, qui illum educavit, quem Filium Dei, et mundi Salvatorem non solum perfectissime credebat, sed suis obsequiis praesens venerabatur? Haec de nomine.

2434. Non sunt duo quaedam silentio praetereunda. Unum est Epiphanium haeres. 78, affirmasse, Ioseph, quando cum Beata Virgine nuptias celebravit, fuisse viduum, ex alteraque uxore filios genuisse, qui fratres Domini dicti sunt. Huius etiam sententiae mentionem fecimus in commentariis supra Ioannem, quae nullo argumento probabili, aut testimonio efficaci fulcitur. Probabilius, et certius est, quod Hieronymus adversus Helvid. et Augustinus serm. 18 de tempore, asseruerunt, Iosephum fuisse Virginem; quam quidem sententiam vel ipsius doctrina Epiphanii confirmat, ipse enim Epiphanius ibidem tradit passionis tempore Ioanni Evangelistae Beatam Virginem fuisse commendatam, quia ille virgo erat, decebatque Virginem virgini commendare, quam etiam causam attulerant Hieronymus lib. I, contra Iovinian. et Ambros. lib. de institut. virgin. cap. 7. Si ergo Virgo commendata est Ioanni, propter eius virginitatem; profecto non minus decebat virgini tradi Virginem in matrimonium, immo magis congruum id videbatur, nam Ioanni data est in matrem, qui titulus aufert omnem suspitionem inhonestatis, at Ioseph data est in Sponsam, qui titulus copulae coniecturam admittit, maxime cum

Digitized by Google

matrimonii tempore Beata Virgo fuerit adolescens, non autem passionis tempore, ut igitur castitas omnino comprobaretur; virgini Virgo tradenda erat, et ita tenendum est.

2435. Alterum quod silentio praetereundum non est, eumdem Epiphanium existimasse Ioseph provectae aetatis extitisse, octuagesimum enim excessisse annum, quando Beatae Virginis Sponsus factus est, quae quidem sententia pugnare videtur cum causis desponsationis superius adductis. Nec enim bonae Virginis apud homines opinioni consulebatur, quae ex tam provecto sene concepisse, nequaquam facile crederetur, ex quo etiam calumnia contra Christum ab incredulis Iudaeis sequebatur, opponerent enim eum de semine David non fuisse, nec etiam sic partus celabatur diabolo. Praeterea ministerio, ad quod fuit electus, ut Beatae Virgini, et ipsi Christo in iis, quae ad corpus spectant, ministraret, tam provecta aetas inepta erat, indigebat enim potius ipse alieno obsequio, quam ille alteri id posset exhibere. Hoc etiam virtutis ac castitatis excellentiae ipsius detrahit, ut enim inquit Basilius, oratione 8. de temperantia et incontinentia, temperantia, quae est in senectute, non tam temperantia, quam libidinis, et incontinentiae quaedam est imbecillitas. Non igitur Ioseph ita grandaevum credimus, sed eius fuisse aetatis, quae omnem falsam suspitionem copulae vitiosae impediret, et in qua facultas ministeria et obsequia Filio ac Matri necessaria suppeditandi vigeret. Nec est, quod aliquis obiicere audeat, propter periculum incontinentiae senem fuisse electum, cum id affirmare esset divinae gratiae iniuriam inferre, qui enim eum elegit in tantam dignitatem, eam potuit illi gratiam impartiri, et vere impartitus est, ut puritatem omnimodam consequeretur plus enim potest gratia, quam aetas, castiorque evadet, quem gratia adiuvat etiam in viridi aetate, quam quem aetas longa sine gratia corporis viribus extenuat, ut enim Augustin. lib. 14. de civit. c. 16. recte, dicit aliquando deficiente corpore animi libido non deest. Contra vero dicere possumus gratia Dei iuvante, etiam corpore vigente, et animi, et corporis puritatem adesse. Nec obstat a pictoribus Ioseph in aetate senili depingi, id enim ad repraesentandam nobis eius castitatem factum est. Quantum autem temporis Ioseph cum Beata Virgine vixerit, ignotum est, scimus usque ad duodecimum aetatis Christi annum vixisse, ut inferius dicetur, an vero plures annos supervixerit, incertum est. Ambrosius existimavit eum superstitem fuisse tempore passionis Christi, quod non videtur probabile. De hac autem re, et super Ioannem scripsimus, et illo etiam loco super Lucam repetemus.

De domo David.

2436. Non tantum nomen, sed etiam prosapia, seu progenies viri describitur. « Erat, inquit, de domo David », id est de stirpe. et progenie David. Origo Ioseph notatur, tum ut Beatae Virginis, ex qua Christus secundum carnem natus est, generatio agnoscatur, et constet impletum esse, quod prius fuerat Davidi promissum. « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam » Psal. CXXXI: erat enim ipsa Beata Virgo de eadem domo cum Ioseph, tum etiam ut eiusdem promissionis omni ex parte veritas constet, quandoquidem etiam ex parte eius, qui pater Christi habitus, et Sponsus Matris Christi electus est, Prophetia completur.

2437. Chrysostomus hom. 2. in Matthaeum, hunc locum Lucae interpretans, sic legit: « erat de domo et familia David »; et non solum ad Ioseph, sed etiam ad Beatam Virginem refert. Quod autem ad primum dictum spectat, fere omnia exemplaria Latina, et Graeca habent in hoc loco, unum tantum, nempe « de domo David » quamvis in quodam exemplari Graeco utrumque legitur, lectio tamen communis est probanda. Scriptum quidem est utrumque inferius cap. 2. eo, inquit, quod esset de domo, et familia David; hoc tamen in loco unum tantum reperitur, quia sola cognatio, et prosapia significabatur. Quare autem inferius additum sit « de familia » dicemus, cum ad illud exponendum perveniemus. Quod ad secundum dictum Chrysostomi spectat, interpretatione opus est, si enim velit quantum ad verborum contextum, hoc referri ad Beatam Virginem, durum est, et difficulter accommodatur, nam de solo Ioseph videtur Evangelista locutus, sicut etiam quando nomen eius narrat, dicit enim, « cui nomen erat Ioseph, de domo David ». Sicut igitur nomen ad Ioseph ipsum, ita domus ad eumdem refertur, maxime quia consequitur « et nomen Virginis Maria » si eam de domo David verbis exprimere intendebat, dicendum erat sic: cui nomen erat Ioseph, et nomen Virginis Maria, de domo David; hoc modo secundum litteram ad utrumque referri poterat. Non igitur sic est intelligendus Chrysostomus, sed aliter, nempe hoc ad Beatam Virginem referri per consecutionem, nam si Ioseph de domo David erat, consequebatur etiam Beatam Virginem de domo eadem esse. Qualis autem sit ista consecutio, ipse explicat Chrysostomus, nempe quia viro non licebat, nec feminae accipere in coniugium aliquem, nisi de eadem tribu, et cognatione. Viri egro stirpe, et prosapia exposita, etiam Sponsae progenies explicatur. Hoc autem diligenter examinare differimus in proprium locum, nempe cap. 3. quando

Digitized by Google

genealogia Salvatoris ab eodem evangelista describitur, hoc nunc adnotasse sufficiat; Beatam Virginem absque ullo dubio fuisse de semine et progenie David. Qua autem ratione Ioseph origo describatur, cum non fuerit pater verus Christi, et quare non a Beata Virgine genealogia narretur, et an consequatur, si Ioseph fuit de domo David, etiam Beatam Virginem de eadem Domo extitisse, in eo loco, quem diximus inquirendum est, et ibi qui scire volet scriptum inveniet.

Ibid., cap. II. - Et erant pater eius et mater mirantes.

2438. Admirabantur B. Virgo, et Sanctus Ioseph de his, quae Simeon significabat, non quod ignoraverint ea, sed quod illa eximia essent, et captum, humanamque virtutem excederent; haec enim admirari solemus, etiam postquam nobis revelata sunt.

2439. Duo sunt hoc loco adnotanda. Unum est, in Graecis exemplaribus loco « Pater » legi « Ioseph » et sic habetur apud Euthymium: tamen Latina legunt « Pater ». Sicque legit Hieronymus adversus Helvidium; sicque habet vulgatus noster Interpres cum Latinis expositoribus. Alterum est, in hoc eodem verbo « Pater » errasse multos haereticos, existimantes Ioseph fuisse verum patrem Christi per carnem, non animadvertentes, quod supra nunciavit Angelus: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi » et quod Matth. II, dixit iterum ipsi Iosepho. « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». In hanc haeresim inciderunt Haebionaei, ut refert Iren. lib. 3. cap. 24. Cherintiani, ut dicit Epiphanius haer. 28 et Fotiniani, ut meminit Beda qui omnes testimoniis allegatis, multisque aliis facile convincuntur, superiusque multa diximus pro virginitate Matris, quae repetere superfluum est. Non ergo Ioseph vere pater fuit, nec de eo genitus est Christus, sed ex sola Beata Virgine, iuxta illud Matth. I. « Iacob genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Christus »: non enim dictum est « de quibus » quo autem modo Ioseph pater Christi vocatus sit, varie Doctores explicant. Primo quidem Origenes hom. 16. Lucae dictum patrem esse censet, quia nutritius erat. Secundo loco Hieronymus adversus Helvidium, dicit Patrem appellatum opinione, et fama, quia reputabatur pater a multis, qui tunc ignorabant mysterium conceptionis eius, quam sententiam Beda probat, pro qua facit illud, quod Luc. III. dictum est. « Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph ». Tertio loco August. lib. 2. de consens. Evang. cap. 1. modum quendam adhibet alium, quem etiam probat Beda, nimirum dici patrem, quia verus coniux erat Beatae Virginis, quae Christi mater erat. Si enim adoptione efficitur quispiam filius alterius, licet non genuerit; multo magis matrimonio ipso, quod cum Matre contrahitur: erat autem matrimonium verum inter Beatam Virginem, et Sanctum Ioseph, licet copula non intercesserit, idcirco Pater Christi dicitur, qui erat filius B. Virginis praesertim quod propter ipsum Christum B. Virgo sponsata fuit Ioseph. Videtur Epiphanius hanc sententiam amplexus, nam haeres. 51. dicit Ioseph non patrem verum, sed loco patris fuisse, eo quod Deo sic visum fuit. Haec sunt, quae Doctores senserunt, nec est quod una sententia alteri praeferatur, sed potius omnes coniungamus, et dicamus, Ioseph dictum patrem, tum quia nutritius erat, tum quia communi opinione pater reputabatur, tum quia vir, et maritus erat Beatae Virginis Matris Christi.

2440. Hymnus XXVII.

Iosepho devotas canamus preces.

Nunc venias properesque libens
Devote Sacerdos
Ut Mariae sponso
Christique canamus alumno.

2. Illustris patriarcha Ioseph,
David inclita proles,
Fac placeant summo
Carmina nostra Deo.

3. Purifica, sana
Dita nos, maxime Ioseph,
Noster enim est animus
Sordidus, aeger, egens.

4. Qui peregrinus eras,
Nobis esto peregrinis
Dux, comes et fautor.
Scandala tolle viae.

5. Conscius arcani es,
Quod nescivere priores,
Dum Christum tangis
Fers, refoves et alis.

6. Tu vir, tu dominus
Matris Domini Dominorum,
Et tibi subiicitur
Qui regit astra Deus.
In terris igitur
Es magno dignus honore
Cui nunc in coelis
Gloria magna datur.

7. A propriis laribus
Quondam fugis, at modo regnas
In coeli patria
Felix, securus et omnis
Espers terroris,
Labor, anxietas, metus absunt
Desuper intendas
Nobis miserosque benignis
Aspicias oculis,
Quos crebra pericula vexant.

Digitized by Google

8. O Ioseph, adcrescens
Dictus, tu crescere fac nos
Virtutum gradibus
Donec Iesus videatur.
Incola dum terrae
Fueras, hoc munus habebas
Quod coeli Dominus
Dignatus erat tibi subdi.
Quid modo divus habes,
O quanta potentia, quanta est
Vis impetrandi!
Quia dum vir, dum pater orat
Uxorem et matrem
Velut imperium reputatur.

(Op. Dreves, t. XLV, p. 122, n. 49).

2441. **Memento.** — O S. Ioseph, qui Sponsae Spiritus Sancti virginalis Sponsus effici meruisti, intercede pro me apud immaculatam Sponsam tuam et Reginam augustissimam Mariam, ut misereatur mei, quoniam teste Ioanne a Iesu Maria, ipsa est: Mater divini Salomonis dulcissima, cum qua crevit ab infantia miseratio, cuiusque miserationis imitator maximus fuisti super omnes sanctos.

XXVIII. — Sermo Iustini Miechoviensis.

VARIA DE LAUDIBUS S. IOSEPH.

Discurs. 112.

VULGO, et benedicitur: « Unus homo, nullus homo », et Gen. II, 18: « Non est bonum esse hominem solum », et Eccle. IV, 10: « Vae soli! quia cum ceciderit, non habet sublevantem se ». Opus igitur habuit Maria tenera davidicae stirpis virguncula cum prole tot miseriis exposita, socio, custode, tutore, oeconomo, qui ei ministraret, eam tutaretur, adiuvaret in cura filii certo sibi sacramento devinctus. Et ut in Ægyptum fugiens haberet solatium, ut D. Hieronymus notavit. Huc facit prophetia illa Isaiae XI, 1: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ». B. V. Maria virga est, flos Filius eius. Sicut autem flos non ascendit e virga nuda, sed prius foliis adumbrata, et adornata, ita Christus non debuit nasci de Virgine, nisi prius patrocinio, custodia, ministerio, solamine Iosephi adumbrata fuisset.

2443. Philippus Bosquerus minorita, nostri saeculi vir disertus, et ecclesiastes celebris, conc. 63 de filio prodigo, aliam rationem desponsationis Mariae non minus veram, quam elegantem assignat: ut nimirum B. V. Mariam hominem haberet virginem, cum quo loqueretur de voluptatibus, gaudiis indicibilibus, quibus anima ipsius in conceptione Filii sui perfusa fuit, et completa: de honore, et promissis ab angelo sibi factis: de laetitia, quam in eius partu, ubi aliae mulieres doloribus conflictantur acerrimis, praesentit: de angelorum consolatione, ac eorum in sua cellula familiari consortio, quo usa est ab aetatis suae anno tertio, ut Glycas testatur. In eiusmodi siquidem verissimum est illud poetae: « Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter ». Haec ille pater bonus.

2444. Propter nos, fuit hoc conveniens. Primo, ut Ioseph testimonio suo comprobaret Christum ex Virgine natum, nostramque fidem roboraret. Nemo enim in asserenda castitate Mariae tam dignus esse poterat fide, quam qui custos illius erat et maritus, qui licentia maritali maxime scire potuit, et debuit, an casta esset nec ne. Quia D. Bernardi verba imitari non possum, recitabo: « Illa fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Sicut Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicae confessor resurrectionis: ita et Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Nam et de Filii resurrectione citius quidem ego qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti, quam Cephae audienti et credenti: et de Matris continentia, facilius sponso eius custodienti, et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti ».

Discurs. 113.

2445. Calvinus et Beza in I Lucae non minus stolide quam impie docent, B. Virginem contraxisse coniugium animo consummandi matrimonium: « alias, inquit Calvinus in Harmonia, marito illusisset, et sanctum coniugii foedus non sine Dei ludibrio sprevisset ». Quod omnino falsum est, nam alias B. V. Maria virgo non esset, si propositum servandae virginitatis mutasset. Unde Nicolaus papa cap. 26, q. 2: « Sufficiat, ait, si Beata Maria contra suum propositum consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis mente, etsi non opere violati, quod de ea sentire nefas est.

2446. Alii ut hunc errorem vitarent, et purissimam B. Deiparentis corporis et animae virginitatem ostenderent, negaverunt eam cum Ioseph verum matrimonium contraxisse, sed solum quoddam pactum ad mutuam cohabitationem ordinatum inter se fecisse, ita ut Ioseph non maritus Virginis, sed tutor dumtaxat, custos et oeconomus esset, non magis Mariae vir, quam Christi pater. In hac sententia catholici quidam, et graves doctores fuerunt. Divus Gregorius Nyssenus orat. de nativitate Domini Iose-

Digitized by Google

phum vocat « Sponsum, non virum Mariae ». D. Hieronymus in Matth. c. 1 dicit Ioseph fuisse « nutritium, non maritum ». D. Bernardus hom. 2 in Missus est, eum nominat « virum, quia homo virtutis, non quia maritus ». Petrus Chrysologus serm. 175. « Maritum solo nomine, conscientia sponsum ». D. Chrysostomus hom. 4 in Matth. coniugis nomine sponsum intelligit. Et Divus Hilarius super Matthaeum dicit, « Virginem fuisse sponsam, non vero coniugem ». Si hac ratione B. Virgo matrimonium celebravit cum Ioseph, perspicuum est, tale matrimonium non obstitisse proposito et voto eius de servanda virginitate, cum per illud corpus suum viro non tradiderit ad carnale commercium, sed ad mutuam dumtaxat cohabitationem, et custodiam. Sed hi patres explicandi sunt inferius.

2447. Sed quoniam communis, et recepta est apud omnes theologos sententia B. M. Virginem verum ac proprium matrimonium ratum contraxisse cum Ioseph; id enim aperte Scriptura docet, quae Ioseph virum Mariae nominat, Matth. 1, 16, 19, Luc. 1, 27, 34, et Mariam coniugem Ioseph, Matth. 1. 20: « « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam », et v. 24: « Exurgens Ioseph... accepit coniugem suam », et Luc. 11, 4, 5: « Ascendit Ioseph... in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante »; idcirco difficile est invenire rationem, qua B. V. Maria, stante virginitatis suae voto, verum et ratum matrimonium celebraverit cum Iosepho; cum votum castitatis repugnet vero matrimonio, immo et propositum nunquam accedendi ad virum, ut in superiori discursu probavimus.

2448. Existimo tamen probabiliter dici posse, B. Virginem sive a sacerdotibus, sive a parentibus matrimonio traditam fuisse divina ordinatione; et in matrimonium consensisse divina inspiratione; et certificatam de sua virginitate, quam Deo consecrarat, speciali divina revelatione. Haec probabilitas innititur non vulgari testimonio, sed ipsius doctoris angelici auctoritati, qui apud Abulensem num. 30, q. 32 citatus ex 4, d. 30, ita loquitur: « Domina nostra prius certificata fuit de conditione Ioseph, quam acciperet eum in virum: scilicet, quod sicut ipsa voverat virginitatem, ita quaesivit ab ipso, an ipse vellet permanere in proposito virginitatis, vel saltem in continentia perpetua, et tunc accepit eum in virum, cognito quod etiam hoc vellet. Si autem noluisset manere in continentia, non consensisset in eum tanquam virum.

2449. Certa igitur fuit B. Virgo de sua virginitate, insuper per divinam revelationem cognoverat, Ioseph debitum coniugale nunquam petiturum, vel tentaturum: idcirco eum in tanti consilii coadiutorem et secretarium fidelissimum recepit, cui etiam notum erat Virginis votum. De hoc audiatur ipsa B. V. Maria, quae B. Birgittae apparens, rationem sui matrimonii, quod cum Ioseph celebravit, exposuit his verbis « Pro certissimo scire debes quod Ioseph antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu Sancto me vovisse virginitatem », ut habetur lib. 7 revelat. B. Birgittae, capite 25. Quare Iosephum Mariae virginitati et voto nedum consensisse, verum etiam cum ea post contractum matrimonium votum castitatis emisisse communiter theologi tradunt. Post Sanctum Thomam, 3 part. 28, art. 4, S. Bonaventura, 4, d. 40, quaest. 2; Richardus ibidem, art. 2, q. 1; Scotus, q. 2; Maior quaest. 4; Henricus quodlibeto 9, quaest. 2. De castitate Sanctissimi Ioseph inferius dicam...

2450. Fuit igitur in B. Virgine et consensus coniugalis, et propositum virginitatis. Consensus coniugalis, quia B. Virgo Ioseph sponso suo potestatem in corpus suum tradidit; propositum virginitatis, quia ex mutuo consensu in usum seu carnale commercium ab invicem exigendi, atque reddendi Iosepho non consensit. Nec ibi aliquid contra fidelitatem vel iustitiam matrimonii gestum est, quia Ioseph a B. Virgine usum, sive carnale commercium non requisivit. Sciens enim eam virginitatem in voto habere, et ipse votum perpetuae continentiae in animo proposuit, quod postea simul cum B. Virgine post desponsationem emisit. Neque tamen carnali commercio cessante, veritas seu virtus coniugii inter eos cessavit; quia nuptias non concubitus, sed consensus facit, ut diximus. Immo verius ac beatius coniugium est, quod in solo charitatis vinculo, et non in concupiscentia carnis, ac libidinis ardore fundatum est, ut D. Augustinus libro 2 de sermone Domini in monte notavit. Commercium autem carnale licet matrimonio annexum sit, illud tamen non constituit: comes est non effector coniugii, officium et non vinculum. Ita docebat vir eruditissimus Hugo de sancto Victore serm. de desponsatione Mariae.

2451. Facessat igitur Calvinus, et desinat obstrepere D. Deiparenti. Passa est illa se collocari marito, non ut eum illuderet, quia re vera non illusit, sed realiter ei potestatem in corpus suum tradidit, licet ex consensu illius ad usum se non obligavit. Nec sanctum coniugii foedus cum Dei ludibrio sprevit, quia vere matrimonium cum Iosepho contraxit.

2452. S. Augustinus miram huius coniugii

Digitized by Google

excellentiam contemplans libro 1 de nuptiis et concupiscentia, haec ait: « Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium ».

2453. Patres autem superius citati, qui negare videntur verum matrimonium inter Ioseph et Mariam, intelligendi sunt de matrimonio consummato, quod re vera non fuit inter Mariam et Ioseph. Duplex namque est perfectio matrimonii, prima, et secunda. Prima perfectio consistit in mutuo consensu, et indivisibili coniunctione, per quam unus coniugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Secunda perfectio consistit in mutua cohabitatione quae directe instituitur ad procreandam sobolem; quae perfectio si haberi posset sine corporum commixtione, multo honestior et beatior fieret. Hinc D. Augustinus lib. 2 de sermone Domini in monte: « Haec enim beatiora coniugia iudicanda sunt, quae sive filiis procreatis, sive etiam terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerunt ». Utraque ergo perfectio in matrimonio Mariae cum Ioseph fuit: solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia proles divina sine eo illis coniugibus donata est. Non solum igitur perfectum, sed et perfectissimum illud matrimonium fuit, licet consensus in carnalem concubitum defuit.

Discurs. 114.

2454. Sed iam videamus qua ratione B. V. Maria desponsata viro votum perpetuae castitatis emiserit. Res est in aperto, posse coniuges ex communi voluntate votum perpetuae castitatis emittere, et ab usu matrimonii abstinere. Ita fecisse hoc sanctissimos coniuges Mariam et Ioseph, omnium doctorum constans opinio est. Cum ergo B. Virgo propositum virginitatis haberet, sciretque, utpote divino instructa oraculo, idem propositum Iosephum in animo habere, illudque sibi divinitus datum, non ereptorem virginitatis, ut sunt alii viri, sed custodem et tutorem, et in educando puero Iesu coadiutorem, votum virginitatis ei persuasit, ut ambo simul in carne mortali puritatem immortalium imitarentur angelorum. Ita sentio, nec solus, nec primus, duces sequor sanctos patres. D. Hieronymus libro adversus Helvidium id ita adstruit: « Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio Virgini filius nasceretur ». Idem docent D. Augustinus, Ven. Beda, Petrus Damianus, et alii. In eandem sententiam conspirant omnes scholastici post S. Thom. 3 p. q. 28, art. 4.

2455. Quin et alii complures sancti, principes viri, ac feminae, reges, imperatores, exemplo B. Virginis et Iosephi post contractum matrimonium cum suis uxoribus ex communi consensu perpetuam castitatem coluerunt. Tales fuerunt Caecilia cum Valeriano, Iulianus cum Balissa, Etherius cum Ursula, Henricus II imperator cum Cunegunda Augusta, Eduardus Angliae rex cum uxore Editha, Boleslaus Poloniae rex cum Cunegunda, Alphonsus Castus cum Berta, Marcion imperator cum Pulcheria Augusta, Elzearius comes cum Delphina, Eghardus cum Catharina D. Birgittae filia, aliique permulti, quorum institutum B. Augustinus in voto Armentarii, et Paulinae, epist. 45 vehementer commendat.

2456. Valde autem rationi consentaneum est, Sanctum Sponsum Iosephum concessisse Sponsae suae Mariae, ut manente coniugio virginitatem voveret, et quod ipse simul cum ea virginitatem, pensata praesertim divina providentia, quae hoc inspirare ipsi Iosepho quasi debebat, ut Virgo virginum virginem quoque comitem, servatoremque sui haberet; alioquin, inquit Caietanus, non fuisset plena gratiae, cui haec gratia in suo coniuge defuisset, quam ipsa maxime secundum rectam rationem desiderabat. Ita Caietanus noster 3 p. q. 28, art. 4.

Discurs. 115.

Quam castus fuerit S. Ioseph Sponsus Mariae Virginis.

2457. Omnes catholici doctores fatentur, et partim adversus Ebionitas, partim contra Helvidianos accurate defendunt, Iosephum castum cum casta semper vixisse Virgine, ac in eo coniugio caelibatum integrum observasse. Caeterum praecipuae disputationis cardo in eo versatur, an pudicus ille et castus semper manserit in caelibatu.

2458. Veteribus quibusdam visum est, B. Ioseph bigamum fuisse. ex alteraque uxore sex filios genuisse qui in evangelio fratres Domini dicti sunt. Huius sententiae fuerunt D. Epiphanius haeresi 51, et alii plurimi, quos recenset Carthagena hom. 3 de S. Ioseph.

2459. Alii vero patres candidius de S. Ioseph iudicantes, eum non modo uxoratum fuisse aut filios habuisse negant, verum etiam semper virginem fuisse ingenue fatentur. Hi sunt D. Hieronymus libro contra Helvidium, S. Augustinus serm. 18 de tempore, Ven. Beda et Alcuinus in cap. 2 Ioannis, Rupertus in cap. 1 Matthaei, D. An-

Digitized by Google

selmus in cap. xx Matth., Hugo Victorinus libro de Mariae coniugio, Petrus Damianus epist. 11, cap. 4, S. Thomas super 1 cap. epist. ad Galat. qui etiam 3 p. q. 28, art. 4 docet, B. Ioseph nedum virginem fuisse, verum etiam una cum B. Virgine desponsata sibi uxore votum virginitatis emisisse. Quem sequitur totus theologorum chorus.

2460. Ego de hac lite nolo mihi partes sumere iudicis, sed existimo tutius et candidius fore si in hac ambigua doctorum concertatione eam sequamur sententiam, quae divinae tum sapientiae, tum bonitati maiorem laudem conciliat, et evangelicis libris magis est consentanea.

2461. Dicimus ergo Beatissimum Ioseph semper fuisse virginem. et virgini commendatam ac traditam fuisse in matrimonium Matrem Virginem. B. Petrus Damianus loco citato disertis verbis dicit, hanc esse Ecclesiae fidem, quam propterea solidissimis rationibus confirmabo.

2462. Si Dominus Matri suae iam aetatis provectae nullum custodem, nisi virginem, puta Ioannem evangelistam, adhibere curavit, quanto magis existimandum est, parem illi curam fuisse, ut eidem Matri in aetate adolescentiore de custode virgine provideret? maxime in coniugio, ubi debet esse paritas, et voluntatum unio, iuxta id quod Ovidius epist. 9 monebat:

Si qua voles apte nubere, nube pari.

2463. Deinde Dominus noster Iesus Christus adeo virginitatis amatorem se exhibuit, ut non contentus virginitatem servare, voluerit de virgine nasci, virgineo lacte nutriri, virgineo sinu foveri, praecursorem virginem habere, a virgine Martha sibi ministrari, in sepulchro virgineo « in quo nondum quisquam positus fuerat » sepeliri: consequenter etiam voluit a Ioseph virginea castitate praedito pasci, nutriri, vestiri, custodiri, canente Ecclesia:

Qui pergis inter lilia
Septus choreis virginum.

2464. Rupertus lib. 2 in Cantica versans illa verba: « Qui pascitur inter lilia » Cant. II, 16. ita loquitur: « Quaenam sunt haec lilia, nisi amicus dilecti Ioseph, et ego dilecta cui dicitur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias? Vere ambo lilia. videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitione castissima » Noluit ergo Dominus Iesus pasci, nec educari, nisi a virginali puritate

2465. Ferunt eos, qui super herbam. cui agnus castus nomen est, dormitant, castos fieri, et sapphirum eandem proprietatem affricare illi, a quo gestatur. Et quomodo donum hoc non habuerit Ioseph dormiens in gremio casti illius Agni, de quo Ioannes: « Ecce Agnus Dei ». Ioan. I. 29? connubio iunctus illi, cuius venter est « acervus tritici vallatus liliis, distinctus sapphiris »?.

2466. Praeterea debuit Ioseph castus esse, quia electus fuit a Deo, ut vices Patris coelestis gereret in terris. Pater aeternus incorruptibiliter ab aeterno Filium gignit secundum divinitatem: congruebat igitur, ut idem Filium similem Patrem haberet in tempore secundum humanitatem. Talem ergo Patrem sibi quaesivit in terra, qui similis esset, quoad fieri potuit, Patri in coelo, a quo non semine humano, nec humano more, sed ut ab aeterno Patre incorruptibiliter nasceretur: de quo verificaretur, quod B. Agnes de aeterno Patre dixit: « Cuius pater feminam nescit ». Hinc Divus Augustinus S. Ioseph hanc dignitatem congratulans, ait: « Gaude Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es ab uxoris concubitu, ut pater dicaris Salvatoris ».

2467. Postremo debuit Ioseph castus esse ob meritum Sponsae ipsius Virginis Mariae. Merebatur quippe B. Virgo Maria ut talem Sponsum haberet, qui sibi per omnia similis esset: et sicut per matrimonium facta fuit una caro, id est una persona civilis cum ipso, ita per gratiam insignis castitatis fieret unus spiritus cum eo. Hinc Augustinus serm. 15 de nativit. Domini: « Habe, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virtutem membrorum: gaude, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii ».

2468. Adumbrabat huius sacri matrimonii miram castitatem connubium illud inter Sunamitidem, et Davidem. Nam sicut David non ad libidinem, nec ad prolis generationem excepit Sunamitidem, sed ut illa regem prae nimia frigiditate algentem iuvenili suo calore foveret, atque calefaceret: ita Ioseph non ex concupiscentia, nec sobolis procreandae amore, Mariae nupsit; sed ut eius bonum nomen et famam foveret, et eius virginitatis custos esset. Et sicut de Sunamitide III. Reg. 1, 4, dicitur: « Rex vero non cognovit eam », ita de B. Maria, Matth. 1, 25 dicitur: « Ioseph non cognoscebat eam ».

2469. Magnus patriarcha Ioseph huius nostri Iosephi praeclarus typus fuit, ut mellifluus D. Bernardus hom. 2 de B. M. Virgine advertit. « Memento, inquit, magni illius quondam patriarchae venditi in Ægypto, et scito, ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam ». In illo Ioseph castitas mirifice commendatur, qui, ut refertur Genes XXXIX, dominae sollicitanti ad peccandum non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram domini sui

Digitized by Google

pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere. Vere magna castitas haec est, sed longe maiori Ioseph noster praestitit, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima Sponsa sua ita conversatus est, ut tamen nec ullo verbo, nec cogitatione, nec motu interiori, quae solent etiam sanctissimis viris vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus. Ille Ioseph compescuit se, ne accederet ad uxorem alienam: hic vero se cohibuit, ne agnosceret propriam. Ille castitate enituit: hic virginitate praefulsit.

2470. Quod de sex liberis eius ex priori uxore dicitur, fictitium est, desumptum ex quodam evangelio Hebraeorum Petro, aut Iacobo adscripto, cuius tamen Seleucium haereticum auctorem fuisse tradunt Innocentius I epist. 3, act. Exuper. cap. 7, et D. Augustinus libro I de fide contra Manichaeos cap. 38. Vide Carthagenam hom. 12 de S. Ioseph. D. Hieronymus sacrarum scripturarum scrutator diligentissimus, hanc opinionem de liberis S. Iosephi refellens, super cap. XII Matth. ait: « Quidam fratres Domini de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum a quadam Esca muliercula conficta ». Quare D. Epiphanius et alii patres, tum Graeci, tum Latini, qui fratres Domini filios fuisse Ioseph ex alia uxore susceptos autumant, in hac parte non recipiuntur. Quia in evangelio habemus alios parentes horum fratrum Domini praeter Ioseph; nam Iacobus minor, qui « frater Domini » vocatur Matth. XIII, 55, apud eundem D. Matthaeum cap. X, 3 et apud D. Marcum cap. III, 18, et apud D. Lucam VI, 15, « Iacobus Alphaei » nominatur, et Iacobus maior appellatur « Iacobus Zebedaei » Matth. IV, 21. Constat autem sic esse dictum, quia erat filius eius, ut patet Matth. XXVII, 56. Est enim haec phrasis scripturae, ut filius a patre cognominetur, ut I Machab. I, 1 « Alexander Philippi ». Igitur Iacobus Alphaei dicitur, quia erat filius eius: non ergo pater illius erat S. Ioseph. Unde venerabilis Beda in c. VI Marci hanc sententiam de filiis Ioseph ab haereticis libris sanctorum patrum insertam esse autumat.

2471. Vera sententia est, quam D. Hieronymus validissime probavit, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris natos ex Maria Cleophae sorore Deiparae Virginis, quae fuit mater Iacobi minoris, et Ioseph et Iudae, qui dicuntur fratres Domini Matth. XIII, 55. Hinc D. Ioannes c. XIX, 25 Mariam Cleophae filiam, Alphaei autem uxorem, vocat sororem Matris Domini. Consobrinos autem et cognatos fratres appellari ex Scripturis manifestum est. Nam Lot quem filium Aram fratris Abraham fuisse Scriptura testatur, Abrahami frater vocatus est, Genes. XIII, 8 et Laban cum frater esset matris Iacob, Genes. XXVIII, 2. Iacob frater appellatur, Genes. XXIX, 15. Hoc ergo sensu illi, quos supra nominavimus, fratres Domini vocantur. Constat igitur Beatissimum Ioseph semper castum fuisse, immo caelibem et virginem perpetuo mansisse. Unde quaerendum restat:

Discurs. 116.

Unde tam castus fuerit Sanctus Ioseph.

2472. Res sane admirationis plena! Ioseph cum Maria, vir cum puella tenera, formosa, sibi in uxorem desponsata, tam familiariter vivit, ut a quotidiano domesticoque conspectu illius se minime abstineat, sed illam in continua societate habeat: in Ægyptum illam ducit, et ab Ægypto reducit, solusque cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam, ut D. Bernardini verbis utar serm. 3 in vigil. Nativitatis. Olim Salomoni haec res difficilis et quasi impossibilis visa est, unde Proverb. VI, 27 ait: « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae eius? » Et tamen Ioseph cum Maria coniunctim familiariterque vivens, nullum periculum in suo puro caelibatu veretur, salvam tuetur continentiam, et castissimum ac sincerissimum suae coniugis amorem retinet.

2473. Nonnulli hoc grandaevae illius aetati, et naturali impotentiae adscribunt, aiuntque Ioseph fuisse iam senio debilitatum ac fractum, planeque decrepitum. D. Epiphanius haeres. 78 eum fuisse ut minimum octogenarium, quando Virginem duxit, existimat. Sequitur Nicephorus lib. I hist. cap. 7, et alii, quos refert Suarez super 3 p. D Thom. t. 2, disp. 7, sect. 3. Quorum sententiae favent antiquae picturae, quae S. Ioseph senem, canescentem et curvum exprimunt.

2474. Nisi me tantorum virorum, et maxime D. Epiphanii reverentia retineret, id minus vere dictum dicerem, sed satis habeo illis non assentiri. Nam isti patres cogitarunt, S. Ioseph alia ratione servare non potuisse suam sanctam, et pudicam cum Virgine conversationem, nisi tot annos habuisset, quasi vero plus in eo potuerit natura frigida et senectus, quam gratia Spiritus Sancti, aut quam meritum Sponsae eius B. Virginis: quasi vero non inveniantur senes aliqui impudici, immo magis lascivi et impudici quam iuvenes, ut patuit in illis senioribus tentantibus Susannam, de quibus tale est elogium

Digitized by Google

Dan. XIII: « Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus », quorum uni Daniel dixit: « Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quae operabaris prius » et alteri: « Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum ».

2475. Deinde haec sententia pugnare videtur cum causis desponsationis superius adductis. Nec enim bonae Virginis apud homines opinioni consulebatur, quae ex tam decrepito sene concepisse nequaquam facile crederetur. Maria quoque habita fuisset adultera, quod esset multo deterius quam si concepisset, et peperisset innupta, tunc enim putari tantum fornicari potuisset. Praeterea simili ratione existimari potuisset Christus illegitime natus, si Ioseph non putaretur esse pater eius, et tunc non reciperetur in Messiam; opponerent enim eum de semine David non fuisse, nec etiam sic partus eius celaretur diabolo.

2476. Praeterea ministerio ad quod fuit electus, ut B. Virgini et ipsi Christo in iis, quae ad corpus spectant, ministraret, in tam provecta aetate ineptus esset. Eundum erat in Bethlehem, atque inde redeundum in Nazareth; fugiendum in Ægyptum, atque inde remeandum: laboribus propriis victus erat suppeditandus tum Matri tum Puero: quae omnia in aetate tam gravi nequaquam praestare potuisset: ipse potius alieno obsequio, quam ille alteri id posset exhibere, indigeret.

2477. Hoc etiam virtutis et castitatis excellentiae ipsius detrahit. « Temperantia enim, quae est in senectute, non tam temperantia, quam libidinis et incontinentiae quaedam est imbecillitas », ut D. Basilius orat. 8 de temperantia et incontinentia scriptum reliquit.

2478. Denique ex ipsorum Iudaeorum confessione convincitur Ioseph non tam senem et decrepitum fuisse, uti aliqui credunt. Iudaei enim Christum fuisse filium Ioseph arbitrabantur, Luc. III, 23: « Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph »; et IV, 22: « Dicebant: nonne hic est filius Ioseph? » Et non solum Iudaei, sed etiam ipsi apostoli id dicebant. Philippus ad Nathanael dixit: « Invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth », quod nequaquam dicerent, si Ioseph tam senem et decrepitum, ut generationi vacare non posset, credidissent; quis enim virum tam grandaevum liberos procreare posse crederet?

2479. Quare cum ratione mihi loqui videntur, qui Beatum Ioseph non iuvenem, nec senem, sed virum maturae aetatis, prudentiae ac virtutis fuisse credunt, cum Mariam in Sponsam accepit. Qua vero aetate fuerit, iuvenis ne, vel vir triginta, quadragintave annorum, definiri non potest, cum ex historiis nihil habeamus. Rationi ac pietati valde consonum est, credere Ioseph tunc in ea aetate fuisse, quae communi usu, et consuetudine aetati Virginis sibi desponsatae esset proportionata, ad generandum apta, ad longas peregrinationes et labores idonea. Hoc S. Evangelistae insinuant cum Iosephum virum, numquam autem senem appellant. Hoc doctores volunt, cum dicunt, S. Ioseph cum B. Virgine post matrimonium contractum virginitatem vovisse: et multo magis illi, qui docent Ioseph virginem permansisse, et in coelibatu usque ad desponsationem cum Virgine vixisse. Non est enim credibile Ioseph expectasse tam longum aetatis tempus ad uxorem ducendam, maxime illa tempestate, qua omnes uxores ducebant. Non igitur Ioseph ita senem et decrepitum fuisse credimus, quando Mariam duxit uxorem, sed eius aetatis quae omnem falsam suspicionem copulae vitiosae impediret, et in qua facultas ad ministeria, et obsequia Filio ac Matri necessaria suppeditanda vigeret.

2480. Nec est quod aliquis obiicere audeat periculum incontinentiae in iuniori aetate. Ille enim qui eum ad tantam dignitatem elegit, tantam gratiam illi impartiri potuit, et vere impartitus est, ut omnimodam puritatem in illo sacro coniugio retineret. Plus enim potest gratia quam aetas, et castior evadet, quem gratia adiuvat etiam in viridi aetate, quam quem longa aetas extenuat in senili, fragili et fracto corpore.

2481. Existimo hoc donum continentiae et castitatis obtigisse Sancto Iosepho: 1. ex fomitis subtractione: 2. ex Virginis merito: 3. ex eiusdem Virginis convictu et consortio.

2482. Ex fomitis subtractione. Ioannes Gerson parisiensis cancellarius, vir in omni disciplinarum genere eruditissimus, S. Iosephi cultor et admirator egregius, serm. 3 de nativ. B. M. scribit, in Beato Ioseph peccati originalis fomitem vel extinctum, vel depressum fuisse, sed et prorsus decuisse, ut nimirum munus, ad quod a Deo electus erat, rite obiret, cum Virgine castissima domi forisque caste et secure versari posset, et carnis illecebris, impurisque affectibus qui ex viri feminaeque familiari convictu suboriuntur, omnino vacaret, eoque rectius ad omnem vitae usum Matri simul et Filio inserviret, quem propterea nonnulli in Matris utero sanctificatum appellant. Huic sententiae de sanctificatione in utero adstipulantur Iacobus de Valentia super Magnificat. Eckius in serm. de S. Ioseph, et eam latissime probat Ioannes de Carthagena hom. 3 de S. Ioseph, adductis aliorum sanctorum exemplis, qui in matris utero sanctificati fuisse creduntur.

Digitized by Google

2483. Ex Virginis merito. Multi viri, et adolescentes, puellae, virgines Virginis Matris excellentissimis meritis precibusque se commendantes, gloriantur per eam virginitatis donum a Deo Opt. Max. impetravisse, atque illi secundum Deum eiusmodi gratiam acceptam ferunt, ut exempla inferius adducenda in epitheto « Mater castissima » probabunt: quanto magis Ioseph id ex merito B. M. Virginis obtinere potuit, qui eius custos, tutor et Sponsus extitit. Sentiant alii ut libet; ego firmiter credo Sanctissimam Deiparam non solum hanc virgineae castitatis praerogativam et munus Iosepho impetravisse, sed etiam multa alia, quae ad Sponsi sui sanctitatem, prudentiamque spectabant, promeruisse. Minus mihi haec sententia placeret, si mea tantum esset; nunc verò, aut vehementer fallor, aut in eadem sententia est mecum D. Paulus qui I Cor. VII, 14 ait: « Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem ». Si vir infidelis per preces, merita, verba, exempla mulieris fidelis sanctificatur, quanto magis vir iustus per preces, merita, verba, et exempla Deiparae Virginis sanctificari potuit?

2484. Diva Caecilia virgo viro suo Valer ano donum virginitatis impetrasse legitur, q uidni, multoque magis sanctissima Dei Genitrix Sanctissimo viro suo Iosepho?

2485. Ex Virginis convictu et consortio. Plurimorum doctorum constans sententia est, B. Mariam Dominam nostram, licet puella nimis decora esset, nullum tamen mortalium ex suo aspectu ad foedam carnis concupiscentiam incitasse. Ex illo enim venerando vultu et corpore divinum aliquid, et virgineum promicabat, quod omnem libidinem et impuritatem spectantium restinguebat et arcebat, et quasi virgines germinabat, aut certe ad maiorem vitae honestatem provocabat. In hac sententia fuit S. Thomas noster. scriptor ore dominico laudatus, 3. d. 2, q. 1, art. 1 ad 4: « Gratia sanctificationis non solum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut quamvis pulchra esset in corpore, a nullo tamen concupisci potuerit ». De quo in epitheto «Mater castissima» uberius dicam, et plures doctores citabo. Si ergo solus aspectus in Virginem virgines germinabat, quid diuturnus domesticusque convictus cum Virgine in Iosepho non efficeret? Tot igitur et tam firmis divinae gratiae praesidiis communitus adeo castus mansit, ut lex carnis et effraenis concupiscentia nunquam eum tangeret, et sanctum illum amorem nulla ex parte imminueret atque labefactaret. Non ergo aetas longa Sancti Ioseph castum reddidit, sed gratia divina, meritum convictus, et consortium Virginis virginem effecit.

2486. Ad coniecturas contrariae sententiae, quae cum senem et decrepitum in imagi, nibus depictum ostendit, facile respondeassi illius horatiani memineris:

pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

2487. Certe in quibusdam provinciis depingitur canitie quidem conspersus, sed vir fortis, et robustus, quinquagenarium hominem referens, ad itinera conficienda expeditus, et arti fabri lignarii intentus, ut in Polonia et Germania.

2488. Vel fortassis ideo depingitur canus et senex, etiamsi iunior fuisset quam pingitur, quia in primitiva Ecclesia usque adeo non egerat radices perpetua Mariae virginitas, ideo ne quid indecorosum cogitaretur, ea forma illum depingebant. « Dedit hoi populi simplicitati ingeniosa vetustas, inquic Canisius lib. 2 cap. 13, ad depellendam ret amatoriae et coniugalis congressus suspicionem: hanc enim facile vel pareret, vel augeret vegetus et virili aetate iuvenis, qui cum nubili puella vel cohabitans, vel deambulans, in tabella spectantium oculis subiiceretur ». Vel depingitur canus et senex et castitatem mentis et virtutem repraesentandam; nam ut Salomon dixit: « Cani sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata », Sapient. IV, 8. Ita Salmeron tom. 3, tract. 39, et Toletus in Luc. cap. 1, annotat. 59. Sed libet longiorem texere sermonem.

Discurs. 117.

De Sancto Ioseph Sponso Beatae Mariae Virginis.

2489. Purissima virginitas Mariae, quo monstraretur illaesa ex maritali coniugio, postulabat longiorem sermonem de eius castissima desponsatione; desponsatio rursus requirebat discursum de Sancti Ioseph Sponsi Mariae summa castitate. Ulterius reverentia et devotio Sancto Ioseph debita invitat nos, ut explicemus quis, qualis, quantusve fuerit Ioseph. Perfectio quoque doctrinae idem poscit a nobis; de Maria enim et Ioseph una eademque est scientia. Sunt enim velut duae chordae animatae eodem prorsus modo aptatae et temperatae, si citharaedus fides unius pulset, continuo altera, nemine tangente, resonabit: ita quisquis de Maria sermonem instituet, continuo vox Iosephi resonabit et e contra. Hinc sacri evangelistae quoties Mariae meminerunt, Iosephum oblivioni minime tradunt; et e contra cum Iosephum nominant, Mariam silentio non praetereunt. « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae ». Et rursus: « Ioseph fili David

Digitized by Google

noli timere accipere Mariam ». Et iterum : « Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph », Luc. I : « Missus est angelus Gabriel a Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, et nomen virginis Maria », et cap. II : « Ascendit Ioseph Bethlehem, ut profiteretur cum Maria, etc. ». Ecce sacri evangelistae vix Mariam sine Iosepho, aut Iosephum sine Maria nominant. Aequum igitur est, ut et nos idem faciamus de Maria loquentes, Ioseph quoque silentio non praetereamus.

2490 Quemadmodum in Maria Deus erexit duos titulos, velut quasdam columnas mirabiles, videlicet maternitatem et virginitatem, quae sunt fundamentum totius dignitatis et sanctitatis in Virgine : ita Ioseph condecoravit duobus praestantissimis titulis, quod nimirum sit coniux Deiparae Virginis, et pater Christi. Ex quibus titulis, velut principiis, tota dignitas, magnitudo, sanctitas Iosephi promanat. De his ergo duobus titulis primo, deinde de sanctitate et virtutibus Ioseph ex illis manantibus agemus.

De Sancto Ioseph qua Sponsus Mariae Virginis

2491. Beatissimum Ioseph vere ac proprie Sponsum ac maritum Deiparae Virginis fuisse, et excepto usu carnalis copulae, omnia iura et munera veri sponsi ac mariti habuisse ostendimus discursu CIV. Nunc accuratius ac distinctius videamus quanti momenti istud officium sit, quantae excellentiae, quantae sublimitatis, et quam felix, quam beatus fuerit Ioseph ex tali connubio, Ad honorem Dei omnipotentis, et laudem huius amabilissimae trinitatis, Iesus, Maria, Ioseph.

Quam felix, quam Beatus Ioseph coniux Deiparae Virginis.

2492. Certe nihil maius, nihil praestantius unquam dici, ac toto orbe nihil honorificentius reperiri potest, quam coniugem esse Deiparae Virginis. In hac dignitate continentur paene omnia, quae de viro isto Sancto dici vel cogitari possunt. D. Gregorius Nazianzenus vir disertus et acutus, cum iudicare vellet qualis vir fuisset Gorgoniae sororis suae coniux, uno illum verbo descripsit orat. II, sic fatus : « Vultis uno verbo virum describam ? Vir illius, id est Gorgoniae, nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit ». Idem potiori iure nos ad Iosephum transferre possumus. Vultis uno verbo Iosephum describamus ? Vir erat Deiparae Virginis. Sanctus quoque Evangelista Matthaeus Iosephi virtutes maximas miratus, hoc unum de eo protulit elogium : « Ioseph autem vir eius ». Hoc quippe unico plurima eius conclusit encomia, quemadmodum et de B. V. Maria nihil aliud dixit, nisi quod esset Mater Dei : « De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ». Hoc enim, sicut et illud, omnium laudum, titulorum, dignitatum ac encomiorum est summarium. Rem igitur agamus.

2493. Ad matrimonium feliciter ineundum, et iam initum iucunde conservandum quinque exiguntur, quae Sancto Iosepho in illo admirando et sacrosanto coniugio cum Maria obtigerunt, eumque ter felicem et millies beatum reddiderunt, ineffabilemque dignitatem, et excellentiam ei contulerunt. Haec autem sunt : coniugum par conditio, morum ad invicem similitudo, mutui amoris coniunctio, diuturna et iucunda conversatio, uxoris ad virum debita subiectio.

2494. Coniugum par conditio, quae si non adfuerit, inter coniuges pax et concordia non erit. Si enim pauper pecuniosam uxorem duxerit, non uxorem sed heram habebit ; et e contrario, si dives pauperem sibi coniunxerit, non ut uxorem sed ut servam tractabit ; quo igitur pax, et concordia inter eos sit, aequalitas generis, divitiarum, bonae indolis, ceterorumque bonorum tam naturae quam fortunae inter eos reperiatur. Verum namque est, quod Ovidius canit :

Quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Quare idem alibi monet :

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Ioseph ergo felix et beatus, quod nactus fuerit coniugem parem conditione. Non iam ad aequalitatem, (nihil enim aequalem invenire possibile est meritis et dignitati Deiparae Virginis) sed ad proportionem. Quemadmodum enim B. Virgo ornata fuit a Deo tot tantisque charismatibus divinis ad hoc, ut esset idonea Mater Dei : ita et Ioseph ornatus fuit ad hoc, ut esset idoneus pater putativus Christi. Nam sicuti Deus delegit Filio in Matrem mulierem qua melior, aut cui similis in mundo non reperiretur : ita delegit eidem Filio patrem et custodem, quo purior aut sanctior inveniri non posset. Si enim reges terrae suis liberis pedagogos optimos ac praestantissimos quaerunt, etiamsi magno eis constare debeant : quanto magis Deus huic rei invigilasse credendus est, ut eligeret Filio suo talem tutorem, custodem, ac nutritium, qui esset dignissimus in terris. « Quaesivit, inquit Scriptura de David I Reg. XV, 14, sibi Dominus virum secundum cor suum », quem regno Israel praeficeret. Vigilantiori certe

Digitized by Google

studio ac diligentiori cura quaesivit Dominus Iosephum, quem daret Matri suae sanctissimae Sponsum, et quem efficeret suum nutritium ac tutorem. D. Chrysostomus hom. de David et Goliath haec verba ponderans ait: « Quaerendo indicari Deum, primo singulos homines ac diversos attigisse, examinasse cunctos, plurimosque praevidisse, ex quorum numero eligeret regem, invenit tandem David, cuius meritum transire non potuit ». Meliori iure haec de Iosepho dici possunt. Praevidit sane Deus cunctos homines, praevidit singulos et examinavit, quemadmodum solent examinari qui ad aliquas dignitates in Ecclesia promoventur, quem marianae familiae praeficeret, et recensitis omnibus ab Adam, unius Ioseph meritum transire non potuit, qui Mariae sponsus, infantiae Christi tutor et protector esset. « Iosephum ergo, inquit D. Bernardus hom. 2 super Missus est, tanquam alterum David Dominus invenit, cui tuto committeret sacratissimum sui cordis arcanum », hoc est Verbum carne humana velatum. Metaphrastes in orat. de educatione Mariae et ortu Christi: « Inventus est, inquit, Ioseph, qualem quaerebat ratio, ex eadem tribu ex qua erat Virgo ». Expende illud: qualem quaerebat ratio. Parem igitur conditioni Mariae, et idoneum educandae proli divinae. Recta enim ratio exigit, ut in matrimonio servetur proportio inter virum et uxorem, et vir sit idoneus ad alendam et sustentandam prolem.

2495. Quaenam autem paritas conditionis fuerit inter Ioseph et Mariam, iam dixi. Similitudine rem illustro. Solent coniuges in mutui amoris argumentum vestem eiusdem coloris induere, ita ut si uxor purpurea veste ornetur, si crocea, si viridi, si nigra vel alba, vir quoque eodem vestimenti colore utitur, nihilominus uxor speciosior, et ornatior semper apparet; nam vestes illius auro intexuntur, manus annulis ornantur, caput corona gemmata nitet, collum aurea torque circumdatur, auribus gemmae appenduntur, quae tamen viri gestare non consueverunt. Ad eundem modum Deus Mariam et Ioseph ad hoc admirandum et sacrosanctum coniugium vocavit, pares conditione assumpsit. Nam ambo simul ab aeterno prae omnibus sanctis ad hanc celsissimam dignitatem elegit, ut illa Mater Christi naturalis, hic vero pater Christi legalis esset: illa Filio Dei carnis substantiam daret, hic vero eundem pasceret, nutriret, custodiret, tutaretur: in ambobus peccati fomitem extinxit, ut de B. Virgine certa, de S. Ioseph pia habet doctrina. Ambos ex regali stirpe, et ex eadem progenie David nasci voluit. Ambobus inspiravit ut virginitatis votum emitterent, et virginitatem in matrimonio colerent. Ambobus concessit ut Verbum humana carne indutum primi viderent, et dulcedinem illius mannae coelestis primi degustarent. Ambobus dedit angelicos concentus natale Christi celebrantes et pastorum ac regum felices adventus intueri. Ambos voluit propter infantem Christum varios labores et incommoda subire, et longum illud exilium aegyptiacum propter herodianam saevitiam cum eodem infante pati. Ambos elegit suos nutritios, Virginem ut ubere de coelo pleno lactaret, Ioseph ut sudore vultus sui et labore manuum suarum cetera necessaria vitae ei ministraret. Ambos voluit in sua infantia, pueritia et iuventute individuos, comites, tutores, custodes, domesticos, familiares habere. Ambobus permisit se millies contrectari, amplexari, osculari, ut in officio Ecclesiae canitur:

Nunc ad Ioseph tanquam patrem,
Nunc ad sanctam repsit Matrem,
Per virgineas cervices
Gratas alternando vices.

2496. Mariae tamen maiora ornamenta gratiarum, ac privilegiorum contulit. Ipsa namque est naturalis Christi Mater, Ioseph tantum putativus pater. Ipsa Deum in utero suo suscepit: ipsa eum carne humana induit: ipsa eum utero novem mensibus portavit: ipsa sine dolore peperit: ipsa lacte virgineo pavit: ipsa omnia eius tormenta, cruciatus, opprobria, mortem aspexit, et cum eo in corde passa est: ipsa gloriam eius in ascensione ad coelos vidit, quod ineffabilem ei dignitatem contulit. Licet ergo Maria et Ioseph fuerint coniuges pares conditione, Maria tamen antecelluit Ioseph meritis, praerogativis, et dignitate.

2497. Harum tamen praerogativarum S. Ioseph expers omnino nequaquam credendus est, quia eas uti coniux aliquo modo participavit. Coniuges enim hoc ipso quod coniuges sunt, alter alterius dignitatem participat. Si infimae sortis puella regi nubit, regina efficitur, ut patet in Esther. Si etiam homo plebeius reginam in uxorem ducat, mox regis dignitatem acquirit; ita Ioseph etsi inferior meritis et dignitate fuerit, dignitatis tamen Reginae coelestis coniugis suae particeps fuit.

2498. Morum similitudo coniugibus apprime necessaria est. Simile enim simili conveniens est, contrarium vero inimicum atque molestum. Hinc quemadmodum una arbor non potest inseri in aliam, nisi inter utramque reperiatur aliqua sympathia et similitudo, ut Columella notavit: ita matrimonium non recte celebratur, nisi inter

Digitized by Google

coniuges sit morum similitudo. Vere namque Ovid. lib. 2, sat. 1 dixit:

Oderunt tristes hilarem, tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

2499. Hinc Deus matrimonium instituens Gen. II, 18 dixit: « Faciamus ei adiutorium simile sibi ». Cum igitur sacerrimum hoc matrimonium inter Mariam et Iosephum altissimo Dei consilio initum fuerit, credendum est inter eos maximam morum similitudinem intercessisse. Age id deducamus, et singillatim explicemus.

2500. Deipara Virgo fuit Sanctissima ut iam probavimus discursu LXXXVII, Ioseph similiter Sanctissimus, Matth. I, 19: « Ioseph autem vir eius, cum esset iustus », et omni virtutum genere praefulgeret. Iustitia enim sumitur hic non pro virtute speciali iustitiae, cuius officium est reddere unicuique quod suum est, sed pro aggregatione omnium virtutum; ac si diceret D. Matthaeus: cum esset perfectus, et omnibus virtutibus cumulatus, ut omnes exponunt. Magna laus Iosephi! Sacra eloquia ut plurimum commendant spectabilem aliquam virtutem in sanctis: simplicitatem in Noe, obedientiam in Abraham, patientiam in Iob, mansuetudinem in Moyse, castitatem in Ioseph, fortitudinem in Samson, sapientiam in Salomone, fidem in Petro, amorem in Ioanne. At de Ioseph absolute dicitur: « Cum esset iustus », proprium ipsius Christi epithetum, qui crebro vocatur Iustus in veteri testamento, ut Is. cap. I, 26, c. XLV, 8, c. LI, 5, c. LXII, 12 et alias saepe; Ieremiae quoque c. XXIII, 5, 6, c. XXXIII, 15, 16, Zachariae c. I et seq. Amos II, 6. In Novo autem Testamento etiam ipsemet se vocat iustum, Matthaei X, 41, et illum Iudas proditor, Matth. XXVII, 4, uxor Pilati, Matth. XXVII, 19, centurio iam extinctum in cruce, Luc. XXIII, 47, Ioannes sedentem ad dexteram Patris, I Ioan. II. 1, Petrus in concione ad populum, Actor. III, 15, Ananias quoque loquens de eo cum Saulo, Act. XXII, 14, et Stephanus in sua concione, Act. VII, 52. Magna igitur laus est Ioseph in evangelio, quod appellatur Iustus.

2501. Deipara Virgo summa fide pollebat. Luc. I, 45: « Beata quae credidisti ». Ioseph similiter magna fides declaratur. Nam angelo prius incarnationis mysterium revelanti: « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est », credidit, et sicut praecepit ei angelus Domini, accepit Mariam coniugem suam, Matth. I, 25. Deinde angelo fugam in Ægyptum praecipienti credidit, quanquam mysterium illud esset altissimum, et externa specie res ipsae inter se cohaerere non viderentur. Audierat enim primo ab angelo Christum verum mundi Salvatorem esse: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » Matth. I, 21; postea advertit, quod nec seipsum salvare poterat. « Accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum »; nec tamen dubitavit, nec mali aliquid suspicatus est. Non dixit: si Salvator est mundi, quomodo non seipsum salvat? si Deus, quid opus est ei fuga tam longinqua? Haec est enim natura fidei, ut semper inconcussa maneat, tametsi omnia videantur adversa et desperata. Sicut Abraham in spem contra spem credidit, cum Isaac filium, per quem multiplicandum semen suum Deus promiserat, prompte in mortem obtulit et nihilominus de propagatione seminis sui minime dubitavit. Et David cum e patria fugabatur, regnum tamen sibi a Deo promissum restitutum iri haud diffidebat. Propter quod Rupertus lib. I de gloria et honore Filii hominis in Matth. Iosephi fidem cum fide David et Abrahae comparat, et addit, fuisse Ioseph usque ad illud tempus iustum virum, ex tunc vero iustissimum. Quia fides reputata est ei ad iustitiam, ut et Abrahae olim, teste Apostolo, Rom. IV, 22.

2502. Deipara Virgo magna charitate erga Deum et proximum flagrabat, ut discursu XCVI fuse probatum est, Ioseph similiter erga Deum magna charitate ardebat, cui affectum paternum in ministerio exhibebat, ut discursu sequenti palam fiet. Amor Dei Virginis erga proximum in hoc maxime enituit, ut discursu suprà citato recoluimus, quod pro redemptione generis humani Iesum filium suum genuit, et mundo exhibuit. Ioseph quoque amoris huius haud expers fuit, nam Salvatorem generis humani fideliter custodivit, educavit, enutrivit, et sic quodammodo salutis nostrae cooperator fuit. Tota Trinitas redemptionem nostram operata est: Pater Filium mittendo, Filius carnem assumendo, Spiritus Sanctus eum in utero Virginis formando. Tota quoque Trinitas in hoc venerando et admirando Mariae cum Ioseph matrimonio, videlicet Iesus, Maria, Ioseph, salutem nostram operata est. Iesus Filius Dei carnem nostram assumpsit: Maria carnem suam ei subministravit: Ioseph carnem subministratam, et assumptam fovit, nutrivit et educavit. Quis igitur neget Iosephum in redemptione generis humani Christo et Mariae cooperatum fuisse?

2503. Isaias divinus vates de incarnatione loquens. cap. XL, 13, quaerit: « Quis adiuvit spiritum Domini? » Nullus. Ausim dicere, Iosephum nutriendo et educando Christum extitisse in reparatione generis humani eius coadiutorem. Ille enim pretiosus sanguis, quem Christus pro reparatione generis humani in ara crucis effudit, et Deo Patri

Digitized by Google

obtulit, alimento sudore vultus S Ioseph comparato acquisitus fuit, proinde S. Ioseph auctori salutis nostrae materiam ad conficiendum pretium pro redemptione nostra suppeditavit: consequenter salutis nostrae auctor quodammodo extitit.

2504. Libet rem tantam illustrare exemplo ex sermonibus S. Vincentii Ordinis nostri concionatoris mirabilis. Hic in concione 5 Dominicae septuagesimae refert, Constantinopoli templum quoddam expensis piorum divitum erectum fuisse: cum itaque dedicationis eius dies festus ageretur, in eminentiori loco supra portam templi haec aureis litteris exarata inscriptio apparuit: « Sophia me fecit ». Spectatores, novitate rei permoti, quaenam esset illa Sophia diligenter exquisierunt, et una muliere paupercula inventa, cui hoc nomen erat, ab ea quaesierunt, quidnam pro fabrica illius templi impendisset? Respondit: Cum boves defatigati et famelici lapides, lateres, caementum pro structura templi vehebant, ego nil aliud habens, fasciculos faeni ei porrigebam, ut refocillati materiam pro hoc templo citius veherent. Ad eundem modum cum Christus templum corporis sui, de quo ipse Ioan. II, 19: « Solvite templum hoc », pro reparatione generis humani pararet, patriarchae, reges, sacerdotes, quos in genealogia Salvatoris D. Matthaeus recensuit, impensas magni momenti ex sanguine suo contulerunt. Ioseph solum fecundae vitulae Mariae, ex cuius sanguine extruendum erat sacrum illud templum, alimenta praebuit. Unde sicut Sophia illa templi huius aedificatrix denuntiata est, ita Ioseph templi istius, hoc est corporis Christi, aedificator, et salutis humanae per illud sacrum corpus reparatae auctor quodammodo dici meretur.

2505. Deipara Virgo prudentissima, ut in epitheto eodem inferius palam fiet, Ioseph prudentissimus. Nam prudenter mysterium incarnationis celavit, memor illius sententiae Tobiae XII, 7: « Sacramentum regis abscondere bonum est », nec non alterius Isaiae XXIV, 16: « Secretum meum mihi », et quomodo celavit? Audi evangelistam: « Cum esset iustus, et nollet eam puta coniugem Virginem, sibi desponsatam traducere, voluit occulte dimittere eam »? Et quare occulte et non palam? Mirare prudentiam. Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo durae cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli, et crudeles Iudaei subsannarent illum? lapidarent illum? Merito ergo Ioseph vir iustus, ne aut propalaret mysterium, aut diffamaret innoxiam, voluit occulte dimittere eam. Lege D. Bernardum hom. 2 super Missus est. Hanc prudentiam Ioseph miratus D. Chrysostomus hom. 4 in Matth. inter alia dicit: « Quod sicut Christus existens in utero per Matrem Ioannem sanctificavit: ita per eandem summam quandam gratiam Iosepho communicavit, qua illius difficillimi negotii pondus tam forti ac prudenti animo sustineret ».

2506. Deinde prudentia eius enituit, quod tam prudenter Herodem, et Archelaum eius filium, qui necem Christi meditabantur, fugit, ut et eorum studia et conatus impios eluderet, et puerum Iesum innocentem e faucibus eorum eriperet.

2507. Deipara Virgo humillima. « Ecce ancilla Domini », Ioseph quoque humillimus. Ignarus mysterii in utero Mariae Spiritus Sancti virtute elaborati, uterum puellae intumescentem cernens, violati a se signaculi virginalis sibi minime conscius, de Sponsa tam sancta nihil mali suspicans, in cuius vita et moribus pudicitiam mirabilem, et sanctitatem eximiam et maiestatem quandam divinam relucentem vidit, cogitare coepit, ne illa forte esset de qua Isaias vaticinatus est: « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium ». Quare sancto timore correptus, seque eius consortium indignum iudicans, « voluit occulte dimittere eam », memor illius quod dictum est Moysi Exod. III, 5: « Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est ». Atque ut olim David timuit introducere arcam in domum suam, et aiebat: « Quomodo ingredietur ad me arca Dei »? II. Reg. VI, 9, atque ut ille magnus Ioannes de Christo: « Non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti », Ioan, I, 27, et Petrus: « Exi a me, Domine, quoniam homo peccator sum » Luc. V, 8, et Elisabeth ad Virginem: « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » Luc. I, 43: ita et Ioseph indignum se et peccatorem reputans, a consortio Virginis tam sanctae se subtrahere cogitabat, et ideo ut S. Evangelista narrat, « voluit occulte dimittere eam ». Et ita hoc consilium Iosephi de dimittenda Maria coniuge sua interpretantur magni nominis patres, Origenes hom. 1 in Matth., Basil. hom. 25, D. Bernard. hom. 2 super Missus est, quibus adstipulatur Doctor Angelicus III. p. q. 28, art. 3 ad 3, ubi ex quorundam sententia asserit, ex vultu Virginis dum Christum portavit, splendorem quendam insolitum radiasse, sicut et facies Moysis, cum Deo olloqueretur, glorificata dicitur, adeo ut non possent intendere filii Israel in faciem eius, II Corinth. III, 7.

Digitized by Google

2508. Deipara Virgo castissima, Ioseph castissimus, qui virgo Virginem adiit, virginem servavit, primus ex masculis in coniugii consortio virginitatem Deo consecravit, et perpetuo coluit ceterosque post se sanctum et integrum caelibatum observare docuit. D. Hieron. in historia de hortu Mariae narrat, Iosephum non absque miraculo electum fuisse in Sponsum Virginis. Cum enim summus pontifex Deum consuluisset, cuinam Virgo illa tam sancta secundum morem gentis desponsari deberet, qui virginitatem eius Deo consecratam custodiret et illibatam servaret? de Propitiatorii loco vox facta est, requirendos esse aliquos de domo et familia David, nuptui habiles, non coniugatos, qui virgas suas ad altare afferrent, et cuius virga florem germinasset, ipsum esse cui Virgo commendari ac desponsari deberet. Itaque divino nutu virga Ioseph florida eius virginitatem monstravit, et cuinam virga illa de radice Iesse, de cuius radice flos, cuius odore tota flagraret Ecclesia, desponsari deberet, docuit. Huic narrationi fidem faciunt D. Gregorius Nazianzenus in orat. de Christi nat., Germanus patriarcha Constantinopolitanus orat de Virginis oblat., Simeon Metaphrastes orat. de vita et dormit. Deiparae, Cedrenus in comp. hist., Niceph. lib. 2, cap. 7, et alii.

2509. Deipara Virgo obediens, Ioseph obediens Deo, angelis et hominibus. Deo in praeceptis legis, nam ascendebat ad stata festa de more Iudaeorum, Luc. II, 42. Angelis, nam primum ut agnovit angelicum oraculum de fuga in Ægyptum arripienda, continuo ait S. Evangelista: « Consurgens accepit puerum, et matrem eius, et secessit in Ægyptum », Matth. II, 14. O miram obedientiam! In re obscura, et perplexa nihil locutus est, nihil interrogavit. In re difficili non obmurmuravit, non cunctatus est, non conquestus de itineris longitudine, de importuno noctis tempore, de inopinato et improviso profectu, de inopia ad expensas necessario faciendas, maxime in regione ignota, barbara et inculta. Haec est illa obedientia, quam sancti patres caecam appellant, et nostrae obedientiae norma perfecta est, et exemplar. Homini obediens erat, nam ubi « exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis... ascendit autem Ioseph in Bethlehem... ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante », Luc. II.

2510. Deipara Virgo mitissima « inter omnia mitis », Ioseph mitissimus. Nam ut vidit, et certo cognovit Sponsam, quam nunquam tetigerat, gravidam, nihil insolenter egit, nihil exprobravit, nihil apud affines est questus, nihil cuiquam indicavit. Alius zelotypi furorem non cohiberet, exprobraret, increparet, accusaret, lapidare tentaret; ille nihil cuiquam dixit, solum intra se disputavit, ut D. Augustinus meditatur, « Non cognovi » et valde anxius quid esset acturus haesit. Oculi qui videbant uterum tumentem, iudicabant incontinentem; at animus candidus, et minime suspicax nullatenus permittebat suspicione gravare eam, quam ab ineunte aetate sanctitas, et angelica puritas mirifice commendabat. Quid igitur? ut sibi a suspicione caveret, et ne contra famam et intemeratam pudicitiam Mariae aliquid pro humano affectu cogitaret, statuit se fugae dare, « voluit occulte dimittere eam ». « Sapiens (enim) timet et declinat a malo » ut Proverb. XIV, 16 dicitur. Ita consilium Iosephi explicat eruditissimus Baeza tomo I lib. I c. 2 parag. 1, et illustrat id exemplo ex Isidoro Pelusiota libro II epist. 62 desumpto. Quidam rex cum Ephesiam sacerdotem, cuius incredibilis et singularis pulchritudo erat, conspexisset, statim ex exphesina urbe digressus est, illud metuens, ne praeter voluntatem nefarii aliquid admittere cogeretur. Ad eundem modum Ioseph Mariam dimittere voluit, ut sibi a suspicione caveret.

2511. Deipara Virgo fortis et magnanima, ut inferius in epitheto « Regina Martyrum » fuse probatur, Ioseph fortitudinem et magnanimitatem ostendit, cum immanissimum zelotypiae amoris hostem in animo suo viriliter superavit, et omnes insurgentes vindictae motus in se imperiose coercuit. Deinde fortis fuit, cum adversus tyranni Herodis potentiam strenue pugnans, non tam viribus, quam arte illum devicit, quando praedam infantis Iesu, quem ille trucidare anxie curabat, ab oculis eius abduxit et in remotam regionem transtulit. Item fortis fuit, quoniam tot incommoda et aeris iniurias propter Christum pertulit eundo in Bethlehem, fugiendo in Ægyptum, laborando propriis manibus, et Christum cum Matre nutriendo.

2512. Deipara Virgo misericors est, cui quotidie canimus: Mater misericordiae; Iosepho quoque misericordia non defuit, immo eius misericordia nobilior, quam aliorum sanctorum, excepta B. Virgine, fuit; nam circa sublevationem miseriae nobilissimarum personarum versata est. Quod enim Ioseph sudore vultus sui, et labore manuum acquisivit, ea omnia in Mariae Matris, et Iesu Filii subsidium convertit. Et ne per singulas virtutes ire necesse sit concludo. Nec ovum ovo similius, ac Ioseph Mariae in moribus, et virtutibus.

2513. Sed unde Iosepho tanta perfectio, ut Virgini, quam D. Chrysostomus cherubim honoratiorem et seraphim incomparabiliter gloriosiorem appellat, similis fieret? Ferunt

Digitized by Google

vineam oleae intertextam olivae naturam induere, et unguinosos proferre botros. Narrant quoque vitem cedro odoratae et incorruptibili vicinam vinum ferre, quod et virus pellat, et bibentem non inebriet. Ioseph quia B. Virgini velut sacrae cuidam oleae, quae de se, Eccli. XXIV, 19, ait: « Quasi oliva speciosa in campis », et quasi cedro odoratae et incorruptibili, quae ibidem de se testatur: « Quasi cedrus exaltata sum in Libano », in coniugio coniunctus erat, idcirco participatione quadam tantam pinguedinem spiritus ab ea accepit, et tantum odorem virtutum ab ea contraxit, ut tot virtutibus abundaret, tam uberes fructus bonorum operum produceret, tam liber ab omni terreno contagio, carnali affectu, mentis corruptione remaneret, ut naturam Virginis assumpsisse videretur, eique per omnia similis fieret.

2514. Mutui amoris coniunctio; ubi enim coniuges mutuo se diligunt, nullas rixas, odia, dissensiones habent, et pacifice vivendo statum matrimonii felicem faciunt. Non dubium inter Mariam et Ioseph singulare vinculum mutui amoris, et perfectissimae amicitiae intercessisse. Pertinet enim ad virtutem et sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, eique omne bonum exoptet et procuret. At B. Virgo in omnibus fuit perfectissima; igitur et in amore coniugali excelluit.

2515. Fovit mirifice hunc amorem morum similitudo, de qua iam dixi; simile enim diligit sibi simile. Accessit frequens ac diuturna familiaritas, et cohabitatio absque ulla occasione rixae, odii, dissensionis, de qua mox dicemus, quae non potest non parere summum quemdam amorem et benevolentiam.

2516. Deinde noverat B. Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore; non ignorabat quod docuit Apostolus Ephes. V, 25: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam ». Sciebatque comparationem hanc in eo sitam esse, ut sicut Christus nil carius habebat quam Ecclesiam, ita nil carius sit uxori quam vir, nec viro quam uxor. Ideo credo nullam in orbe puram creaturam fuisse, quam maiori quam coniugem suum amore Virgo prosequeretur.

2517. Insuper sciebat Iosephum sibi a Spiritu Sancto datum in Sponsum, et in suae virginitatis fidum custodem et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine erga divinissimam prolem Dei. Ideo inquit D. Bernardus tomo 3 in serm. de S. Ioseph: « Credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat.

2518. Auxit hunc amorem in Virgine ratio gratitudinis quae benefactoribus debetur, et nulla alia re magis, quam amore persolvitur. Ioseph autem tum Matri Virgini, tum Puero Iesu multa beneficia praestitit Sub illius umbra fama et aestimatio Virginis illaesa permansit: immo virginitas Mariae sub ipsius tutela, et fida custodia magis confirmata et stabilita fuit; propter illum B. Virgo gravida ab Hebraeorum lapidatione liberata est; ipsius cura Puer Iesus a tyrannide Herodis ereptus est. Ut taceam labores, incommoda, coeli iniurias, quas propter B. Virginem, et Filium eius pertulit; omnium enim pene itinerum, laborum, aerumnarum et molestiarum eius comes fuit, in Bethlehem cum ea profectus est, ex Bethlehem in Nazareth reduxit. Deinde iubente angelo, eadem nocte in qua ei angelus apparuit, ut Caietanus noster contra Abulensem bene docet, cum Virgine Matre et Puero Iesu in Ægyptum secessit, ibi per septem annos, ut auctor est D. Anselmus, et Thomas noster in Matth. cap. II, vitam pauperem inter barbaros, ignotos et infideles exul egit, sudore vultus sui ac labore manuum suarum Virginem Matrem, et Filium eius aluit, eisque ministravit, et omnia vitae huic necessaria providit.

2519. Didacus Beza magni vir ingenii. tom. I, lib. I, c. 2, parag. 5 putat D. Ioseph factum fuisse Mariae quasi in Deum, cum ei non nihil de adulterio suspectae pepercit, non accusavit, non traduxit. « Etenim, ait, sic Deo canit Ecclesia; « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere ». Magis credo Ioseph factum fuisse Mariae quasi in Deum, cum ei tot beneficia praestitit, cum omnia sua ministeria et obsequia, tam circa eam, quam circa Puerum Iesum, eodem fere modo quo Spiritus Sanctus circa eosdem operatus est, et ille peregit. Spiritus Sanctus Virginis Sponsus fuit, virginitatem eius non laedens, sed confirmans et consecrans: Ioseph eiusdem Virginis Sponsus fuit, virginitatem eius non contingens, sed custodiens et conservans. Spiritus Sanctus Mariam fecundavit, et prolem divina virtute in ea produxit: Ioseph eamdem multis beneficiis affecit, et prolem eius enutrivit. Spiritus Sanctus Mariae obumbravit, ne sentiret aestum libidinis: Ioseph eidem sic obumbravit, ut sub illius umbra illaesa servaretur fama et honor Virginis. Spiritus Sanctus est « in labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium », ut Ecclesia de eo canit. Ioseph infanti Iesu haec omnia praestitit. Fuit ei in labore requies, cum eum in brachiis portavit, cum in illo laborioso itinere in Ægyptum eundo et redeundo, eum gestans requiem eidem dabat. Fuit in aestu temperies, cum illis intensis caloribus, quales vigent in Ægypto, Puerum refrigerabat, et flabello dulcem auram praebebat. Fuit in

Digitized by Google

fletu solatium, cum lacrymas infantis Iesu, quas ille tunc saepius effundebat, ab oculis eius abstergebat. Ecce tibi Iosephum quasi Mariae Deum. An non haec omnia B. Virgo amore singulari non rependebat?

2520. Rependebat sane, et beneficia beneficiis compensabat. Hinc D. Bernardinus serm. de laud. S. Ioseph ait: « Credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibuit ».

2521. Diuturna et iucunda conversatio coniugum matrimonia iucunda et felicia facit. Iosepho haec conditio non defuit, nam triginta annorum spatio, ad minus, cum B. Virgine coniuge sua, et eius Puero Iesu vixit. Magis vulgaris, et probabilior opinio est, Sanctum Ioseph usque ad Salvatoris nostri baptismum, qui contigit anno tricesimo aetatis eius, vitam prorogasse. Cedrenus in compendio histor., D Bonavent. in lib. de vita Christi, c. 17. Immo D. Cyprianus de passione Domini et D. Ambros. lib. de instit. virg. c. 6, et in Luc. XXIII, qui passionis quoque tempore Iosephum superstitem fuisse existimant. Ceterum quod ante crucem Domini e vita migrarit, non obscure Ioannes ostendit cum testatur Mariam velut viduam factam, (sicut et D. Hieronymus libro contra Helvidium eam vocat) non alii quam discipulo ab ipso moriente Christo unice commendari. Satis temporis et felicitatis est triginta et uno anno cum Virgine coniuge honesta, gravi, casta, modesta, sancta, grata et amabili vixisse. Quis enarrare sufficiat quanta dulcedine, quanto gaudio, quanta consolatione spiritali Iosephus quotidie replebatur, cum Sponsam adeo caram, et dilectam intuebatur? quanto iubilo animus eius agebatur, cum Deum incarnatum sibi obsequentem videbat? quae verba, quae colloquia, quae responsa, quae mysteria, quae secreta, quae oracula inter eos erant?

2522 Verissime Salomon Prov. XII, 4: « Mulier diligens corona est viro suo ». Sane B. Virgo Iosepho corona fuit, nam suo maritali consortio, et familiaritate domestica magnam gloriam et splendorem ei attulit. Quemadmodum corona aurea summi pretii gemmis ornata, et capiti imposita plurimum homini splendoris addit, ita coniugium hoc Mariae cum Ioseph incredibilem Iosepho dignitatem attulit.

2523 Felix praedicatur S. Ioannes evangelista, cui B. Virgo in matrem tradita est, et qui paucis annis cum ea vivere meruit: quanto felicior hac in parte Iosephus, qui non paucis, sed triginta annis eius praesentia ac suavissimo consortio gavisus est?

2524 Si qui in terris devoti sunt Matris Dei, mirabiles in sanctitate progressus faciunt, quantos putabimus fecisse eum, qui tot annis cum ipsa vivere, ac familiariter agere meruit?

2525 Verisimile est B. Virginem eximia gratiae dona, et auxilia Sponso suo, quem singulariter diligebat, exoptasse, suisque orationibus impetrasse. Si enim tanta nunc impetrat peccatoribus sceleratis, quanta putas impetravit dilectissimo Sponso charismatum dona? « Si ex cohabitatione sanctorum, qui respectu Virginis nihil sunt, inquit D. Bernardinus, saepe proficimus, quantum existimandum Ioseph cum B. Virgine profecisse? » Si parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus quaenam fuerit Iosephi exultatio, et in virtutibus progressio, qui Mariae necdum vocem audire, verum et faciem videre, et beata eius non solum praesentia, verum etiam coniugali familiaritate et amicitia frui meruit?

2526 Mulieres bonae viros suos beatos faciunt, iuxta id quod Eccli. XXVI, 1 dicitur: « Mulieris bonae beatus vir ». Et I Cor. VII, 14: « Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem»; uti Adrianus per S. Nataliam, Clodovaeus per Clotildem, Valerianus per S. Caeciliam, Sisinius per Theodoram, Marius per S. Martham, S. Augustinus per S. Monicam, Vitalianus per S. Gorgoniam; quanto magis sanctificatus est Ioseph iustus et fidelis per Mariam coniugem fidelissimam et optimam?

2527 S. Gorgonia solum ex dimidia parte se baptizatam putabat, eo quod eius maritus nondum baptizatus esset: ne igitur dimidia tantum ex parte initiata ex hac vita descenderet, a Deo precibus impetravit, ut maritus baptismum susciperet, et ipsa ex toto consecraretur, ut S. Gregorius Nazianzenus frater eius, orat. II refert. Si ergo in Gorgonia tam insignis charitas fuit, ut viri imperfectionem suis precibus ei obtineret, multo altiori ratione ac modo huiusmodi amor B. Virgini attribuendus est, quod ipsa licet perfectissima, imperfectam tamen se poterat existimare, si dimidia ipsius pars, id est, coniux Ioseph imperfectus esset. Quamobrem perfectionem summam credibile est suis precibus illi impetrasse.

2528 Uxoris ad virum subiectio. Et haec Iosepho non defuit. Noverat B. Virgo, utpote Scripturae Sacrae scientissima, commendari Saram Abrahami uxorem, quod marito suo obediens erat, eiusque observantissima reverenter eum dominum suum compellans. I. Petr. III. 6. Quare licet ad mysteriorum Dei cognitionem, et alia privilegia gratiae Iosepho superior esset, in externis tamen domesticis rebus ei subiecta erat. Quare Sara Abrahamum in omni peregrinatione, et laboribus semper comitata est, ita et Ma-

Digitized by Google

ria suum Ioseph. Ad Nazareth cum eo venit, ibique cum eo commorata est. Bethlehem quoque cum eo profecta, quo tributum Caesari penderet. Deinde cum in Ægyptum fugiendum erat, quanquam iter longum ac difficile foret, eadem nocte qua de fuga ipsam admonuerat, migrare eumque comitari parata erat.

2529 Insuper viri sui observantissima fuit, proinde ea cum reverentia, quae mulierem decet, maritum compellare consueverat. Cum Iesum, triduo postquam amissus erat, in templo invenisset, audi quid dicat: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Luc. II, 48. Ecce ut appellat Iosephum Salvatoris patrem, qui honorificentissimus est titulus, quamvis re vera ille pater naturalis pueri non fuerit, sed solum talis vulgi opinione habebatur. Praeterea sibi eum praefert, et pius nominat; non dicit: Ego, et pater tuus, sed « Pater tuus, et ego », ei primas humiliter deferendo. « Caput enim mulieris est vir » I Cor. XI, 3. Hoc nomine Ioannes Gerson in serm. de nativit. Virg. S. Iosepho gratulatur, ita fatus: « O miranda prorsus, Ioseph, sublimitas tua! o dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina coeli, Domina mundi appellare te dominum non indignum putaverit ». Quis ergo eum despiciat? immo quis non maximi faciat? quis illius virtutes coelo non aequet? O Beate Ioseph, Sponsae tuae carissimae nos commenda, ut tuo interventu, et ipsius suffragio Iesum benedictum, quem illa genuit, quem tu custodisti, fovisti, nutristi, educasti, post hoc exilium in illa coelesti et beata patria videre mereamur. Amen.

Discurs. 118.

De S. Ioseph qua pater Christi.

2530 Beatissimum Ioseph patrem Christi habitum, et vocatum fuisse, ex evangelio discimus, Luc. III, 23: « Ut putabatur filius Ioseph »; Matth. XIII, 55: « Nonne hic est fabri filius? » Luc. IV, 22; Ioan. VI, 42: « Nonne hic est filius Ioseph? » Nec a Iudaeis modo qui mysterium incarnationis eius ignorabant, sed et a S. Evangelista Luca sic appellatum fuisse legimus Luc. III, 33: « Erat pater eius, et mater mirantes super his », et supra vers. 27: « Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ». Quin et ob ipsa B. Virgine ibidem vers. 48 sic vocatur: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Sane cum evangelista et B. Virgo absque speciali Spiritus Sancti instinctu locuti non sint, debuit ei titulus hic, et dignitas patris singulari Dei ordinatione convenire. Et sane convenit, etsi non generatione, sed hominum opinione, et rationibus quae sequuntur.

2531 Prima ratio a simili. Quemadmodum racemus vitis quae ulmo sustentatur, fructus ulmi existimatur, et ab eo velut parente proficisci putatur ab his, qui naturam vitis ignorant; ita Christus Iesus, qui Mariae Virginis solus filius erat quia Virgo Iosepho, uti sponsa viro, nitebatur, existimatus fuit Iosephi filius ab his qui Christi divinitatem, et mirabilem eius conceptionem ignorabant.

2532 Sed quoniam, ut diximus, non a Iudaeis modo qui mysterium incarnationis ignorabant sed etiam a S. Evangelista, immo et ab ipsa Virgine Matre, qui mysterium noverant, pater Christi appellatus fuit, idcirco alia ratio assignanda est, ob quam Ioseph pater Christi habitus et vocatus fuerit.

2533 Pater non solum dicitur is qui genuit, sed etiam qui ex uxore sua filium ab alio genitum suscepit. Quemadmodum Ioseph vocatus est Heli filius, Luc. III, 23: « qui fuit Heli », et tamen Heli Iosephum Iosephum non genuit, sed Iacob, « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae » Matth. I, 16; sed quia mater Ioseph, quam Africanus et Nazianzenus in carmine Estham vocant, nupserat primo Heli, idcirco Ioseph ob matrimonium cum vera eius matre dictus est filius Heli. Et nos patrem vitricum solemus vocare patrem, et novercam matrem propter matrimonium quod inter illos est. Ad eundem modum Ioseph dictus est pater Christi, quia nupserat Mariae, quae erat vera Christi Mater.

2534 Praeterea si adoptio, quae est hominum inventum, vere facit filium eius, quem quis adoptavit inter homines; ita ut in eum transferat non solum nomen familiae, verum etiam haereditatem; quidni ergo Deus potuerit Ioseph patrem Christi constituere?

2535 Ad haec, si verbo Christi pendentis in cruce: « Mulier, ecce filius tuus », Ioannes factus est filius adoptivus Virginis. et Virgo eiusdem verbo: « Ecce mater tua », facta mater legalis Ioannis, ita ut Ioannes vigore illius adoptionis acquisierit ius adeundi haereditatem, si qua fuisset in bonis, nihil mirum videri debet, si aliquam veram rationem patris et ius in Christum quasi in filium Ioseph habuerit, quia a Deo Sponsus Matris eius, et consequenter Christi pater constitutus fuit. Hoc mente revolvens D. Augustinus lib. 2 de consensu evang. dixit: « Nec enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia illum non genuerat, quandoquidem recte illius pater esse poterat, quem adoptasset ».

2536. Alia quoque ratione id explicari potest ex D. Damasceno orat. 13. Sicuti, qui solum electione, et non iure sanguinis ad

Digitized by Google

regiam dignitatem ascendit, non minus a cunctis rex vocatur, nec minor ei reverentia aut honor defertur, quam si ex paterna haereditate regnum obtinuisset: ita etiam, licet Ioseph natura pater Christi non fuerit, tamen quia ex Christi electione in patrem assumptus est, merito patris nomen sibi vindicare potest.

2537. Rursus B. Ioseph per verum matrimonium cum B. Virgine contractum quodammodo dominus corporis eius effectus est; ait enim Apostolus: « Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir », I Corinth. VII, 4. Hinc ergo factum est, ut fructus corporis virginei quodammodo ad Iosephum pertinuerit. Ius enim disponit: « Quod in alieno solo nascitur, vel aedificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum ». Vide institut. Iustiniani, titulo « de rerum divisione » parag. « Cum in suo solo ». Unde etiam si in alicuius horto miraculose fons nasceretur, aut arbor, aut flos, illius esset cuius est hortus. Quia ergo hortus ille conclusus, corpus videlicet superbenedictae Virginis, Iosephi erat, fructus etiam illius, qui fuit dulcissimus Iesus, Iosephi erat, unde merito pater illius dictus est.

2538. Ad extremum vir et uxor per matrimonium efficiuntur quodammodo unum; per maritale officium una caro, per maritale vinculum una voluntas. Unde fit, ut bona omnia habeant quodammodo communia, ita ut quod est sub unius dominio et potestate, sit etiam sub alterius dominio et potestate. Quia ergo B. Virgo fuit vera Christi Mater, fieri non potuit, ut etiam Ioseph non diceretur, et non haberetur eius pater, cum in omnibus bonis eius uti Sponsus participavit, carnali semper commercio excepto.

2539. Et non solum B. Ioseph patris Christi nomen habuit, sed etiam rem quae huic nomini subest, excepta generatione carnali, quantum ab homine participari potest, participavit. Habuit enim patris affectum, sollicitudinem, auctoritatem.

2540. Affectum. Quis neget maiorem esse affectum sive amorem qui nascitur ex gratia, quam eum qui procedit a natura? D. Ambros. lib. I de Offic. cap. 7, testis accedat: « Non vos minus diligo quos in evangelio genui, quam si in coniugio suscepissem: non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia ». Ita Ioseph non minus dilexit Christum filium suum putativum, quam si illum in coniugio suscepisset: immo magis, quo vehementior est gratia, quam natura. O quoties Ioseph Iesum infantulum ulnis suis excepit, quoties brachiis tulit, quoties exosculatus, et amplexatus est? quantis putas ardoribus cor illius tunc aestuabat, quo affectu fervebat, quo ardore flagrabat, cum Deo, qui ignis consumens est, in sinu suo portabat? Non potest quisquam ignem sinu gerere quin ardeat, iuxta illud Prov. VI, 27: « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? » Cum igitur Ioseph sinu suo ignem, id est Christum tulerit, quis inficiabitur vehementer exarsisse, et vehementer amasse?

2541. Inflammabant amoris eius ardorem innumera beneficia, augebant singularia, eaque eximia privilegia, quae prae ceteris in se unum ab eodem Christo munificentissime collata experiebatur, quod nimirum ex paenę infinita hominum multitudine segregatus, et in Sponsum Dei Genitricis selectus erat, quod donum perpetuae continentiae obtinuerat, quod innumeris gratiae, virtutumque omnium donis abunde cumulatus, et, ut nonnulli existimant, in utero matris sanctificatus fuerat, quod fomite peccati caruerit, et omne peccatum laetiferum in tota vita superarit. Haec et multa alia singulari, et maximo amore digna erant.

2542. Sollicitudinem. Quis enarrare sufficiat sollicitudinem Ioseph circa puerum et matrem eius? Quam sollicite enim providerit puero, satis patet in omnibus illis itineribus, quae cum illo suscepit, in peregrinationibus in Bethlehem, in Ægyptum, in Nazareth. Quoties illum in sinu suo portavit? quoties manibus contrectavit? vestibus induit, exuit, amplexatus, osculatus est? Dici non potest quot incommoda in illa periculosa peregrinatione, (dicam verius exilio in Ægyptum) pertulit, ut ab immani et immatura morte, quam herodiana tyrannis puero Iesu inferre moliebatur, illum eriperet. Nullus unquam servus tam sedulo dominum suum custodivit, nullus custos super muros, et civitatem adeo vigilans fuit, ac Ioseph super puerum Messiam, cui ministravit, quem per fragosa illa Ægypti itinera in brachiis suis portavit, cui sudore vultus sui et labore manuum suarum alimenta procuravit, quem, ut semel dicam, custodivit quasi pupillam oculi sui.

2543. Auctoritatem. Revera Christus propter dignitatem suae personae nulli unquam hominum subiectus fuit, nihilominus propter humanam naturam a Matre susceptam Ioseph, tanquam patri ac superiori, obedientiam honoremque deferre voluit, illius namque pupillus erat, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est: illius solatio, cura, sollicitudine, providentia una cum matre sustentabatur. Et ideo, prout narrat evangelista Lucas II, 31: « Erat subditus illis ». Quibus? Mariae et Ioseph, cui etiam, ut diximus in discursu praecedenti, Maria subdita erat. Ioseph enim admirandae illius

Digitized by Google

venerandaeque familiae custos, tutor, director, oeconomus ac dominus erat, ut non immerito ei accommodari possit, quod de alio Ioseph scriptum est, Ps. CIV, 20: « Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae ». Sane fidelis et prudens servus Ioseph, quem constituit Dominus super familiam suam. Familia autem Dei est Iesus et Maria. O felix, et sancta familia! O felicem, terque, immo millies beatum Ioseph tantae familiae dominum! Quid praestantius, quidve gloriosus de Ioseph dici potest, quam quod supremi omnium Monarchae, cui cuncta tam coelestia, quam terrestria, et ea quae in inferis sunt, obediunt et in eius nomine flectunt, dominus fuerit? Haec dignitas tanta est, ut vix eam coelitum capiat intellectus. Nam quo se magis demittere potuit Deus, quam ut fabro pareret lignario? Quod stupens mellifluus doctor Bernardus homil. 1 super Missus est, haec ait: « Erat subditus illis. Quibus? Deus hominibus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus, et potestates obediunt, subditus erat Mariae; nec tantum Mariae, sed etiam Iosepho propter Mariam ». Hoc solo omnia S. Ioseph privilegia, omnis virtus, omnis excellentia continetur.

2544. Magna laus est Iosue in Scriptura, quod ad imperium eius sol in coelo stetit, Iosue x. Sed maior laus Ioseph, cui sol iustitiae Christus, non pura creatura, sed Deus ipse obedivit. Obedientia illa quam sol exhibuit Iosue, metaphorica erat, cum expers esset rationis: at quam praestitit Iesus Ioseph, vera obedientia fuit, et omnium perfectissima. Nam tanto melior et commendabilior est obedientia et humilitas, quanto excellentior est persona quae subiicitur, et obedit. Unde illud D. Bernardi super Missus est hom. 4: « Non est magnum esse humilem in abiectione, magna prorsus et rara virtus humilitas honorata ». Ex hoc igitur incomparabilis quaedam dignitas Iosepho accrescit, quod ipsum Deum sibi subditum habuerit.

2545. Insignis quaedam S. Ioannis Baptistae praerogativa fuit, quod Christum sibi subditum habuit, cum eo in Iordane baptizavit, sed id semel dumtaxat fuit. At Ioseph millies ei imperavit, cum puero legem statuebat, quando domi consisteret, quando ab ea egressurus esset; et ut alter Iosue ei dicebat: ne movearis, nunc pedem fige, nunc propera; veni, et veniebat; fac hoc, et faciebat; semper enim patris sui observantissimus fuit, quamdiu sub eius tutela mansit.

2546. Haec subiectio, inquit Ioannes Gerson serm. de nativit. Virginis,, sicut inaestimabilem humilitatem notat in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho. Quid enim sublimius, quam quod ei, qui in femore scriptum habet, Rex regum, et Dominus dominantium, cuius nomen est Deus fortis, Pater futuri saeculi, Dominus exercituum, patris auctoritate praeesse; ita ut ille filiali subiectione ei subsit, ei obediat, ac dicat: Pater, fiat voluntas tua? Hac auctoritate, ausim dicere, Ioseph nedum terrenam, verum et coelestem omnem superat dignitatem.

2547. Themistocles atheniensis, Graecorum dux, hunc in modum argumentari solebat, ut Plutarchus de eo narrat: Filius meus Dyaphantus matri suae imperat, mater imperat mihi, ego toti Graeciae: igitur Dyaphantus imperat toti Graeciae. Ad eundem modum mihi argumentari liceat: Ioseph imperat Mariae matri Iesu, uti uxori suae, Maria imperat Iesu, uti filio suo, Iesus autem imperat universis creaturis, quae in coelo, et in terra sunt: igitur et Ioseph quodammodo imperat universis creaturis quae in coelo et in terra sunt. O mirabilem, et ineffabilem dignitatem Ioseph!

2548. Amplius huius dignitatis celsitudo apparet ex eo, quod Pater divinus tantum honorem Iosepho tribuit, ut ei nomen sibi proprium communicare dignatus sit. Pater, ita est proprium nomen personae Patris respectu Filii, ut nulli unquam communicatum fuerit, nec ad intra, nec ad extra. Quamvis enim Spiritus Sanctus viri operam in generatione Christi divina sua virtute suppleverit, nullatenus tamen nomen Patris Christi sibi assumpsit, uti vera theologia docet apud S. Doctorem nostrum, 3 p. q. 32. art. 3 Nihilominus Deus Pater hoc nomen sibi proprium Iosepho communicavit, deditque illi, ut illius filii diceretur pater putativus in tempore, cuius ipse est Pater verus in aeternitate. Perpende quanta sit dignitas haec!

2549. Pater aeternus dicit Filio suo: « Sede a dextris meis »; haud dubium Iosephum non semel dixisse Christo ad mensam assidenti: sede a dextris meis. O admiranda prorsus, Ioseph, dignitas tua, et incredibilis excellentia tua!

2550. Ioannes evangelista maxime laudatur quod Christus morti vicinus nomen filii sibi proprium illi communicaverit, cum de cruce ad Matrem dixit: « Mulier, ecce filius tuus ». Et ex hac appellatione Ecclesiae doctores singularem Christi amorem erga Ioannem colligunt. Sed quid maius est, filium esse Virginis, an coniugem esse Virginis? Quid mirabilius est filium dici Virginis Deiparae, an patrem Christi Optimi Maximi? Existimo maius esse coniugem

Digitized by Google

esse Virginis, quam filium adoptivum Virginis; et mirabilius dici patrem Christi, quam filium Virginis loco Christi. In coniuge enim et in patre denotatur auctoritas, in uxore vero et in filio subiectio.

2551. Iam sicut Ioseph pater Christi fuit, ita paterna officia ei exhibuit. Nam ut verus pater eum aluit, nutrivit, educavit, custodivit, sinu suo fovit, sedulamque curam adhibuit, ut puer Iesus cum Virgine Matre omnia vitae necessaria haberet, et tanquam pater nomen ei imposuit iubente angelo, sive potius Domino per angelum, Matth. I, 21: « Et vocabis nomen eius Iesum ». Quae, et quanta sit excellentia haec, sequenti discursu palam fiet. Nunc rogamus Dominum, ut interventu S. Ioseph, quem uti patrem coluit in terris, nobis propitius esse dignetur, nunc regnans in coelis cum Patre, et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Discurs. 119.

Quem dignitatis ac sanctitatis gradum Sanctus Ioseph consecutus fuerit ex eo, quod pater Christi extitit.

2552. Ex titulis a Deo datis sanctorum magnitudo, virtus, dignitas ac praemium optime colligitur. Non enim Deus inanes titulos, et rebus vacua nomina donat, sed si titulum dat, largitur quoque ea, quae titulus datus flagitat. Unde Apostolus II Corinth. III, 6: « Idoneos nos fecit ministros novi testamenti ». Et cur idoneos? Quia cuilibet contulit sanctitatem, et gratiam ei muneri accommodatam, in quo illum constituit, ut S. Doctor noster eodem capite, et super epist. Rom. VIII, lect. 5 docet, et nos supra diximus, et exemplis rem illustravimus, cum de nomine Maria ageremus, et inferius adhuc luculentius hac de re agemus. Cum igitur Deus Sancto Ioseph altissimum quoddam munus contulit, fatendum est eundem in summo dignitatis, sanctitatis ac gloriae gradu collocasse.

2553. Grandis dignitas est Christum videre, longe maior ei nomen imponere; quid in domum suam recipere? quid in brachiis suis portare, amplexari, osculari? quid sudore vultus sui, et labore manuum suarum, eum in persona propria alere, et sustentare? quid cum eo tam longo tempore continuo commorari? quid pro eo, et una cum eo artis suae officium exercere, et coniuncta manu matri Virgini vitae necessaria procurare? quid pro eo tot curas, labores, molestias ac pericula sustinere? Insignem hanc dignitatem, et incomparabiles praerogativas has esse iudico, et praesenti discursu elucido.

2554. Grandis dignitas est Christum videre. Reges et prophetae desideraverunt eum videre, et non viderunt, ut Christus ipse Luc. X, 24 fassus est: « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem eius: vidit, et gavisus est », Ioan. VIII, 56, sed visione dumtaxat obscura, prophetica et umbratica. At Ioseph vidit eum recens natum, et primus vidit, primus adoravit, primus in praesepio illo bethlehemitico coelestis illius mannae de coelo descendentis dulcedinem degustavit cum Maria matre eius. Vidit postea saepius infantem, vidit puerum, vidit iuvenem. Et non solum vidit, sed et in infantia in ulnis saepe portavit: frequenter amplexus et exosculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, custodivit, tutatus est.

2555. Maior dignitas est puero nomen imponere. Adam grandis dignitas esse censetur, quod nomina animantibus imposuerit. « Quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius », Genes. II, 19. Absque ulla comparatione maior erit Iosephi dignitas, quod nomen imposuerit non creaturae, sed Creatori. Sic enim angelus ad eum: « Et vocabis nomen eius Iesum », Matth. I, 21. Quid enim aliud Iesu est nomen, quam magnum illud Hebraeorum Iehova? Ita Galatinus l. 3, c. 20, Iacobus de Valentia in psalm. VIII, et alii docent. Certe illud nomen erat ineffabile, et nominari nescium. « Quid quaeris nomen meum, quod est mirabile? » Id solum summus pontifex in Sanctis sanctorum, et quidem silentio ob magnam reverentiam proferebat Ac S. Ioseph id non semel protulit, et, ut pie credo, miram eius virtutem intellexit. Si enim Adam ex scientia sibi divinitus infusa perfectissime cognoscebat nomina quae singulis animantibus imponebat: quis, quaeso, inficias ibit Iosephum penetrasse vim nominis Iesu, quod ex divina revelatione mentem eius irradiante puero Messiae imposuit? Quanta putas est dignitas haec? Deus stellas numerat, ut eis nomina imponat. « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat », Ps. CXLVI, 4. At multo excellentius munus Deus Iosepho demandavit, dum non stellis, sed ei, « qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat », nomen imponere dedit. Magna igitur Iosephi laus est, qui velut Patris aeterni procurator, et vices gerens Iesu nomen imposuit. Eliezer magno id sibi honori duxit, quod esset ab Abrahamo ad uxorem filio eius Isaaco quaerendam delegatus, ut legimus Genes. XXIV. Ecqua Iosepho fuit gloria, quod expresso Dei Patris iussu Salvatori mundi in patrinum fuit datus?

2556. Non minor laus est in domum recipere Elisabeth, postquam Mariam Dei Fi-

Digitized by Google

lium in utero gestantem vidit, et ad domum suam velle ingredi cognovit, prae stupore et admiratione exclamavit: « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? » O quoties Ioseph similem in modum in admirationem magnam raptus exclamavit: Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei, et Dominus ipse meus in domo mea versatur? Unde hoc mihi, ut Matris Domini mei coniux sim? Unde hoc mihi, ut Dei mei pater appeller? O beatam illam domum, in qua beatissima illa trinitas, Iesus, Maria, Ioseph habitabat! Non domus, sed hortus amoenissimus erat domus illa, in qua coelestis ille Agnus pascebatur inter lilia candidissima, Virginem scilicet, et Ioseph. Pascebatur autem corporeo cibo: pascebat vero Virginem et Ioseph coelestibus epulis. In huius domus laudem multa dixi a principio discursu VI. et VII.

2557. In brachiis suis portare, amplexari, osculari. Quis, quaeso, in dubium vocabit, hunc sacrum custodem, tanquam Christi nutritium, saepius in sinu suo eum portasse, saepius manibus contrectasse, vestibus induisse, exuisse, amplexatum, osculatum esse?

2558. Audiatur D. Bernardus serm. 43 in Cantica: « Arbitror, et Ioseph virum Mariae super genua frequenter puero arrisisse ». O dignum Filii coelestis Regis paedagogum, directorem ac custodem! Deus ad custodiam nostram angelos destinavit, Psalm. XC, 11: « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis ». Christo nullum angelum assignavit, qui eum custodiret, nam immediate a Verbo Dei regulabatur, ut S. Doctor noster I p. q. 113, art. 4 docet. Ioseph tamen in Christi custodem divinitus ordinatus erat, qui eum custodiret in omnibus viis eius; de quo dici potest, quod regius vates de angelis, Ps. XC, 11: dicebat: « In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum ». Vere namque Ioseph Christum Filium putativum per fragosa illa Ægypti itinera, ibi eundo, et inde redeundo, tanquam divinum Atlantem, « qui tribus digitis appendit molem terrae », saepius in manibus suis portavit, et brachiis amplexatus est. Quo putas gaudio, qua exultatione, quo mentis iubilo tunc replebatur cor eius? Simeon semel tantum Christum in ulnas suas accepit, tantoque gaudio exhilaratus est, ut mox praeclarum canticum caneret. At Ioseph non semel, sed saepissime eundem optatissimum Messiam brachiis tulit, et amplexatus est. Quae ergo cantica, quas ergo gratiarum actiones, quas Deo laudes, si non ore, saltem corde illum cecinisse credendum est? Recubuit caput Ioannis super pectus Christi semel, recubuit pectus et caput Christi, immo totus Christus super Iosephum saepe. O levissimum onus! o dulce pondus! Vere onus tuum leve est, Domine Iesu, quis nollet sic onerari? O onus omnibus margaritis levius! Poterat dicere Ioseph illud Cantic. II, 6: « Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me ».

2559. Vidit Iacob scalam, cuius summitas coelos tangebat, et supremo eius gradu Deus innitebatur, Genes. XXVIII, 12. Supremus gradus huius scalae est B. Ioseph, cui Deus incarnatus innitebatur, cum in brachiis eius saepe ferebatur, cum in gremio eius somnum capiebat. Ita hunc supremum gradum scalae interpretatur Rupertus in Matth. c. 1.

2560. Sudore vultus sui, et opere manuum suarum eum in propria persona alere, et sustinere inaestimabilis est dignitas haec. Eum, inquam, de quo regius vates Psalm. CXLIV, 15, 16: « Et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione ». Illi, inquam, manum suam plusquam millies aperire, et paterno more illi cibum porrigere. Inaestimabile quoque meritum. Si enim sancti qui in egenos ex amore Dei de facultatibus suis multa erogant, magni meriti apud Deum sunt, ut S. Ioannes Eleemosynarius, S. Nicolaus, S. Ludovicus, S. Martinus, S. Epiphanius, S. Elisabetha Hungara, quanti putas meriti erit apud Deum S. Ioseph, qui ipsi Domino in propria persona de labore manuum suarum alimenta et vestimenta tribuit? Nulli melius quam Ioseph, excepta Virgine, Christum in die iudicii dicturus est: « Esurivi, et dedisti mihi manducare: sitivi, et dedisti mihi bibere: nudus eram, et cooperuisti me »; quod enim alii in membris, hoc in propria persona Christo praestitit.

2561. Accedit, quod ipse nutriendo et educando Christum, in reparatione generis humani coadiutor Christi quodammodo extitit, illam enim carnem, quam Christus pro redemptione generis humani in ara crucis Deo Patri obtulit, alimentis labore manuum suarum procuratis enutrivit: et illum sanguinem quem pro nobis copiose effudit, sudore vultus sui augmentavit; quod paulo superius exemplo illustravimus.

2562. Apostolus, qui pro salute hominum inter varias gentes evangelium Christi disseminavit, I Corinth. III, 9 dicebat: « Dei sumus adiutores ». Quae verba ponderans D. Dionysius lib. de coelest. Hierarch. c. 3, ait: « Ingens haec, angelica, immo divina est dignitas Deo cooperatorem fieri in conversione animarum, divinamque in se operationem palam cunctis ostendere ». Idem de S. Ioseph quivis dicere potest, qui licet non in ministerio evangelii, in ministerio tamen educationis Christi, non in conversione, sed in redemptione animarum Dei

Digitized by Google

cooperator extitit, cum Christo pretium redemptionis nostrae, puta carnem et sanguinem subministravit. Ingens igitur, angelica, immo divina est dignitas Ioseph.

2563. Cum eo tam longo tempore, et quasi continuo commorari. Hoc fuit Iosepho ad magnam sanctitatis perfectionem mira provectio. Illa enim iam diuturna cum Christo conversatio, et quasi continua praesentia fuit ei ad ferventissimos, et frequentissimos actus charitatis excitatio; tum etiam quia verbis, et exemplis Christi plurimum moveri poterat. Si enim nos vitam Christi legendo, vel quempiam concionatorem devotum mysteria vitae eius proponentes audiendo, mirum spiritus fervorem aliquando concipimus; quantam charitatis flammam existimabimus in B. Ioseph fuisse, qui non solum divina mysteria ex ore ipsius Christi audivit, sed etiam educavit, et suis obsequiis praesens venerabatur?

2564. Accedit quod, ut refert B. Petrus Chrysologus serm. 15, Ioseph pariter cum Maria quasi monasticam vitam agentes nocturno tempore ad preces Christo Domino effundendas, quem medium inter se constituebant, consurgere consueverant. Quos ibi charitatis globos pectora eorum velut clibanus candentia, et ardentia evomebant? quos aestus animi plus quam seraphicos esprimebant? Dicite, si nos orantes aut devotam Christi imaginem affabre depictam aestus charitatis in nobis excitamus, affectu fervemus, dulcedine spiritus repleti in lacrymas resolvimur: quibus putas flammis charitatis corda Maria et Ioseph aestuabant? quo ardore flagrabant, quo affectu fervebant, quanta dulcedine, quanto spirituali gaudio et mentis iubilo replebantur, cum figuram substantiae Patris, et imaginem bonitatis illius ad adorandum sibi proponebant, et tamquam in radiantem Solem iustitiae frequenter, intime et quasi continue aspiciebant? Sol etsi distans a terra, aurum tamen in visceribus eius et margaritas in conchiliis virtute radiorum suorum procreat; quantum putas divini amoris aurum, quam divites coelestium charismatum margaritas tam proximius in corde Mariae et Ioseph procreavit? Perfectiores igitur contemplationis actus B. Ioseph elicuisse credendus est, quam Iacob, qui in somnis scalam illam mirabilem vidit, Genes. XXVIII, 12, quam Samuel, qui dormiens vocem Dei audivit, I Reg., quam David, qui dicebat Psalm. XXXVIII, 3: « In meditatione mea exardescet ignis », quam Magdalena, quae secus pedes Domini astans incessanter audiebat verbum illius, quam Ioannes, qui supra pectus Domini requiescens divina contemplabatur mysteria.

2565. Splendida facta est facies Moysis, cum alloqueretur eum Dominus, Exod. XXXIV, 33. O quam splendidior facta est anima Ioseph, dum conviveret ei Dominus! O beatos oculos, qui Christum toties viderunt! O beatas manus, quae Christum toties tetigerunt? O beata brachia, quae Deum toties portaverunt!

2566. Pro eo, et una cum eo artis suae officium exercere, Ioseph fabrum fuisse ex evangelio manifestum est; eius namque filius Christus putabatur, unde etiam fabri filius appellabatur. Qualis autem faber fuit, Scriptura non docet, doctores non conveniunt. Sunt qui ferrarium fuisse putant, ut D. Hilarius, D. Anselmus, D. Ambrosius in Matthaeum. Sunt qui aurifabrum, ut Hugo. Sunt qui fabrum murarium, ut D. Augustinus in serm. de nativit. Domini. Sunt qui lignarium, ut D. Thomas super cap. XIII Matth. Et haec est publica opinio et antiquissima, ut colligitur ex libro de infantia Salvatoris, licet apocrypho, ubi miraculum, in lignaria Iosephi officina a Christo factum narratur; et historia Sozom. lib. 6. cap. 2. ubi narrat christianum quendam a gentili per derisum interrogatum, quid faceret filium fabri? respondisse: feretrum Iuliano.

2567. D. Bonaventura in meditationibus vitae Christi, Caietanus ad cap. VI Marci Christum antequam praedicare inciperet, fabrilem artem exercuisse cum Iosepho existimant. S. Iustinus martyr in dialogo cum Triphone ait Christum aratra, et iuga fecisse. Quapropter cum praedicaret, sub aratri et iugi simbolo evangelicam legem promulgabat, Matth. XI, 29: « Tollite iugum meum super vos » et Luc. IX, 62: « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei », iuxta illud vulgatum proloquium « tractant fabrilia fabri ». Et licet id in Scriptura expressum non habeatur, valde tamen probabile est. Quid enim totos triginta annos in Nazareth egisset? Et ego idem sentio, dummodo non credam Christum more aliorum fabrorum alienas domos cursitasse, tecta conscendisse, aut simul cum aliis fabris indecore saepe confabulantibus ligna dolasse, hoc enim Christi gravitatem et modestiam non decebat: sed privatim in domo cum Ioseph artem fabrilem exercuit. O beatum Ioseph tali suae artis socio! Qui mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricavit: qui coelos, et astra non ingenio, sed iussione compegit: qui ipsum hominem de limo terrae formavit, hic cum Iosepho ligna levigabat, asseres compaginabat, serram reciprocabat, trabes attollebat. Sicut Christus in eo quod Deus de Patre suo naturali dicebat, ita in eo quod homo de patre puta-

Digitized by Google

tivo Iosepho dicere potest: « Cum eo eram cuncta componens ». Pro eo tot curas, labores, molestias et pericula subire. Curas sustinuit, quae cor eius mirum in modum urebant, cura enim dicta ab eo quod cor urat. Cor eius ussit Christi conceptio, nativitas, circumcisio, fuga in Ægyptum, mora in Ægypto, reditus de Ægypto in Nazareth, et amissio pueri Iesu in itinere ad Ierusalem.

2568. Conceptio. Nam cum Sponsam, quam nunquam tetigerat, gravidam vidit, variis cogitationum aculeis cor eius pungebatur. Illos dolores, quia verbis meis explicare non possum, verbis D. Augustini doctoris celeberrimi enarrabo. Hic igitur serm. 14 de natali Domini Iosephi dolores et angores ita describit: « Nescit interea Ioseph Mariae Sponsus cum Maria ageret angelus; subitoque Ioseph intuitu familiari et licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam. Vidit eam gressibus gravari, intellexit Mariae uterum gravidari. Turbatur Ioseph homo iustus, quod Mariam. quam de templo Domini acceperat, et nondum cognoverat, et gravidam sentiebat, et quam non meruerat in coniugii honorem, iam haberet in confusionem. Secumque diu aestuans disputat dicens: Unde hoc contigit, quod evenit? Non cognovi, non novi, non tetigi; non violavi, non gravidavi. Heu! heu! quid contigit?... Quid ergo faciam? quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, consilium quaero, nec penitus invenio. Prodo adulterium, aut taceo opprobrium? Si prodidero, adulterium quidem non sentio, sed naevum crudelitatis incurro, quia secundum libri Moysis sententiam lapidandam esse cognosco. Si tacuero, in malum consentio et cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est: ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio ». Haec ille S. Pater. Quibus verbis aperte innuit Sanctum Ioseph suspicatum fuisse adulterium de Virgine. Idem docent D. Chrysostomus hom. 4 in Matth., D. Hilarius Cap. 1 in Matth., D. Gregorius hom. 26. in evang., D. Iustinus contra Triphonem, D. Ambrosius de instit. virg. cap. 5. Sed alii Sanctum Ioseph ab hac sinistra suspicione alienum fuisse existimant, et eum prae humilitate, et modestia Virginem voluisse dimittere autumant. Ita Orig. hom. 1 in Matth., D. Bernard. hom. 2. super Missus est, Auctor op. imperfecti in Matth. hom. 1, ubi ait: « Possibilius esse credidit Ioseph sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare ». Litem non dirimo, quia secundum utramque opinionem Ioseph valde anxium fuisse ostendo.

2569. Si enim secundum primam opinionem suspicatus est adulterium, certe non praecipitavit sententiam, sed iudicium suspendit, quia iustus erat: iusti autem circa malum proximi non de facile iudicant, sensu D. August. lib. de doctrina christiana cap. 27: « Ille, inquit, pie, et iuste vivit, qui rerum integer est aestimator, in neutram partem declinando ». Ioseph ergo, cum esset iustus, de Virgine sibi desponsata temerarie non iudicabat, sed anceps et fluctuans variis cogitationibus agitabatur. Multa in mentem illi veniebant, quae partim Mariae causam premerent, partim excusarent. Cogitabat humanum videri lapsum, si virgo tenera, et formosa eundo vel redeundo de domo Zachariae, volens sive coacta in itinere a quopiam sollicitatore improbo vitiata fuisset. Et auxit illi suspicionem Mariae silentium, quae ad se purgandum minime aliquid afferret, nihil de angelico nuntio incarnationis Filii Dei diceret, tum ex humilitate, tum quod is fortassis non adhibuisset insolitae, et nunquam auditae rei fidem. tum quod dubitabat ab eodem Spiritu Sancto ei revelatum iri, qui Elisabethae inspiraverat. Contra vero abhorrebat pius animus ab ea persuasione ut crederet sponsam, quam probatam ab omnibus virginem castam, sanctam duxerat, contra honestatem publicam, contra fidem sponso datam, contra Dei legem expressam scortatam fuisse. His curis, et aestibus animus viri iusti adeo torquebatur, ut divortii consilia meditaretur, velletque Virginem occulte dimittere, vel libellum repudii illi occulte dando, vel voluntarie in aliam regionem secedendo, ut per speciem peregrinationis, et suae conscientiae, et famae honorique sponsae consuleret. Has cogitationes mentem Iosephi adeo discruciasse Carthagena existimat, ut illas singulare martirii genus appellare non dubitet, hom. 3 de S. Ioseph. Si vero secundum aliam opinionem ideo Mariam dimittere voluit, quia eius contubernio ob eximiam eius dignitatem quam agnoverat, se indignum reputabat, et hoc Iosephi viscera valde discruciabat, divelli a dilecta sponsa quam tot tantisque dotibus ornatam suspiciebat, in cuius vita et moribus non nisi admirandam pudicitiam cum angelica puritate et sanctitate coniunctam videbat, ex cuius vultu, ut nonnulli pie meditantur, radios divinitatis in castis eius visceribus latitantis prodeuntes cernebat: haec inquam velut gladius cor eius confodiebant. Id experiuntur viri spirituales, quibus grave est a divinae maiestatis praesentia, cui per contemplationem coniuncti sunt, separari.

2570. Ussit cor eius Christi nativitas, cum infantem Iesum in vili praesepio positum, aeris inclementiae expositum, prae nimio frigore algentem vidit, eumque, quem Deum

Digitized by Google

aeternum credebat, inter arcta praesepia conditum vagientem audivit.

2571. Christi circumcisio. Cum infantem Iesum octavo die a nativitate sua sanguinem fundentem vidit. Communis piorum scriptorum opinio est, B. V. Mariam suis manibus dilectum sibi filium circumcidisse, interim dum Ioseph eum manibus teneret, et nomen illi imponeret, quod ambo, angelo revelante, illi noverat imponendum. Quam amarus calix ille ambobus erat! Sed quoniam id fieri oportebat, idcirco manus suas in mansuetissimum illum agnum extendere voluerunt. Vehementer Ioseph quoque doluit, cum Simonem ad Mariam coniugem suam dicentem audivit: « Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit », Luc. II, 35.

2572. Fuga in Ægyptum. Nocte monitus de imminente tyrannide herodiana impigre surrexit, et confestim relictis omnibus, solo puero et matre eius accepta, in fugam sese coniecit. An non varias curas, et aerumnas ingentes tunc exantlavit, cum ad illud iter parum instructus, domo egressus, tanta rei familiaris angustia premebatur, ut neque Maria puerperae, neque Christo infantulo ea quae vellet, ac convenire putaret, subministrare ulla ex parte posset?

2573. Mora in Ægypto. Septem annos eum exulasse in Ægypto ex D. Anselmo, et Doctore nostro Angelico supra docuimus. Quas ibi curas et aerumnas non pertulit, cum inter barbaram, ignotam et infidelem gentem vitam pauperem exul egit?

2574. Reditus ex Ægypto. Reversus in patriam nihil satis tutum sibi polliceri poterat: sublato enim Herode immanissimo rege, filius eius Archelaus patre crudelior pro eo regnabat, unde Ioseph huc et illuc haud sine metu periculoque magno certam sibi sedem quaesivit, ut carissima pignora suae fidei concredita. secure, et commode conservaret.

2575. Amissio pueri in itinere ad Ierusalem non mediocriter cor illius ussit, quum eum cum Maria matre eius triduo quaesivit, putans eum a parentibus suis recessisse, et ad alia transmigrasse, vel ad coelos reversum esse, cum ei placuisset iterum descensurum, ut Orig. hom. 19, Euthym. in Comment., Titus Bostrenus, Theophylactus, et alii existimant. Unde Mater Iesu ad Filium: « Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ».

2576. Labores Ioseph circa puerum Iesum et Matrem eius pro dignitate quis explicet? Ipse antequam Iesus nasceretur, matrem eius coniugem suam in Bethlehem duxit, et inde in Nazareth reduxit. Ipse puerum Iesum a faucibus immanissimi illius lupi, Herodem intelligo, eripuit. Ipse longum iter a Nazareth usque ad Ægyptum, quod dicitur esse centum leucarum, pro eo suscepit. Ipse in laborioso illo itinere puerum cum matre eius protexit, et labore manuum suarum aluit. Ipse Virginem Matrem in illo exilio consolabatur, itinerisque molestias, curasque quotidianas quoad poterat ab ea vel propulsabat, vel alleviabat, ita ut B. Virgo merito dicere possit: « sub umbra illius quem desideraveram, sedi », Cant. II, 3. Ipse per triginta annos sudore vultus sui, et labore manuum suarum Virginem Matrem et Filium eius aluit.

2577. Molestias. Molestum est valde propriam relinquere patriam. Unde Apostolus fidem, et obedientiam Abrahae mirum in modum extollit, eo quod, patria relicta, iret in terram quam ei Dominus monstravit, Hebr. X, 8. Experientia quoque compertum est, cariora nobis esse pauca quae in patria habemus, quam multa quae inter extraneos possidemus. Quod miratus Ovid. libro I de Ponto canebat.

Quid melius Roma? scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus urbe venit.
Nescio quid natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

2578. Magnam igitur molestiam Ioseph pertulit, cum, relicta patria, cum puero Iesu et Matre eius in Ægyptum secessit.

2579. Pericula, quae partim eundo in Ægyptum a latronibus, partim manendo in Ægypto ab idolorum cultoribus, partim iam reversus in patriam ab Herode mortem puero machinante sustinuit. Ob quae pericula et incommoda propter Iesum tolerata Ioannes a Carthagena, loco citato, S. Ioseph martyrem appellat, et totam vitam eius quam in obsequio Christi consumpsit, continuum martyrium vocat.

2580. Liquet igitur hunc sanctum virum excellentissimum attigisse sanctitatis gradum. Unde bene vocatus est Ioseph, « id est accrescens ». Vel, ut Pagninus noster interpretatur, ramus crescens et fructificans iuxta fontem. Sane infans ille quem Ioseph amplexabatur, cuius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, fons erat uberrimus omnium bonorum; quidni igitur Ioseph iuxta hunc fontem positus cresceret et fructificaret? Crevit sane, et in tantum crevit, ut omnes patriarchas, et prophetas, qui ante eum fuerunt, longo intervallo post se reliquerit. Quare et nos si in gratia Dei crescere, et in coelo ad altiora evehi fastigia optamus, gratiam et favorem aucupemur eius, qui Redemptoris, dum inter mortales ageret, director et gubernator extitit.

Digitized by Google

Discurs. 120.

De magnitudine gloriae, et precum efficacitate Sancti Ioseph.

2581. Sunt, qui ob excellentissimum munus patris Christi, et Sponsi Mariae Virginis B. Ioseph supra omnes apostolos, et angelorum choros constituunt, ut videre licet eo ordine quo a D. Matth. cap. 1 nominantur: « Iesus, Maria, Ioseph », eodem in coelesti gloria sedeant, et perfectione beatitudinis fruantur. Insuper asseverant, B. Ioseph cum Iesu et Maria in corpore et anima regnare in coelo. Ut sicut illa sancta familia, scilicet Christus, Virgo et Ioseph, in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria, nunc et corpore, et anima regnent in coelis, iuxta regulam Apostoli II Corinth. 1, 7: « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis ». Ita de eo sentit Ioannes Gerson cancellarius parisiensis, vir eruditissimus, et S. Bernardinus Senensis qua sanctitate, qua doctrina conspicuus, in serm. de Sancto Ioseph tom. 3. Idem sanctus cùm Patavii concionaretur, constanterque asseveraret clamans ex suggestu ad populum: « In anima, et corpore Ioseph gloriosus est », confestim super caput eius apparuit crux aurea, quasi testimonium perhibens illi veritati: ita refert Bernardinus de Busto, 4 p. serm. de despons. Mariae. Huic assertioni subscribens Ioannes de Carthagena hom. 13 de S. Ioseph, eam hac ratione firmat: « Salomon, ait, Proverb. ultimo dixit: Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus: cum igitur Maria et Ioseph fuerint domestici Christi, dum vitam mortalem agebant, nunc duplicibus eos vestitos, veste scilicet gloriosa animae, et altera splendida corporis, merito putaverim ».

2582. Ego in hac parte nihil asseveranter affirmo, maxime cum sciam Doctorem Angelicum, qui mihi semper erigit aurem, ut audiam tanquam magistrum, docere in Comment. super epist. ad Ephesios c. 1, lect. 3: « Temerarium esse, ut non dicam errorem, aliquos sanctos praesumere comparare Apostolis in gratia et gloria. Manifeste enim patet ex verbis Apostoli, (sunt autem verba quae ibi commentatur Rom. 1, 8: « Gratia eius superabundavit in nobis, in omni sapientia, et prudentia » quod Apostoli habent gratiam maiorem quam alii sancti post Chistum et Virginem Matrem ».

2583. Nihilominus animus pietate imbutus, salva S. Doctoris sententia, pie et rationabiliter credere potest, B. Iosephum post Deiparam Virginem in gratia et in gloria coelesti proxime attingere Christum. Notum est, cum e mille prope principibus viris eligitur unus, quia regis potentis filium educet, eique loco patris sit, quo is aulae erit loco cum ab illius educatione tota regni spes et expectatio dependeat. Talis fuit Ioseph: unus e millibus optimus ac sanctissimus a Deo iudicatus est, qui Filii Dei in humana carne custos, nutritius, et quasi pater esset: ipseque cum tam fideliter custodivit, et tam optime educavit, ut ei prae ceteris sanctis totum genus humanum devinctum esse debeat, ut Ioannes a Carthagena hom. 11 notavit: igitur cogita quo Iosephus in coelica beatitudine sit gradu.

2584. Certe si Christus patrem aliquem naturalem habuisset in terris, ut eum potuisse habere theologi supponunt, tantis charismatibus eum exornaret, ut in potioribus bonis suis in gloria eum collocaret. Non minoribus certe donis Iosephum cumulavit, quia etiam non minori paterno affectu Ioseph illum prosecutus est, quam naturalis eius pater, si in terris extitisset.

2585. Christus ipse promisit eum, qui propter nomen ipsius dederit potum aquae frigidae, non perditurum mercedem suam, Matth. x. Quantum putas mercedem Iosepho dedit qui non modo in nomine suo, sed etiam sibi ipsi non tantum potum aquae frigidae, sed omnia vitae necessaria subministravit?

2586. Idem Christus Ioan. xii, 26 dixit: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus ». At quis melius ipsi ministravit quam Ioseph? quis igitur maiores promeruit honorum sublimitates, quam Ioseph?

2587. Tobias iunior reductus domum ab angelo Raphaele, statim cum patre suo conferre coepit de praemio quod dandum esset illi viro, qui eum de itinere salvum et incolumem reduxit. « Pater, inquit, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et demonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus » Tob. xii, 2, 3. Idipsum ego Christum Patri aeterno dixisse contemplor. Pater mi, quam mercedem dabimus iusto huic viro Iosepho, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius, qui me paterno affectu, et sollicita clientela per triginta annos prosecutus est, et carissimae Genitricis meae fidelissimus custos extitit? Ipse antequam nascerer, me comitatus est; deinde iam natum me duxit, et reduxit de Bethlehem in Ierusalem, et inde in Nazareth. Ipse infantilis corporis mei nutritius, ipse mihi in terris magni consilii adiutor fuit. Ipse, ut me

Digitized by Google

eriperet ab ore saevissimi leonis, Herodis scilicet, in Aegypti longinquam regionem me conduxit, et ibi vitam laboriosam et taediosam per septem annos mecum egit, et sudore vultus sui me et Matrem meam aluit. Ipse me ex Aegypto in Nazareth incolumem reduxit. Ipse mihi esurienti cibum, sitienti potum porrigebat. Ipse cum hospes essem, me suscipiebat; cum nudus me induebat: ac tandem quamdiu vixit, omni officio ac pietate me prosecutus est, et cum absque patre in terra natus essem, ipse mihi amantissimus pater extitit. Sponsae suae, Matris meae dulcissimae, virginitatem illibatam, integramque conservavit, illi ministerium, honorem, alimentum praebuit et exhibuit. Quid igitur illi ad haec poterimus dignum dare? quo in loco in hac nostra coelesti curia eum debemus collocare? Collocatus est itaque a dextris Iesu, ut Ioannes Gerson pia credulitate existimat, quam hac ratione fulcit; dixit enim Christus: « Ubi ego sum, illic et minister meus ». Et profecto illi proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, et obsequentior atque fidelior post Mariam inventus est in terris. Haec ille pius doctor.

2588. Accedit, quod magnitudo praemii coelestis ex magnitudine gratiae et charitatis, ac multitudine meritorum in hac vita pensatur, ut omnes theologi cum Doctore Angelico 1 p. q. 12 art. 6 docent, quibus Concilium florentinum sub Eugenio III. sess. ultima, in litteris unionis suffragatur. At de magnitudine gratiae S. Ioseph divinitus collatae quis ambigat? Considerate quanta Mardochaeus apud Esther gratia et auctoritate valebat, quod eius tutor et nutritius olim extitisset, Esther cap. 11, 20; atque inde colligitur quantam S. Ioseph apud dilectissimam suam consortem, et sanctae huius Matris carissimum Filium, et suum alumnum gratiam habuerit. De charitate erga Deum superius iam diximus discursu CXIX n. 11, et seq.

2589. De magnitudine quoque ac multitudine meritorum eius abunde disseruimus discursu praecedenti, quae eximii cuiusdam valoris fuisse convincuntur, eo quod proxime circa ipsam Christi personam versabantur; omnes enim fere labores, et actiones S. Ioseph circa ipsum Christum exercebat. Unde sicut peccatum crucifigentium Christum maximum in suo genere fuit propter personae dignitatem quae ab illis crucifigebatur: ita merita S. Ioseph eximii cuiusdam valoris fuerunt, eo quod ex perfecta cognitione et amore illius personae operabatur.

2590. Hanc praecellentem Iosephi sanctitatem quam habuit ex maiori coniunctione cum Iesu, sapienter collegit doctor eximius Rupertus in cap. 1 Matth. memor illius scalae quam vidit Iacob, Genes. XXVIII, 12, cuius summitas coelos tangebat, per cuius gradus angeli alii ascendebant, alii descendebant, et vertici innixus erat ipse Dominus. Angeli per scalam in coelum ascendentes sanctos significant, qui tanto propius ad Dominum accedunt, quanto plures gradus ex propriis suis operibus meritoriis conficiunt, per quos ad Dominum ascendunt. Ioseph ergo, sensu Ruperti, constitutus est in illo primo gradu, cui innixus erat Deus. « Supremus, inquit, gradus scalae, cui Dominus innixus est, iste est B. Ioseph vir Mariae ». Recte autem Iosepho innixus dicitur Dominus, quia eius curae, protectioni, auxilio, solatio una cum Virgine Matre sustentabatur. Quis verbis assequi potest, quam ille solers, fidus, impiger ac sedulus in officio fuerit; cum nimirum considerabat se tantae Matris curatorem domesticum, tantique Filii, immo et Salvatoris sui patrem nutritium divinitus constitutum esse, quo sane incredibilem meritorum magnitudinem, et multitudinem sibi comparavit? Notum namque est et in scholis theologorum decantatum, quolibet actu meritorio hominem mereri augmentum gratiae, et charitatis, ac aliorum meritorum qui a charitate procedunt, maxime quando illi actus perfecti sunt, ut posterior primo intensior ac ferventior sit, qualis fuisse in Iosepho credendum est. Legatur S. Doctor 2. 2. q. 24. art. 6.

2591. Christus beatos eos pronuntiavit, qui lugent, Matth. v, 5: « Beati qui lugent », vel peccata sua, ut D. Chrysostomus hom. 15, et alii explicant: vel qui aliena. sicut Samuel luxit Saul, I Reg. XVI, 1 et Christus Ierusalem, Luc. XIX, 41, ut D. Augustinus lib. 1 de serm. Dom. in monte, et D. Gregorius Nyssenus de beatitudine exponunt. Vel qui patiuntur oppressionem propter regnum coelorum, ut Maldonatus intelligit. Si igitur beati sunt qui peccata sua, vel aliena, vel oppressionem quam patiuntur propter regnum coelorum, deflent, quanto magis beatus Ioseph, qui non peccata, aut miseriam propriam, sed Iesu aut Mariae miseriam toties deploravit. Quanto enim magis dulcissimum puerum Iesum amabat, tanto acerbius miseriam eius, et Mariae sortem dolebat. O quam tristis et afflictus fuit, cum Christum, suum et Sponsae communem thesaurum, ab Herode ad mortem quaeri, ab Israelitis negligi, a paucissimis curari animadvertit! Quam acerbo moerore cruciatus fuit, cum Christum puerum in Ægyptum duxit, illicque profugum, et exulem aegre aluit! Magis etiam se discrucians, quum duodennem puerum toto triduo amissum, et studiose pervestigatum vix tandem in templo recuperaverit. Non dubium igitur quod prae

Digitized by Google

aliis moerentibus et lugentibus maiorem consolationem accepit, ut iure cum propheta dicere possit, Psalm. XCII, 19: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam ».

2592. Abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, qui in vita vel aliena defleverunt, vel ob aerumnas et miserias propter nomen Domini toleratas luxerunt, ut dicitur Apoc. XXI. 4. Quanto melius abstersit lacrymas ab oculis patris sui putativi benignissimus Iesus, memor ipsius obsequii, cum ab oculis suis infantilibus ille toties lacrymulas abstergebat, toties ei blandiebatur, eum osculabatur et mulcebat.

2593. Ad extremum gloria Ioseph colligi potest ex felicissimo ex hac vita transitu. Antequam Christus crucifigeretur, Iosephum sanctissimam vitam cum clarissima morte commutasse, communis doctorum sententia est, etsi D. Augustinus serm. 81 putaverit Iosephum tempore mortis Christi superstitem extitisse, et Christum in sua resurrectione cum Maria Matre eius adorasse; ait enim: « Sol, et luna, et undecim stellae Christum adoraverunt, quando post resurrectionem Sancta Maria quasi luna, et Beatus Ioseph veluti sol cum undecim stellis, id est beatis apostolis, prostrati sunt ante eum ». Ioseph ergo, Christo adhuc in carne mortali vivente, ex hac vita migravit. Unde rationi valde consonum est, credere Christum Dominum et Matrem eius sanctissimam morti illius adfuisse, ambos in infirmitate ei sollicite inservisse, ei fercula propinasse, et quando opus erat, eum propriis manibus portasse, Dominum Iesum illum in agone confortasse, oculos eius propriis manibus clausisse, corpus eius mortuum sindone munda involvisse, in morte eius una cum Matre lacrymasse, ambos simul funus ei procurasse, feretrum comitatos esse; hic enim mos erat Iudaeis, ut indicat vidua illa, quae filium vita functum ex civitate Naim in sepulcrum sequebatur, Luc. VII. Haec omnia obsequia Iesum cum Maria Iosepho praestitisse ille solus negaret, qui naturalem amorem Iesu erga suum nutritium, et Mariae erga Sponsum sibi carissimum non agnosceret. Sed neminem puto adeo insanire. Si igitur in transitu suo Christus Iosephum adeo honoravit, valde credibile est eum quoque in gloria non medio criter honorasse.

2594. Hinc infertur preces Iosephi pro nobis apud Deum efficacissimas esse. Reliqui enim sancti Christum Dominum orant pro nobis deprecatorie, tanquam servi; Ioseph autem auctoritative quodammodo tanquam illius pater, cui Christus sicut in terris ad nutum obedivit, ita nunc in coelis ad nutum obedit; non enim affectum illum filialem, quem in pueritia erga Ioseph habuit, amisit, sed eum perpetuo conservavit. Quare S. Teresia virgo Deo devota, carmelitarum reformatrix praeclarissima, testata est, numquam se a Deo aliquid per merita S. Ioseph postulasse, quod pro voto non impetrarit. Ita habet eius vita. De intercessionis S. Ioseph apud Christum et Deiparam efficacia pulchre Gerson in sua Iosephina hos versus cecinit:

Quanta, o fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum pater orat
Uxorem et natum, velut imperium reputatur.

2595. Haec quae hactenus diximus, pie solum et probabiliter teneri volumus. Non est enim prudentis, ac cordati viri asseveranter affirmare, quod Scripturae auctoritas, aut Ecclesiae traditio, aut sanctorum patrum concors sententia non docet. Non me fugit multos huius saeculi eruditissimos viros ea asseveranter docere, sed eos in sua pietate relinquamus: ea quae ex divina electione ac praedestinatione pendent, consequenter soli Deo ac beatis cognita sunt, pia credulitate coniectemur.

2596. Sed fasne est, inquies, contra S. Doctoris gravissimam censuram pie aliquid credere, aut coniectare? Existimo censuram illam S. Thomae nostrae pietati nihil officere. Illa enim solum notat eos qui absolute quoad omnia dona praesumunt aliquos sanctos comparare apostolis, quod revera temerarium est, ne dicam error. Apostoli enim primitias spiritus acceperunt, hoc est prima dona, et quasi primos fructus in lege gratiae, ut dicitur Rom. VIII, 23. Apostolis singularis quaedam rerum divinarum scientia divinitus concessa est, ut orbis terrae magistri constituti cunctas gentes, ac nationes erudire possent. Eximia etiam prudentia, ut Ecclesiam tum primum exorientem optimis legibus, atque praeceptis firmarent: et in hac gratia, et illi correspondente gloria temerarium est, ne dicam error, quempiam sanctorum cum apostolis comparare, talis enim gratia superabundavit in illis. Unde D. Paulus illis verbis quae ibi explicat S. Thomas, postquam dixit: « Gratia Dei superabundavit in nobis », mox addidit: « in omni sapientia, et prudentia ». Et in his donis et gratiis facile credo superatum fuisse S. Iosephum non solum ab Apostolis, sed etiam ab aliis, quibus ad utilitatem Ecclesiae sapientia et prudentia a Deo donata est. Verum enimvero in alio ordine gratiae spectante ad unionem hypostaticam, quod nimirum Deum et hominem aluerit, nutriverit, educaverit, S. Ioseph praecellit cunctis, eminet universis, antecedit prophetas: nemini enim post

Digitized by Google

B. Virginem datum est tam diu cum eo conversari, tam familiariter cum eo tractare. Et in hoc ordine gratiae primum locum tenet Christi humanitas, quae immediate unita est personae Verbi: secundum Beata Virgo, quae carne indutum Verbum concepit, ac peperit: tertium Beatissimus Ioseph, qui Deum hominem aluit, nutrivit, educavit. Cum igitur B Ioseph in hoc excellentissimo unionis hypostaticae ordine infimum gradum teneat, et infimus supremi attingat supremum infimi, ut infimus seraphinorum excedit supremum cherubinorum: credibile est ministerium Iosephi, quod fuit circa corpus Christi naturale, excessisse ministerium Apostolorum quod versabatur circa corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam; consequenter etiam maiorem gratiam: cum Deus conferat gratiam ministerio ac dignitati accommodatam, ut ex S. Thoma paulo ante ostendimus. Ioseph ergo et Apostoli habent se sicut excedentia, et excessa: ille superat Apostolos gratia pertinente ad unionem hypostaticam et corpus Christi naturale, isti superant Iosephum gratia pertinente ad Ecclesiam, quae est corpus Christi mysticum. Et cum istae gratiae sint diversi ordinis, in censuram S. Doctoris non incurrimus, quia Iosephum cum Apostolis in gratia non comparamus, nam inter ea, quae sunt diversi ordinis, nulla fieri potest comparatio, ut philosophi testantur. Quis autem illorum superiorem locum in gloria coelesti teneat, ille solus novit, qui eos ibi collocavit, et sancti qui una cum eis regnant.

2597. Secundo dici potest, illam censuram S. Doctoris nostri non esse tam universalem, ut nulla patiatur exceptionem. Ipse enim sanctus Doctor exponens illa verba « cuius non sum dignus » etc. Matth. III. interrogat: « Numquid ergo maiores Apostoli Ioanne? » et respondet: « Non merito, sed officio novi testamenti ». Ecce Ioannem Baptistam in merito, consequenter in gloria, Apostolis anteponit. Statimque dat intelligi, illam suam censuram posse admittere exceptionem, et non excludere peculiare privilegium alicuius sancti, quem Deo omnibus Apostolis in gratia et in gloria praetulisse placuerit. Sic ego interpretor censuram illam Sancti Thomae, sicque eam interpretatus est doctus et laboriosus eius interpres Suarez in 3 p. tom. 2, disp. 8. sect. 2, de quo tamen non solum Ecclesiae ut in omnibus rebus, sed in aliis omnibus, qui me doctiores sunt, et doctrinam S. Thomae amant, iudicium relinquo.

2598. Sed cum ex illa D. Thomae censura S. Ioannem Baptistam et S. Ioseph excipio, merito posset quispiam quaerere: Uter eorum perfectiorem gratiam et maiorem gloriam assecutus fuerit? Ioannem ipsa Veritas extollit, Matthaei XI, 11: « Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista ». Suarez loco citato probabile esse censet, Iosephum perfectiorem gratiam esse assecutum quam Ioannem Baptistam, quia excellentius munus habuisse videtur et maiorem opportunitatem, pluresque occasiones crescendi in gratia et charitate, ut supra dilucidavimus. Illud autem « Inter natos mulierum non surrexit maior ». D. Hilarius canon. 11 et D. Augustinus libro quaest. veteri et novi Testamenti, interpretantur de illa maioritate et excellentia in dono prophetiae, ita ut sensus sit: inter natos mulierum nullus maior propheta surrexit. Cui expositioni favet ipse Christus Luc. VII, 28: « Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est ». Sententia quisque ut velit ego hac interpretatione contentor, dum meliorem non invenio.

2599. Sed unus adhuc hic scrupulus relictus est. Si Ioseph fuisset tam excellens in sanctitate, non permississet Spiritus S. tanto tempore ignotum esse Ecclesiae, nec minore religioni coli, quam Apostolos, et alios insigniores viros.

2600. Respondeo, Ecclesiam in colenda sanctorum memoria non tam respicere gradum sanctitatis, quam habuerint in terris, quam utilitatis, quam posteris attulerunt; cum enim gratitudinis causa eos honorent, illis maiorem cultum defert, qui singularem aliquam utilitatem, vel Ecclesiae aedificationem maiorem fecerunt, vel insigni doctrina floruerunt, vel ministerio suo Ecclesiae profuerunt. Certe Ecclesia romana sanctos Stephanum et Laurentium, ecclesiae particulares suos patronos, religiosi Ordines suos fundatores magis honorant, quam Apostolos; illorum enim dies natales cum octavis celebrant, istorum vero solemnitates uno die peragunt, et tamen non sequitur Stephanum, Laurentium, Adalbertum, Stanislaum, Benedictum, Dominicum, Franciscum. ecc. sanctiores Apostolis fuisse. Ita quamvis Ecclesia festum S. Ioseph antea non celebraverit, et modo non cum tanta solemnitate uti aliorum sanctorum festum illius celebret, non sequitur S. Iosephum S. Stephano, Laurentio, et aliis iam nominatis minorem in sanctitate fuisse.

2601. Sed iam Gregorius XV. Pont. Max. speciali erga hunc Sanctum devotione affectus pie statuit, et mandavit, festum S. Iosephi Sponsi Beatissimae Virginis die 19 mensis martii solemni officio nedum a clero, verum et a populo celebrari. Et iam nostro tempore completum videmus quod ante centum et duodecim annos Isidorus de Isolanis Ordinis nostri scriptor egregius in lib. de S. Ioseph p. 3 cap. 6 quasi prophetico spi-

Digitized by Google

ritu praedixit: « Spiritus Sanctus non deficiet a movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiae exultans divinum Iosephum nova prosequatur veneratione. Condat coenobia, ecclesias, ac altaria in eius erigat honorem. Festa celebrabunt et ei vota vovebunt et solvent cuncti ».

2602. Erant antea viri gravissimi et Iosepho usque ad stuporem devoti, in quibus doctissimus Gerson, religiosissimus Trithemius Abbas, piissimus Iacobus de Valentia, eruditissimus Ioannes Eckius, sapientissimus Isidorus de Isolanis, et ante hos doctrina et sanctitate celebris Bernardinus Senensis, palmam tenent, qui conciones, tractatus, opuscula, prosas, hymnos in laudem S. Ioseph ediderunt. Sed Spiritus S. subsequentibus temporibus adhuc magis corda fidelium ad devotionem erga S. Ioseph movebit. Videmus iam passim in eius honorem coenobia condi, ecclesias et oratoria construi, altaria erigi, et maxime in praeclarissimo Ordine patrum Carmelitarum discalceatorum, qui hanc devotionem erga S. Ioseph ab amantissima Matre sua S. Teresia suxerunt. Haec enim impensissime fuit addicta S. Ioseph, utpote a quo singularem sanctitatem obtinuit, candidissima veste induta est, et in quibusvis adversitatibus ab eo est tutata. Unde et primum monasterium Ordinis a se reformati in honorem S. Ioseph Abulae condidit. Vide Petrum Ribadeneiram in eius vita.

2603. Certe olim in Ecclesia quasi velo tegebatur dignitas, et sanctitas S. Ioseph. Sed nunc apertum est Dei templum, et visus est Ioseph in eo, et facta sunt fulgura concionatorum, secutae sunt voces doctorum, qui in laudibus Sanctissimi Ioseph egregie desudarent. Age aliquid dicamus.

Discurs. 121.

De cultu et veneratione Sancti Ioseph.

2604. Cuperem coelitus ardentes prunas in me demitti, quibus fidelium animos ad devotionem erga S. Ioseph accenderem et inflammarem. Sed quia tantus ardor orationi meae non inest, ipsum Beatissimum patriarcham Ioseph oro et obtestor, ut illos flammarum globos, quibus cor eius exarsit, cum totius universi Dominum humana carne indutum contrectabat, amplexabatur, osculabatur, in brachiis portabat, nutriebat, custodiebat, in corda sibi devotorum immittat; ut ex his quae pro nostra tenuitate de cultu et veneratione ipsius dicemus, eximio amore erga eum inflammentur.

2605. Sane omnes coelites, uti Dei amicos, regni coelestis haeredes, nostros intercessores et patronos omni honore, cultu, et veneratione secundum Deum prosequi debemus; sed S. Iosepho peculiari quadam ratione id praestare tenemur.

2606. Quia ipse est nedum Dei amicus, verum etiam pater putativus Christi, custos eiusdem prudentissimus, et vigilantissimus, tutor fidelissimus, carnis eius nutritius, mensae Iesu, et Mariae praefectus, laborum utriusque comes individuus, sacri illius palatii, in quo Deus humana carne indutus, una cum Matre sua habitabat, magister, Christi familiaris, eiusque strenuus defensor, B. Virginis carissimus Sponsus, illius honoris et famae ardentissimus zelator, Christi Redemptoris, ut ita dicam, redemptor et salvator. Redemptor, quia pro eo in templo praesentato, secundum legem quinque siclos persolvit, quo eum de manu sacerdotis redimeret. Salvator, quia eum in Ægyptum abductum ab insidiis, et nece, quam ei Herodes parabat, liberavit. Iura docent: « duo vincula esse uno strictiora, et amplius operari », ut habetur in Authent. de consanguineis in principio. Cum itaque S. Iosepho tot iura, tot rationes, tot vincula, tot obligationes eum colendi subveniant, merito peculiari honore, cultu, veneratione prosequendus est.

2607. Honor quem sanctis exhibemus in Christum redundat, estque perspicua nota amoris erga eum. At multo magis honor S. Iosepho exhibitus, qui enim honorat patrem, honorat et filium: « Gloria filiorum sunt patres eorum ». Cum itaque S. Ioseph fuerit Christi pater, « ut putabatur filius Ioseph », nonne dubium, quod honor eius peculiari ratione redundat in Christum, simulque in Sanctissimam Virginem eius Matrem; obsequia enim quae maritis praestantur, uxoribus eorum etiam facta censentur.

2608. Sanctis honor debetur propter eorum sanctitatem. « Gloria, et honor et pax omni facienti bonum », Rom. II, 10. Sed quis sanctior Ioseph, qui propter eximiam sanctitatem, et castitatem dignus habitus est fieri Christi putativus pater, et gloriosissimae Genitricis eius maritus, solo coniugii usu excepto? De sanctitate S. Ioseph vide superius discursum CXVII, num. 9.

2609. Dum sanctos colimus, gratum Deo obsequium exhibemus. « Qui recipit vos, me recipit », Matth. X, 40. At dum Sanctissimum Ioseph veneramur, longe gratissimum est nedum Deo, verum et augustissimae coelorum Reginae. Id inter alios experta est Sancta Teresia. Cum novum arctioris vitae propositum concepisset, et an illud Christo Salvatori acceptum foret, sibi revelare instantius orasset, post preces oblatas Christus ei apparuit, et ut serio operi cogitato incumberet, iussit, primum monasterium S. Iosephi nomine insigniret, pollicitus rem pro

Digitized by Google

voto successuram, se cum sacris virginibus intra claustrum versaturum, coeli Reginam uni, S. Ioseph alteri ianuae praefecturum, monasterium velut stellam splendore conspicuum orbi universo lucem allaturam. Ribadeneira in eius vita.

2610. Sanctos colimus uti regni coelestis incolas, et haeredes. At Beatissimus Ioseph praecipua ratione est regni illius incola, et haeres. Multorum et gravissimorum doctorum sententia est, eos qui cum Christo Domino surrexerunt, quorum meminit D. Matthaeus XXVII, 52: « Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt », amplius mortuos non fuisse, sed cum Christo in coelum evectos fuisse. Ita docent Origenes super epist. ad Roman. cap. 1, S. Epiphanius haer. 75, Clemens Alexandrinus libro 6 Strom., S. Iustinus quaest. 85, D. Athanasius in homil. de semente, D. Ambrosius l. 4 de fide, cap. 1, Remigius super Matthaeum, quem D. Thomas in Catena refert, et in Comment. super Matth. sequitur. Idem in 4, d. 43, q. 1, art. 3, quaestiunc. 1 ad 3 docet. Quem omnes fere recentiores theologi et interpretes sequuntur, nominatim Caietanus 3 p. q. 53, art. 3. Eorum rationes sunt:

2611. Illi sancti erant testes resurrectionis Christi: decuit igitur eos ad vitam immortalem resurgere, sicut et Christus resurrexit. Alioquin non fuissent certi et firmi testes resurrectionis eius. Omnes enim de Christo simile iudicium ferrent, dicentes illum iterum moriturum, sicut et illi qui cum eo resurrexerunt mortui sunt.

2612. Quia non fuisset illis beneficium illa resurrectio, sed tormentum. Quid enim inter vivos egissent, qui divinae gloriae gustum iam acceperant? Peioris profecto conditionis fuissent, quam si nunquam fuissent exsuscitati, si a sinu Abrahae, ubi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam fuissent revocati, ut in ea diu manerent iterum morituri. Quid, quod in sinu illo Abrahae, ubi eos fuisse credendum est, cum eos evangelista sanctos appellet, certi salutis suae erant, in hac vita certi esse non poterant, cum iterum peccare possent et ita damnari, etiamsi ex sanctis viris essent? Praeterea maior poena illis fuisset post resurrectionem iterum mori, quam si numquam ad vitam rediissent.

2613. Quia non vulgo omnibus apparuerunt, sed aliquibus dumtaxat: « Et apparuerunt multis ». At si resurrexissent ad vitam mortalem, inter homines humano more versati fuissent, sicut Lazarus qui ad vitam mortalem a Christo resuscitatus fuit, cum hominibus conversabatur.

2614. Decuit ut beatitudo corporis in Christo haberet socios. Minus enim corporalis felicitas habere videtur, si desit corporalis societas; est enim homo secundum vitam corpoream animal sociale: decuit igitur ad ostensionem divinae misericordiae et copiosae redemptionis Christi esse aliquos homines in anima et corpore beatos, etiam ante resurrectionem generalem.

2615. In inferno ad declarationem divinae iustitiae sunt aliqui homines nedum in anima, verum et in corpore damnati, etiam ante resurrectionem generalem, ut Dathan et Abiron, et similes: decuit igitur ad ostensionem divinae misericordiae, et copiosae redemptionis Christi esse aliquos homines in anima et corpore beatos, etiam ante resurrectionem generalem.

2616. Animae eorum qui cum Christo resurrexerunt, erant iam beatae; anima autem beata lege ordinaria non unitur, nisi corpori glorificato, et immortali (si demas animam Christi, quae beata existens singulari miraculo unita fuit corpori mortali); igitur corpora illorum qui cum Christo resurrexerunt, propter unionem ad animam gloriosam erant glorificata et immortalia.

2617. Gratiae sunt ampliandae. Hinc Iabolenus iurisconsultus, de principum beneficiis agens in lib. 3 ff. de constit. principum, ait: « Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus ». Cum igitur beneficium resurrectionis illis sanctis a Christo Rege regum collatum fuerit, convenit illud plenissime interpretari, et non solum ad vitam mortalem, sed et ad immortalem extendere.

2618. Inter hos autem qui cum Christo Domino resurrexerunt ad vitam immortalem, praecipue censendus est S. Ioseph pater putativus Christi, et Sponsus Matris eius. Hoc docent gravissimi viri apud Carthagenam lib. 18, hom. ultima, paragr. ultimo, ubi etiam refert Sancto Bernardino Senensi id Patavii praedicante, fulgentissimam crucem auream super caput illius apparuisse; quod etiam nos fusius narravimus discursu immediate praecedenti n. 1. Hunc ergo tam felicem, tamque beatum coeli incolam, et regni illius haeredem praecipua veneratione prosequi convenit.

2619. Sanctos colimus uti patronos, et intercessores nostros apud Deum. At cuius patrocinium secundum Christum, et gloriosissimam Virginem efficacius esse poterit, quam Sanctissimi Ioseph? Alii sancti, ut etiam in discursu immediate praecedenti diximus, orant pro nobis Deum deprecatorie ut amici, S. Ioseph auctoritative ut pater. Si autem Deus voluntatem timentium se facit, ut Psalmista ait Psalm. CXLIV, 19, quanto magis Iosephi voluntati annuet, quem uti patrem suum observat?

Digitized by Google

2620. Filii regum multa pro suis nutritiis, et nutricibus faciunt, et liberaliter concedunt quicquid illi ab eis petierint. Rex Pharao Iosephum patriarcham patrem suum, hoc est consiliarium intimum adeo observabat, ut quicquid ille postulasset, libentissime ei concederet; hinc illimitatam pro suis fratribus locupletandis ei facultatem dedit. « Terra, inquit, Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare », Genes. XLVII, 6. Si Pharao Iosepho illi tam gratum, tam benevolum se praestitit, quid Christus Rex regum Sanctissimo Iosepho patri suo nutritio non faciet?

2621. Leoni comparatur Christus, Apoc. v. 5: « Vicit leo de tribu Iuda » et alibi. Leo autem est animal generosum, et nobile, accepti beneficii memor, illud, gratitudine qua potest, diligenter rependit. De leone autem de tribu Iuda quid dicam? Non dubium, eum utpote maiori generositate praeditum maiori quoque liberalitate beneficia a S. Ioseph accepta rependere, et votis eius in omnibus annuere.

2622. Non video convenientiorem ad impetrandam divinam gratiam modum, quam gradatim procedere a Iosepho ad Mariam, a Maria ad Christum, a Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri latus et vulnera, Maria ostendit Filio pectus et ubera, Ioseph utrique ostendit callos in manibus natos ex fabrili arte, aliisque laboribus eorum causa susceptis. Hic nulla repulsa esse potest, ubi occurrunt tot charitatis insignia.

2623. Isidorus Isolanus Mediolanensis id confirmat ex historia quadam orientali, in libro quem scripsit de donis S. Iosephi, 3 parte, capit. 9, ubi Christum Dominum ad Iosephum loquentem introducit hoc modo: « Ero auxiliator omni homini in Ecclesia iustorum, qui in memoriam tuam, o Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, et qui meditabitur in vita tua, et in laboribus tuis ».

2624. Eos sanctos praecipua veneratione colimus, quorum patrocinia in nostris necessitatibus saepius experimur. Reliqui sancti certis quibusdam et particularibus necessitatibus subveniunt; hinc pro diversitate illarum diversi ad diversos sanctos confugiunt. Naufragi supplicant S. Nicolao, milites S. Georgio, Mauritio, Venceslao; peste infecti S. Rocho, vel S. Sebastiano; studiosi S. Hieronymo, vel S. Catharinae, vel S. Thomae Aquinati; laborantes ex gutture S. Blasio, laborantes ex dentibus S. Apolloniae, laborantes ex oculis S. Ottoliae, damnum aliquod in rebus patientes S. Antonio. At S. Iosepho in omni necessitate et negotio concessum est opitulari, et omnes ad se pie confugentes defendere, fovere, et paterno affectu prosequi. Unde seraphica virgo S. Teresia saepius iam memorata, universale patrocinium S. Iosephi frequenter experta, filias suas hortabatur, ut quamvis plurimos alios sanctos patronos haberent, peculiari tamen devotione Sanctissimo Ioseph se commendarent: omnia enim divina charismata, quae habebat, B. V. Deiparae ac S. Iosephi precibus se obtinuisse gloriabatur.

2625. Eadem sancta virgo cum aliis sanctimonialibus sui Ordinis patrocinio S. Ioseph in forma viri grandaevi sibi apparentis, et exclamantis: « Sistite, ne progrediamini, alioquin peribitis precipites », a maximo praecipitio, et praesenti mortis periculo liberata est. Didacus de Iepes lib. 2 vitae eius.

2626. Monachus quidam Ordinis S. Benedicti S. Iosepho devotus, eius labores, quos pro Christo et Deipara sustinuit, frequenter meditans, quadam vice in deserto monte feris et grassatoribus pleno, a via aberrans, insuper obscura nocte oppressus, valde anxius, hominem quemdam iumentum agitantem, cui pulcherrima mulier parvulum infantem in brachiis gestans insidebat, offendit. Ab eo rectam itineris viam postulans, cum vir ille loqui coepisset, cor monachi prae nimia dulcedine, et suavitate intus ardere coepit, veluti discipulorum illorum, qui cum Christo Domino in Emmaus euntes confabulabantur. Cumque pervenissent ad oppidum quo religiosus ille tendebat, continuo homo ille, pulcherrima mulier ac speciosus puer disparuerunt. Tunc ad se reversus monachus ille ait: Nunc scio vere, quia S. Ioseph, B. Virgo Sponsa sua, et dulcissimus Iesus fuerunt mihi itineris comites, consolatores et ductores, et per totum tempus vitae hoc beneficium praedicabat. (Gratianus libro 5 de Sancto Ioseph). Quisquis igitur periculosas instituit profectiones, locaque parum tuta adit, S. Iosepho se committere debet, et ab illo comitatem, securitatem, tutelam fidelem habebit. Et non solum itinerans, sed etiam navigans a S. Ioseph auxilium poscat, ipse enim navigantibus adesse solet. Quod experti sunt duo illi religiosi Ordinis S. Francisci Sanctissimo Ioseph devoti, qui naufragium passi, super tabulas navis dissipatae tribus diebus et noctibus pernatantes, S. Iosephum aspicere meruerunt, ac per eum a praesentissimo mortis periculo liberati sunt. Ita narrat Ioannes de Fanno in hist. S. Francisci.

2627. Ad extremum. Ad cultum, et venerationem S. Ioseph nos monet, et pene cogit exemplum Christi, et Sanctissimae Matris eius, qui Iosephum singulari observantia, et honore coluerunt. Christus uti patrem putativum, Mater vero eius Maria uti Sponsum sibi carissimum. Horum nos exemplo per-

Digitized by Google

moti, Sancto Iosepho debita servitutis nostrae obsequia persolvamus, nostrasque preces et vota ei offeramus.

2628. Cicero pro Deiotaro Caesaris hospite ad ipsum Caesarem verba faciens, dixit: « Per dexteram obtestor, quam hospes hospiti porrexerat, viro parceret », et obtinuit. Ad eumdem modum quisquis per S. Ioseph a Christo aliquid petit, dicat: Christe per dexteram quam hospes quondam Iosepho porrexisti, obtestor, mea mihi peccata condones, sub alas gratiae tuae me recipies, et vitam aeternam dones.

2629. Cum Beatissimae Virginis rosarium persolvis, cave ne S. Ioseph Sponsum eius carissimum praetereas; in tali enim rosario B. Virgo sibi complacet; et sic sibi devotos muneribus auget, in tribulationibus et afflictionibus solatur, a periculis defendit, in certamine dirigit, et suscipit, et secum statuit. Quod nobis concedat Iesus Christus Mariae Filius, S. Ioseph nutritius. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

Discurs. 174.

De Virginitate S. Ioseph.

2630. Quis credat Iosephum virum iustum, qui ab angelo audierat: « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est », ad sacrosanctum illud templum, et Spiritus Sancti sacrarium polluendum animum applicare potuisse? Quis credat eum, quem Deus tot miraculis dignatus erat, quem idoneum spectatorem, et testem tot miraculorum quae circa cunas Christi obtigerunt, fecerat, congressum Mariae concupivisse? Quomodo post partum sine dolore, post angelicum concentum, post stellae apparitionem, post magorum adventum, post prophetias a Simeone iusto, et Anna auditas, auderet contumelia afficere sanctissimum corpus in quo habitaverat Deus?

2631. Quod si ante admirandam Christi nativitatem covinctu Mariae se indignum reputans, ab ea se subtrahere volebat, intra se haec, vel similia dicens: Ego ne cum illa domesticam agam consuetudinem, quae tantae gravitatis, et exquisitae puritatis, omnisque virtutis vivum velut speculum, et exemplar se mihi, et omnibus admirandam potius quam imitandam praebet? Fortasse de Spiritu Sancto concepit. Unde ergo nedum mariti, verum nec vilissimi servuli officium ei exhibere dignus sum? Praestat igitur discedere, quam personae tantae dignitatis cohabitare. Et idcirco, ut refert S. Evangelista, « voluit occulte dimittere eam », Matth. I, 19. Iste igitur, qui ante virgineum partum sola illius cohabitatione se indignum reputabat, post partum quasi Dei, et sui oblitus ad carnale commercium Deiparam provocare auderet? Poteratne in tantam prorumpere amentiam, ut Matri Domini misceretur? Vale impia haeresis; nos gloriosam Dei Genitricem, uti ante partum, ita et post partum nunquam virum cognovisse fatemur, sed perpetuo integram, castam, impollutam, intemeratam virginem permansisse constanter tuemur.

2632. Sed quoniam desponsatio Mariae cum Ioseph haereticos offendit, quominus intemeratam Mariae Virginis integritatem admittant, idcirco operae pretium duxi demonstrare.

Discurs. 175.

Desponsationem Mariae cum Ioseph minime obfuisse intemeratae eius virginitati.

2633. Haeretici carne coecati coniugium absque copula carnali fieri non posse existimantes, inter Ioseph et Mariam, quos Scriptura et Patres veros coniuges fuisse docent, copulam carnalem aliquando intercessisse falso et impie autumant. Horum stultam, et impiam imaginationem et in superioribus satis refutavimus, nimirum discursu CXV, et ibidem monstravimus, coniugium verum sine carnali commercio consistere posse, et re ipsa inter Mariam et Ioseph constitisse. Nunc ea de re fusius, non quidem rigore scholastico, sed modo concionatorio agere libet.

2634. Pulcherrimis figuris, ac tropis desponsationis marianae intemeratam castitatem in Scripturis adumbratam habemus.

2635. In arca illa veteris Testamenti, Arca illa fulgenti auro intus forisque erat contecta, Exod. XXV, 11, Beata Virgo et Ioseph Sponsus eius spirituali auro foris intusque radiabant, hoc est pura, perfectaque munditia ac castitate nedum corporis, verum et mentis. « Sic decuit, ait Gerson, ut Virgo summa puritate reniteret, sic decuit, ut haberet suo modo Sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret ».

2636. Arcam illam duo Cherubim tenebant, quorum unus formam masculi, alter vero feminae praeferebat, ut Arias-Montanus libro de Noe, tit. de propitiatorio adnotavit. In hoc matrimonio duae personae erant Ioseph, et Maria, quae arcam sacrae humanitatis Christi (sic enim eam vocat David Psalm. CXXXI, 8: « Surge, Domine, in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae ») in suis ulnis portant.

2637. Illi duo cherubim a propitiatorio nunquam se avertentes mutuo se respiciebant: Maria, et Ioseph a Christo, qui est

Digitized by Google

propitiatio pro peccatis nostris, nunquam se avertentes mutuo se amore respiciebant. Unde inter eos verissimum matrimonium fuit, quod effecit non corporum commixtio, sed coniugalis pactio, admirandaque animorum unio.

2638. Ante arcam illam appensum fuit velum ex hyacintho, purpura, cocco, byssoque pulchra varietate contextum: ante Deiparam Virginem, et Ioseph appendit Deus velum sacri coniugii, quo virginitatis amborum fulgor, et incarnationis abditissimum mysterium contectum fuit, honorque sponsarum defensus. O quam mira varietate velum hoc ex coelesti hyacintho, regia purpura, candidaque bysso a Spiritu Sancto contextum fuit! Coeleste plane coniugium fuit ut hyacinthus, quod coelorum Domino deservivit. Regium ut purpura, quod totius orbis Reginam Iosepho inseparabili nexu obstrinxit. Candidissimum ut byssus, in quo perpetuus fuit virginitatis candor. Hinc Rupertus super Matth. cap. 1 merito exclamat: « O coniugium verum, et sanctum, coniugium coeleste, non terrenum. Unus spiritus, et una fides erat in eis, sola illic carnis corruptio defuit »,

2639. Antiquum illud velum arcam, propitiatorium, cherubimque velabat: hoc Deiparam Virginem, incarnatum in eius utero Deum, magnumque illum cherubinum Iosephum contegebat. Ibi velamen apparebat, propitiatorium autem, arca et cherubim latebant: hic matrimonii velamen apparet, coniuges esse Virgo et Ioseph ab omnibus cernuntur. Propitiatorium autem, hoc est Verbi in utero Virginis incarnatio ignorata est, Deiparae Iosephique virginitas occultatur. Quis enim Iosephum corporis integritatem servare crederet? quis B. Deiparam gravidam cernens illibatae virginitatis decus illi tribueret?

2640. Hoc est quod et ipsa aiebat Cantic. 1. 4: « Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem », et v. 5: « Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol ». Hoc est, aliud in me cernite, aliud credite. Nigra sum, sed formosa. Nigram sensus denuntiat, fides candidam probat. Nigra sum oculis insipientium, sed formosa mentibus fidelium. Nigra sum reputatione haereticorum, sed formosa confessione catholicorum. Nigra sum, quia virginitatem amisisse ignorantibus videor, sed formosa sum, quia magno cum virginitatis splendore conceptum Dei Filium gero. « Nolite considerare quod fusca sim », id est, nolite in matrimonium oculos coniicere, nolite nigroris aliquid ex eo me contraxisse existimare, nam quod tumentem uterum habeo, non fecit vir, quia virum non cognosco. « Decoloravit me sol », verus sol, et sole pulchrior Deus, quem ventre conclusum habeo, decoloravit, inquam, quia semetipso me implevit.

2641. Hoccine est decolorari, o Sanctissima Virgo? Non apud vos filiae Ierusalem, quae habetis oculum simplicem, sed apud filias Babylonis, id est confusionis, et superbiae, puta Ebionem, Cerinthum, Iovinianum, Helvidium, Calvinum, Bezam, Pseudomartyrem similesque haereticos. Itaque apud filias Ierusalem, id est fideles, haec Mater superbenedicta non est decolorata, non est nigra, sed formosa. Desponsatio namque eam decolorat, non denigrat, sed venustat.

2642. Sacerrimi huius coniugii mira castitas adumbrata est in coniugio illo Abigail Sunamitidis, et Davidis. David non ad libidinem, nec ad sobolis procreationem Sunamititem in uxorem accepit, unde III Reg. 1, 4 dicitur: « Rex vero non cognovit eam ». Ioseph non ex concupiscentia, nec sobolis procreandae amore ductus B. V. Mariae nupsit, unde S. Evangelista ait: « Et Ioseph) non cognoscebat eam ». Matth. 1, 25. Davidi data est in uxorem Sunamitis, ut eum prae nimia frigiditate algentem suo iuvenili calore foveret, atque calefaceret: Ioseph datus est in Sponsum Mariae, ut eius bonum nomen et famam foveret, non ut filios ex ea procrearet.

2643. Non obscure commostrant castitatem huius matrimonii verba illa Sapientiae, quae Ecclesia B. Virgini accommodat ex Eccli. XXIV, 18: « Quasi palma exaltata sum in Cades ». Palma hac singulari proprietate praedita esse noscitur, ut quaedam illarum sit masculus, alia femina, unde absque alterius praesentia nullum fructum fert, ad quem quidem producendum non opus habet se propriis radicibus, aut ramis contingere, sed sufficit sibi praesentes esse. Hoc sanctissimi huius coniugii aptissimum symbolum est Ioseph, utpote iustus palma est: « Iustus, namque, ut palma florebit » ut Ps. XCI, 12 dicitur. Beatissima quoque Deipara palma est: « Quasi palma exaltata sum ». Palma absque contactu, sed sola cum praesentia masculi fructum suum profert: B. Virgo absque coniugii toro, sed sola cum desponsatione, et cohabitatione Iosephi fructum benedictum ventris sui protulit.

2644. Huius desponsationis castitas pulchre insinuatur Cantic. 1, 9 illis verbis quibus sponsus pulchritudinem sponsae collaudat. « Pulchrae, inquit, sunt genae tuae sicut turturis ». In turture intemerata Mariae virginitas notatur. Turtur post primum coniugium nullum alium coniugem agnoscit: Beata Virgo post coniugium Spiritus Sancti, cuius virtute Filium concepit, nullum alium

Digitized by Google

cognovit sponsum, cum a Ioseph fuerit semper intacta.

2645. Ex Cant. VII, 2: « Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis ». Horreum quoddam fuit sacratissimus Deiparae uterus, quod horreum Deus universo orbi fame laboranti aperuit, cum ex eo mundi Salvatorem nasci fecit. Ut autem intelligas Iosephum nihil in hoc horreum tritici contulisse, dicitur Deiparae uterus « vallatus liliis », quae lilia Virginis perfectissimam integritatem significant. Unde Rupertus tractans illa verba Cantic. VI, 2: « Dilectus meus pascitur inter lilia » Mariam et Ioseph lilia candidissima appellat, et merito. An non lilium castitatis Maria, cuius vitam et decus virginitatis omnes coniuges, viduae et virgines tamquam ideam omnis pudicitiae sibi statuerunt? Nonne lilium est illa quae prima insuetam omnibus anterioribus saeculis vivendi rationem ingressa est? quae prima in connubio supra morem humanum nullo carnis usu angelicam vitam duxit? nonne lilium est illa, quae virgo fuit tam pura, tam casta, tam sancta, tam perfecta, ut virginitati eius nihil aequale inter creaturas potuerit inveniri, utpote quam sibi in matrem elegit fons ipse puritatis Iesus Christus Dominus noster?

2646. Huiusmodi liliis vallatam Virginem angelus vidit, cum ad Iosephum valde anxium, et de repudio Virginis cogitantem dixit: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est ». Ecce uterum Deiparae adeo vallatum pronuntiat, ut nulli ad eam accessum, nisi Spiritui Sancto concedit.

2647. Desinat igitur impia haeresis intemeratae virginitati Matris Dei obstrepere, quam virginem castissimam, purissimam, inviolatam, intactam, Scriptura probat, ratio suadet, devotio ostendit omnium, quotquot per intercessionem eius divinam misericordiam consequi cupiunt.

Discurs. 202.

Expeditio S. Ioseph cum B. M. V. in Bethlehem.

2648. Apud vulgus opinio quaedam inolevit, asinum ductum fuisse a Iosepho, ut eo gravida Maria veheretur, bovem vero, ut venderet, et censum decretum solveret, inter quae animalia Christus Dominus nasci dignatus est, ut Ecclesia communiter docet, et praedicat. Ita enim Abacuc III, 3: « In medio duorum animalium cognosceris », iuxta LXX. Et Isaias I, 3: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui ». Hoc ultimum libenter amplector. Illud vero primum non mihi arridet. Quandoquidem D. Chrysostomus homil. in Lucam arbitratur, Iosephum et Mariam adeo fuisse pauperes, ut haec animalia non habuerint. « Quicumque, inquit, pauper est, consolationem accipiat. Ioseph et Maria non habebant servulum vel ancillam. de Nazareth soli venerunt, nec habebant iumentum ». Pedibus itaque B. V. Maria a Nazareth in Bethlehem iter confecit, quod 80 leucarum erat, ut Arando in prologo libri de Terra sancta scribit. Nec ullum pondus sensit; etenim onus illud quod ferebat, leve erat, infans ille Matrem non onerabat, sed roborabat. Ioannes Maior putat agilitatis dote pondus illud adeptum fuisse.

Discurs. 227.

De imagine sponsaliorum B. M. Virginis.

2649. Imago sponsaliorum B. M. Virginis hoc modo a nonnullis depingi solet. Ioseph senex decrepitus, curvus, et quasi baculo innixus B. Virgini maritus adiungitur. Huius erroris occasionem sumpserunt ex Epiphanio, et aliis quos tomo superiore recensuimus, qui existimabant Iosephum iam octuagesimum suae aetatis annum egisse, cum Mariam duxit uxorem. Confirmavit fabulam pictorum carnalitas, qui ex sua libidine de Iosephi incontinentia iudicantes putant non aliter eum continere se potuisse a B. Virgine, nisi quia senex, et per aetatem provectam impotens ad coniunctionem fuisset. Hunc errorem copiose refutavimus tomo superiore, disc. CXVI.

2650. Credo igitur conformius esse evangelicis litteris, si Ioseph credatur et pingatur fuisse iuvenis fortis et valens, qui possit industria, et labore tenerae aetatis Virginem defendere et puero inservire; urgente periculo mox puerum in Ægyptum deferre, adducere, et reducere, ac suis laboribus nutrire. Plura vide superius loco citato.

Discurs. 287.

S. Ioseph abstinentiae marianae testis.

2651. Deinde, abstinentiae marianae locuples testis est S. Ioseph sponsus eius, qui sponsae suae carissimae ventrem turgentem videns, nesciens unde id esset, utpote nondum mysterii gnarus, sibi quoque conscius non erat, cum qua semper se purum, semper castum servabat; nihil tamen sinistrum de ea suspicabatur, nihil contra virgineam eius puritatem cogitabat. Ecquid animum eius ab omni suspicione exemit? Abstinentia Virginis, honestas in sermone, prudentia et gravitas in operatione. Ita auctor imper-

Digitized by Google

fecti, homilia in Matth. sentiebat: « Forsitan, inquiens, cum esset iustus, coepit sic cogitare de illa: Comessatrix, aut vinolenta nunquam fuit, non levis, non iocosa, non turpium verborum amatrix ». Ecce temperantia sola, si cetera abessent, evincere poterat Virginis castitatem, et sponsum ab omni suspicione liberare, qui abstinentiam sponsae cernens non putavit eam, nisi cum singulari pudicitia posse coniungi; unde magis abstinentiae sponsae suae credidit, quam suis oculis. Verum namque est quod idem auctor ait: « Omnis mulier, quae comessatrix et vinolenta est, etiam meretrix est ». Quod idem de sapientia Iob XXVIII, 13 dixit: « Nec invenitur in terra suaviter », hoc est voluptuose et delicate viventium. Cum autem Maria semper casta, semper pudica vixerit; consequens est eam abstinentiae, ieiuniorum ac sobrietatis amicam fuisse...

Maria speculum patientiae.

2652. Patientia est aequo animo mala tolerare, non conqueri, non murmurare de ullo homine, aut de Deo, non se excusare quasi innoxius sit, aerumnas suas non divulgare. Talem in omnibus B. M. Virginem invenies, si eius aerumnas et afflictiones percurras.

2653. Quo in moerore eam fuisse putas, cum S. Ioseph sponsum sibi carissimum tam afflictum, tamque turbatum cerneret, ut de se deserenda cogitaret: non quod videns eam gravidam, non se aliquid sinistri de ea suspicaretur, cuius sanctitatem tanti faciebat, ut potius crederet se oculis falli, quam eam virginem non esse; sed quia mysterium ignorabat; proinde consortio, sive cohabitatione tantae Virginis se indignum iudicabat?

2654. Quantis doloribus eam afflictam existimans, cum tenerum infantulum, ac tam nobilem, nimirum naturalem Dei Filium, nudam hyemis asperitatem, praesepii duritiem sustinentem cerneret?

2655. Quae crux? quis dolor in mente eius obortus est, cum parvuli delicatissimi carnem octavo die a nativitate cultro lapideo circumcidi vidit?

2656. Quae molestia Virgini contigit, cum intempesta nocte natali solo excedere, et in Ægyptum fugere quantocius debuit?

2657. Quae afflictio eam occupavit, cum in Ægypto per septem annos inter homines feros et incultos, Dei veri ignaros, multis sceleribus coopertos vitam traduxit?

2658. Quam dirus doloris gladius animam eius transfixit, ubi Herodem furentem, et tanta immanitate in innoxios pueros oppidi Bethlehem, et finitimos eius saevientem cognovit, ut totam terram illam sanguine innocentum rigaret? Huius autem tam lugubris tragoediae Filium suum causam fuisse scivit, cuius unius iugulum impius Herodes in tot millium infantium innocuo sanguine quaerebat?

2659. Quantus moeror mentem ipsius obsedit, cum Iesum duodennem in Ierusalem amisit? S. Bonaventura eam sic lamentantem, et ad Patrem cum lacrymis orantem introducit: « Pater aeterne, dedisti mihi Filium ex misericordia tua magna. Ego indigna eram illo, et nunc sum. Amisi illum. Redde mihi laetitiam salutaris tui. Sine eo vivere non possum. Et si ei servire non mereor, sed nec eum accipere merui. Sicut eum misericordia accepi, misericordia recipiam ». Ad Filium vero: « Fili mi Iesu, Iesu Fili mi, ubi modo es? Ostende faciem tuam, et salva ero. Sonet vox tua in auribus meis. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes, quia a te pendet anima mea, qui nosti ubi sim, aut me duc ad te ».

Discurs. 294.

Qualis et quantae laetitiae causa extitit gloriosa Deipara Sanctissimo Iosepho sponso suo.

2660. De sanctissimo Iosepho tomo superiore discursu CXVII, et sequentibus abunde egimus. Nunc occasione ipsius laetitiae quam habuit ex cohabitatione Virginis, praeter ea quae iam superius diximus, pauca praelibare libet. Magnam sanctae laetitiae segetem Sanctissimus Ioseph inde collegit, quod Virginis sponsus fieri meruit.

2661. Ioseph dictus Iosephum se praebuit, eo quod Virginis sponsus et pater Christi fuit. Ioseph additionem, et augmentum significat, Ioseph noster Christo et Mariae coniunctus semper crevit, sanctior semper evasit, nova semper augmenta in virtutibus amavit: alias iustus non audiret, quem hoc nomine insignit S. evangelista Matthaeus, dicens: « Ioseph autem vir eius, cum esset iustus », nisi semper crevisset, semper profecisset in melius. « Iustorum, enim, semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem » Proverb. IV, 18. Sed unde Ioseph semper crevit, semper profecit, ita ut cum consummasset, tunc inciperet? Nupsit Maria Ioseph, et quia ipsa semper in virtutibus crevit, bona bonis addidit, merita meritis; idcirco et Ioseph ad maiora semper aspiravit, maiores profectus in virtutibus semper habet.

2662. Proficiebat Virgo aetate, proficiebat et virtutibus, adeo ut in fine vitae, cum nihil sibi fecisse videretur, proficiendi desiderio aestuans amoris vi vitam finiret, ut contem-

Digitized by Google

plativi auctores communiter docent. Hinc regius vates Psalm. XLIV, 10 de ea canit: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ». Et v. 14 eam describit « in fimbriis aureis ». Quid est, quod Regina nostra in vestitu deaurato adstare dicitur, cuius vestis fimbriae aureae leguntur? Per vestem deauratam vita iusti significatur, per fimbrias vero eiusdem vitae extrema designantur. Vestitus ergo deaurati fimbriae aureae dicuntur, quia perfectior et pretiosior semper debet esse finis vitae, quam principium: in fine enim vitae tota perfectio quaeritur iuxta illud: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ». Ita S. Paschasius in expositione huius psalmi. Mariae ergo vestitus, hoc est vita, licet semper deaurata, id est perfecta fuerit; fimbrias tamen aureas habuit, quia per continuum in virtutibus profectum in fine pretiosissima, hoc est perfectissima fuit. Idem de Beatissimo Ioseph sentiendum est, qui exemplo Virginis sponsae suae semper in virtutibus crevit, semper perfectior, semper sanctior evasit, ut probatum est. Hinc merito de eo dici potest, quod de quodam magno patriarcha vendito in Ægypto dictum est: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens ». Gen. XLIX, 22.

2663. Tantum Beatissimus Ioseph ex coniugio Mariae profecit, ut in angelum pene evaderet, immo Deo similis efficeretur. Probat id eleganter, et nervose Isidorus Isolanus in libro de S. Iosepho. « Fuit, inquit, Iosephi conversatio angelica », sensum non verba pono. - 1. Angeli quidam semper adstare Deo dicuntur: « Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum ». Ioseph tanquam alter angelus, isque praecipuus coram Domino suo adstabat, nec alios comites habebat, nisi solam Virginem, ut in hoc quoque eius privilegium magis sit singulare, quam angelorum. - 2. Angelorum chorus semper Deo adstat, et licet nonnulli in ministerium mittuntur propter eos qui haereditatem capiunt salutis; nihilominus mente semper Deo fruuntur. Ioseph semper Christo adhaerebat, numquam a Christo oculos avertebat. « Putasne, inquit Isolanus, Ioseph Christi praesentiam sive in infantili aetate, sive in puerili, sive in adolescentia, sive in iuventute sponte aliquando deseruisse? ». Et licet aliquando pro variis rerum familiarium negotiis a Christo aliquando abesse cogebatur (deserviebat enim Christo propter eos qui haereditatem capiunt salutis), semper tamen corde et animo illi adstabat, et mente eius praesentia fruebatur. 3. - De angelis Christus narrabat, Matth. XVIII, 10: « Quod semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est ». De Ioseph nonnulli censuerunt eum aliquando Dei essentiam in hac vita mortali clare vidisse, eo modo quo de Divo Paulo, et Moyse D. Augustinus cum Doctore nostro Angelico 2. 2. quaest. 175, art. 1, asserunt, et nos superius de ipsa gloriosa Virgine cum multis piis, et doctis viris idem docuimus. Sed de S. Ioseph id asserere non audemus, cum nullam hac in parte auctoritatem pro nobis habeamus, quam sequamur, et novitates semper abhorruimus, et abhorremus. Fortassis vero similius est, quod Bernardinus de Bustis serm. 12 de desponsatione Mariae pie credit, benedictum Iesum transfiguratum in corpore glorioso Sanctissimo Iosepho non semel, sed saepius se ostendisse. « Si enim, inquit, hoc Petro aliisque duobus discipulis in monte Thabor praestitit, cur non Mariae, et Ioseph? » Sed nec istud asserere audeo, quod Scriptura non docet, Ecclesia non tenet, doctores communiter non tradunt, ratio non convincit.

2664. Satis laetitiae, et beatitatis Beatissimus Ioseph in hac vita mortali habuit, cum tam assidue Christum intuebatur, et nedum intuebatur, verum et contingebat, immo portabat, et amplectebatur. Quanta fuerit laetitia illa, quantum gaudium, quanta exultatio Deum in humano corpore videre, et quod maius est, hospitio recipere, in brachiis portare, per singulas horas illi adstare, eique ministrare, explicet quis potest, ego non valeo. Quis enim explicet huius patriarchae dignitatem, sanctitatem, et puritatem? S. Ioannes Baptista ex eo quod Christo occurrit, Christum vidit, eumque digito monstravit, tam magnus, tam sanctus fuit, ut Christus crederetur, seque ad hoc officium triginta annis angelicam vitam ducens paravit, ut protenso digito Christum demonstrare posset. Qua putas sanctitate, qua puritate S. Ioseph pollebat, qui Christum, non dico digito monstravit, sed manibus contrectavit, hospitio excepit, in sinu fovit, nutrivit, vestivit, eique omnia necessaria ministravit? quantam putas dulcedinem, quantam suavitatem, quantamve laetitiam inde habuit? Abraham magnus, et omni lingua celebrandus evasit, quia angelos hospitio recepit. Ioseph non modo angelos, sed angelorum Dominum, non paucis horis, sed multis annis excepit, Deique Matrem apud se habuit, eius fidelissimus custos, patronus et maritus. « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est » inquit Salvator, Ioann. VIII, 56. Vidit in sola et nuda figura; vidit diem Domini, hoc est tempus adventus Domini; vidit non oculis corporeis, sed oculis mentis, exultavit, et gavisus est, non in re sed in spe. At Ioseph non in figura, sed in praesentia vidit non tantum diem Domini, sed et ipsum Dominum, vidit non tantum oculis mentis, sed et

Digitized by Google

oculis corporeis; exultavit, et gavisus est, non in spe, sed in re. Unde laetitia ipsius tantum superat laetitiam Abrahae quantum corpus superat umbram.

2665. Auxit laetitiam Ioseph B. V. Maria, nam ex sui consortio Deo quasi similem reddit. In Mariae coniugio Beatissimus Ioseph personam Patris omnium conditoris gerebat, dum eiusdem Filii incarnati putabatur Pater, cuius ille ab aeterno est verus et naturalis Pater. Tenet ille sinu suo, et fovet Filium suum. « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». Ioan. I. 18. Tenuit et Ioseph eumdem in sinu, et fovit. Aeternus Pater Filium suum a desertoribus angelis in coelo defendit, qui cum eum superbia inflati adorare nollent, ut Ambrosii Catharini et aliorum sententia est, e coelo statim detrusi inferni flammis adiudicati sunt. Ioseph vices aeterni Patris in terris gerens, eumdem Dei Filium humana carne vestitum a Satanae fraudibus, et insidiis protexit, cum eum ab Herodis tyrannide, et nece ipsa praeparata vindicavit. Aeternus Pater per verbum omnia creavit, omnia produxit, et « sine ipso (scilicet Verbo) factum est nihil ». Ioseph per idem Verbum omnia quodammodo refecit, cum illud in carne humana nutrivit, fovit, a fraudibus et insidiis Satanae custodivit, protexit, et ad salutem generis humani fideliter conservavit. Vides igitur quanta sit beatissimi Ioseph dignitas, quantave felicitas, et consequenter iucunditas, et suavitas aeterno Patri circa Filium eius pariari.

2666. Ulterius in Mariae coniugio Beatissimus Ioseph Spiritus Sancti vices in terris egit, nam Christus et Maria sub eius umbra quieverunt. De Spiritu Sancto Ecclesia canit: « In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium ». O quoties Christus in gremio Ioseph quievit; quoties collum eius teneris brachiis amplexus est haerens illius pectori, ac humeris; quoties Ioseph in aestu ei umbram faciebat; quoties ex ocellis infantis lacrymulas detergebat. Vide quae superius diximus.

2667. Solet Deus suorum scutum ac protectio dici. « Noli, inquit, timere, Abraham, ego protector tuus suum », hebraice « Ego scutum tuum » Genes. XV, 1. Magna dignitas Ioseph, qui Dei sui, et Matris eius scutum esse meruit. Sane scutum Christi fuit, nam legitimum eius ortum ex matre optime protexit. Si enim ille legitimus Mariae sponsus non fuisset, Christum tamquam illegitimus partus a Iudaeis habitus fuisset. Unde hoc nomine Dei Filius Iosepho debet, quod tanquam ex adulterio conceptus non sit reiectus: talis proculdubio in falsa hominum opinione futurus, nisi se Ioseph tanquam scutum contra hunc suspicionis ictum obiecisset. Deinde scutum Christi fuit, quia eum a saevitia Herodis protexit.

2668. Scutum quoque fuit Mariae Matris eius, nam pudorem illius tanta fide et sapientia tutatus est, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit, ne agnosceret, an virgo esset, quae Christum pepererat Videte, pensate, considerate, quanta auctoritate apud Deum, et angelos polleat Beatissimus Ioseph, qui altissimi mysterii scutum fuit inexpugnabile, et meruit esse eius scutum et protectio, qui omnium scutum et protectio est.

2669. Praeterea scutum Virginis fuit, quia eam veluti obiecto scuto protexit, cum in uxorem accepit; illo enim sacro coniugio effecit, ne a Iudaeis lapidaretur tamquam adultera. Origenes hom. 30 de diversis: « Propterea, inquit, Virgo fuit desponsata ipsi Iosepho, quia si non fuisset desponsata, omnium bonorum increduli, et inimici Iudaei lapidibus eam occidissent ». Considera quantum uni Iosepho debeat Virgo, quantum debeat Christus. Debet ei Virgo, quia per eum stetit, quod tamquam adultera reputata et punita non est. Debet ei Christus, quia per eum tamquam illegitimus, ex illegitimo ortu conceptus reiectus non est.

2670. Magnam laetitiam Beatissimus Ioseph ex consortio Mariae hausit, quod per eam Filii Dei in humana carne nati nedum tutor et custos, verum et pater nutritius fuit, cui Christus subditus fuit, et tamquam parenti obedivit. Historia orientalium catholicorum, quam ex hebraeo in latinum versam citat Isidorus Isolanus part. 4, cap. 9 Iesum ita loquentem introducit: « Ego conversatus cum Iosepho in omnibus, sicut si essem filius eius, et eram per omnia sicut ipse: et obediebam ei in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius; et eram subditus illis, sicut parentibus, diligebam Ioseph valde sicut pupillam oculi mei ». O dignitatem ineffabilem, o auctoritatem mirabilem! eum habere subditum, cui omnes creaturae serviunt! Forsan de historia memorata dubitas? Audi evangelium: « Et erat subditus illis ». Quis? quibus? Deus hominibus, Iesus Iosepho et Mariae suis parentibus.

2671. Quanto putas gaudio exultabat Ioseph, quanta laetitia perfundebatur, cum ab Altissimi Filio audiebat se appellari patrem, cum videbat sibi in mensa et alibi serviri cuncta regentem? Nec lingua dicere, nec calamus id exprimere valet.

2672. Patriarcha Ioseph dixit se vidisse solem et lunam adorare se; noster Ioseph vidit solem iustitiae Christum, et lunam splendentem Mariam sibi obsequentes, et, quod magis est, subditos. Magna dignitas

Digitized by Google

illius Ioseph. quod ad imperium eius cunctus populus Ægypti obediebat. « Ad tui oris imperium, ait ad eum Pharao, cunctus populus obediet » Gen. XLI, 40. Maior dignitas nostri Ioseph, ad cuius oris imperium ipse mundi Conditor obedierit. Vere Ioseph totius mundi regimini aptus fuisset, quia illum rexit, qui totum mundum gubernat.

2673. Ioseph ille primus mundi salvator a Pharaone dictus est: « Vocavit eum lingua aegyptiaca salvatorem mundi » Genes. XLI, 45. Sed iustius hic titulus nostro Ioseph convenit, qui ipsius mundi Salvatorem ab Herodis manibus exemit, eumque pro salute nostra fideliter custodivit, nutrivit, vestivit, et eo libentius eum tutatus est, eique ministravit, quod sciebat et nobis ministerium illud profuturum. Scriptura salvatores appellat eos qui evangelium Christi populis praedicant. D. Paulus exhortans Timotheum discipulum suum ad attendendum doctrinae in I epist., IV, 16 scribit: « Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt ». Quanto magis Ioseph salvator dicendus est, qui modo in Ægyptum, modo in Iudaeam Christum detulit, et unus praestitit facto, quod praedicatores omnes deinceps erant praestituri verbo. Hoc, ni fallor, cogitabat S. Hilarius in cap. II Matthaei scribens, ubi ait: « Ioseph sponsus Virginis circumferens Christum nunc in Ægyptum, nunc in Iudaeam designat apostolos Christum praedicantes Iudaeis, et Gentibus ». Fuit ergo Beatissimus Ioseph typus et exemplar omnium praedicatorum, quia quod illi verbo praestiterunt, ille facto praestitit, et omnibus viam monstravit ad conversionem mundi, et agnitionem veri Dei pro nobis incarnati.

2674. Vides ergo quam uberem materiam gaudiorum gloriosa Virgo S. Ioseph sponso suo praebuit, quae cum consortio suo maritali adeo nobilitavit, talibus ac tantis divinae gratiae muneribus, ac praerogativis singularibus auxit, ornavit, ditavit. O Beate Ioseph, qui ex consortio Virginis verus Ioseph, hoc est crescens in virtutibus effectus es velut alter angelus, ex Christi sui aspectu beatus, Deo Patri, ac Spiritui Sancto similis, eorumque quasi vicarius factus, inenarrabili laetitia perfusus es, obtine ut nos quoque aeternis illis gaudiis participes efficiamur, praestante Domino nostro Iesu Christo, intercedente Beata ac Gloriosa Dei Genitrice Maria coniuge tua, te quoque suffragante. Amen.

Discurs. 337.

S. Ioseph sollicitudo ante partum B. M. V. etc.

2675. Considera Iosephum Beatissimum, Mariae sponsum castissimum, et integerrimum custodem media hieme in Bethlehem proficiscentem cum Maria Virgine desponsata sibi uxore praegnante, suumque censum pendentem, ut Caesaris edicto satisfaceret. Considera eundem in Bethlehem oppido non otiosum sedentem, sed praesenti inopia, et rei familiaris angustia commotum, circumcursantem, Virgini pariturae domicilium, seu hospitium aliquod quaerentem, et ex animo satagentem Matri simul et puero fidum praestare procuratorem, sicut Deus hoc illi munus demandarat. Tristabatur ille, et exultabat. Tristabatur, cum pervagatis singulis quibusque domibus, nullum Virgini reperit domicilium, nullum sibi et sponsae adinvenit hospitium. Tristabatur, inquam, et quanto magis Virginem sibi desponsatam omni honore dignissimam cogitabat, tanto magis illam videns inhonoratam dolebat. Exultabat autem sciens sine decreto Dei nihil fieri posse, et quod vir bonus quidquid acciderit, aequo animo sustinere debet.

2676. Rursus cogita eundem Ioseph Mariae sponsum, et fidissimum Iesu nutritium patrem, in stabulo bethlehemitico constitutum, attonitum et tremebundum stantem. Stupebat oceanum infinitum modico vase conclusum, lucidissimum ardentissimumque solem levi nubecula circumdatum. Cogita quam amanter, quam crebro ille Christum puerum spectabat, quantam laetitiam de miro pueri decore atque splendore capiebat: quam frequenter de illo cogitabat: quam libenter sensus, et operationes omnes ad eius ministerium conferebat; dicam, et somniare non sine maxima voluptate solebat, utpote iam ab angelo instructus, Deum esse, quem Maria conceperat, et pepererat. Hinc Luc. II, 33 narrat: « Erat pater eius et mater mirantes » etc.

2677. Ulterius cogita reverentiam S. Ioseph, quam novae sanctaeque puerperae exhibebat. Quis enim ambigat S. Ioseph Virginem ut Dei Matrem, et Dominam suam, et pudicitiae castitatisque omnis exemplar adeo coluisse et suspexisse, ut non posset non paratus esse, ut tali coniugi per omnia inserviret? Haec cogitans ora diligenter eam tibi dare fidem erga Deum, amorem erga B. Virginem, reverentiam et observantiam, ut ex aliqua parte viro tam solicito, tam religioso conformari possis.

2678. Labor in sudore afflictio est in poenam peccati a Deo homini iniunctus: « In sudore vultus tui vesceris pane », Gen. III, 19. In hac afflictione B. Virgo Maria plerisque subvenit. Huius rei locupletissimus testis sit Sanctissimus eius sponsus Ioseph, qui in suae artis operibus cum laboraret cum Virgine in connubio manens, sub eius patrocinio laborem non sentiebat. Multa et in-

Digitized by Google

commoda itinera sanctissimo fabro cum coniuge sua subeunda fuerunt, omnibus pene rebus destituta. In Bethlehem cum Virgine uxore sua praegnante, ut ibi profiteretur subiectionem Caesari, ivit. Rursus Herodis rabiem fugiens nocte intempesta cum Virgine et puero Iesu in Aegyptum secessit: ibi per septem annos manens multos labores et aerumnas pertulit. Iterum cum eadem Virgine desponsata sibi uxore ex Aegypto in Palaestinam rediit. Quae mala in itineribus istis sustinuerit, quot labores, quot pericula, quot incommoda passus fuerit, quisque coniicere potest; nusquam tamen legimus a Deo postulantem, ut labores et incommoda ab eo auferret, aut minueret, aut certe levamen vel refrigerium concederet. Habebat enim comitem Virginem opportunum laborum suorum solamen, cuius consortio nec labores sentiebat, nec incommodis premebatur, nec periculis commovebatur, nec aliquid sibi deesse putabat; in Virginis consortio labores in requiem, pressurae in solamen, angustiae in refrigerium commutabantur.

2679. **Hymnus XXVIII.**

Ad Ioseph devota mentis elevatio.

INCLITE Christi confessor,
Sancte Ioseph, te deprecor
Cum Maria, matre Christi,
Cuius sponsus tu fuisti.
2. Virginitatis merito
Eius iunctus consortio
Non gignendi proposito
Sed latenti mysterio.
3. Inter ceteros electus,
A Christo magis dilectus,
Cuius curam tu gessisti
Quem in ulnis baiulasti.
4. Quia eo te in hac vita
Grata tulit obsequia,
Ob id per tua merita
Ægris confert remedia.
5. Unde dignus magna laude
Apud Christum intercede,
Ut per suas dignas preces
Nostros expellat langores.
6. Gloriosa tua prece
Nos ab omni lava faece,
Ut post istam miseriam
Perducamur ad gloriam.

(Apogr. Rotomagi, saec. 18).

2680. **Memento.** — *Oratio, qua S. Ioseph in patronum eligitur.* O S. Iosephi Redemptoris mei Christi Iesu fidelis oeconome ac nutritie, et castissime Virginis Deiparae sponse! Ego N.N. te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me nunquam te derelicturum nec permissurum, ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. (Coeleste Palmentum).

XXIX. — Sermo Ioannis a Iesu Maria.

LAUDES S. IOSEPH.

Concio XIII, de Patriarcha S. Iosepho.

GLORIOSISSIMAM festivitatem S. Patriarchae Iosephi, Sponsi dignissimi serenissimae Mariae Virginis, et illustris complementi Trinitatis terrestris celebrat hodierna die succensa devotione S. Mater Ecclesia cum tanta maiestate, et splendore, imo cum ipsius Agni divini in augustissimo, et venerabili Altaris Sacramento publice prostantis praesentia. Inter umbras, et ritus doctae antiquitatis invenio aliquid, quod mirifice ad rem meam facit. Numeramus hodie diem decimam nonam Martii, quae a priscis gentilibus Minervae sacra habebatur, in qua pro complemento solemnitatis suae, quae in lingua Argolica Apolysis dicitur, candidum et tenerum immolabant agnellum. Hoc quidem fecerat paganorum superstitio in die illa, quae ex secreto divini senatus consulto olim destinata fuerat Divi Iosephi honori, et gloriae celebrandae. Ast Ecclesia coelesti lumine illustrata huius diei splendores peragit in praesentia coelestis Agni Iesu Christi, qui licet patere videatur, latet tamen sub candidis involucris Sanctissimae Eucharistiae.

2682. Et ut ab humanis ad divinas litteras, quae sunt verae litterae aptae ad homines rite sapientes reddendos, gressum faciamus, in Evangelio hodiernae Feriae tanta pro nostra festivitate reperiemus, ut divinum hoc fragmen pro ea solum sectum videatur. Ibi enim fontem quendam coelestem videmus, per quem Samaritana illa a funibus suorum scelerum se enodatam gratulatur, quibus prius religata suffocabatur: « Erat ibi fons Iacob ». Erat fons ille genuinus typus Sacrae Eucharistiae in quo potatae animae sitientes respirium sortiuntur, praecipue cum puteus ille se diffundat in copiosos gratiarum fluvios pro omnibus. « A mensa hac prodiit fons, qui spirituales fluvios diffundit » ait flumen eloquentiae graecae D. Ioannes Chrysostomus. Hic fons, licet dicebatur Iacobi, labente tempore fuit Iosephi: « Iuxta praedium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo » dedit ei in augmentum eiusdem gloriae, et hono-

Digitized by Google

ris. Splendores namque Iosephi non vulgariter crescunt in vicinia redundantis fontis Eucharistici. Quae res procul dubio causa fuerit, ut, ubi editio nostra vulgata dicit, Iosephum interpretatum sonare « augmentum »: « Filius accrescens Ioseph », ibi Pagninus legat: « Ramus iuxta fontem », Ioseph est ramus iuxta fontem plantatus. Nam sicut ramus foecundae scaturigini adsitus brevi caput suum nubibus inferre minatur, ita gloria S. Iosephi in confinio fontis divini super ipsos stellarum choros excrescit.

2683. Haec est, fideles! magna solemnitas, quam devotio in S. Iosephum adornavit. « Puteus altus est » dixit prudens Samaritana in Evangelio Feriae currentis: valde profundus est iste puteus. Fons autem ille profundus est S. Patriarcha Iosephus noster. Puteus profecto sine fundo, cuius latices sunt inscrutabiles, et nulli omnino pervii. Neque hic vobis persuadeatis, auditores mei! excellentias S. Iosephi esse vulgares, aut communes; peculiares enim sunt, et omnimodis exquisitae. Fons ille Iacobaeus proxime aberat a quadam haereditaria villula, quam S. hic Patriarcha in filium suum Ioseph transcripsit: « Iuxta praedium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo ». Dedit extra communem haereditatem, explicat N. Doctus ab Expectatione. Donatio huius haereditatis extra ordinem illum concessa fuit, quo alii Iosephi fratres defuncti parentis bona adepti sunt. Ut vel ex hoc capite eruditi cognoscamus, nihil Iosepho unquam cum neque eum aliorum magnificentia commune fuisse, neque eum ad aliorum Sanctorum normam metiendum esse, sed mensura propria, eaque immensa.

2684. Plus. Posset hic quis suspicari, eam haereditatis portionem a Iacobo factam, non adeo aequitatem redolere, oportebat enim, ut tamquam plurimorum filiorum parens, bona sua per partes aequales divideret. Quomodo itaque hanc haereditatis portionem soli filio suo Ioseph delegat? « Dedit Ioseph filio suo »? Excludendo nimirum alios. Quid enim prohibebit, ut pater citra aliorum fratrum iniuriam plurimis modis eum, quem voluerit, ditare queat? Unde quia haec iure gentium poterat, integritas singularis Ioseph exigebat, ut hoc sibi prae aliis eveniret, nam et ipse Ioseph, plurimis modis alios fratres superabat, licet et illi, boni, sanctique haberentur. Ceterum iste Ioseph, de quo nobis impraesentiarum sermo est, non erat noster Patriarcha S. Ioseph, sed erat imago quaedam, et umbra illius. Tantae siquidem sunt excellentiae, et praerogativae nostri Patriarchae, ut etiam earum pars posterior plurimis modis aliorum splendores antevertat. « Puteus altus est ». Nemo abnuat, nemo inficietur: puteus iste profundissimus est. Atque ex eo quam tam vastae profunditatis sit fons iste, non contemnenda mihi accrescit afflictio, quia verbis illis perstrictum existimo, quibus Samaritana Salvatorem affatus est: « Neque in quo haurias habes ». Non suppetit tibi medium, aut praxis aliqua, cuius adminiculo ex tantae profunditatis abysso extrahas crystallinas undas gratiarum, et privilegiorum S. Iosephi? Quomodo non? Nonne sacratissima Regina coelorum Maria est sponsa Beatissimi Iosephi? Nonne autem eiusdem sortis, et communis rationis ad invicem sunt praerogativae, ac fulgores sponsi, et sponsae? Quomodo igitur in tam arduo molimine nobis deficere potest gratia serenissimae Mariae? Sane nunquam deficiet, praecipue si eam cum Angelo devote salutaverimus dicendo: « Ave Maria ».

2685. Puteum profundissimum imperscrutabilis praestantiae hodie in Sancto Iosepho nobis Evangelium detegit. Virum hunc omni elogio maiorem S. Matthaeus nobis primo describit tanquam sponsum dignissimum intemeratae Virginis Mariae: « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph ». Atque ex titulo tantae praerogativae S. Ioseph dominus efficitur, et caput mysticum maximae Reginae nostrae: « Vir caput est mulieris ». Itaque cum S. Ioseph sit sponsus legitimus celsissimae Dominae nostrae: « Ioseph autem vir eius », Iesus vero legitima soboles tantae parentis: « De qua natus est Iesus » atque haec divina Princeps sit mater vera, et naturalis (licet modo supernaturali, vel supernaturalis quoad modum) servatoris nostri Iesu, consectaneum evadit ex nostro Evangelio, sacratissimo Iosepho Sponso purissimae Virginis competere summum istud privilegium, ut pater Iesu dici, et haberi possit: non quidem Pater naturalis. Nam in hoc sensu soli illi Domino haec compellatio convenit, a quo, tamquam fonte quodam divino, omnis paternitas dimanat in coelo, et in terra. Sed pater in alio sensu, de quo mihi postea sermo erit. Ecce hic, auditores mei! duas incomparabiles praerogativas huius magni Patriarchae, quarum prima est, quod sit sponsus legitimus castissimae Virginis Mariae. Secunda, quod sit pater legitimus Iesu. Hae duae praerogativae duo mihi puncta sermonis hodierni subministrant. Eamus.

2686. Prima praerogativa, quae S. Iosephum reddit illustrissimum, consistit in eo, quod sit legitimus, et dignissimus sponsus Mariae, verae Matris Iesu. O summam praerogativam! Existimo autem sanctum nostrum tanta vitae integritate claruisse, ut prae omnibus aliis hanc sortem sit promeritus. Neque

Digitized by Google

enim ulla alia, cuiuscumque praestantiae foemina digna potuisset esse sponsa S. Iosephi, nisi illa, quae erat dignissima Mater Iesu. Conferamus duos textus S. Matthaei, quorum unus in capite secundo reperitur, alter vero, qui est hodierni nostri Evangelii in capite primo. Quando Chaldaei Principes humanis membris amictum Deum in Bethlehem adorarunt, scribit Evangelista sacer, eos reperisse infantem cum augusta matre sua: « Invenerunt puerum cum Maria matre eius ». Ubi merito observandum venit, a S. Matthaeo puerum illum divinum non vocari Iesum, nec benedictam eius matrem elogio matris Iesu insigniri. At cum Hagiographus ad describenda sponsaliorum solemnia venisset, quibus Iosepho tam egregia sponsa copulata fuit, eam expressis verbis matrem Iesu compellat: « Mater Iesu Maria », quod non sine speciali Spiritus Sancti, qui scriptoris sacri calamum dirigebat, instinctu factum fuisse putandum est. Nam in casu illo, quo divinus pusio a Magis adoratus fuit, nulla suberat necessitas, cur sanctissima Virgo Maria fuisse mater Iesu exprimeretur, unde etiam suppressum mansit. Ast in casu desponsationis necessario haec circumstantia memoranda veniebat, quapropter etiam ab Apostolo sedulo annotata fuit. Tanta namque erant S. Iosephi merita, ut nulla mulier dignam eius sponsam agere posset, nisi illa, cui infinitum decus Maternitatis Dei accessit: « Mater Iesu ».

2687. Habeant nunc, per me licet, sapientes illi Magi serenissimam Reginam nostram Mariam tanquam matrem unius filii, qui regia Iudaeorum dignitate fulget: « Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum? » hoc namque abunde sufficit ad eliciendam erga matrem venerationem, et adorationem erga filium. Ast si quis hanc Dominam Sponsam Iosephi dixerit, addat ei quoque elogium Matris Iesu, qui est Deus, et homo verus. Quandoquidem sola illa, quae pro fastigio maternitatis divinae electa fuit, potuit in dignam sponsam dari Iosepho.

2688. O Sancte Iosephe! Magnus es ex omni parte, sed longe maior, atque illustrior, quod Sponsam nactus fueris, quae mater Dei esse meruit. Redeamus denuo ad S. Matthaeum, eique coelestem angelum opponamus. Filium David vocat angelus Iosephum: « Ioseph fili David ». S. Matthaeus asseverat, Davidem dupliciter Regem fuisse: « David regem: David autem Rex ». Quod si itaque David multis vicibus regio nomine dignus est, cur illud ne semel ei ab angelo tribuitur, et ne tunc quidem cum S. Iosephum filium David nuncuparet? Scilicet, quia loquebatur tanquam angelus sapientissimus, qualis non fuisset, si in illo nuntio hunc titulum deprompsisset, ac S. Iosephum filium Regis cognominasset. Cuius haec est ratio, quod prudentissimus ille spiritus eum illa occasione honoraverit nomine, et titulo Sponsi Matris Dei Mariae: « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». Cum vero recitat titulo supremo, reliqui notae inferioris, licet ex se magni retineantur, ideo coelestis caduceator dissimulat in S. Iosepho regalem prosapiam, ratus maximum praeconium S. Iosephi non resultare ex maioribus sceptrigeris, sed ex dignitate Sponsi Maximae coelorum Imperatricis Mariae.

2689. Amplissima autem Iosephi excellentia quia Sponsi Mariae, derivatur ab infinita magnificentia divinae coniugis, quae per communicationem quandam suas praerogativas in eum transfudit. Exploremus hanc communicationem in Evangelio hodiernae Feriae. In illo dialogo, quem Dominus ad fontem residens cum Samaritana miscuerat, praecipit ei, ut maritum suum adduceret: « Vade, voca virum tuum ». Sed quid erat necesse tunc temporis maritum adsciscere? « Ut et ipse sit particeps huiusmodi doni » respondet eximie Theophylactus. Voca eum, ut et ipse partem habeat in singularibus illis quos de manu mea recipis, favoribus, et beneficiis. Ut cognoscamus, ex omnibus gratiis, et charismatibus, quibus sponsae a Deo locupletantur, ipsos etiam sponsos pro suo modo participare.

2690. Quae nunc autem lingua, etiamsi angelica suada polleret, erit tamen disserta, ut possit explicare plenitudinem donorum, quibus omnipotens Deus ditavit animam Beatissimae Virginis Mariae? Quis intellectus, licet perspicacia cherubica praeditus, comprehenderet gratias naturales, supernaturales, et gratis datas, quibus Augustissima Trinitas hanc venerandam columbam adornavit? Quis denique sermone exsequi poterit, quomodo dilectissimae filiae suae Mariae faverit potentia Patris? Quomodo ter caram genitricem illustraverit sapientia Filii? Quomodo speciosum templum suum decoraverit Spiritus Sanctus? Certe tanta fuit Reginae nostrae sapientia, ut scientia cherubinorum ei collata, ignorantia dici mereatur. Tantus fuit in ipsa fervor charitatis erga Summum Bonum, ut seraphini in eius comparatione possint reputari algentes. Tanta fuit eius pectoris puritas, ut ipsi etiam coeli in praesentia nostrae Dominae maculis laborent. Tanta denique fuit gratia sanctitatis illius, tanta privilegiorum singularitas, ut hanc solum comprehendere queat infinita Dei sapientia, quae mysticum hoc, et spirituale sacrarium iis replere et voluit, et potuit. Age iam ter Maxima Princeps: « Voca virum tuum ». Voca integerrimum Sponsum tuum S. Iosephum: « Ut et

Digitized by Google

ipse sit particeps huiusmodi doni », ut et hic intret in partes coelestium tuorum, et divinorum munerum. Et sic quidem fecit Iosephi amantissima, et prudentissima Sponsa, atque hac ratione dilectissimum Sponsum suo toto torrente divinarum gratiarum inebriavit.

2691. Hoc ambobus devotissimus fatetur S. Bernardinus Senensis. Iuvat admirabilem eius sententiam in medium proferre, qui ferme sic ratiocinatur: Si, inquit, incomparabilis haec Domina tot favores, gratias, et misericordias a divina liberalitate exorare novit abominabilibus peccatoribus, iuratissimis sui Filii hostibus, quas non gratias (prosequitur Bernardinus Senensis) quos favores, quae privilegia, quae divina beneficia conciliaverit S. Iosepho, viro iustissimo, servo suae prolis fidelissimo, sponsoque charissimo? « Amplius, pergit S. Bernardinus, plus dicam (et totum quidem illud, quod in materia praesenti dici potest): cum omnia, quae sunt uxoris, sint viri, credo quod Sanctissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat », incomparabiles, et ditissimos thesauros quos habebat in corde suo. Quibus verbis S. Doctor longe maiora dicit, quam sibi quis imaginatus fuerit. Dilucidemus itaque sententiam, etsi forsan magis obscurabitur, quam illustrabitur. Ac imprimis quidem observari merentur verba illa « totum thesaurum » cordis Mariani, qui citra controversiam fuit immensus, ad capacitatem tamen purae creaturae. Deinde considerari debet capacitas animae S. Iosephi: « Quem Ioseph recipere poterat ». Ex quo prona illatione eruemus, quod si capacitas cuiuscumque animae rationalis sit tam ampla, ut eam non possit explere coacervatio omnium bonorum creatorum, licet ad hunc numerum innumerum etiam computentur bona possibilia, quanta proinde fuerit capacitas animae S. Iosephi? Unde si sacratissima Sponsa dilecto suo coniugi communicavit omnem thesaurum gratiarum, et privilegiorum, quem in aureis sui cordis scriniis asservabat: totum thesaurum cordis, et hunc nequaquam parce, et restricte, sed profusissima indulgentia: liberalissime, secundum omnem capacitatem animae S. Sponsi: quem Ioseph recipere poterat. Quantus non fuerit cumulus ille gratiarum, et favorum coelestium, quos tali occasione Beatissimus Iosephus a divina sua Sponsa consecutus est? Comprehendat eum, quisquis potuerit, ego ingenue profiteor, me ne imaginatione quidem eum assequi posse. Ex quo re ipsa didici, quam inscrutabilis sit iste puteus: « Puteus altus est ».

2692. Porro fundamentum huiuscemodi communicationis privilegiorum, et coelestium charismatum consistit in summa quadam unione, quae tam arcto foedere utriusque praecordia inter se copulavit, ut ambo (in rebus tamen divinis, alio enim modo fieri non potuisset) in eandem animam, cor, imo in unam eandemque respirationem colliquescerent. Supremus rerum Artifex protoparentem nostrum unica respiratione produxisse legitur: « Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo ». Hoc facto accepit mulieris architecturam, quae fuit Eva. Et quid putatis? Forsan etiam in huius conditione inspiratione usus est? Nequaquam. Cur igitur Deus Adamum in lucem afferturus respirationem adhibuit: « Inspiravit », quam tamen in productione eius sponsae negligit? Ideo nimirum, quia Deus vult tantam unionem inter sponsos intercedere, ut alter ab altero ne distinctam quidem respirationem sortiatur. Plus. Prima illa sponsorum biga singulariter a Deo electa, et dilecta fuit, in illis autem coniugibus, quos sibi divina Maiestas magis habet commendatos non debet vigere multiplex respirium, sed unum, idque individuum: « Inspiravit ».

2693. Non lubet immorari applicationi huius discursus, quae per se patet, sed transeo ad similitudinem quamdam, sanctitatem et gratiam amborum egregie illustrantem. De nobili illo coniugum pari SS. scilicet Zacharia, et Elisabeth refert S. Lucas: « Erant autem iusti ambo ante Deum ». In quae verba S. Chrysologus commentans, ambobus, ait, eandem infuisse iustitiam: « Ambobus erat una iustitia ». Nam in oculis Dei, ante Deum, sponsorum sanctitas, et iustitia non est duplex, aut diversa sed una eademque omnino, ac simplex, una iustitia.

2694. Ceterum si de iustitia Mariana fari voluerimus, sine omni hyperbole illud Davidicum de ea pronuntiare poterimus: « Iustitia tua sicut montes Dei » Quis iam erit gradus sanctitatis secundum hanc doctrinam coelestis eius Sponsi Iosephi? Etiam inter gentiles disertissimus Plutarchus sponsam vocaverat infructuosam, quae suo coniugi esset in moribus, virtutibus, et bonitate vitae dissimilis. Unde cum tam cumulati essent fructus divinae Sponsae celsissimae Virginis Mariae, evadebat prorsus consectaneum, ut eos ad similitudinem suam lectissimo suo Sponso communicaret. Quamobrem, si omnimode admirabiles fuerunt gratiae, et virtutes Reginae nostrae, admirabiles itidem fuerint gratiae, et virtutes eius Sponsi Divi Iosephi, necesse est. Sic concludit piissima sua suada S. Bernardinus: « Per respectum ad Sanctam Virginem necesse est hunc virum (Ioseph) fuisse admirandae gratiae, et virtutis ». Nihil

Digitized by Google

in magnificentissima Deipara fuit, quod non iure omnem sibi vindicaret admirationem, nihil proinde etiam in S. Iosepho, cum hic tamquam sponsus exacte ad similitudinem sponsae sit metiendus, extitit, quod non esset summe admirabile: « Per respectum ad Sanctam Virginem ».

2695. Hae sunt, Auditores! praerogativae S. Iosephi tamquam Sponsi numquam satis celebratae Virginis Mariae. Ad hunc locum, ubi pervenissem, prope decreveram a puncto praesenti manum removere. Nam uti docte, ac devote ait noster eruditus Pacensis: « Sponsi Iosephi laus de coniuge est. Praeconia S. Iosephi scaturiunt a fonte coelestis suae Sponsae Mariae: « ubi uxor Maria, otiatur calamus ». Ubi sermo eo devenerit, ut serenissimam Mariam Sponsam alicuius esse declaret, supervacaneum est, vel plura addere in commendationem sponsi, quandoquidem istud supremum est, quod de eo dici valet. Atque hoc ipsum est, quod antiquitus per os Salomonis Spiritus Sanctus in Proverbiis dixerat: « Mulier diligens corona est viro suo ». Sponsa officiosa, sapiens, discreta, et sancta est sui coniugis corona. Igitur cum Sancto Iosepho tam praeclara Sponsa fuerit, ineffabilibus locupletata praerogativis, numquid non talis erit splendidissimum diadema S. Iosephi? Vel maxime.

2696. Nihilominus non erit otiosum, si fulgidae huic coronae quidquam operis vermiculati adiecerimus, ut tanto uberiorem conceptum nobis formemus de meritis huius divini Herois, qui scivit, et potuit tam gloriosam coronam promereri. S. Gregorius Theologus, cum aliquando a quibusdam suis necessariis familiariter rogatus fuisset, quaenam indoles, aut morum habitudo illi nobili esset, qui eius sororem S. Gorgoniam sibi desponderat, respondit eximie, tanquam Rhetor eloquentissimus, quique non minus in theologia, quam in arte oratoria esset versatus: « Scitote, quod vir illius est ». Vultis, scire, quis sit ille nobilis, et quibus dotibus exornatus resplendeat? Rem paucis absolvam Sponsus est Gorgoniae meae sororis. Cui dicto nihil amplius addi posse putavit.

2697. Quam responsionis formulam, ut mihi persuasum habeo, eloquentissimus Theologus desumpsit ab auctoribus prophanis, qui subinde inter verborum nundinas etiam gemmas venales proponunt. Rogatus a quibusdam Apelles pictorum Caesar, ut venustissimi Paridis luculentam effigiem sueto suo colorum artificio adornaret, annuit ille, et ut fidei suae quam exactissime staret, pulcherrimam illam Graiorum Helenam, cunctaque eius decora, ac gratias in sabano expressit, hoc addito lemmate: « Qui hanc meretur ». Paridem vultis videre? nimirum ille est, qui hoc pulchritudinis miraculum pro sponsa meretur. Factum sane egregium! Dabitis mihi proinde veniam, Auditores mei! si ad recreandum paulisper animum illud in rem meam convertero. Vultis scire, quis sit S. Iosephus? Eia manus ad opus. Aptate penicillos, miscete colores, pingite coelorum Reginam. Quaerite autem sabanum amplum, latumque, ne propositam iconem artis nimium terminis constringatis. Effingite itaque perfectiones, et privilegia novem angelicorum ordinum, quae universa in celsissima angelorum Regina tamquam guttae in Oceano continentur. Huic adiicite immensam gratiam omnium Sanctorum, et Sanctarum, qui aeternae beatitudinis participes effecti, cum Angelis triumphant, atque hoc totum cum ineffabili quodam excessu in hoc mari gratiarum reperietis. Istis supperaddite mirabilem dignitatem maternitatis divinae, quae singillatim Sacratissimam Dominam nostram exornat, et postquam haec omnia feceritis, ac talem imaginem tectonice concinnaveritis, hanc scribite epigrapham: « Qui hanc meretur ». Ioseph fuit ille felix, ac terque, quaterque beatus qui immensa meritorum magnitudine tantae Sponsae consortio potitus est. Quibus verbis, omnia dixistis, quae de excellentia, et praestantia S. Iosephi dici poterant.

2698. Audio quosdam ex imo pectoris thrahere suspiria, et singultisono affectu ingeminare: o nimis felix Ioseph, nimis o beate, cui tanta sors obtigit, ut totius universi Imperatricem Mariam Sponsam nanciscereris! Sed noli vehementius tristari, aut rivali moerore tabescere mi Christiane! Potes namque, et tu, divina gratia adiutus, tam auspicatam spartam impetrare. Putasne in S. Iosepho sponsalia mariana expirasse? Erras enimvero si tibi hac opinione imponis. Nondum ergo, nondum, inquam, ianua ad hanc felicitatem conclusa est, utpote per quam ad parilem dignitatem diu post obitum S. Iosephi, multis servis marianis aditus patuit. Non etiam Sanctissimus eius Filius sibi despondit Ecclesiam? Et tamen, hoc non obsistente, sibi purissimas virgines Agnetem, Catharinam, Teresiam, Rosam Limanam, aliasque plures annulo sponsali subarrhavit? Ad eumdem modum res cum intemerata eius Matre succedit, quae crebriores sponsalia contractus pepigit, cum multis S. Iosepho devotis, eiusdem puritatis angelicae imitatoribus, ut passim testantur acta Sanctorum, quae in omnium manibus versantur. Certe in annalibus Sacrae Praemonstratensis Familiae, luculenter deprehendes, qualiter ab eadem serenissima Regina nostra quidam ex eius alumnis ad tantam sortem

Digitized by Google

assumptus fuerit, cui imitatio Iosephinae puritatis eandem sponsam, et nomen peperit, cum antea Hermanus diceretur. Et hoc ipsum tibi eveniet, si tu quoque in terra vixeris sine desideriis terrenis, et in carne fragili sicut angelus coeli. Ad consequendum autem tam nobilem et felicem effectum plurimum conferet fuga creaturarum, et occasione, in quibus facere solet periclitari rutila castitatis virtus. Verbo, ad hunc finem ad inspiciendum valde proderit sancta recollectio.

2699. Regrediemur ad Evangelium Feriae. Ioseph filius Iacob, qui sane accuratum fuit castitatis speculum, ut probat pallium in manu adulterae relictum, sepultus est penes fontem Iacob patris sui: « Erat ibi fons Iacob » sicut in libro Iosue declaratur, quod ipsum etiam doctissimus Rupertus annotavit: « Eodem loco (scilicet iuxta fontem) sepultus est Ioseph, et mausoleum eius ibi hodie cernitur ». Fons ille pertinebat ad praedium Sichar, quod idem est, ac clausura, et decollatio, ut discamus ad decollandos perfecte affectus carnales, et sensitivos, atque ad conservandam animam in quodam gradu altissimae puritatis plurimum conferre inviolabilem clausuram. Quod si itaque mi Christiane! sedulo operam impenderis conservandae clausurae tam exteriorum sensuum, quam interiorum facultatum animae, tunc denique experieris, te ad eandem sponsalem dignitatem promovendum, ad quam Beatissimus Iosephus erectus fuit. « Cum esset desponsata ».

2700 Etsi admodum profundus videatur Iosephinus puteus, ob gratiarum et privilegiorum undas, quas, ut vidimus, Sponsi Mariani titulus secum affert: « Puteus altus est ». Multo tamen ille profundior evadit ob accedentem altitudinem Patris Iesu Christi. Quo elogio honorificentissimo non solum ab inscia secretorum coelestium plebecula insignabatur, verum etiam ab ipsa Matre Sapientiae, in cuius conscio pectore Incarnationis mysterium perpetratum fuit, taliter appellatus audiebat: « Ecce pater tuus, et ego ». Ac denique, ne qui deesset, ab ipso Spiritu Sancto per calamum S. Lucae evangelistae eandem nuncupationem tulit: « Erant pater eius, et mater mirantes ».

2701. Ac in primis quidem certum habeo, et irrefragabile contra virulentam haereticorum ignorantiam, S. Iosephum non fuisse Christi patrem naturalem. Quae igitur causa esse potuerit sacro Evangelistae, ut eum Patris appellatione ornaret? Tres approbatas, et plausibiles opiniones circa hoc punctum reperio. Prima est doctissimi Cancellarii Parisiensis, qui vocat S. Iosephum « patrem legalem Christi ». Altera est eminentissimi Caietani, qui contendit S. Iosephum legitimum esse patrem Christi nuncupandum, ait enim: « Erat maritus Beatae Virginis, ac per hoc legitimus pater Iesu merito appellabatur ». Tertia opinio, in cuius ego placita hodie concedam, est S. Bernardi docentis, quod Divo Iosepho titulus « patris » indutus fuerit, ex dispensatione divina, sive quod aeternus Pater dispensavit in hoc titulo B. Iosepho tribuendo, quia iste eum promeritus est. Et reapse, auditores mei! titulus iste est longe gloriosissimus prae omnibus illis, qui creaturae rationali, seu angelo, seu homini obvenire queunt. Nam etsi certum sit, et indubitatum plurimos esse, et innumeros Sanctos, quos divina largitas exquisitissimis locupletavit beneficiis, nullum tamen vel in coelo, vel in terris est reperire, neque etiam supremum angelum totius coeli, qui dempto S. Iosepho unquam tali titulo honoratus fuisset, cuius excellentia ut amplius declaretur ad magis particularia descendere iuvabit.

2702. Magnificentissimus ille Dominus, qui tantis favoribus cumulare novit eos, quos suis honoribus videt devotos, servos suos fideles clarissimis plane titulis semper illustrat. Sic Gedeonem appellavit fortissimum, Davidem magnum, Salomonem sapientem, Moysen deum Pharaonis, praedicatum tamen patris Dei nulli imposuit. Finge iam imaginatione tua titulos alios, quoscumque volueris, et videbis eos a Deo liberaliter suis servis concedi, excepto tamen semper titulo Patris Christi, qui nemini hominum totius mundi conceditur.

2703. Ingens est illa Domini pollicitatio, quae apud S. Matthaeum cap. XII legitur: « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei... ipse meus frater, soror, et mater est ». Magnum profecto effatum! Hic quamquam titulus fratris, et sororis Christi sit ex omni parte maximus, titulus tamen matris Christi est absque omni comparatione maior, quos nihilominus, utut magnificos, et spectabiles, Salvator noster omnibus offert, qui voluntatem Dei perficere voluerint. « Quicumque». Animadvertite autem charissimi! illis verbis nullam «patris» mentionem factam fuisse, neque alicui titulum « patris » promitti. Quod si igitur Dominus profusissima liberalitate offert coelestes titulos fratris, et sororis, et quod plus est, appellationem etiam matris, cur solum praedicatum «patris» tacitum habet? Ideo nimirum quia licet alii tituli sint magni, ii tamen pluribus a Christo offeruntur, titulus vero « patris » nemini.

2704. Plus. Illa occasione Dominus expressis verbis aeterni sui Patris mentionem ingerit: « Voluntatem Patris mei ». Itaque si illos, qui per omnia coelestis sui Patris

Digitized by Google

voluntati obtemperant, coelestibus elogiis fratris, et matris honorandos putat, cur hos eosdem appellativo « patris » afficere renuit? Quia quantumcumque homo in omnibus divinae voluntati se conformet, nusquam tamen Christus volet, eum insignire patris Christi titulo, nisi unicum dumtaxat, scilicet S. Iosephum.

2705. Pervolvite Auditores! Sacra Bibliorum volumina, et invenietis multos sanctorum, quibus fratris Christi titulus accessit. Fratrem siquidem Christi appellat S. Paulus Divum Iacobum minorem. Denique ipse etiam Salvator noster charos suos, dilectosque discipulos fratres dixit. Legite deinde S. Gregorium Magnum, et invenietis, eum liberalissima appellatione excellentissimum matris Christi titulum impertitum fuisse cuidam mulieri, quae non solum fuit felix, sed et ipsa felicitas. Haec ubi curiose exploraveritis, resumite denuo Sacros Codices, et videte, si liceat reperire aliquem, cui illustrissimum agnomentum patris Christi cessisset? Neminem sane uspiam detegetis: hanc enim ineffabilem praerogativam divina Maiestas nulli alteri, quam S. Iosepho conferre voluit: « Gloriam meam alteri non dabo » protestatur aeternus Pater. Gloriam meam, quae consistit in hoc, quod sim Dei Pater, non dabo alteri, quam dilectissimo meo Iosepho. Soli Iosepho, et alteri non. Videtis itaque Auditores mei! quam sit profundus iste puteus: « Puteus altus est ». Sed parum adhuc promovimus, est namque multo profundior.

2706. Haec enim suprema gloria non solum fuit reservata pro S. Iosepho, et privilegium privativum respectu sanctorum hominum, sed etiam respectu gloriosissimorum angelorum. Equidem in Scripturis passim Angelis nomen Dei imponitur: « Ego sum... Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob » dixerat angelus quidam ad Moysem. Certum porro habeo, coelestem hunc Spiritum tale sibi nomen attribuisse, non quod Deus esset, sed quod Deum repraesentaret. Transeamus nunc de Antiquo Testamento ad Novum, ibi apud S. Matthaeum cap. III et XVII videbimus, Christum proclamari Filium Dei: « Hic est Filius meus dilectus ». Ex quo colligitur, eum, qui haec verba locutus est, titulum Patris Christi habuisse. Forsitan autem ab aliquo Angelo hic sermo processit? Negative respondet Angelicus Doctor cum omnibus Expositoribus, et Patribus. Cur autem angelus non posset dicere, saltem repraesentative: « Ego sum Deus Pater », cum hic tamen crebrius nomen Dei alias usurpet? Ideo nimirum, quia titulus huiusmodi paternitatis tantae est excellentiae, ut neque per modum repraesentationis Deus eum velit etiam a supremo Angelo totius curiae coelestis assumi.

2707. Quod ego propterea evenire reor, quia inaestimabilis haec appellatio propria est, et peculiaris duarum Personarum, quarum una divina, Deus Pater dicitur, cui ea per essentiam convenit. Altera vero humana est, nempe S. Ioseph, ad quem per dispensationem divinam aequalis nominis dignitas summo quidem privilegio devoluta est: « Ex hac appellatione, licet dispensatoria ». Ex praeiactis grandis enascitur difficultas. Nam si supremo rerum Arbitro placet in tali titulo cum Sancto Iosepho dispensare, cur non etiam cum altero quodam viro sancto, aut certe cum aliquo seraphino sanctissimo dispensat? Scilicet ob eam causam, quam Doctor Mellifluus attigit: « Meruit (Ioseph) honorari a Deo, ut pater Dei, et dictus, et creditus sit ». Tanta nimirum virtutum praestantia effulsit S. Iosephus, ut promeruerit hanc dispensationis amplitudinem, cum tamen alii sancti, seu illi homines, seu angeli essent, nequaquam eo pervenerint, ut tam illustrem favorem, et gratiam mererentur.

2708. Elucidemus hoc immensum privilegium S. Iosephi per quamdam obiectiunculam, quae quidem prima fronte inspecta omnem sermonis nostri seriem convellere videtur. Christus ferme in omnibus scripturae paginis filius David appellatur. Ex quo consequitur, dudum tanti nominis praestantiam Davidi concessam fuisse. Quae etiam veritas adeo clara, et perspicua est, ut eam ipsi quoque caeci inter horrentes suae caliginis tenebras perviderint, quorum unus clamitabat: « Iesu fili David ». Ex quo facile conficitur, gloriosissimum praedicatum «patris Christi» non esse soli Sancto Iosepho proprium. Optima quidem haec est oppositio, utinam talis etiam esset mea responsio. Huic itaque dubio, ut perfecte satisfaciam, placet nihil dissimile primo regerere, dico ergo, coelestis legatus vocat S. Iosephum filium David: « Ioseph fili David ». Igitur et David erit pater S. Ioseph.

2709. Ast ne quid relinquamus obscurum aliter, fortassis melius, certe minus male insinuatae difficultati occurro, duos textus opponendo, unum ex S. Matthaeo, alterum ex S. Luca depromptum. Sciscitabatur olim Dominus ex aemulis suis: « Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? » Cui illi extemporaneo responso obviaverunt dicentes: « Dicunt ei: David ». Quibus sapientia Patris: Quod si Christus est proles Davidis, atque hic pater Christi, quomodo David eum appellitat Dominum, cum neminem lateat huiusmodi titulis non filios a patribus, sed patres a filiis ornari? Unde Salvator mundi accurate concludit: « Quomodo filius

Digitized by Google

eius est? » Qua ratione fieri potest, ut Christus sit filius David, et David pater Christi? Transferamus nunc mentis oculos ad S. Lucam, ubi aliam huius generis quaestionem detegemus. « Fili, ingemuerat Alma Deipara, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego quaerebamus te ». Nunc advertite, fideles! quomodo increata Patris sapientia huic quaerulo sermoni aliam interrogationem obiecerit: « Quid est, quod me quaerebatis? » quin vel verbulo improbasset paternitatem S. Iosephi: imo eam suo silentio magis confirmat. Si itaque Christus paternitatem Davidis in dubium revocat: « Quomodo filius eius est? » Cur non etiam litem movet paternitati S. Iosephi? Cur non respondit: Qua fronte me appellas filium Iosephi, qui sum filius naturalis, et verus aeterni Patris? Nihil horum dixerat, ut sciamus, Christum tamquam infinitam Patris sapientiam, licet verborum argumentis impugnet paternitatem Davidis: « Quomodo? » eam tamen perquam libenter S. Iosepho concedere. Dicant nunc, quicumque voluerint, Davidem esse patrem Christi, sed mox a Salvatore nostro audient sibi opponi, Christum esse Dominum Davidis: « Dixit Dominus Domino meo », atque hunc sibi ingentis honoris loco ducere tam maiestuosi Domini humilem cognominari servum: « Domino meo ». Dicat autem et mater sapientiae, nominetque S. Iosephum patrem Christi: « pater tuus », ac mundi Redemptor mysteriis pleno, et profundo quodam silentio hunc ei divinum titulum confirmabit: « Quid est, quod me quaerebatis? »

2710. O Magne Ioseph! O Sanctissime Ioseph, qui tamquam phoenix quidam inter Sanctos felicissimos auspicatissimum « patris Christi » titulum nulli alteri concessum promeritus fuisti! Gloriare hoc insigni vocabulo? fruere tanto elogio! Neque enim novum, aut recens est hoc tuum gaudium? « O, exclamat S. Bernardinus, quanta dulcia oscula ab ipso (Iesulo Iosephus) recepit! O quanta dulcedine audiebat balbutientem parvulum se patrem vocare! » O Sancte Ioseph, cordis mei dulcissime pater! magna sine dubio est dignitas tua! profundus est puteus tuarum praerogativarum: « Puteus altus est ».

2711. Penetremus tandem (si tamen sermoni eo pervenire concessum est) ad fundum huius putei. Ex illis, quae in prioribus praemisimus nemo non colliget, S. Iosephum in coelo perfrui incomparabili quadam excellentia, quae in eo consistit, quod suae divinae Sponsae Mariae semper ad latus assistat, adeoque secundum post adorandam Trinitatem locum occupet. Haec illatio inconcusso fundamento nititur auctoritati Scripturarum, Patrum, et praecipuorum Theologorum. Eamus per partes, a Sacra tamen Scriptura faustum ducamus exordium. Praepotens ille orbis monarcha Assuerus in litteris, quas ad omnes provincias sui imperii de Amano dederat, quem gratiis omnibus exauctoratum iusto iudicio neci addixerat, inter cetera commemorat, perfidum illum a se patris titulo honoratum esse: « Ut pater noster vocaretur » ac in secundo loco post regiam suam personam collatum, adoratumque fuisse: « Et adoraretur ab omnibus post regem secundus ». Nec indebita haec fuit adoratio, si prima illa gratia respiciatur, qua pater regis dici meruit; etenim qui tam gloriosum titulum obtinet, iure in secundo a rege loco ponitur, et ab omnibus adoratur: « Post Regem secundus ».

2712. Atque hunc locum in regno sydereo Maximus ille coelorum Imperator S. Iosepho detulit. Duo quaedam subsellia, ceteris omnibus altiora, in illo felicitatis loco eminent quorum alterum SS. Trinitas occupat, in cuius latere Serenissima coelorum Regina, et Mater Dei Sanctissima stationem suam obtinet: ut notavit S. Petrus Damianus: « In ipsa Trinitatis sede ». Alterum supra omnes Sanctos, et Beatos Spiritus sublimatum S. Iosepho felicissimo patre Christi Iesu insessore gaudet: « Post regem secundus ». Lubet hanc piam coniecturam face hodierni Evangelii illustrare. In hoc per calamum S. Matthaei divino Spiritu tinctum tres Personae nominantur, quibus felicissima parentela Domini Nostri Iesu Christi tribuitur. Ast notate fideles! ordinem, quem evangelista sibi observandum putavit: « Iesus, Maria, Ioseph ». Primonamque loco posuit Servatoris nostri vocabulum, cui immediate subiunxit eius integerrimam matrem Mariam, ac tunc denique citra dilationem aliquam Iosephi nomen attexuit. Scitis mysterium huius ordinis? Aperiam illud vobis. Ordo, quem haec sacra nomina in libro Evangelii obtinent, est idem cum illo, quem habent in libro vitae. « Eodem ordine sunt in libro vitae, atque in evangelio scripti » scribit S. Isidorus Isolanus, cui frequentissima adstipulatur Patrum corona, ut notavit P. Suarez. Tantae namque celsitudinis locum S. Iosephus in coelo conscendit, ut post Deum, eiusque Virgineam Matrem primum, et eminentissimum thronum occupet.

2713. Progrediamur a Scripturarum oraculis ad placita Theologorum, qui rerum veritates iusta appendentes statera, omni rigore illarum pretia, et dignitates trutinantur. Audimus unum, mille aliis parem. Sua-

Digitized by Google

rius est ille immensum Societatis ornamentum, qui expressis verbis affirmat, eum nec temerarium, nec improbabile iudicium formaturum, qui existimaverit S. Iosephum omnes alios Sanctos tam in gratia, quam in gloria superare. Huiusmodi namque opinionem asserit esse piam, et verisimilem, tandemque concludit celeberrimus iste Doctor: « Dantur, ait, quaedam ministeria altissima, et sacra, quae tangunt ordinem hypostaticum (nunc). Et in hoc ordine, intelligo, constitutum esse ministerium S. Iosephi ». Magna sententia! Ex hac enim manifeste eruitur, ministerium S. Iosephi, quod erat Sponsum agere Sanctissimae Virginis Mariae, ac patrem electum (hoc enim epithetum eidem confert sapientissimus Doctor) Iesu Christi, cuius in familiari conversatione deliciabatur, cuius blando affamine recreabatur, quem denique ulnis suis complexum gestabat in via, defendebat a periculis, quae malitia eius hostium undique innocenti agnello praetenderat, hoc, inquam, ministerium pervenit usque ad ordinem hypostaticum. Quoniam igitur Deus, si quem sanctorum in aliquod ministerium cooptaverit, ei simul largitur omnia, gratias, dico, sanctitatem, merita, quae altitudini impositi muneris consentiunt, neque tamen tanta largitate ullus unquam sanctorum, nec maximorum seraphinorum in ministerio, quod a divina manu exequendum accepit, ad ordinem hypostaticum penetravit, etsi illud sublime, et grande fuerit, consectaneum evadit, ut aperte fateamur, S. Iosephum ita reliquos sanctos in dotibus gloriae (quibus tamquam pater Iesu Christi in coelo fruitur) excedere, sicut eosdem in altitudine sui ministerii transgressus est, eumque in consessus empyrei ordine Deo, eiusque Virgineae Parenti, proxime cohaerere, quemadmodum iisdem in ordine evangelico immediate subiunctus est: « Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph ». Poteritne iam puteus iste divinorum charismatum esse profundior? « Puteus altus est ».

2714. Ubi ad portum sermonis me pervenisse gratulor, video auditores meos nova moestitia perfundi. Etenim cum omnibus congenitum sit, velle ad similitudinem maiorum generosa sequela eluctari: « Eritis », aliqui tristes suspirant. Heu nos! qui postquam audivimus modum, quoad imitationem S. Iosephi, Sponsi Mariani effici possimus, a dignitate paternitatis Christi arcemur, utpote quae singulari privilegio uni, et soli nostro Sancto est concessa! Sed macti animis! Eritis, et vos quoque auditores eo pervolabitis, si ad hoc faciendum animum induxeritis, quod nunc vobis suadeo. Patres Christi esse desideratis? Devotissima ambitio! Ast in qua forma? Auscultate Samaritanam in Evangelio nostrae Feriae dissertantem. Sincera haec mulier in suo familiari dialogo Iacobum Patriarcham titulo patris exornat: « patre nostro Iacob ». Quod, quam sit impossibile, ex ipsis huius Samaritanae verbis evincitur: « Non enim coutuntur Iudaei cum Samaritanis ». Iudaei perpetuo divortio a Samaritanis separantur. Quamobrem cum Iacob fuerit natione Iudaeus, et Iudaeorum patriarcha, quomodo potuit esset pater Samaritanorum! Potuit esse, respondet sagax femina: Pater noster est Iacob: « Patre nostro Iacob ». Cuius rationem eximiam adnectit: « Qui dedit nobis puteum ». Iacob nobis insigne beneficium praestitit, dum pro nostra utilitate, et sustentatione hunc puteum reliquit; ille autem, qui benevolo studio aliorum emolumento insudat, meretur honorificum titulum amantis Patris: « Erat pater », commentatur eminentissimus Hugo, quia beneficia Iacob experti erant »: Plus isto Albertus Magnus: « Tamquam bonus pater optimas aquas filiis procurabat » Iacob proinde pater erat, et bonus quidem Pater Samaritanorum, utpote quibus de tam fluida, dulcique scatebra prospexit.

2715. Scisne mi christiane, cur S. Iosepho gloriosissimus titulus patris Christi obtigerit? Et non qualiscumque patris, sed patris singularis? Audi S. Bernardinum. Observat Seraphicus iste praedicator nativa sua subtilitate, quod virginum Virgo unica dumtaxat vice suum Sponsum tam magnifico titulo insignierit: « Vocat eum singulariter patrem Christi... hic solum ». Sed quando ei tam nobile praedicatum attribuit? Tunc nimirum, quando liquefactis praecordiis condoluit duodeni Salvatori perdito: « Dolentes quaerebamus te ». Nam qui tenere Christo compatitur, abunde testatum facit hoc ipso affectu, se paterna viscera erga hunc Dominum retinere: « Sensus doloris, quem habuit de Iesu perdito, verum in eo monstravit patris affectum » concludit gloria Italiae. Plus isto dixerat Abbas Rupertus: Fuit Ioseph pro Iesu pater optimus, pater ex omnibus, quos habere potuisset, optimus: « Ut ipse fuerit infantulo pater optimus ». Cur hoc? Quia sustentabat Iesum in sudore sui vultus, et fatigio laborum manualium: cuius solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur. Ille autem, qui tam benigna sollicitudine Christi necessitatibus consulit, optimus pater divini huius Domini praedicari meretur. « Pater optimus ».

2716. Cernis nunc Christiane! patulam ianuam, qua cum S. Iosepho possis intrare ad reportandum gloriosum titulum patris Christi, cuius naturalis genitor solus Deus

Digitized by Google

est. Itaque si volueris, nihil prohibet, quominus et tu pater Christi singularis nuncuperis pater optimus Christi. Sed quomodo istud fieri poterit? Si impendio studueris pauperibus misericordiae viscera exhibere, in quorum egestate Christus vividissime repraesentatur. Etenim ille, qui ex amore Salvatoris nostri pauperem sustentat, Christum pascit: qui inopum nuditatem tegit, Christum vestit: qui calicem aquae egeno porrexerit, Christum refrigerat aqua dulci, quemadmodum Iacob Samaritanam refrigeraverat, quae si ob hanc causam eum patrem suum vocitat, ob eandem rationem Christus patrem suum nominabit illum, qui charitate munifica eleemosynas dispertit. Et sicut hoc magnifico titulo S. Iosephum insignivit, a quo tanta devotione, amore, et teneritudine alitus fuit, ita et tu quoque, mi Christiane! quisquis demum haec audis, nihil dispari felicitate beaberis, si parili conatu insudaveris pauperum solatio, egenorum alimoniae, mendicorum sustentationi procurandae, quo studio tantam a Deo promereberis gratiam, ut eodem, quo S. Iosephus claruit, tu quoque titulo sis nuncupandus pater Christi singularis, imo et pater optimus. Tu autem o felicissime Sancte! O praeclarissime consors nobilissimae Sponsae! Electe pater maximi Filii! Gaudeas in coelo hac geminata tua adorea; cumque ineffabilem potentiam ab illo Domino obtinueris, cui tanta fidelitate te in omnibus morigerum probasti servulum, quem tanto amore tibi demeruisti, eum assiduis interpella precibus pro devotis tuis famulis. Effice tuis potentissimis precibus ut divina misericordia nobis veniam peccatorum concedat, largiaturque supremam quamdam corporis, et animae puritatem, ac fervidam, flagrantemque charitatem erga nostros proximos cum locupletissimis aliis augmentis divinae gratiae, quae est pignus securum gloriae, ad quam nos perducat Beatissima Trinitas. Amen.

Concio XIV.

2717. Non minus mysteriis abundantem, quam admirandis prodigiis radiantem concursum sagaci attentione hodierna die observo, in qua universalis Ecclesia festivitatem celebrat S. Iosephi, qui est abyssus prodigiorum, et mirabilium, Cherubin formosissimus, fulgido gladio animatum paradisum Iesu, et Mariae defendens, Seraphin inflammatus incendiis coelestibus, phoenix inter praelatos omnes, quibus sors bonos unquam subditos, aut optimos omnium tradidit: « Erat subditus illis ». In Evangelio diei labentis offerunt se nobis palmae gloriosae, quibus instructa devotae plebis agmina Regem gloriae salutarunt: « Acceperunt ramos palmarum ».

2718. Erit fortassis nonnemo, qui rem fortuitam arbitrabitur, quod hae spectabiles solemnitates in unam diem conveniant. At ego longe altius prospicio, et haud vulgare mysterium divino. Quorsum ergo tot palmae in festo S Iosephi. Ego quidem mihi habeo persuasum, hoc esse signum quoddam coeleste, quo erudiamur, solum S. Iosephum prae omnibus aliis palmam reportasse. Hic autem tanquam rem certam praemitto, non dari creaturam aliquam rationalem, quantumcumque ea sit stolida, et inscia, quae non nativo feratur desiderio ad reportandam magnificentiam palmae, vel ad assequendam palmam magnificentiae: « Ascendam in palmam » dixerat olim quaedam anima sancta, ut dulcissimis eius fructibus me saturare queam: « Et apprehendam fructus eius ». Neque enim illi, qui virtutum, et perfectionis studio dediti sunt, carent cupiditate conscendendi palmam, eiusque fructibus se onerandi: « Ascendam ».

2719. Verum licet perplures sint, qui validis suspiriis ad palmam anhelant, pauci tamen sunt, ac perrari, qui eam obtinent. Omnes, clamat vas electionis, qui huius mundi stadium decurrunt, bravium reportare satagunt, sed novercante fortuna plerique excluduntur, et unus dumtaxat ad illud recipiendum admittitur: « Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ». Et quid vult dicere haec obscura vox bravium? Palmam, respondet Sedulius citatus a glossa: « Bravium erat lamina argentea ad modum palmae ». Sed licet omnes alipede cursu ad hoc munus reportandum contendant: « Omnes quidem currunt », unus tamen solus illis ceteris praeripit: « Unus accipit ».

2720. Atque hunc felicem unum, aio, fuisse S. Iosephum; quae opinio in hodierno fundatur Evangelio, quod S. Iosephum singulari elogio iusti cohonestat: « Ioseph autem... cum esset iustus ». Cum vero iustus ad instar palmae efflorescat: « Iustus, ut palma florebit », ex iustitia nostro S. Patriarchae palma debetur. Hoc erit thema meae concionis, in qua me per varias mei Sancti praerogativas effundam, ad eius honorem, et totius SS. Trinitatis gloriam, si tamen solitis suae gratiae favoniis sermonis mei cymbulae aspiraverit divina eius Sponsa, a qua omnis processit gratia: « Ave Maria ».

2721. Victricem palmam reportare, res est in mundo plausibilis, ac singularis favor coeli reputatur:

Plauditur et magno palma favore datur,

Digitized by Google

cecinit eleganter Ovidius. Olim palma victoribus dumtaxat cedebat in signum illustris cuiusdam victoriae, unde idem erat aliquem famae praeconio victorem proclamari, ac virentem palmam eius manibus inseri: Palmam dare alicui, id est, victorem fateri. Idem erat in famigeratis Heroibus se coronare victoriis, ac liventia tempora sertis palmarum redimere. Veritas sane palmaris, cuius luculentum ectypon in hodierno Feriae Evangelio expressum videmus. Festiva illa turba, quae denso agmine latus Salvatoribus affectabatur, undique palmas congessit, quas eius manibus imponere parabat. « Acceperunt ramos palmarum ». Sed cur? In signum victoriae, respondet doctus Euthymius. In argumentum inclyti triumphi, quem Salvator noster adornabat. Gloriosus siquidem triumphator ex iustitia sibi vindicat palmam. O quot triumphos licet in S. Iosepho admirari! Prodigiosus hic Sanctus triumphavit de omnibus creaturis. Triumphavit de morte quae omnes vincit. Triumphavit de Omnipotente Triplex iste triumphus ex iustitia nostro Sancto Patriarchae: « Cum esset iustus » tres etiam gloriosas palmas erigit, vel si mavultis, unam palmam gloriae duplicis. Discurramus.

2722. Ex singularibus privilegiis, et praerogativis, quibus divina largitas S. Iosephum abundantissime cumulavit, istud nequaquam in postremis recenseri debet, quod fuerit electus pro angelo custode Regis, et Reginae Angelorum: Ioseph custos Virginis, et nati ex ea Filii » ait Abbas Rupertus. « Custos fuit Virginis, et Christi » scribit S. Isidorus Isolanus, ut eius intuitu omnes creaturae se victas agnoscere debeant, licet eae sint ex supremorum Angelorum hierarchiis, et elegantissima divinae manus opera, in quorum comparatione etiam ille parvus est, qui maximus est inter natos mulierum. Post gloriosum illum triumphum, quem Redemptor noster in deserto de stygiis phalangibus reportaverat, video frequentes angelos ad inclytum hunc appropinquari victorem, ei paeana admodulaturi. Sed quomodo illi accesserunt? Eleganter S. Matthaeus: « Ecce angeli... ministrabant ei ». Accesserunt tanquam ministri eius, accesserunt eius obsequiis devoti. Animadvertite auditores! S. evangelistam non dicere, eos ad suum Monarcham pervenisse tanquam custodes, sed tanquam ministros. Unde etiam non ait: « custodiebant » sed « ministrabant ». Nec citra rationem. Etenim licet angeli illi essent ex altissima spirituum classe, suo tamen Regi famulari poterant, nullus tamen eorum tantam gratiam assecutus est, ut eius custos diceretur. Ut sciamus, licet celsissimis quibusdam coeli principibus competat Christo inservire: « ministrabant », nullum tamen ad hoc culmen evectum fuisse, ut eius angelum custodem ageret.

2723. Plus. Dum S. Matthaeus angelos in Christi ministerio occupatos commemorat, utitur adverbio « ecce », quod in trita Scripturae phrasi nota est admirationis: « ecce angeli ». Tanta siquidem magnificentia est servire Creatori creaturarum, ut eius gloria non solum habeat plurimum excellentiae. sed etiam admirationis: « ecce ministrabant ». Quod si tanta gloria est servire Deo, quanta non erit eum custodire? Vel, si servire Deo regnare est, quid erit Deum custodire?

2724. Huius lucis rutilo fulgore illustratur profunda illa Spiritus S. sententia « Qui custos est Domini sui, glorificabitur ». Obscurum sane oraculum, quod mihi non satis est pervium. Patet namque Deum liberali gloria homines clarificare, quin isti divinum suum largitorem custodirent; atque iterum, Deum quidem glorificare angelos, istos autem nequaquam esse Dei, sed hominum custodes. Unde consequitur homines, et angelos citra ullum custodiae respectum posse, et debere glorificari. Quaenam igitur erit illa tam peculiaris gloria, quam promittit Deus illi, qui vigili excubia divinum suum Dominum custodierit? « Qui custos est Domini sui, glorificabitur ». Nihil de illa Salomon definite loquitur. etsi eloquentia, et sapientia affluueret. Tam praecelsa namque est gloria illius, qui summo privilegio custos Dei fieri meruit, ut nulla suada quantumvis diserta, eius magnitudinem digne enarraverit. Itaque cum S. Iosephus sit unicus ille ex angelis, et hominibus ad tantum munus electus, quanta non erit eius gloria?

2725. Aggrediamur tamen hanc ineffabilem gloriam secundum virium nostrarum tenuitatem explicare; quod ut aptius a nobis perficiatur, eam ex mente praestantissimorum duorum doctorum (vatis nimirum Hussaei, et Magistri Angelici) accurata bilance trutinabimus. Itaque, iuxta doctrinam Speculi patientiae, Deo accedit incomprehensibilis quaedam magnificentia ex eo, quod custos sit hominum: « O custos hominum », quae sane gloria non debet limitata, et finita credi, sed infinita prorsus, et immensa, cum nihil in Deo detur finitum, ac limitatum, et quaevis perfectio divina sit immensa, et sine termino. O magne proinde Iosephe! Quanta non erit magnificentia tua, qui inusitato privilegio custos Dei esse meruisti: custos Christi, cum ipse Deus infinitae gloriae materiam credat agere custodem hominum: custos hominum.

2726. Iam tamquam humiles discipuli Angelicum Magistrum audiamus. Inquirunt sollicite theologi, utrum Christo suus fuerit

Digitized by Google

angelus custos? Et reapse non desunt tres praegnantes rationes, quae istud asseverare suadeant. Harum prima est, quia Christus erat verus homo, unde deducitur, eum, qui nihil ab aliis discretum, in angelo quoque custode cum tota generis humani serie collusisse. Secunda a regibus terrae desumitur. Regalis namque maiestas, ut in suo fulgore sarta tectaque perseveret, milites, et satellites praecipuos requirit, quorum indefessae custodiae regia persona protegenda concreditur. Hinc infertur, pariter et Regem gloriae sua pro custodia coelestes habuisse milites. Tertia, quae et prioribus efficacior, haec est. Homines, ex mente S. Thomae, habent angelos custodes ob frequentissima pericula eorum vitae imminentia, atque ob laqueos copiosissimos, quos irremissa orci malitia eorum saluti, et incolumitati undique praetendit. Cum autem nullus hominum fuerit, quem coniurata inimicorum rabies tam infeste exagitasset, quam Dominus Noster Iesus, utpote quem daemones persecuti sunt in deserto, homines vero daemonibus longe crudeliores eum tentaverunt in frequentissima populi corona, nunc fraudulenta hypocrisi, nunc veteratoriis, et diabolicis fictionibus, nunc male consarcinatis, ac sophisticis dilemmatibus, nunc his, nunc aliis scelestis imposturis, ac vesanis machinationibus, sive captiosis cuniculis, itaque videtur ei necessario concedendus angelus custos, qui tot tantaque discrimina instanter abigeret.

2727. Nihilominus tamen sol Theologiae S. Thomas negative respondet ob rationes excellentissimas, et tanto Doctore nihil indignas. Ait enim, Christum, in quantum hic homo erat, Verbo divino rectum, et gubernatum fuisse, adeoque angelo custode opus non habuisse: « Quod Christus, secundum quod homo, immediate regulabatur a Verbo Dei ». Magna profecto ratio! Quis namque non videat, quantum sit inconveniens, si creatura aliqua, cuiuscumque demum ea sit excellentiae, ac perfectionis, eum custodiat, qui immediate Deo gubernatore, et custode suo gaudet! Cur igitur eum custodit S. Ioseph? Ideo nimirum, quia beatissimus iste nutritius suis privilegiis, et praerogativis superat etiam quasvis creaturas excellentissimas. Auditores mei, obstupescite, quaeso, tantam nostri Sancti magnificentiam! ac laudate bonorum omnium largitorem Deum, qui tantis charismatibus Sanctum hunc Patriarcham cumulare voluit! Exultate, devoti clientes S. Iosephi, et inter festivos iubilos exclamate: Qui custos est Hominis Dei, aut est ipse Deus, aut S. Iosephus! Privilegium eius est, quod non dabitur alteri.

2728. Secunda, quae a D. Thoma praetexitur ratio, adhuc est profundior: irrefragabile siquidem est, Christum fuisse omnibus angelis superiorem, unde fieri non potuit, ut angelum custodem haberet, cum ratio tutelae certo quodam modo in suum clientem superioritatem designet: « Non debebatur ei angelus custos tamquam superior, sed magis minister tamquam inferior ». Assistebant proinde angeli suo Regi et Principi tamquam ministri, et subditi, non vero tamquam custodes, et praelati. Ex quibus verbis forsitan quis inferet hanc consequentiam difficilis solutionis: ergo si S. Iosephus singulari privilegio custos Christi esse cognoscitur, fatendum erit, eum aut esse superiorem Christi, vel superiorem Christo. Ast perperam, neque enim istud ex praemissis deducitur, nam quod ex illis infertur, istud est, quod in S. Evangelio legitur: « Erat subditus illis ». Christus erat subditus S. Iosephi: « Erat subditus ». Concludet aliquis: ergo erat inferior S. Iosepho? Minime gentium. Ergo saltem S. Iosephus erat superior Christo? Sed neque istud eruitur. Quod ut clarius evadat, et ad oculum pateat, adducam vulgare aliquod, et ubique obvium exemplum, cuius lumine praesens materia mirifice illustrabitur. Pone tu mihi aliquem Superiorem nec in pietate, nec in litteris undequaque perfectum. Finge deinde huic Superiori parere viros maximos verbi gratia: S. Bonaventuram, Scotum, Alexandrum ab Ales, S. Thomam Aquinatem, atque hi omnes, utut pietate, et litteris inclyti, erunt quidem subditi illius Praelati, non tamen erunt illi inferiores sive virtutem spectes, sive sanctitatem, aut doctrinam, in quibus dotibus suum Superiorem multis parasangis antecedunt. Ast licet in S. Iosepho non reperiatur talis superioritatis ratio respectu Christi, summa tamen alia quaedam excellentia respectu aliarum creaturarum in ipso detegitur, quae in hoc consistit, quod gloriosissimo huic Patriarchae ille subditus fuerit, cui cum amplissimo gloriae, et honoris auctoramento sunt, fuerunt, eruntque subditi omnes homines, et angeli, Throni cum Dominationibus, Cherubini cum Seraphinis. Custodia S. Iosephi extendebatur in supremum illum, et divinum Monarcham, qui divina sua providentia ab innumerabilibus calamitatibus, et miseriis omnes creaturas custodit. O admirabilis in Sanctis tuis Deus! Qui licet talis sis in ceteris, in tuo tamen S. Iosepho, quem tot gratiarum, et favorum divitiis locupletasti, plus quam admirabilis appares! Etenim eius subditum agere non dedignaris, ad cuius favoris ineffabile culmen ne ipse quidem angelicae militiae signifer aspirare potest.

2729. Ceterum angeli custodis muneri nihil se imparem S. Iosephus factis decla-

Digitized by Google

ravit, utpote, qui Christum, secundum mellifluam observationem S. Bernardi, non solum pro se, sed etiam pro toto mundo custodivit: « Christum, panem vivum, servavit sibi, et toti mundo ». Servavit eum ab inclementia rigentis hiemis, quando mellitum pusionem paupere palliolo involvit, fovitque. Servavit eum a lacrymis, quas frequentioribus rivulis ob nostra crimina teneri distillabant oculi, iam eas abstergendo, iam eas suavi cantione mulcendo. Servavit eum a ferocientis Herodis tyrannide, brachiisque complexum in Ægyptum asportavit. Servavit denique ab incursionibus ferarum, et latronum, quorum infestae grassationes viarum itinera obsident, ad quos propulsandos extraxit gladium tamquam coelestis Custos, ut conservaret vitam illius, qui est vita omnium suarum creaturarum. Et quis nunc ibit inficias, S. Iosepho ob tot rationes ex iustitia palmam deberi? « Cum esset iustus ».

2730. Hanc certe meretur, quod mucronem strinxerit ad defendendam Dei nostri vitam. Nam si palma suis foliis mentitur, imitatur volebam dicere, gladiorum formam: « Palma spatulas habet pro foliis » uti dixit celebris ille Albertus Magnus, oportebat sane, ut praeclarum folium Iosephini gladii se transformaret in palmam. Cherubim, cuius tutelae demandata fuit Paradisi defensio, gestabat in manu rhomphaeam: « Cherubim, et flammeum gladium ». Cherubini autem illi, quos custodiae magnificentissimi templi Rex Salomon praeposuerat, deferebant in suis manibus fulgidas palmas; « sculpsit Cherubim, et palmas ». Ita, ut ille quidem teneret gladium in palmam transformatum, isti vero palmas cum foliis gladium adumbrantibus: « spatulasque palmarum » ut dicitur Levit. XXIII. Ille namque, qui gladio in manu invigilat custodiendo paradiso a Deo plantato, aut qui excubias agit coram sacro templo, in quo Deus ipse versatur, ex iustitia palmam meretur.

2731. Atque Cherubim ille sapientissimus non erat aliud, quam sanctus, et iustus noster Ioseph: « Cum esset iustus » qui extraxit gladium zeli ad custodiendum Christum, coelestem, et divinum paradisum, templumque vivum divinitatis. Quis igitur huic iusto praesumet denegare palmam? Praeceperat antiquis divina Maiestas, in controversiis et litium disceptationibus illi palmam largiri iustitiae, qui iustus esse, comprobatus fuisset: « Quem iustum esse perspexerint, illi iustitiae palmam dabunt ». Sapientissimi auditores! vobis in proposito meo iudicii arbitrium committo. Estne iustus S. Ioseph? Hoc asseverat Evangelium. Extraxitne tamquam iustus gladium ad defendendam Christi vitam? Nemo hoc ignorat. Itaque citra controversiam ei ultro palmam adiudicare debetis, quam non ex gratia, sed ex iustitia sibi vindicat: « Illi iustitiae palmam dabitis ».

2732. Neque minor S. Iosepho palma debetur tamquam Cherubino sapientissimo. Etenim, ut notavit S. Bernardinus, profundissima cognitione comprehendebat illum Dominum, quem inter ulnarum nexus suavi pondere complectebatur: « Habuit erga eum... radiosissimam fidelitatem ». Magnus eius intellectus radiis quibusdam coelestibus illustrabatur, quorum subsidio tenerum illum infantem agnoscebat immensum, et potentem Deum esse: « In omnibus quae videbat in bono Iesu, contemplabatur altitudinem divinae immensitatis ». Forma quidem exteriore videbat puerulum parvum, intus autem clarissime perspiciebat Deum magnum, et aeternum. Illi qui festivo triumpho hodie Salvatorem nostrum comitati fuerunt, palmas in manibus suis gestabant: « Acceperunt ramos palmarum » quas ob insignem sapientiam eos promeruisse affirmat aureus Doctor S. Ioannes Chrysostomus, eo quod Christum reputarent magnum Prophetam, aut magnum Regem: « Quoniam maiorem, quam de Propheta opinionem habebant: nempe et magnum Prophetam, insuper et Regem ». Ille autem, qui tam sublimi sententia de Christo iudicat, qui tam magnam de eo opinionem format, in manibus quasi tenet gloriosam palmam: « Acceperunt ramos palmarum ».

2733. Nolo hic applicationi immorari, ut magis tempestive ad meloda carmina perveniam, quibus S. Iosephus salsos lacrymarum rivulos, quos divinus puerulus ob nostra piacula ubertim profundebat, a nitidis illis oculis abstersit. S. Vincentius Ferrerius non absurda coniectura autumavit, divinum infantem tunc in primos fletus resolutum fuisse, cum se vidisset inter horrentia bruta medium iacere: « Dum fuit positus inter animalia, flevit ». Nullus admiror; res enim omni est dolore dignissima, si sapiens aliquis, et talis sapiens ab irrationalibus brutis se videat circumdatum. Itaque ne largiori imbre neonatus pusio diffluerat, Virginea Parens eum in candida brachia sustulit, ac maternis blanditiis protuberantes stillulas repressit: « Quantum stetit in manibus Virginis, non flevit ». Alterna deinde veluti vice adorandus infans a purissimis Immaculatae Virginis manibus transiens se in lacertis S. Iosephi reclinari passus est, a quo coelestibus canticis, quae pro solatio vagientis pueruli ferventissima poterat excogitare devotio, recreabatur. Unde si Evae planctum Mariae cantus exclusit, dulcisonum Iosephi melos desiccavit lacrymas Hominis Dei. Quo facto iterum ex iustitia palmam merebatur.

Digitized by Google

Nam si inter veteres liberali largitione ille palma donabatur (quae tamquam nobile brabeum in medio choraularum prostabat) qui arte musica ceteros excellebat: « In medio omnibus palmam esse positam, qui artem tractant musicam ». Quanto non iure victrix haec palma S. Iosepho deferri debebit, qui tamquam coelestis quidam Orpheus puerum Deum meloda voce exhilarabat? Detur itaque sua victori palma, quam ex iustitia sibi vindicat: « Cum esset iustus ».

2734. Ad hanc eandem palmam promerendam nos quoque pervenire valemus, si nostras excubias huic vigili custodi iunxerimus, Christumque servaverimus. Quis enim te prohibet, custodire Christum in corde tuo, aut servare in anima tua? Hoc fac proinde, et insignem palmam tutelaris angeli Christi reportabis. Noli divinum hunc thesaurum ex tuis brachiis dimittere, antequam eius benedictione ditatus fueris, ut Sanctum Iacob fecisse constat. Noli eum in quacumque sortis vicissitudine relinquere, licet eum videris aedes matris tuae ingredientem. quemadmodum de anima illa in Salomonis Canticis legitur. Atque si tanta industria ei custodiendo invigilaveris, audacter polliceor, te nequaquam tua palma frustrandum. Extrahe gladium zeli, eoque honorem Christi defensa, sicubi videris ei virulentis linguis vel malorum christianorum, aut infidelium paganorum vim inferri, tunc te murum oppone, ac sonoris laudibus, et festivis praeconiis resarci malevolentissimarum linguarum sacrilegas contumelias, quod si feceris, aliam rursus palmam obtinebis ex Dei gratia, cum aliunde eam non promereri queas ex iustitia, qualiter eam sibi vindicavit S. Iosephus, quia fuit angelus custos Christi: « Cum esset iustus ».

2735. Neque segnior custos fuit S. Iosephus vitae, et honoris suae sanctissimae sponsae Mariae. Auditores mei! Cur creditis eum huic Dominae sponsali foedere copulatum fuisse? Respondit S. Hieronymus: « Ne lapidaretur a Iudaeis tamquam adultera ». Videtis nunc, quomodo hoc inaestimabile depositum custodierit a crepitante lapidum turbine, quorum immitis acies jam iam eius vitae innocentissimae perniciem arcessebat. Custodivit eam deinde etiam a semetipso cautissima solertia, ne quid eius honori praeiudiciosum umquam diceret, cogitaretve. Ad quod comprobandum famigeratum illum, licet nunquam satis celebratum casum in medium proferamus, quando dulcissimam suam Mariam divina sarcina vidit oneratam, et secretis Dei iudiciis praepeditus grande Incarnationis sacramentum, quod in aureo illo divinitatis sacrario conficiebatur, pervidere nequivit. In hoc igitur casu, dum sacrum inter et saxum haereret, quid putatis? Forsitan probatissimam suam sponsam de adulterio insimulavit? Nihil minus. Forsitan mala saltem suspicione eius honori iniquior fuit? Neque istud. Ast quomodo hoc sibi persuadere potuit, qui irrefragabilia laesae fidei argumenta in recenti sua coniuge observabat? Ex nativa sua, qua pollebat, iustitia: « Cum esset iustus ». Iusti enim maxima cum difficultate de aliis malum iudicium formant, etsi patentissima signa, et indicia eos ad hoc quasi violenter pertrahant.

2736. Egregiae illae sorores, de salute fratris sui Lazari sollicitae, coelestem archiatrum misso nuntio totam invaletudinis seriem edocent. Respondit Dominus: « Infirmitas haec non est ad mortem ». Fausto hoc Mercurio exhilaratae sorores affatim gestiunt, quamquam breviori, atque optassent, gaudio tripudiaverint, cum inopino letho Lazarum sublatum suismet oculis mox viderint, fleverintque. Sepelitur itaque praematurum funus, elapsoque ab eius inferiis quatriduo, tandem Dominus ad luctuosam domum pervenit, uti a plorantibus, et gementibus sororibus, non sine testatissimi extremi doloris indiciis exceptus fuit. Quaero nunc, utrum flebiles illae mulieres, nullum tunc malum iudicium de Domino conceperint? Non conceperunt, imo ne ad suspicionem quidem sinistram pervenere: « Sorores illas admirari est, quod... sine mendacii suspicione ad Dominum adierint » ait eloquentissimus ille Basilius Seleucus. Sed qua ratione efficere potuerunt, ut non suspicarentur Christum eis mendacio illusisse, cum apertissima experientia cernerent, quantum verba a rebus promissis distarent? Numquid non audierant Dominum asseverantem, Lazarum nihil sinistri perpessurum? Maxime. Numquid ergo non viderant fraternum corpus exanime? Imo, et sepelierunt. Quomodo igitur non suspicantur, saltem Dominum datae fidei excidisse? Quia mulieres illae erant sanctae, et virtutis studio deditae. Tales autem, qui sanctitatis curam gerunt, non suspicabuntur, multo minus malum de aliquo formabunt iudicium, etsi huius rei patentissima argumenta suppetere videantur.

2737. Doctus Celada, dum de hac materia sermonem haberet, profundam quamdam sententiam protulit: « Usque adeo insuspicabile illis fuit, Christum posse falli, aut fallere, ut facilius censerent, mendacium esse verum, quam Christum mentiri potuisse ». Memorabile dictum! Quis enim nesciat, quam sit impossibile, quod mendacium veritatis aliquid habeat? Quomodo igitur prudentes illae feminae taliter ratiocinantur? Naturali scilicet pietate sua ad hunc sensum inducebantur; ille enim, qui revera iustus est, prius iudicabit rem impossibilem esse possibilem,

Digitized by Google

quam ut sinistra suspicione alterius existimationem impeteret.

2738. Atque hoc est ipsissimum, auditores! quod cum S. Iosepho evenit, dum sanctam suam Sponsam gravido utero tumidam cerneret. Tunc enim se in probitate declaravit consummatissimum: « Cum esset iustus », neque fallaci oculorum experimento quidquam tribuit, ob ineffabilem aestimationem, quam de incomparabili sanctitate magnae Reginae nostrae conceperat. Equidem cor eius turbulenta quaedam erat palaestra, in qua diversorum affectuum aestus internecina pugna mutuo digladiabantur. Hinc quidem signa adulterii patebant apertissima, isthinc vero exploratissima Sponsae integritas huius flagitii ne suspicionem quidem admittebat. Quoniam autem res explorata longe arctius sibi mentem devincit, quam illa, quae signis tantum quibusdam et communiter mendacio obnoxiis magis divinatur, quam cognoscitur, inde fiebat, ut sponsae suae sanctitas ei esset inconcussa.

2739. Non tamen propterea victas manus porrigebat imaginatio, quae subdolo ratiocinio opponebat quemdam sillogismum, specie quidem exteriori invictum, re ipsa tamen non in Barbara, sed in Celarent fabricatum huiusmodi formae: Maria tua sponsa est gravida; atqui tu Ioseph non habuisti partem in eius graviditate: ergo tua sponsa Maria commisit adulterium. Nihil hoc sophistico argumento turbatus S. Ioseph generosiore mente tunc paralogysmum resumpsit, eique ita obviavit: Maria tua sponsa est gravida, concedo maiorem: atqui tu Ioseph non habuisti partem in eius gravididate, concedo minorem: ergo tua sponsa Maria commisit adulterium, hic demum Ioseph: Nego, pernego, et millies, milliesque infitior hanc consequentiam. Deinde sacrae cuiusdam impatientiae aestro percitus strinxit gladium zeli, ac in favorem Virgineae suae Sponsae singulari subtilitate, soliditate, et energia captiosum hoc argumentum dissolvit. Quid, ait, egone purissimam illam Mariam, adulterio impiatam existimem? Absit a me tam sacrilega suspicio, prius namque credam fulgida sidera frustratim in terram cecidisse, quam tantae iniquitatis maculam in meam sponsam. Prius credam, coelos esse immundos, quam ut dubitem de munditie huius purissimae creaturae. Prius credam lucem esse tenebras, ignem gelu, album nigrum, mendacium veritatem, peccatum gratiam, privationem formam, mortem denique prius mihi persuadebo esse vitam, quam ut suspicioni alicuius culpae consentiam adversus tantum sanctitatis abyssum. Non quidem ignoro, rem esse impossibilem (secundum naturalem ordinem) ut femina aliqua, salva virginitatis integritate, foetum concipiat. Ast licet hoc probe teneam, citius tamen omnia impossibilia reputabo facta fuisse possibilia, quam ut ad mentem meam inducam, hanc Dominam cum detrimento sui virginei floris uterum ferre. Nam etsi in illa pateant signa quaedam adulterii, ea tamen nihil plus sunt, quam vacua signa. Oculi autem si voluerint adulterium comprobare, se potius mendacii arguunt. Ultimo, si omnes sensus clamaverint, fractam ab illa esse fidem matrimonii, ego omnes sensus calumniae damnabo.

2740. Sic ratiocinabatur iustitia in S. Iosepho, sic argumentabatur pietas, sic discurrebat charitas, et discurrebat admirande. Quod si enim S. Basilius admirabilem arbitretur virtutem Marthae et Mariae, quae nihil sinistri de Domino sunt suspicatae, cum viderent fratrem suum Lazarum praeter oraculi fidem alium exitum habuisse: « Admirari est, quod sine mendacii suspicione ad Dominum adierint ». Quis non affirmabit, virtutem esse omni admiratione maiorem, tunc temporis bonam opinionem formare, quando tot argumenta suppetunt ad suspicionem malam? Admirari est.

2741. Vultis nunc scire Auditores, quodnam sit maximum miraculum a S. Iosepho effectum? Illud ipsum plane est, de quo nobis hic sermo Doctor Angelicus vocat Venerabile Eucharistiae Sacramentum maximum inter grandia miracula a Christo facta: « Miraculorum ab ipso factorum maximorum ». Cur hoc? Equidem multis vicibus in meis concionibus hoc punctum tango, non possum tamen a me impetrare, quin illud denuo sub novo quodam conceptu attingam. Cur itaque istud maximum miraculum dicitur? Est ob id, quod in illo credunt, et iudicant fideles. Libet hoc clarius exponere. In augustissimo hoc Sacramento credit firmiter anima contra id, quod sensus tangunt, et percipiunt. Oculi siquidem in hoc sacramento perspicue vident panis, et vini accidentia, sed nec credit, nec iudicat fidelis anima ibi panem, et vinum existere. Gustus percipit fragrantiam, et suavitatem substantiae vini, dum divinum sacramentum recipit, sed pariter iudicat et credit anima firmissimo assensu, quod in Sacramento sit in nihilum redacta, vel quod ibi non detur substantia vini. Posse autem mentem humanam eousque provehi, ut reclamantibus visu, gustu, et odoratu, aliud credat, quam sensus animales exhibent, maximum procul dubio est miraculum, quod in suis fidelibus omnipotens brachium Domini Nostri Iesu Christi operatum fuit: « Miraculorum ab ipso factorum maximum ».

2742. Singulare hoc, et maximum miraculum, auditores! est idem, ac certe simillimum

Digitized by Google

illi prodigio, quod S. Iosephus candido suo patravit iudicio. Ob quod ei debetur palma ob misericordiam. Devoti illi homines, qui triumphalem Salvatoris nostri ingressum hodie comitabantur, ex observatione Caietani, ramos palmarum, et olivarum in suis manibus portabant: « Alii ramos olivarum »: Ioannes adiungit: « palmarum ». Est autem oliva symbolum misericordiae. Unde deducitur, eum in sua manu palmam praeferre, qui ad manum habet misericordiam. Simus proinde nos quoque misericordes in iudicandis proximis nostris, qualem se exhibuit S. Iosephus, eorumque facta lance pietatis, et misericordiae libremus, quod si fecerimus, indubie palmam iustitiae reportabimus, sicut eam reportavit Sanctus noster: « Cum esset iustus ».

2743. Secundus triumphus S. Iosephi consistit in eo, quod invictam hactenus indomitamque mortem, quantum ad eius effectus, perfecte vicerit, domueritque. Efferus iste, et inexorabilis tyrannus continua de nobis erigit trophaea, devictaque corpora in cinerem, et pulverem convertit. Elusit itaque eius truculentam ferociam noster Sanctus, quod non incorrupta solum anima, sed etiam incorrupto corpore victor aetherea conscenderit subsellia. Privilegium sane rarum, quod sine controversia non conceditur alicui sancto, cuiuscumque ille demum meriti fuerit. Quae tam certa veritas est, ut ingenti ostento coelesti a Deo comprobata fuerit. Accidit enim, ut in hac eadem festivitate, quam hodie celebramus, S. Bernardinus Senensis ad frequentissimam concionem verba faceret, qui cum publice protestatus fuisset, sanctum Iosephum cum corpore, et anima immortali gloria potiri, protinus, o insigne prodigium! crux aurea, splendidaque de coelo descendit, cunctisque spectantibus eius vertici insedit, ut tam mirifico portento apertum fieret, quam exacte veritati concinat, quod apostolicus ille praedicator de S. Iosepho dixerat.

2744. Atque haec quidem gloria nostro Sancto debebatur duabus ex causis. Quarum prima est, quod virginalem integritatem suam nulla umquam pudoris corruptione vel levissime violaverit. Altera est, quod tamquam singulare virtutum prodigium in mundo conversatus fuerit. Incipiamus ab hoc ultimo. Apocalypticae illae mulieri datae sunt duae alae aquilinae, quibus adiuta desertum coeli involaret: « Alae duae ». Et quaenam fuerunt illae alae? Multi multa de istis commentati sunt. Glossa tamen interlinearis ait, eas esse duas vitas: « Duae alae sunt duae vitae ». Quarum una est vita animae, secunda autem est vita corporis. Quid itaque? Ergone illa mulier duplicem in coelis vitam, spiritualem scilicet, et corporalem sortita est? Omnino, sed non immerito. Cum enim insignis illa femina esset magnum quoddam coeli prodigium: « Signum magnum », conveniebat sane, ut duplici corporis, et animae gloria in coelo perfrueretur. Nam qui in hoc mundo existit virtutis prodigium, merito in aeternitate cum corpore, et anima glorificatur. Ast quod maius virtutis prodigium, excogitari posset S. Iosepho? Certe, vidimus, ingens fuit charitatis miraculum neque inferius prodigium, in quantum angelus custos Iesu, et Mariae. Iudicate iam, Auditores mei, quaenam sit eius in gloria conditio! Illic sane triumphat cum corpore et anima, quo duabus alis corporis et animae tamquam coelestis aquila pervolavit: ibidemque fruitur duplici vita animae nimirum, quam cum omnibus aliis sanctis communem habet, et corporis, quae ei in divina ac inseparabili societate Iesu et Mariae est peculiaris.

2745. Alter titulus, propter quem decebat, ut S. Iosephus anticipato hac gratia afficeretur, erat coelestis eius puritas. Disquirit S. Thomas, utrum conveniens fuerit Christum a mortuis suscitatum cum corpore, et anima coelos conscendere. Et non sine magno acumine, ut in omnibus assolet, affirmative respondet, cuius assertionis hanc admirabilem affert rationem: « Quia locus debet esse proportionatus locato ». Itaque cum Christus post gloriosam suam anastasim ageret in mundo vitam omnis corruptionis expertem, apprime decebat, ut cum corpore, et anima in empyrea subvolaret regna, tamquam ad locum sublimiorem, et ab omni corruptione remotum. Iam paene proposueram hic ab applicatione supersedere, eam tamen pro mea consolatione, et pro devotione in nostrum sanctum penitus intermittere nequeo. Quae puritas potest esse tam nitida, ut cum puritate S. Iosephi comparari valeat? Respondeat pro me piissimus Isidorus Isolanus: « Amplius dixeram ». Plus, ait, dicam, quam hactenus dixi, ast quid dices, pater sanctissime? « Iosephi virginitatem fuisse nobiliorem, gloriosiorem, ac mirabiliorem, quam fuerit angelorum virginitas ». Quibus verbis maius nihil dici, cogitarive potest. Quod si itaque incorruptioni, et puritati locus suus incorruptus debetur in coelo, quid non debebitur huic viro, qui virginea puritate, et incorruptionis praerogativa angelicam etiam dignitatem transgressus est?

2746. Videtis itaque, quod D. Iosepho ex iustitia debeatur palma triumphi, quem a devicta morte, tamquam genuino fonte humanae corruptionis retulit. Palmas hodierna die in manibus portabant Hebraei: « Acceperunt ramos palmarum » quas manibus Domini inserere gestiebant. Nam sicut ingre-

Digitized by Google

dientis pedibus suas substernebant vestes, ita victricibus manibus certatim palmas ingerebant. Sed cur sanctissimas illas manus talibus volunt insignire trophaeis? Quia venerabantur Christum tamquam mortis triumphatorem, respondet prudentissime Euthymius. « Eum tamquam mortis victorem venerantes ». Sciebant siquidem, cuius potentia essent manus illae, quae paulo ante de mortis faucibus Lazarum eripuerant, atque a putore funebri, et tabe vermium liberaverant. Tales autem manus, quae mortem, eiusque effectum superant, ex iustitia gloriosam palmam merentur. Relinquo applicationem huius conceptus, cum haec aliunde sit quasi ad manum pro nostro iusto Iosepho: « Cum esset iustus ».

2747. Nondum hic sistit progressus victoriarum S. Iosephi, utpote qui ineffabili quodam modo ipsum etiam invictum Auctorem vitae vincere, ac Omnipotentem ligare novit. Quod ut clarius ab omnibus percipiatur, sciendum est, Dominum Deum exigente iustitiae suae divinae rigore, ac urgente culparum foedissimarum gravitate persaepe nobis negare gratias, ac favores, quos ab eo postulamus in remedium domesticarum miseriarum. Accedit proinde S. Iosephus, seque pro suis clientibus proxenetam interponit, eorumque libellos supplices repraesentat Illi, qui eum honorificentissimo Patris titulo donare voluit, ut vidimus in concione praecedenti, moxque desideratum supplicationis suae effectum consequitur, et coronatis abscedit desideriis. Non miror! Nam melliflua talis filii bonitas, et pretiosa tanti patris merita, quasi ex iustitia votis suis filium annuere cogunt.

2748. Aegyptius ille Pharao tantis honoribus est prosecutus suum charum Primatem Iosephum, ut detractum sibi annulum eius manibus imponeret: « Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu eius ». Sed quorsum Iosepho regalis ille annulus? Utebatur eo, respondet doctor Novarinus, in expediendis libellis supplicibus, et sanciendis decretis, quae hoc annulo obsignata tantum robur obtinebant, ut a nemine infringi possent, imo nec rex ipse quidquam contra opponeret: « Ut quaecumque a Ioseph signarentur, rata et firma haberentur ». Magnum dictum! Nec ipse rex contradicebat libellis a Iosepho obsignatis? Nec ipse rex, ut fatetur hic doctus auctor. Sed quis mirabitur hunc favorem, qui attente consideraverit, tantis honoribus Iosephum a Pharaone affectum fuisse, ut titulum etiam Patris ab ipso obtinuerit: « Fecit me quasi Patrem Pharaonis ». Hoc autem tam magnifico praedicato accepto consectaneum erat, ut ad voluntatis eius arbitrium cuncta negotia Regni dirimerentur ac nemine refragante, sed rege ipso potius comprobante, omnia eius statuta sarta inviolataque perseverarent.

2749. Ceterum quod apud praepotentem Aegyptiorum regem adumbravit prior ille Ioseph, hoc apud maximum omnium saeculorum imperatorem re ipsa perficit Ioseph posterior, cuius nos festivitatem agimus. Inter quos tamen, (oportet enim inter veritatem, et umbram, inter figuram, et figuratum, inter ectypon, et prototypon quamdam reperiri diversitatem) hoc memorabile intercessit discrimen, quod veteri illi Iosepho ex mandato Pharaonis totus populus obedierit: « Ad tui oris imperium cunctus populus obediet ». Ast nostro S. Iosepho ex voluntate divina ipse quoque coelorum Monarcha (Dominus Iesus Christus eius filius) morem gerat. Supplicationes siquidem Iosephinae tali filio porrectae locum imperii apud eum sortiuntur: « Dum Pater filium orat, velut imperium reputatur », ut disertus Gerson loquitur in sermone de S. Iosepho. Hoc ut evidentius clarescat, ex ipsa Scriptura, quin a veteri illo Iosepho discedamus, insigne depromamus exemplum.

2750. Sanctus ille Patriarcha Iacob in mortis limine constitutus, petiit a suo filio Ioseph, ut extra Aegyptum in terra promissionis sepeliretur: « Non sepelias me in Aegypto ». Quod etiam ab eo in argumentum specialis favoris, ac gratiae postulat: « Si inveni gratiam in conspectu tuo ». Neque se paternis precibus Ioseph difficilem praebuit, sed protinus annuens ait: « Ego faciam, quod iussisti » tuoque praecepto libentissime obtemperabo: « Quod iussisti ». Ast, sodes, ubi hic vel umbra mandati apparet? Pater vetulus gratiam a filio postulat: « Si inveni gratiam », rogat, ut sibi misericordiam exhibere dignetur: « Facies mihi misericordiam ». Si itaque gratia est illud, quod petitur, et misericordia id, quod rogatur, quomodo illae praeces in Iosephi auribus sonum mandati habent? « Quod iussisti ». Ideo nempe, quia in hoc partes obsecrantis agebat pater, ille autem, a quo haec gratia poscebatur, erat filius: filius autem probus, et integer chari genitori postulata pro mandatis interpretatur: « Quod iussisti ».

2751. Idem, quod fecit Ioseph cum patre suo Iacob, facit Servator Noster Christus cum electo suo Patre Ioseph. Quod Ioseph supplicando petit, illud eius filius sibi imperatum credit: « Faciam quod iussisti ». Hanc diversitatem inter S. Iosephum, et alios coeli proceres reperit mea devotio, quod illi supplici prece Deum rogent, S. Iosephus autem tamquam Pater paulo confidentius etiam praecipiat. Preces aliorum sanctorum manent preces; ast petitiones S. Iosephi

Digitized by Google

transeunt in mandata. Elapsis saeculis superioribus Carolus V imperator nobiles quosdam grandis sceleris convictos Vallisoleti addixit morti, in qua sententia tam obstinato permansit animo, ut eius pedibus advoluti supremi regnorum Dynastae, Archiepiscopus Toletanus, ipse etiam regius princeps Philippus, nequidquam pro eorum vita, demississimis licet precibus, patris, et regis aures impugnaverint, illis enim omnibus se inexorabilem praestitit. Hoc sinistro intercessionis successu nihil deterritus P. Thomas (hodie S. Thomas de Villanova) pro eodem negotio Caesarem adiit, allocutus fuit, et quidquid voluit, ab eo impetravit. Stupefacti tam inopinato eventu primores regni, dum inter sese tam admirabilis mutationis causam, disquirerent, a Caesare audiunt: Nolite admirari, me Patri Thomae concessisse id, quod prius tot tantisque magnatibus, et intercessoribus denegavi, alii enim rogant, sed P. Thomas mandat.

2752. Imperium, quod sanctus ille religiosus habuit in terrestris principis palatio, id multo cumulatius obtinet S. Iosephus in curia coelesti, ubi preces eius, ac postulata mandati locum consequuntur. Etenim dum supremus rerum imperator Christus eas sibi oblatas respicit, statim divinam mentem subit, has esse profectas ab illo, quem ad instar Patris diligit, unde etiam continuo subscribit dicens: « Faciam quod iussisti ». Atque hinc enascuntur grandes illi ac immensi favores, quibus iste Sanctus devotos clientes suos assidue locupletat. Dicat S. Teresia a Iesu stupenda beneficia (sic enim candida illa columba ea nuncupat) quae de potenti manu huius sancti recepit! Quoties eam de gravissimis aegritudinibus vindicatam sospitati restituit! Quoties eam de apertissimis vitae amittendae periculis liberavit! Quantas non a coelo obtinuit gratias pro sancta illa, et benedicta anima? Quibus eam non est prosecutus favoribus in suorum conventuum fundationibus? Dicant tres illi religiosi ex Ordine Minorum, qui toto triduo implacabili maris saevientis furore exagitati, per merita S. Iosephi professam mortem feliciter evaserunt! Dicat ille devotus Valentianus, qui in honorem, et venerationem terrestris Triadis, Iesu, Mariae, et Iosephi tribus pauperibus in dies stipem largitus est, quomodo ei fuerit in ultima vitae suae hora! Quomodo per interventionem huius grandis Patriarchae assecutus sit desideratissimam felicitatem pretiosae mortis! Dicat hoc... Sed non plus ultra. Sistamus gradum. Nam velle ad calculum revocare omnia beneficia a S. Iosepho suis praestita clientibus res esset infiniti laboris.

2753. Itaque pro dictorum coronide istud postremo subnectere placet, quod S. Iosepho singularis palma, et specialis corona debeatur, ob immensos favores, quos humano generi impendit. Ceterum, quoniam lucida umbra veteris illius et primi Iosephi nobis hactenus plurimos suppeditavit radios, quorum fulgore clarius intueremur incomparabilia privilegia huius recentioris, et secundi Iosephi, vel huius Iosephi sine secundo. Ultimis proinde oculis lucidas eius umbras respiciemus. Grati Aegyptii ob multesimos favores, quos de prisco illo Patriarcha Iosepho perceperant, qui in calamitosa illa annonae charitate, et famis plaga, sua solertia esculentorum copiam Aegypto coacervavit, erexerunt ei templum magnificum, in quo eius statuam collocaverunt, eique pro corona modium tritici, quo egestatem ipsorum sublevabat, imposuerunt: « Eo modio, quo esurientibus frumenta diviserat, coronatus est ». Taliter, ut quaedam mensura evaserit corona huius misericordis Patriarchae, quia fame laborantibus favit in mensura. Cum igitur S. Ioseph faveat cunctis absque mensura (oportebat enim, ut hoc excessu veritas superaret umbram) suosque clientes immensis ditet favoribus, necessario consequitur, ut si corona illius Ioseph fuerit limitata mensura, nostri S. Iosephi corona sit sine mensura, eiusque diadema immensum.

2754. Sic ratiocinatur mea erga te veneratio, gloriosissime Sancte! Hanc coronam magnam promereris mi Sancte! ex iustitia: « Cum esset iustus ». Decet sane, auditores mei! ut cum hodierna turba: « Acceperunt ramos palmarum », nos quoque manibus nostris sustollamus palmas, ad coronandas S. Iosephi prodigiose liberales manus. Quoniam autem tua potentia, o magne Sancte! est tam grandis, et efficax in coelo, quaesumus, ut eam nostro emolumento impendere velis. Obsigna pias petitiones nostras, quatenus eae in conspectu Dei confirmentur, et non repellantur ob multitudinem peccatorum nostrorum. Serva animas nostras a periculis, quae nos miseros in hac lacrymarum valle constitutos, undique circumdant. Custodi mentes nostras, quemadmodum custodivisti, o angele coelestis, Iesum, et Mariam ab imminentibus periculis. Libera nos de corruptione vitiorum, qui meruisti singulari privilegio a Deo impetrare incorruptionem castissimi, et virginei tui corporis. Denique cum tot tantisque gloriosis palmis gaudeas ex iustitia, impetra nobis omnibus ex gratia, ut gaudeamus per omnem aeternitatem palma perenni in gloria, ad quam nos perducat beatissima Trinitas Amen.

Digitized by Google

2755. **Hymnus XXIX.**

Iosepho laus et deprecatio.

IOSEPH accrescens filius,
cum sit Christi nutricius,
fit pater plurimorum.
Mariae sponsus inclitus
omnium virtutum praeditus
exempla praebet morum.
2. O Ioseph et puerpera,
qui custoditis foedera
reciproci amoris,
purgatos nos a scelere
iungatis Dei dexterae
in sanctis coeli choris.

(Cfr. Dreves, t. XXVI, n. 61, p. 177).

2756. **Memento.** — *Oratio ad impetrandam S. Iosephi intercessione gratiam pie communicandi.* O beatissime Ioseph! quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod Unigenitum eius Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis paterno affectu amplexus fueris: utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus et patrocinio adiutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum Iesum simili amoris ac reverentiae affectu complectar in sanctissimo altaris Sacramento, quo merear eundem posthac aeternum complecti in coeli! (Coeleste Palmetum).

XXX. — Sermo Augustini Calmet.

EXPOSITIO EVANGELICA DE S. IOSEPH.

Dictionar. Sacrae Scripturae, verbo Ioseph.

IOSEPH, Iacob filius, Mathan nepos, Matth. I, 15, B. Virginis Sponsus et Iesu Christi nutritius. Quidquid de eius aetate et vita eius circumfertur, praeter ea, quae in Evangelio recensentur, apocryphis historiis innititur. Plures inter veteres credidere Iosephum, antequam B. Virginem sibi desponderet, aliam duxisse uxorem, Escham, seu Mariam nomine, a qua Iacobum Minorem acceperat, una cum ceteris, quos fratres Iesu Christi Scriptura appellat; quod utique omnino adversatur virginitati integerrimae, cui D. Ioseph fuit perpetuo addictus, quamque contra Helvidium docet Hieronymus, cui nunc Latini omnes subscribunt. Ad haec qui ex D. Iosepho et Maria, quae B. Virginis soror putabatur, Iacobum Minorem natum tuentur, cum Maria Iacobi mater Christo patiente adhuc viveret, Marc. XV, 40, vel Iosephum, primam reiecisse, ut B. Virginem duceret, vel cum duabus sororibus adhuc viventibus iniisse coniugium, a quo Lex abhorrebat, Levit. XVIII, 18, fateri cogentur.

2758. Apocryphum de Virginis nativitate Evangelium, cui D. Epiphanius et alii plures adhaerent, D. Iosephum, cum Virgini nupsit, senio iam laborantem ostendit. Iam tum octoginta annis maiorem, et sex filiorum ex prima uxore patrem D. Epiphanius haer. 51, c. 10, appellat. Non consilio, sed fortuito, non ut tamquam uxorem adhiberet, sed ut eius Virginitatem tueretur, B. Virginem a quibusdam creditur despondisse; ab aliis vero, quod utpote affinis, et haeres ei propinquior teneretur. Idcirco virga florida prae manibus Ioseph pingitur, quod ea virga, quam una cum ceteris ex domo Davidis, ad quos Virginis nuptiae pertinebant, Pontifici obtulit, flores illico emiserit, ita Deo ut plurimum ostendente, quos ad Virginum sibi praecipue addictarum nuptias assumpserit. Haec tamen, quae Hieronymus in Matth. I. 2. apocryphorum deliramenta appellat, praetereuntes, iis, quae de S. Iosepho ab Evangelio accipimus, adhaereamus.

2759. Ab Evangelio igitur Ioseph iusti nomine donatur, Matth. I. 19, qua quidem laude prae ceteris effertur; iustitia enim virtutes omnes complectitur. B. Virginem duxit, quod et ipsam instar sui de virginitate tuenda decrevisse optime sciret. Post coniugium praesertim, ut plurimum morabatur in Nazareth; quidam enim Capharnaum, quidam vero Bethlehem eius patriam appellant. Qua occuparetur arte disputant; artificem enim fuisse non ignoramus, Matth. XIII, 35. Alii lignarium, ferrarium alii, et alii fabrum lapidarium putant. D. Iustinum Martyrem dialog. cum Tryph. p. 316, iugis et aratris conficiendis; iuxta S. Ambrosium, qui tamen ferrarii instrumentorum, quibus utebatur, eodem loco meminit, caedendis arboribus, et domibus extruendis incumbebat. Opus apocryphum et vetustissimum de infantia Iesu, eius, dum fabri lignarii officinae inserviret, miraculum recenset. Christianus quidam Libanio per iocum quid Christus gereret poscenti, imperatori Iuliano feretrum compegisse, respondit. Auctor imperfectus in D. Matthaeum hom. I, D. Thomas, et recentiores plurimi Iosephum lignarium fabrum appellant.

2760. Qui fabrum lignarium fuisse autumant, D. Hilarii in Matth., D. Petri Chrysologi serm. 48, Bedae Venerabilis in Marc. cap. 6, et Hebraici Evangelii D. Matthaei, a Tilio editi, auctoritate sententiam roborant, qui quidem neque Theophilus Antiochenus, neque D. Ambrosius adversantur, cum folli et igne laborasse meminerint. Cardinalis Lugo in Marc. 6, aurificem vocat, nihilominus, quod faber lapidarius fuerit, non improbat.

2761. Incarnationis Dominicae mysterium adhuc inscius Ioseph, Mariam vel uxorem, vel sibi desponsatam, utero gravem intuitus,

Digitized by Google

remque minime intelligens, divortii, chirographo ei tradito, de eadem secreto dimittenda, ne publicam infamiae notam inureret, cogitabat. Quae tamen meditandi Domini angelus per quietem sese offerens, ut a cogitatio abstineret hortatus est, Matth. I, 18. Quare Mariam hilaris sibi assumeret, uterum enim Deo foecundum gerens filium brevi enixura erat, quem Iesum, seu Salvatorem ipse idcirco appellaret, quod ei populorum peccata delenda forent. Ioseph itaque ad domum suam Mariam adduxit, eamque veluti sponsam accepit.

2762. Sex post mensibus una cum Sponsa in Bethlehem, suae originis locum, progressus est, ut Augusto imperatori, qui omnes sibi subditos recenseri iusserat, obsequeretur, Luc. II, 1, quo in loco Maria Filium suum Iesum Christum enixa, quadraginta a partu diebus exactis, una cum Iosepho Ierosolymam properavit, et ea uterque, quae Lege tunc iubebantur, exegere. Cum vero in Bethlehem regredi instituerent, angelus iterum per quietem Iosepho oblatus infantem Dominum, quod ab Herode ad internecionem quaereretur, in Aegyptum apportari iussit, Matth. II. 13. Quamdiu autem ibi perstiterit, incertum; brevi tamen regressum credimus, quod Herodes prope Pascha, paucis ab infantium caede mensibus, obierit.

2763. Quo adempto, iterum de angeli consilio, Ioseph in Iudaeam reversus, ubi Archelaum Herodi successisse audivit, veritus, ne patris crudelitas demigrasset in filium, neque Ierosolymam, neque Bethlehem, verum Nazareth Galilaeae, non Archelao, sed Herodi Antipae subiectam contendit, ubi fabrili opere sibi consulens, omnium virtutum laude exactam vitam absolvit. Iesum duodecim annos natum ad Paschatis sollemnia una cum Virgine Matre Ierosolymam ductum, sui et Matris acerrimo dolore amisit, Luc. II, 42. Quem tamen triduo post inventum, Mater quare sibi et patri quammaximo ipsum cruciatu indagantibus eam calamitatem attulerit, percunctata est. Cui Iesus in iis muneribus, quae ad Patrem pertinent, seu ut alii vertunt, in domo Patris sui se inquirendum fuisse respondit, Luc. II, 49. Quae tamen utrisque minime percipientibus, regressus est Nazareth, eisque obsequebatur.

2764. Haec Scriptura de Iosepho, quem ante Christi obitum interiisse perspicuum videtur; nulla enim vel in nuptiis Canae, vel alibi post incoeptam Christi praedicationem Iosephi mentio. Ad haec, Christus moriens D. Ioanni Virginem Matrem commendavit, quo utique, eius vivente coniuge, omnino abstinuisset. Iosephi sepulchrum in valle Iosaphat ad orientem Ierosolymae itinerantes locant, qua de re nil apud veteres. Eius lipsana nullibi ostenduntur, sed quaedam solummodo ad eum pertinentia, ut nuptialis annulus, quem Perusiae in Italia servari volunt. Licet vetustissima martyrologia 19 Martii Iosephi meminerint, sero tamen eius festum coepit institui: quod forte apud Orientales celebrari solitum, Carmelitarum opera amplexa est Occidentalis Ecclesia. Praecipua etiam religio, qua D. Iosepho addicta fuit D. Teresia, ad eius sollemnia ultimo saeculo quammaxime augenda plurimum contulit.

2765. **Hymnus XXX.**

Ioseph faber Christi pater.

Quos pompa saecli, quos opes
Fulgore praestringunt suo
Adeste: mundi prospera
Auctore magno spernite.

2. Iosephus en Christi pater,
Davidis augustum genus,
Vili taberna conditus
Labore victum quaeritat.

3. Quin ipse, quin Homo-Deus
Par natus aeterno Patri
Amat fabrilis artifex
Audire fabri filius.

4. Adae nocentis innocens
Ultro gravem poenam subit,
Docetque sontes vindicem
Placare, qua possint, Deum.

5. Tu rector et custos domus,
Iosephe, egenus omnium,
Adesse nobis omnia
Si Christus adsit, addoces.

6. Sit Summa Patri gloria
Natoque, pro nobis egens
Qui factus est de divite:
Par sit tibi laus, Spiritus.

(Weinzierl, Hymni Sacri saec. 18).

2766. **Memento.** — *Oratio, ut S. Iosephum in via vitae huius ducem et comitem impetremus.* O S. Ioseph! qui tanquam pater et manuductor Christum Iesum in pueritia et iuventute per omnes peregrinationis humanae vias fidelissime deduxisti: et mihi, obsecro, in vitae meae peregrinatione tanquam comes et ductor assiste, nec unquam permitte me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis praesidium, in aerumnis solatium; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et sanctissima Sponsa tua Maria omnibusque Sanctis in aeternum in Deo Iesu meo exsultem. Amen. (Coeleste Palmetum).

Digitized by Google

XXXI. — Sermo Ioannis Harduini.

EXPOSITIO EVANGELICA DE S. IOSEPH.

Comment. in Nov. Testam. passim.

IACOB autem genuit Ioseph ». Aliam a Matthaeo describi Christi genealogiam oportuit, aliam a Luca. Oportuit enim doceri nos, habere Christum, et solum quidem, omnes Messiae notas etiam hac parte: nimirum quod esset et ex semine David, et idem postremus Davidici regni haeres. Partem alteram Lucas ostendit, cum ex Maria prognatum eum esse docuit, quae esset ex semine David et Salomonis per Zorobabelem. Alteram Matthaeus confecit, cum ostendit esse eumdem filium David κατ' ἐξοχήν; quippe filium, ut putabatur, Iosephi; qui erat etiam ipse κατ' ἐξοχήν filius David, iuxta illud: « Ioseph fili David » Matth. I. 20, hoc est solus tunc masculus superstes ex stirpe David, ac propterea tunc Davidici regni solus haeres: cuius proinde ex coniuge decuit et oportuit nasci Christum. Propterea enim, maximeque ob eam causam, oportuit ut usque ad Ioseph a Iuda et Davide perduceret Matthaeus seriem maiorum Christi, quemadmodum iam diximus, ut ostenderet in Ioseph defecisse sceptrum de Iuda, et ducem de femore eius: adeoque Christum esse eum, qui venturus erat, et idem futurus, ut est, expectatio sive spes gentium; primogenitus inter filios Abrahae, primogenitus proinde inter filios hominum: id quod Lucas docere voluit, ducta usque ab Adamo per primogenitos, aut eos qui primogenitis ex iure successissent, Christi genealogia. Et primogenitus certe pro ceteris populis populus fuit Israeliticus, ut in tractatu de situ Paradisi ostendimus; iuxta illud Exod. IV, 22: « Filius meus primogenitus Israël ». In primogenito autem populo primogenitus Christus fuit, quippe ex regia familia, et unicus regni haeres. Ergo, ut homo, primogenitus est omnium hominum: ac vel eo nomine, praeter cetera, dominatur in omnes homines, iuxta illud Gen. XXVII, 29 Isaaci Iacobo primogenita tribuentis: « Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae ». Ergo vel eo nomine Christus est « primogenitus, excelsus prae regibus terrae », Ps. LXXXVIII. 28.

2768. « Virum Mariae ». Non ut de ceteris, ita de Iosepho dixit, Ioseph autem genuit Iesum: ac ne quidem dicendum sibi fas esse hoc loco putavit, Iacob autem genuit Ioseph patrem Christi; ne quis patris nomen eo sensu hic acciperet, quo priores censeri patres oportuit, qui genuere. Itaque scribi nihil accuratius potest, quam quod posuit, « Virum Mariae, de qua natus est (subintelligendum relinquens, de qua sola, absque viri opera) Iesus qui vocatur Christus.

2769. « Ioseph fili David ». Haec appellatio non hominem solum significat « de domo David » ut Luc. I, 27 dicitur, quemadmodum iam indicavimus; sed ex stirpe Davidica eum, cui eadem ac Davidi iura ex natalium praerogativa competunt, ac proinde haeredem regni Davidici. Neque enim, ut exemplo utamur illustri, ex familia Borbonia quemquam sic compellaremus, Divi Ludovici fili, nisi eum qui eodem iure sit ac Divus ipse Ludovicus fuit; hoc est, nisi Regem ipsum, aut regni haeredem. Eam ob rem in tota Scriptura nemo compellatur hac appellatione « fili David », praeter Iosephum et Christum; quia nemo ante eos solus haeres regni Davidici, sive solus ex familia Davidica superstes masculus, sive genitus ex masculis, ut Iosephus fuit, sive eiusdem haeres, ut natus ex ipsius sponsa. Sic nomen illud ipsae intellexere « turbae, quae clamabant, dicentes: Hosanna filio David », Matth. XXI, 9. Neque vero excidisse suo iure et divina promissione facta Davidi censeri poterant a populo Dei posteri Davidis ex Salomone orti; quos hominum tantummodo vis excluderet a debita sibi possessione. Nam « si filius et haeres ».

2770. « Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo timuit illo ire ». Venerat Ioseph in terram Israel, necdum erat in Iudaea. Alia igitur terra Israel, alia Iudaea est. Nec fuit Herodes rex Israel, sed Iudaeae tantum. Nec Herodes Galilaeae tetrarcha, filius istius Herodis fuit; alioqui Ioseph pariter audiens quod Herodes regnaret in Galilaea pro Herode patre suo, timuisset illo ire. « Terra Israel », quo primum Ioseph ex Aegypto venit, tribus Simeon fuit, quae est tribui Iudae contermina. Iudaea autem, in libris praesertim Novi Testamenti, tantum illam Palaestinae partem denotat, quam tribus Iuda cum Beniaminitis possidebat. Hanc solum obtinuit Herodes prior, et qui pro ipso postea, sive post ipsum in Iudaea regnasse a Matthaeo dicitur Archelaus. Vide Matth. II, 5 et IV, 25.

2771. « Timuit illo re ». Nam manifestum erat Iosephum esse filium David: atque adeo Christum Dominum, qui filius Ioseph esse putabatur, pariter filium Davidis esse, hoc est, solum haeredem regni Iudaeorum: nam ad feminas, veluti lege Salica, regni haereditas apud Israelitas non pertinebat.

Digitized by Google

Idcirco in Iudaea si Ioseph maneret, in aedibus eius statim Christus ab Archelai militibus caperetur, ac dederetur neci. Eam ob rem in regnum vicinum migrandum ei fuit. Docet praeterea hoc loco evangelista, beneficio Caesaris Augusti factum fuisse regem Herodem, absque ullo iure transmittendi ad filium regni: quod regnum tamen iste simili beneficio obtinuit ab Augusto: alioqui scire Ioseph debuisset, fore haud dubie ut Herodi patri Archelaus filius succederet. Profectum autem Romam fuisse propterea Archelaum, admonere Christus Dominus ipse videtur, Luc. XIX, 12.

2772. Ascendit autem etiam, Ioseph non iussus, sed sponte sua, a Galilaea de civitate Nazareth, in Iudaeam, in civitatem quae Davidis patria fuit vocaturque Bethlehem; eo quod esset Ioseph tunc solus masculus de domo et familia David: ascendit, inquam, ut profiteretur, se ex nobili et regia Davidis familia esse; sibi proinde Filioque ex coniuge domus eiusdem Davidicae nascituro ius esse redeundi ad possessiones avitas Davidis, ex privilegio Iubilaei lege divina instituti, Levit. XXV. 10. Ascendit ergo, una cum Maria, quam parentes ipsius in uxorem sibi desponsaverant, et quae tunc praegnans erat. Cum ipsa autem, quoniam et Filius ex ipsa nasciturus, Davidici patrimonii haeres esse deberet, et agnosci Mariam Iosephi coniugem oportuit, quae Christo id iuris assereret, si quid humanitus Iosepho accideret.

2773. « Ascendit autem et Ioseph a Galilaea ». Videtur omnino Lucas docere, praeter edicti sententiam, quod ad solos Iudaeos in Iudaea degentes per se pertineret, ascendisse etiam sponte e Galilaea Iosephum, ut nobilitatis suae ac natalium iura, professione sua firmaret; et ius saltem habendae Bethlehem possessiunculae. Aliud porro haereditas, aliud successio in ius regni fuit. Haereditas si prorsus deessent in domo mares, ad feminas pertinuit; successio regia ad masculos tantum e masculis. Ioseph ultimus masculorum fuit, atque adeo is, in quo defecit sceptrum de Iuda, et dux de femore eius et stirpe Davidis, sed qui, postquam oblatus est ille e vivis, apparuit statim Christus, masculus ex Virgine pariter de domo David, haeres Davidis ex tenui praedio fuit; successor autem regni, quia post ultimum cui ius regni esset, ipse ex eodem semine David ortus ex Virgine, ac desponsata etiam viro, Christi patri, ut putabatur; cui Christus proinde ex Mosaica lege de matrimoniis succederet.

2774. « In Iudaeam ». Ms. Cantabrig. εἰς γὴν Ἰουδα, in terram Iuda. « Eo quod esset de domo, et familia David ». In una domo, ut in Scriptura vox ista accipitur, sunt multae familiae: quemadmodum in una domo seu gente Borbonia familiae multae sunt. Unde Zach. XII, 12: « Familiae domus David seorsum ». At tunc ad unam familiam et unum unius familiae caput fuisse redactam domum David vult Lucas intelligi, hoc est, familiam regiam unam tunc fuisse redactam, Iosephum unum tunc superfuisse qui ius ad regnum haberet, cum dicit: « de domo, et familia David ». Vide commentarium nostrum in eum Zachariae locum. Interim hic observandum est, cap. I, 27. dicere Lucam, fuisse tunc « Ioseph de domo David » solummodo; quoniam essent tunc adhuc superstites familiae duae domus David, familia Ioseph, et familia Heli. At post novem menses exactos, in Natali Domini, dicere eumdem hoc loco, fuisse « Ioseph de domo, et familia David ». Quinimmo et post tres menses a desponsata Virgine, cum iuventa est a viro suo Ioseph in utero habens, iam tum appellatur ab angelo Ioseph filius David; hoc est, ut post annos fere triginta, Iosepho defuncto, Iesus filius David, solus scilicet e masculis Davidis filiis superstes. Quo loquendi modo, angelus intra illos tres menses, Lucas intra illos novem innuit obiisse Heli, patrem Deiparae, et sic redactam fuisse domum David ad unam familiam; cuius caput esset Ioseph filius David. Quod si scriptores tunc alios dicant fuisse e stirpe et domo David per Salomonem et Zorobabelem; nos habemus certiorem ac firmiorem evangelicum sermonem, cui bene facimus attendentes, ut Petri verbis utamur.

2775. « Pater tuus et ego ». Modestia Deiparae hic se prodit, quae sibi Iosephum praefert in ordine nominum. Sed et merito quodam suo Ioseph anteponitur, qui esset ultimus e Davidis posteris, et ex primogenita familia natus, Davidici regni postremus haeres, ante Christum. Vide quae dicturi sumus ad Ioan. X, 30.

2776. Hymnus XXXI.

Inclita Iosephi dignitas.

1. IOSEPH exortus regia
De stirpe praedicatur,
Dignus regali gloria
In caelis comprobatur.
2. Nam Sponsus erat Virginis,
Quae coeli est Regina,
Mater Dei et hominis
Et mundi medicina.
3. Senex expers libidinis
Puellam desponsavit,
Et virtus sacri flaminis
Hos coniuges sacravit.

Digitized by Google

4. Sine carnali copula
Coniugium servatur,
Et germen sine macula
Divinum procreatur.
5. Haec plebs Deum magnificat
Pro Ioseph dignitate,
Qui sponsum Christum typicat
In sua castitate.

(Brev. Arosien. et Lunden. saec. 16.

2777. **Memento.** — *Oratio ad quaelibet S. Iosephi intercessione impetranda.* O S. Ioseph! cui Iesus hic in terris sese subiecit, prompteque obedivit, quemque singulari semper honore et amore prosecutus est: quomodo idem in coelis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit? Ora pro me, o S. Ioseph, gratiamque impetra imprimis, ut peccata omnia serio detester et fugiam, praesertim ista NN., vitam in melius emendem, constanterque me in virtutum studio impendam, praesertim istarum NN., ab his NN. tentationibus, et peccandi occasionibus, quibus anima mea in periculum damnationis induci posset, et ab afflictione ac miseria hac N., nisi divinae id voluntati meaeque saluti adversetur, liberer. In his tamen et aliis omnibus totum me divino arbitrio et dispositioni, tuaeque paternae fidei, o S. Ioseph, subiicio et committo. Amen. (Coeleste Palmetum).

XXXII. — Sermo Didaci Stellae.

DE DIGNITATE S. IOSEPH.

In Evang. sec. Lucam enarrat. cap. 1.

Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph ». Viro dixit, non homini: viri namque nomen fortitudinem, animi robur et virtutem significat. Ea nempe uxor unicuique danda est secundum suam sortem, et conditionem. Regi quippe, aut duci, aut illustri viro, non ancillam, aut Aethiopissam dares. Sic nimirum Dominus (utpote in cuius operibus superadmirabilem sapientiam, et consilium invenires) volens primo nostro parenti sodalem tribuere, oculos coniecit in universas creaturas: cumque nullam eius dignitati et altitudini similem invenisset, quaeque ipsius Dei capax esset, ut Adam, decrevit ex Adae costa similem ei efficere, Gen. II.

2779. Sic nimirum ipse Dominus, ut daret socium, et sponsum Beatissimae Virgini, non quaesivit hominem humanis rebus intentum, aut voluptatibus saeculi deditum, sed virum optimum, virtute, et sanctitate perfectum, et omnibus suis numeris absolutum. Nam sicut Dominus eam mulierem elegit, ut mater esset Filii sui, qua melior, aut similis in universo non reperiretur: ita etiam talem virum in sponsum illi Matri dedit, quo sanctior, aut purior vix queat reperiri, cum etiam et Filii sui custos et pedagogus deberet esse. Et sicut rex custodem filii sui praestantissimum, et optimum, hominem constituit, sic etiam Dominus virum purissimum, et sanctissimum Filio suo praefecit. Nam semper Dominus ad sua ministeria idoneas sibi quaerit. « Idoneos, inquit Paulus, nos fecit Deus ministros novi testamenti », II Cor. III.

2780. Cum igitur Ioseph Christi pedagogus futurus esset, necnon maritus eius mulieris, quae Christi sponsa erat: potestne aliquis sanae mentis homo existimare ipsum Dominum in tali electione erravisse? Hoc certe stultissimum esset, et ab omni prorsus humano intellecto alienum. Ipse namque fuit primus omnium hominum, qui Christum in carne vidit, et adoravit. Extollitur miris laudibus Ioannes Evangelista, et merito quidem, eo quod Matrem suam illi Dominus commendaverit, Ioan. XIX: sed Ioanni commendata fuit, cum iam Virgo adolevisset, et ad maiores annos aetatis suae pervenisset: ad Iosephum tradita est iunioribus suae adolescentiae annis. In quo quidem appareret maxima ipsius Ioseph commendatio. Ioannes etiam paucis annis cum ea habitavit: Ioseph vero spatio triginta annorum. Ex hoc itaque coniugio tam honoris, et laudis ipsi Ioseph comparavit, ut Matrem Dei in subditam habuerit, simul et Filium. Nam ut inferius videre est in nostro Luc II « Christus erat subditus illis », scilicet Mariae et Iosepho.

2781. Quod si verum est quod asseverat regius Propheta, Ps. XVII: « Cum sancto sanctus eris » quid iudicandum erit de Ioseph, qui familiarissime intra eandem domum tot annis cum Christo, et sanctissima eius Matre angelicam et purissimam vitam egit? Cum nullo homine Christus, et sanctissima ipsius Mater in hac mortali vita ita familiariter egerunt. Certe vere loquutus est Christus in illis verbis, cum dixit: « Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic sit et minister meus », Ioan. XII. Iste in coelis inter supremos videtur collocandus, qui in terris ipsi Christo familiari obsequio servivit, et fidelior omnibus post Mariam inventus est. Quod si Christus Apostolis dixit: « Beati oculi, qui vident, quae vos videtis », Luc. X, quanto praestantius, obsecro, est, non solum videre, sed etiam tangere? Quanto beatior est Ioseph, qui non solum Christum vidit, sed eum saepius fuit osculatus? Si ille, qui prophetae dederit vas aquae frigidae, mercedem ab ipso propheta accipiet, Matth. X, quam mercedem is ac-

Digitized by Google

cipiet, qui non solum unum vas aquae dedit, sed multa, panem et obsonium ipsi prophetarum Domino? Denique ut ad alia, quae nos expectant, gradum faciamus, meruit in terris Christi pater appellari, ut inferius capite sequenti, II, noster Lucas inquit: et nullam puram creaturam sic adeo dilexit Beatissima Virgo, sicut Sanctum Ioseph.

2782. His omnibus adiicies advertendum, non solum Iosephum ab Evangelista, tamquam patrem putativum hic positum esse, sed tamquam verum patrem: non naturalem sed legalem. Cumque talis esset Ioseph, ipsius genealogiam narrandam sumpserunt evangelistae, licet Virginis Matris naturalis esset filius. Et hoc ita fuit, quia Christus in temporalibus succedebat Ioseph. cuius haeres legalis erat. Unde illi, qui asserunt Scripturae morem non esse genealogiam ex parte mulierum, sed virorum computare, non videntur prorsus satisfacere, quia multoties in sacris litteris, cum narratur genealogia alicuius, dicitur, talis mulieris fuit filius. Et quamvis in aliis hoc non fieret, conveniens fuit in hoc loco: cum Christus ab homine non fuerit genitus, sed tantum a virgine.

2783. Primo autem Beatissima Virgo desponsata fuit, ne conceptionis causa honor, et fama ipsius detrimentum paterentur; quia si innupta conciperet, mala mulier reputaretur. Ne vero Sacratissima Virgo aliqua infamiae labe contaminaretur, voluit Dominus eam viro coniungi. Ubi docemur famam alicuius numquam esse contemnendam, iuxta illud sapientis: « Cura de bono nomine », Eccl. 41. Nam qui famam contemnit, flagitiosus est, aut prorsus inhumanus. Arguendi quippe sunt illi, qui dicunt: Mea intentio, et cogitatio sancta est et sincera: dicat autem unusquisque quae pro libito voluerit. Quid enim refert tuam intentionem bonam esse, si factum tuum ansam praebet, ut de te homines male suspicent, et sentiant? Homines quidem intentionem non vident, sed exterius opus, quo eis scandalum praebes: cum prudentiam in dictis tuis non serves. Et id quod dicimus Dominus commendavit, dicens: « Quem dicunt homines esse Filium hominis? » Matth. XVI. Bene ipse sciebat quod homines dicerent: sed id fecit, ut nos intelligeremus, specialem curam habendam esse de bono nomine. Ubi videre licet, quam bonus amicus sit Dominus dilectis suis. Mavult enim Dominus aliquantulum detrimenti pati: quam ut patiantur amici. « Maluit Dominus (ut inquit Ambrosius lib. 2 comment. in Luc. 1) de suo ortu, quam de Matris pudore dubitari ». O quam fidelis amicus nobis est Deus, et quanti suorum honorem facit: ita ut non velit cum alterius iniuria honorem sibi comparare. Curandum igitur tibi maxime est, ut Deo amicus sis, praesertim cum tanto te prosequatur amore: et mundum fugito, et eius amicitiam, quando datam fidem non servat. Perierunt principes Edom, memoria Amalech evanuit, et superbia Philistinorum dispersa est: tamen sacrosancta Ecclesia, et honor amicorum Dei numquam finietur: permanet in saeculum saeculi, et usque in sempiternum.

2784. Secundo voluit Dominus ut Sacratissima Virgo viro nuberet, ut Ioseph custodia esset, et honestas Virgini. Nam, sicut frondes arboris defendunt fructus ab iniuriis coeli, Ioseph Virginem protegebat, ex qua sicut amoenissimus flos egressus est Christus. Et quia flos aliquando in medio foliarum nascitur, ne existimares quod de Ioseph Christus natus est, dixit Esaias, XI: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ». Non, inquam, de folio; sed flos, quia Christus est de radice: id est de Virgine natus est, non autem de Iosepho.

2785. « De domo David ». Videas, obsecro, quibus terminis et fine continentur regna, imperia, et totius mundi principatus. Regia, et opulenta domus David, tam potens, et magna, cui alii reges obedientiae signa praestabant: ubi est, aut quo termino, et fine clauditur? utique fabro pauperculo contenta est, qui etsi dives, et iustus coram Deo, tamen hominum oculis egenus. Quot, quantisper erunt in Hispania homines, qui originem ducant ex illustri Gothorum sanguine: ipsi tamen sutores, sartor, lixae, et pauperrimi sint. Utique apparet hic quomodo principatus, et imperia mundi, et omnis eius et nobilitas, et potentia lapsu temporis finiuntur: quia mortalem finem sortiri debent. Sic etiam illustre et praeclarum Corinthiorum regnum finitum est, et potentissima Assyriarum Monarchia, Medorum item, et Persarum temporum iniuria corruerunt. Ut discas omnia haec mundana parvifacere, et tantum Deo placere studeas: quippe memoria istorum usque in saeculum saeculi, et in aeternum permanet.

2786. Dixit autem Iosephum esse de domo David ut ostendat Christum ex semine David descendisse, sicut ei Dominus promisit: « Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem suam », Ps. CXXXI. Et Esaias, IX; « Super Solium David, et super regnum eius sedebit ». Et rursus in Hieremia, XXIII: « Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit ». Quamvis autem Ioseph nihil in conceptione

Digitized by Google

Christi operatus sit, ex hoc colligitur Virginem fuisse ex eadem domo. Nam mulieres in haereditate paterna succedentes non poterant contrahere matrimonium, nisi cum viris suae tribus, ne fieret confusio inter sortes, ut habetur ex Domini sententia, Num. XXXVI. Iam igitur videas, quomodo Dominus adimpleat promissa, cum mittat filium suum ex semine David. Promisit Dominus populo Israelitico filium suum daturum: populus autem promisit Domino ipsius praecepta observare, Deut. VII; at quamvis Israel datam fidem non servavit, nihilominus Deus verbum suum adimplet, Ps. CXXXI. Promisit Dominus David, Filium suum hominibus missurum; ne autem cum homines viderent David homicidam, et adulterum, II Reg. IX, existimarent, Dominum foedifragum futurum, Filium suum nobis donavit, et cum eo innumerabilia bona. At si Dominus cum eis, qui ill'i fidem frangunt, promissis stat: quanto melius gloriam tibi dabit, si praecepta eius custodiveris?

2787. Praeterea observandum tibi est quod Christus potius dicitur filius David quam filius Abrahae, cum etiam facta fuerit promissio Abrahae, Gen. XXII: ut nos doceret Dominus, quanto amore Deus prosequitur peccatorem ad se poenitentia conversum, ut tu non dubites, quantumvis flagitiis, et sceleribus sis contaminatus, ad illum accedere. De peccatis Abrahae nihil legimus, immo constat, semper Domino obedientem fuisse: at David graviter Deum offendit. Nihilominus, ut Dominus ad poenitentiam peccatores alliceret, maiori honore David affecit, quam ipsum Abraham. Quum nobilis aliquis ad venationem tendit, si sylvestrem suem interficiat, plus gaudet ipse, et eius famuli, quam si arietem, vel bovem ad comedendum interficerent. Ita nimirum viri iusti sunt domestica animalia domus Dei, et quamvis alicuius delicti, in quod inciderunt, subeat eos poenitentia, non ideo tantum gaudium fit, quantum per conversionem unius peccatoris, qui tamquam rusticum, et sylvestre animal est, qui appetitum suum sequens, usque ad praecipitium non sinit currere. Quando igitur Dominus huiusmodi peccatorem venatur, maximum fit gaudium super eo poenitentiam agente, etc., Luc. XV. Sic David qui prius carnem, et appetitus suos sequebatur, conversus est ad Dominum per poenitentiam: atque ita maiori honore illum affecit, quam Abraham, etsi ab ambobus secundum carnem descenderit.

2788. Praeterea, cum ait evangelista, « De domo David »: de familia, sanguine et generatione David intelligendum est. Et sic intelligendum puto id quod in Exodo dicitur de obstetricibus Ægypti, quod Deus aedificavit illis domos, Exod. I. Nam quia ipsae pepercerunt filiis Hebraeorum, dedit illis Dominus filios, ut factum illum more talionis solveret. Aedificare enim est, dare posteritatem: quare familia vocatur domus. quia ad modum domus aedificatur: ut in scriptura, moltiplicare sobolem dicitur aedificare domum. Sic Nathan dixit: « Domum faciet tibi ». II Reg. VII, id est familiam multiplicabit. Et paulo inferius: « Domus servi tui stabilita et coram te ». Et Rachel dixit Iacob: « Ingredere ad ancillam et aedificabor (ut Hebraismum habet) in ea ». Gen. XXX. Et in Deuteronomio, XXV; de muliere, quae spuebat in facie viri, habetur quod dicebat: Sic fiet homini, qui non aedificavit domum fratris sui ». Et in libro Ruth, IV, dicitur de Sara, et Lia, eas aedificasse domum Israel.

2789. Denique pulchre Evangelista regalem generationem, et originem Ioseph, et Virginis Mariae expressit: ne Christi parentum paupertas despiceretur: quia quamvis pauperes essent, tamen nobiles erant. Sed hac misera nostra tempestate ille solus nobilis, qui multas habet pecunias Nam quantumcumque aliquis nobilis sit, si paupertate premitur, vel ab ipsis fratribus, et consanguineis odio habetur, et despicitur. Filii namque huius saeculi solas divitias in honorem habent. Demum expendas Christum voluisse et nobilem, et pauperem esse. Nobilem, quia nobilitas ad virtutem obligat. Divitiae autem (ut Apostolus ait) laquei sunt diaboli, I. Tim. VI. Ideo Christi parentes, et nobiles, et pauperes fuerunt.

2790. « Et nomen virginis Maria ». Huius nominis sororem habuit Moyses, mulierem praestantissimam omnium earum, quae transierunt per mare rubrum: quae quidem glorioso cantico Dominum magnificavit dicens: « Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est », etc. Exod. XV. Haec autem secundi legislatoris Mater divinis laudibus et canticis Dominum suum exaltavit.

2791. Porro, non solum nomen sponsi, sed etiam sponsae evangelista expressit: nam sicut Dominus illos coniunxerat in matrimonium, ita nec hic separandi erant ab evangelista. Nomen autem Ioseph priori loco apponitur, quia « vir caput mulieris est » Eph. V. Sic etiam Maria postea honorem contulit ipsi Ioseph dicens: « Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ». Luc. II. Et iterum: « Erant pater eius, et mater mirantes ». Sic et Sara virum suum Abraham dominum vocavit, Gen. XVIII.

Digitized by Google

2792. **Hymnus XXXII.**

Ioseph septies tristatus totiesque gavisus.

Quum nostra te mortalitas,
Iessaee Ioseph, cingeret,
Te perdolentem septies
Et mox beatum vidimus.

2. Clam tu Mariam cogitas
(Et ingemis) dimittere,
Quae, Sponsa divi Spiritus,
Divo tumescit germine.

3. Sublime sed mysterium
Ex ore discis angeli;
Pergisque, virgo, Virginis
Gaudere contubernio.

4. Rursum doles, quum proxima
Iam iam Maria partui,
Nusquam recepta, dirutum
Subire tectum cogitur.

5. A te beant Caelestium
Chori nitentes, gloriam
Qui concinunt Altissimi,
Pacemque terris redditam.

6. Octava lux Infantulum
Primo cruentat vulnere;
Ac tu gementi Filio,
Tutor paternus, adgemis.

7. Sed ecce Iesu nobile
Ut nomen audis, melleum
Ut ipse profers, copiam
Vix gaudiorum sustines.

8. Novo dolore plecteris,
Quum, Simeone nuntio,
Discis futura Filii,
Futura Matris vulnera.

9. Sed te iuvat Redemptio,
Quam copiosam praecinit
Vates senex, dum Vindicem
Salutat orbis parvulum.

10. Herodis ira territus,
Fugam capessis, exteras
Cum Matre, cum Puellulo
Terras coactus quaerere.

11. Sed te salus, Ægyptiis
Advecta, moestum recreat,
Et quae ruina proxime
Impendet aris daemonum.

12. Redux ad oras patrias,
Audis, in urbe principe,
Herode pro demortuo,
Regnare saevum filium.

13. Timens tyrannum, Nazareth
Tutum revisis oppidum,
Crescentis usque Filii
Sponsaeque consors virginis.

14. Quis anxias recenseat
Noctes diesque tridui,
Quo nesciebas, grandior
Ubi Puellus degeret?

15. At luctus hic in gaudium
Conversus est, quum, tertia
Sub luce, templum prodidit
Quem tu dolens quaesiveras.

16. Lugere nos salubriter
Da, magne Ioseph, exsules,
Donec beata Caelitum
Curas fugabit Patria.

(P. Franc. X. Reuss, SS. Red.).

2793. **Memento.** — *Oratio pro felici morte impetranda.* O S. Ioseph! qui in suavissimo Iesu clientis tui et dulcissimae Sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o S. Pater, cum Iesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet; illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Iesu et Mariae brachiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Iesus, Maria, Ioseph! (Coeleste Palmetum).

XXXIII. — Sermo Ven. Angeli del Pas.

EXPOSITIONES EVANGELICAE DE S. IOSEPH.

Comment. in Lucae Evangelium, passim.

« Vir ». Vir dicitur, non solum a virtute naturae, quae inest homini ad opera sua complenda secundum naturam, sed etiam a virtute Dei quum infundit, ut perfectionem supernaturalem, ad quam nos ultimate condidit, ac iugiter spiritus postulat, appetitque ratio, assequamur. Unde apud Hebraeos dicitur אִישׁ is, qui (inquit Pagninus in Thes. ling. san.) auctoritate, dignitate, gloria et existimatione antecellit, et inter honoratiores connumeratur, ut latine « vir ». Ac propterea deduci volunt nonnulli ab יֵשׁ quod sonat « esse ». Ac si ei qui viri nomen sortitur nihil deesse debeat quod ad naturam, et statum optimum faciat, ut de Ioseph nostro Chrys. in brevi narratione Matthaeum prosequitur illum in omnibus praeclarum dicens, qui supra legem saperet, et prophetas continuo meditaretur. Quare, et iusti nomen apud evangelistam promeruit; non imputativa iustitia, ut volunt Centuriatores, sed formali, quae coelestem habitum, et qualitatem animo divinitus impressam dicit, ut Euthym. in Matth., Bernard. hom. 1 et 2 de Beata Virgine, et ante omnes Orig. hom. 1 inter extraordinarias. Quin et virtutum studio virginitatem perpetuam addidisse Hieron. adver. Helvid. testatur; idque ex voto, sicut et Maria iuxta Gerson in annotat. super 1 cap. ad Gal., sicque secundum Chrysolog. serm. 175, conscientia sponsus esset, et, ut inquit Greg. hom. 26 et 27 integerrimae custos virginitatis. Hinc Aug. serm. 15 de nativ. Domini ad eum: « Habe Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate servata: sis autem, et tu pater Christi cura castitatis, et honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris Genitricis nulla sit zelotypia ». Denique

Digitized by Google

his virtutibus donum singulare adiectum vult Gerson, serm. de nativit. Virg. Mariae, videlicet peccati originalis fomitem, aut extinctum, aut depressum in Ioseph fuisse: immo vero sanctificatum in utero quidam volunt. Sed missis, quae non omnes Catholici de peccato originali admittunt, illi iuxta doctrinam patrum et decentiam, quidquid virtutis, et sanctimoniae Patriarchis, et Prophetis, sanctisque viris scripturae iure tribuitur iure optimo convenire facile possumus persuadere: nam non carnis servandae curam habuit per lignum, ut Noe, sed omnium animarum per Mariam Deo plenam quam custodivit; unde non pater multarum gentium, ut Abraham propter unum Isaac, sed universarum propter unum Christum, qui ex sibi desponsata ortus est. Nec Salvator Ægypti, ut Ioseph ille, neque ductor populi Israel ut Iosue, sed omnium populorum. Quid? dicam ne Dei? Dei quidem in carne, qui talem ac tantum virum elegerat, ut in Ægypto puerum, et matrem eius salvaret ab homicida, et a semine nequam custodiret Nazareth. Mihi tempus deficeret potius, quam scripto complerem, quae mens de iusto Ioseph concepit, et quisque pius ampliora enucleabit, si nomen viri quod illi datur, contulerit cum officiis, et privilegiis, quibus voluit illustrari, ut Sponsus, inquam, esset Matris, quae peperit Deum, et pater vocaretur ab eo, qui se et omnia fecerat, semperque gubernat. Adde, quod subditus erat illis.

2795. Incidit hic quaestio de aetate Ioseph quando cum Maria Matre desponsationem celebravit. Epiphanius enim haer. 78 contra Antid., senem facit, et opinio Ecclesiae quae admittit senem depingi, et venerari. Alii contra iuvenem, ut alibi diximus, referunt, ut posset Virgini inservire, et labores illos suscipere, qui cum in artis exercitio, tum in fuga ad Ægyptum, et reditu sunt consecuti. Alia item hic quaestio tractari posset. Si vir is fuit Ioseph, qui prae virtutis studio virginitatem coleret ex voto, quomodo se nuptiarum periculo exposuit? Divinitus id tamen factum per sacerdotes templi deponunt Patres, quos praemisimus, necnon Gregorius Nyssen. Orat. in die Nativ. Domini, Simon Metaphr. in oratione de ortu ed educat. Deiparae, et alii.

2796. « Cui nomen erat Ioseph ». Excellentiam tanti viri, tum nomine Ioseph, tum locutione « cui nomen erat », insinuatur, etenim loquendi modus: « Cui nomen erat », ut alibi adnotavimus, praeclare quid in nominato designat, videlicet eum esse, qui dignus fuerit scribi, nomenque suum referri apud Deum, qui est, et erat, et erit ab aeterno. Unde dicere « Cui nomen erat », et non « Cui nomen est », interpretato « Cui nomen erat » antequam esset, antequam videretur in carne, aut quidpiam in proprio genere extaret, nec operaretur. Quoniam nomine aeterno haereditat Deus iustum, ut vivat a generatione in generationem, nec usquam in aeternum deleatur, velut impiorum, quod putrescit, quia non in libro vitae scriptum, Apoc. XXI, sed vel in numismate, ut Caesaris, Matth. XII, mundanique Principis; vel in aedificiis, ut Babylonis superbae, quae cecidit, Apoc. XIV: vel in terra, ut hypocritae, quem proiicit ventus a facie terrae, Psalm. I: vel in carne, ut Holophernis, quem confundit casta Iudith; vel certe in armis, ut Sennacherib, et omnis tyrannus, quem Angelus percutit, et omnis, qui scriptus est in libro vitae conculcat, conterit, et devicit, ut in martyribus contemplamur, et in nostro Ioseph, qui Herodem armatum delusit, et Ægyptum quae in diis suis tumultuabat placavit, deiectis idolis per eum cuius custodiam, curamque gerebat; quique usquam potuit offendi, quia inter electos nomen habuit aeternum quod est mirabile in universa terra. Huius tamen nominis excellentiam, nomen Ioseph exponit; est enim Ioseph יומק idem quod augmentum Domini, vel Domini profectus. Et quis nostro Ioseph magis profecit, et augmentum fecit in schola pietatis, ut non solum angelos ad hospitium, velut Abraham, et Loth recipere meruerit, et audire, sed et Dominum facie ad faciem primus post Matrem videre, adorare, vagientem audire, et loquentem lingua altera? Haeccine sunt inchoantis, an vero proficientis? Profecto profecti, et augmentati in omni benedictione spirituali; clamat ille: « Ostende faciem tuam », et audit « Posteriora mea videbis », Exod. XXX. Ioseph autem laetus ait: « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea », Genes. XXXII. Familiaribus quidem, et iis qui erant primi in palatio, ac secundi a Rege concedebat hoc Assuerus, nec ulli facile modo permittitur ex aulicis regem clare intueri. Ergo multum profecit Ioseph qui regem regum, et dominum dominantium, cum voluit vidit, tractavit, illi ministravit cibum, et reliqua, quae tempus postulavit. Haec quidem glorificant Ioseph, non Moysem; excelsum reddunt eundem, non Aaron; etsi enim omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sint, et in diebus suis haberentur in laudibus, Ioseph in omnibus gentibus praedicatur « Dilectus Deo et hominibus, quem elegit Deus ex omni carne, ut pasceretur inter lilia », Eccl. XLIX, inquit Rupertus abbas in cap. I Matth., ut scilicet virgo virginem

Digitized by Google

desponsaret, et Filium Dei ex Virgine natum Filium haberet, et contrectaret deliciis affluens.

2797. « De domo David ». Ut legitima successione, inquit Caietanus, filius Davidis haberetur Iesus: « nam de semine David, scribit Gaudentius Episcopus Brixiensis, tract. 2 de Lect. Evangel., nascitur Ioseph, cui desponsata Virgo Maria, eiusdem quippe tribus, quia aliter non licebat, genuit Iesum, qui dicitur Christus ». Quare, notat S. Bonaventura, de domo David, referri ad Virginem, et ad Ioseph, quia uterque fuit de semine David cui facta erat repromissio. « Iuravit Dominus David, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam ». Psalm. XXXI. Valeat igitur Erasmus, qui in adnotat. novi testamenti, dixit adhuc esse sub dubio, an Ioseph et Maria sint eiusdem tribus; hoc quidem nullus Catholicorum addubitavit, sed Faustus Manichaeus, quem Aug. lib. 23 contra Faustum cap. 6 oppugnat, et Iulianus apostata, qui, una cum Iudaeis perfidis, ut scribit Cyrillus contra Iulianum, inter probra Christianis obiecta hoc unum erat, Iesum non descendere de tribu Iuda, sed Levi, quod Ioseph, et Maria non essent eiusdem tribus; alioquin, argumentatur Bernardus hom. 2 de Beata Virgine, non esset desponsata viro de domo David, si non esset, et ipsa, de domo David; ambo igitur erant de domo David, sed in altera completur veritas, quam iuravit Dominus, altero dumtaxat conscio, et teste adimpletae veritatis. Unde Hilarius in 1 cap. Matth. dixit, quod Ioseph potius, quam Mariae nativitas recensetur, nihil refert. Quia subdit Eucherius lib. de difficil. quaestion. novi Testamenti, consuetudo scripturarum est, virorum potius, quam feminarum seriem in generationibus texere. Sed missis his, Isaias aperte Christi Matrem de regia stirpe David celebrat. « Egredietur, inquit, virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ». Isaias XI. Ubi Hieronymus: « Nos virgam de radice Iesse, Sanctam Mariam Virginem intelligimus, quae nullum fruticem sibi habet cohaerentem ». « Florem huius radicis, Tertull. liber de corona militis, interpretatur Christum ». Quin, et reliqui Patres, ut Beda hom. de Nativit. Domini, Isidorus ad sororem Florentinam cap. I, Rupertus abbas lib. XI de vict. Verbi cap. 18, atque alii, ne omnes enumerem, affirmant. Sed cur de domo David Matrem habere voluit, et Patrem putativum? Profero communem, et litteralem rationem, quod ut David septem annis in Hebron, triginta vero ac totum vitae tempus in Ierusalem super omnem Israel, ita Christus septem mundi aetatibus, hoc est, ab exordio mundi usque ad eius consummationem fidelibus est praefectus, qui per Iudam designantur, sicut per omnem Israel, universae procul gentes, et spiritus adversum quos proferet iudicium, ut Rex universorum in Ierusalem illa coelesti constitutus, quando, inquam, Pater subiecerit illi omnia, et inimicos statuerit scabellum pedum suorum. (pag. 63-65).

2798. « Ut profiteretur... ». Eo quippe venit pius ille et venerabilis Ioseph, ut ipse primum qui iudicabatur caput familiae profiteretur apud regulos Imperatoris, et aulicos servitutis professionem, una cum Maria excellentissima feminarum, quae pridem desponsata sibi divinitus fuerat: ac propterea velut de uxore praegnante, de ea reliqui sentiebant, licet non uxor agnita, sed Sponsa intacta, apud eum semper manserit.

2799. « Ut profiteretur cum Maria ». Eo enim, ait Euthym., facta est huiusmodi descriptio, ut cum omnes in sua metropoli describi oporteret, abiret et Virgo in Bethlehem, ac ipsum Christum in ea pareret, et prophetia impleretur, quae ait: « Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es inter principatus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel », Matth. II. Ac etiam, ut impleretur prophetia, subdit Theophilus, quae dicebat: Cessaturo multorum Deorum cultu, unum etiam Regem, nempe Caesarem, imperaturum. Unde in hoc, secundum S. Bonav. apparet, quomodo humanum imperium famuletur divino. Praecipiente enim Caesare, ut omnes in suam civitatem irent, et obedientibus eius imperio Maria et Ioseph, factum est quod neuter intendebat, scilicet, quod Christus nasceretur in Bethlehem, secundum quod erat aeternaliter dispositum, et temporaliter promissum, et vaticinatum, et prophetatum; et ideo non est contemnendum mandatum praepositorum aliquo modo, nam etsi onus grave, et importabile iugum, quod nec digito audeant ipsi movere, nec tangere, quin ut ignem diffugiant, atque regulum qui venena diffundit: tamen « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum », Rom. VIII, quod illis praeter omnium spem accidit, ut Iosephum e carcere ad regium sublevari currum; Danielem e servo, liberorum omnium et sapientum regni dominum fieri; et in reginam assumi ancillam Hester; et alios ex ignominiis, et mandatis probrosis et duris, quibus delectantur principes gentium, et pastores Israel qui pasci veniunt, et non pascere, ad augmentum gratiae promoveri apud Deum, et nonnunquam ad honores saeculi dum vivunt feliciter exaltari frequenter videmus; sed missis aliis, ad praesens spectaculum,

Digitized by Google

et Dei arcanum mentes et animum convertamus; venit Ioseph, venit Maria servitutem ante mortales profiteri, et accipit uterque in filium universarum Dominum, ac Principem libertatis, qui non tam servis, quam liberis omnibus dominatur, cuius nomen propterea est admirabile in universa terra.

2800. « Desponsata sibi uxore praegnante »; desponsatam dicit evangelista Mariam, ut Virginem fuisse insinuet. Uxorem nominat, ut coniugium verum inter Mariam et Ioseph declaret. Nam etsi Virgo desponsata apud eum mansit: uxor matrimonii (quod consensus animorum facit, non corporum) dicenda est Maria, quae ut alibi diximus sponsalia cum Ioseph celebravit, et matrimonii solemnitatem contraxit. « Vovit quidem Maria virginitatem, (ait Gerson in adnot. 5 epist. ad Galat. c. 1) vovit et ipse Ioseph, secundum Doctores, cui voto non repugnavit vera matrimonialis coniunctio, neque corporum mutua translatio: in quo matrimonio proles fuit, fides, atque Sacramentum ». « Gaude itaque Ioseph, concionatur Hieron. serm. 15 de nativit. Domini, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugii: quia per meritum virginitatis, ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris ». Pessumdentur ergo qui Mariae et Ioseph virginitatem laedunt, et qui matrimonium inter eos non admittunt, sed sponsalia desinant formidare: trepidant enim timore, ubi non est timor. Recte quidem, salvis omnibus, desponsata dicitur Maria a sponsalibus, et a matrimonio; nunc coniux, nunc uxor, eadem Virgo et Sponsa appellatur. Atque haec de nominibus, quibus haeretici antiqui, et novatores adversus virginitatem Mariae agere tentant, et labefactare hunc fidei articulum, ut virginitatem a ceteris tollant, aut liberius insimulent, et inquit Plautus, alba rete aliena captent bona; sed humectus videtur antequam veniat, et deprehenditur astutia, qua bellum adversus sanctos aggrediuntur. Unde tantum a mali propositi fructu aberunt, ut confusi abeant, blasphementur, et destruentur usque in finem, qui nescit abbreviationem; sed in perpetuum dilatatur. Exposita ergo nominum ratione, ad professionem, quam faciunt Ioseph, et Maria, necnon Christus in Matre, cuius censetur pars dum clauditur utero, redeamus. In ea enim, secundum Theophilum, Christus cum omnibus describitur; oportebat autem cum toto orbe censeri, ut sanctificaret eos qui censentur, aboleretque servitutem; quoniam sicut circumcisionem abolevit, ita descriptus sicut servus, servitutem naturae nostrae abolevit. Non enim ultra sunt servi, qui Domino serviunt, sicut Apostolus dicit: « Nolite fieri servi hominum ». I Cor. VII, sed tametsi corpore simus servi, spiritu tamen sumus liberi, neque cum impietate dominorum simul adducimur. « Haec ergo, concludit Ambros. lib. 2 in Luc., est professio prima, non terrarum, sed mentium, qua omnes profitemur, quia nullus excipitur, non praeconis evacuatione, sed vatis, qui multo ante praedixit: « Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, quoniam Deus summus, terribilis, Rex magnus super omnem terram », Psalm. XLVII. Denique cum Maria praegnante apud Romanos fecit Christus professionem, ut illustraret Romam, eamque mundi caput usque in finem constitueret. « Nec dubium, inquit Paulus Orosius in fine 6 lib., quin omnium cognitioni, fidei, inspectionique pateat, quod Dominus Noster Iesus Christus hanc Urbem nutu suo auctam, defensamque in hunc rerum apicem provexerit, cuius potissime voluit esse cum venit, dicendus utique civis romanus, census professione romanus ». Quantum autem inde acceperit Roma incrementum, docet Blondus in secunda parte suae historiae, quam de Roma innovata inscribit. Verum, quantum Maria, et Christus ex facto honorem sibi adscivere, docet paucis S. Bonav. dum eo dicere utrumque affirmat, omnem adimplesse iustitiam, et exemplum dedisse obtemperandi omni potestati superiori secundum illud: « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Dominum; sive Regi, quasi praecellenti; sive ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ». (pag. 153-154).

2801. « Invenerunt Mariam et Ioseph ». Illam quidem ut Matrem, hunc vero ut patrem putativum, seu potius ut matris ac filii ministrum, et paedagogum. Per Mariam autem, ait Lyra, quae interpretatur « amarum mare », significatur amaritudo poenitentiae, et per Ioseph, qui interpretatur « accrescens », significatur augmentum virtutis, et gratiae. Haec primo occurrunt illi qui ad Christi perfectionem aspirat, et imitari studet, ac sequi pauperem, et humilem: hinc sedulus Christi sectator, I Cor. IX: « Castigo corpus meum » et iterum: « Sequor si quomodo comprehendam ». Et quid sequitur? virtutem, quae operanti videtur semper fugere. Et corpus, qui castigatur? per poenitentiam, quam studiosus haud negligit, sed iugiter in corpore portat mortificationem, ne reprobus fiat ac fervens sorbens terram, sed spiritu fervens ac Domino serviens, quia dulcis et suavis est Dominus. Comedere ego fili mi mel huiusmodi, et favum dulcissimum gutturi tuo degusta, primum tamen festina Mariam cum Ioseph invenire (pag. 173).

Digitized by Google

2802. « Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae ». Quare per gratiam Dei, quae a Puero in iustos diffundebatur, excitati et inflammati circa divina, ibant devotissimi parentes eius, Maria, inquam, naturalis Mater, et Ioseph aestimatione pater, per omnes annos ut nec tempori cederent, neque parcerent laboribus; ibant quidem una cum reliquis in Ierusalem civitatem sanctam, ut satisfacerent Legi, quae ter in anno ad locum quem Dominus elegisset, adorare Deum praecipiebat cunctis, praesertim in die solemni Paschae, ob beneficium tam singulare quod in egressu ab Ægypto patribus fuerat concessum, ac consequenter posteris: quod scilicet, Ægyptiorum primogenitis extinctis, illaesi invenirentur Hebraei, et iis aperto mari salvatis, insequentes penitus operuisset fluctus. Hac igitur tam benefica die, benefactorem adorare properabant grati.

2803. « Et ibant parentes eius ». Post statum Christi qui omnium erat regula, parentum introducitur pius cultus, et religiosus, ut in hos velut in potissima sui corporis membra suae gratiae influxus dimanasse affluentissime adnotemus, quibus plus solito ad observantiam excitabantur. Incalescit quidem plus, quem sol abacta nube illustrat, quam qui solis luce sub nube perfruitur: ergo et parentes eius qui est sol iustitiae, ardore, amore, inflammatione. divinorum praestabant ceteris, ut qui plenum gratia penes se haberent, non a longe, sed prope, non sub caliginis latibulo, sed decorem indutum, et rutilantem flammis supra ignem et solem qui est nobis conspicuus. Quapropter ibant veloces ad Deum, qui bonus est: ad exercitia, quae iustificant; et ibant denique ad universa, quae Lex iubebat; quia dicebant: « Docet nos super iumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos » Tob. XXXV; sunt ii, angeli: homines, illi: super quos eruditos Mariam et Ioseph, quis dubitat? Etenim quem angeli nesciebant interrogantes: « Quis est iste qui venit de Edon? ». Is. LXIII, quis est iste Rex gloriae? Parentes eius agnoverunt, et complexati sunt quem periti in Lege ignorarunt: quia « In medio vestri stetit quem vos nescitis » Ioan. I. Ergo prae cunctis eruditi in divinis per splendorem Christi, ibant devotius, attentius, velocius, et frequentius, ad ea quae Patris erant coelestis. Hoc est quippe parentum, cum a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, super reliquos quaerere, sanctificare, non solum ut filiis exemplum ferant, sed ut honori quem sortiti sunt Patris satisfaciant. (pag. 223).

2804. « Ut putabatur filius Ioseph ». Nonne hic est filius fabri, dicebant olim Iudaei increduli, et subversores haeretici Ebionitae, et qui sequuntur Sternbegerum postmodum oblatrarunt: ex concubitu Mariae et Ioseph Iesus est ortus. Verum quos contra veritatem vocavit Pharaone nequior Satan, sapientes et maleficos, percutiet virga oris sui idem Iesus, et videbit omnis caro salutare Dei, non viri, sed feminae, nec hominis tantum, sed Dei Filium esse, ut ad quem Pater coelestis: « Filius meus es tu », Luc. III: Mater quae ex terra est quoque dicat: « Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei; quid dilecte votorum meorum? » Cantic. VII, 8. « Ad fidei enim plenitudinem, scribit Iulius papa ad Prosdocimum, Dei Filius ex Maria Virgine natus praedicatur ». « Alia namque ratione, subdit Theophilus Alexandrin. in epistol. Paschal., familiariter inter nos versari non poterat ». « Sed percunctabitur hic forsan aliquis, scribit Cyrill. Alex. ad monachos Ægypti, numquid dic age divinitatis Mater Virgo extitit? Respondet orthodoxus, Matrem quae initium dederit divinitati nemo admittat, sed quae peperit divinitatem in humanitate, cui extitit initium. Ut enim totius hominis dicitur Mater quae nos parit, licet anima a foris sit per se subsistens, ita Deiparam dicito Mariam, quae in hoc Deum peperit, licet Verbum ex ipsa non fiat sed per se aeternum sit in Patre manens. Hoc Catholicus credit, solumque putativum patrem admittit Iosephum ». « Et bene tunc quidem putabatur, inquit Ambros., lib. 3 in Luc., quia natura non erat: sed ideo putabatur, quia cum Maria quae Ioseph erat desponsata, genuerat ». In quo ostendit evangelista, secundum Sanctum Bonav., quod secundum generationem temporalem non habebat patrem verum sed putativum, quia de Virgine natus. Ostendit aeque quanto se exinaniverit Christus, qui cum in forma Dei esset, non solum servi formam accepit, sed generationem carnis suae consentiit communem, et peccatricem putari, non solum ut ab opinione adulterii matrem servaret, verum etiam ut nihilo habere doceret quae ab humanis pendent iudiciis, ut ille qui dixit: « Mihi enim pro minimo est ut a vobis iudicer », I Cor. IV. Siquidem nihil nocet in obscura nocte vocari Æthyopem, quando approximatur dies, qui illuminat mirabiliter: utcumque, conqueritur Iustus dum reputatus peccator, audit: « Ubi est Deus tuus? », Ps. CXIX. Hei mihi, inquit, quia habitavi cum habitantibus Cedar, hoc est nigris, qui me pariter nigrum culpa acclamant; multum incola fuit anima mea. Sed expecta, qui putaris nunc filius Ioseph, hoc est augmenti humani, quod in peccatis et iniquitatibus consistit ab utero; viriliter agere bene operans, et sustine Dominum, ut filia-

Digitized by Google

tionem huiusmodi in carne contractam, valeas in eam quae repromissa est filiis Ioseph secundum spiritum qui augmenta Domini inquirunt, in iisque de virtute in virtutem proficiunt, commutare: et a Patre coelesti audire: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, et decorus aspectu », Genes. XLIX. Filiae discurrunt super murum, hoc est Angeli et Sancti qui laetantur tuo profectu et iubilant omnes filii Dei, qui te non mortalis sed immortalis imagine decoratum et gratiis contemplantur: siquidem is est ille.

2805. « Qui fuit Heli ». Legunt Graeci, inquit Arboreus, cum articulo τοῦ Ἡλι, id est, qui fuit filius Heli. Verum quomodo Matth. Ioseph filium dixit Iacob, Lucas autem nunc filium Heli? quia, respondet Euthym., mortuo Heli sine prole, Iacob qui frater eius ex eadem matre erat, sumpta illius uxore, iuxta Legis praeceptum, genuit Ioseph. Et sic secundum Theophil. dicitur Ioseph esse filius Iacob, natura: filius autem Heli, lege. Ioseph ergo, infert S. Bonav., secundum carnem fuit filius Iacob, qui descendit per Salomonem, sed secundum Legem fuit Heli, qui descendit per Nathan. Et quoniam ad perfecte scribendum genealogiam Salvatoris oportuit eam scribi, et secundum Legem, et secundum naturam, et ideo Spiritus Sanctus hoc fecit per duos evangelistas: quia Matthaeus scribit legalem, et Lucas legalem. (pag. 292).

2806. Hymnus XXXIII.

Patrocinium Sancti Ioseph.

Carmen.

Pulchrum purpureo ridebat lumine coelum;
Iamque sub occiduo pallebant culmina sole.
Rara micant pulsis surgentia nubibus astra:
Vox properat; lacrymas tristi dant sidera nato,
Flentia terrigenas regni quos nulla cupido,
Iam movet aeterni, iam nulla pericula tangunt.
Longa Dei refugas capiunt oblivia mentes:
Despiciuntur opes, coelestia dona beandis,
Sanguine quos fuso, populis promiserat Auctor,
Immemoresque Patrem Servatoremque relinquunt.
Bella gerens Satanas mundo implacabilis hostis
Dum nova perdendis profert mortalibus arma,
Coulla volunt populi diro subiecta tyranno;
Magnaque turba ruit flammis tumulanda sub umbras.
Multaque dant miseris aeternam vulnera mortem.
Antraque dum populo complet dominator averni;
Impia gens peragrat, despecto numine, terras.
Crimina quem terrent: quem tristis regna Tyranni?
Ecquis habet dociles Christi sermonibus aures?
Candida me sacris recreat sapientia libris:
Hos lego dum iubar affulget; dumque incubat atra.
Vox populosque tenet coecante caligine mersos,
Sidera contemplans, feror alis mentis in alta.
Nunc revocare iubet Regem cui conditus orbis.
Iam cecini lacrymas pueri nascentis in antro;
Iam mea virgineam cecinerunt carmina Matrem:
Nunc celebrandus adest iucunda laude Maritus;
Virginis hic fruitur castae Vir castus amore;
Hic aluit puerum cui tellus conditur alma;
Cui pelagi parent fluctus; cui sidera fulgent.
Torpuit, heu, calamus referendis laudibus impar.
Te iuvet, o Gabriel me viscre lapsus ab astris:
Aedibus appare pulchra sub imagine nostris.
Lilia portendens circumdatus tempora lauro;
Nec pigeat digitis citharam pepulisse canendo.
Dulcia Tu referens tristi solamina nocte,
Carmine sidereo, memora iam facta Parentis:
Candida me radiis dum spargit luna serenis;
Inside. Iam celerem calamum mea dextera ducit.
Natus erat: veteris referebat nomina Ioseph:
Pulchra per Ægyptum praecesserat Ille figura:
Hunc Pater omnipotens fato revocaverat alto.
Virginis et Matris Sponsus sit munere dignus:
Pulcher ut emineat nascens sine crimine Ioseph,
Nobilitasque viro venienti prisca praeibat,
Eluiturque prius primaevi culpa Parentis,
Quam tenero mater porrexerit oscula nato.
Sanctus erat nondum vagiens cum duceret auras.
Sic vates templi cladem fleturus et urbis,
Tuque, ministerio magno functure, Ioanne,
Nondum lactanti sugentes ubera matris,
Vivitis ex animis eiecta labe parentis.
Quae data sunt quovis carismata tempore servis,
His cumulandus erat Iesum qui suscipit ulnis,
Officiumque Patris, divino munere, servat.
Nascitur, hoc pacto, pulcher, sine crimine Ioseph.
Creverat, ut palma, irriguis quam Libanus, undis,
Educat; ut coeli madefactaque lilia rore,
Floruit. Huic roseas vestibat iamque lanugo
Prima genas. Puerum rapiebat nulla voluptas,
Praeter amare Deum. Iuvenis formosus, honorem
Virginitatis amat; vitamque et cordis amorem
Consecrat Auctori, Cherubin quem multus adorat.
Ut Philomela nemus nocturnum cantibus implet,
Utque die tota suspiria pectore turtur
Ima trahit, Ioseph vox reddita nubibus ibat
Talis, et aethereas gemitu penetraverat arces.
Audierat Salomon: sic dulcia cantica pangunt:
O Deus, humana visurus imagine terras,
Conditor alme veni: vernat iam floribus hortus;
Iam frondent silvae; iam luget ab arbore turtur.
Turtur erat Ioseph, genitrixque futura Maria.
Virginitatis amor facit hos emittere vota;
Vota Deumque trahunt; florent sine labe Parentes.
Tum micat et pulchris fragrat virtutibus hortus,
Concelebranda domus, teneat quam Iesulus infans:
Incolat hanc Iuvenis; stent lilia candida circum,
Fulgidior Ioseph pellenti nubila luna,
Fulgidior Genitrix pellenti sidera sole,
Ambo magis puri magis et candoribus ambo
Albentes nivibus, coelum quas tollit ad ipsum,
Libanus aerio qui culmine sidera lambit.
Saecula divinus vates ventura canebat:
Coniugium celebrans, tum Christum carmine poscit,
Tum quae porrigeret Patri puer oscula Iesus,
Tum tenero Ioseph quae redderet oscula nato.
Libanus excelsas frondoso in culmine pinos,
Evehit et cedros; valles Carmelus obumbrat
Arboribus; caedit truncos operosa bipennis.
Inde manu Ioseph exercens ligna tenaci,
Commoda tum pueris faciens cunabula parvis,
Tumque viris, mensas, iam portas iamque fenestras,
Vir colit assiduis duram sudoribus artem.
Editus Hic atavis, generosa stirpe, monarchis,
Nobilis et pauper, dignus honore latebat.

Digitized by Google

Carus cognatis, nimium dilectus et Illo
Floscula cui nequeant abscondi vallibus imis,
Quem pelago nequeat sub concha gemma latere,
Forte venit templo, cum turba limina fervent,
Quaeritur et Sponsus coelesti Virgine dignus.
Dignus adest Ioseph: pateantque ut munera coeli,
Utque novum pandant miracula magna mantum,
Candida visa fuit coelo venisse columba,
Visaque purpureis revirescere floribus alma,
Virga faber pulchris manibus quam forte gerebat.
Tum populo veniens magno mirandus ad aras,
Virgineum digitum gemmis circumdat et auro;
Iunguntur dexterae: sic Ioseph ducitur uxor.
Post, aluit, multos, defessa fronte per annos,
Regem coelorum; nutu qui cuncta gubernat,
Regnaque terrigenis promittit pauper et exul.
O populi Ioseph magnum debetis amorem.
Quis non, coelituum, membris mortalibus esse
Praeditus et vellet, Ioseph ac munere fungi,
Exilioque pati magnos velut ille labores?
Quis non invideat tenerum cum coniuge natum,
Invideatque mori fuerat ceu mortuus ille?
Flens aderat magno tum Virgo moesta dolore;
Dulcia tum lacrymis reddebat funera Iesus;
Deficiensque manus Ioseph tendebat ad ambos;
Amboque tum manibus pallentem morte tenebant.
Ultima visuro Patres mandata debere;
Triste vale dicunt, dilectaque lumina claudunt;
Dormiit, ut tenerum Iesum requiescere in ulnis,
Viderat Ipse suis, palmarum tegmine gaudens,
Exul in Ægypto, cum viserat arma tyranni,
Tum puerum refovens, tum cantibus oscula miscens
Iam, venerande Senex, sed non in pulvere, dormi.
Lilia mixta rosis tibi fundunt laeta sepulchra:
Membris quam primum reditura est vita beandis:
Corpore gaudebis redivivo, morte triumphans,
Dextera cum veniet victrix aperire sepulchra:
Surges cum Iesu; laetus super astra parabis,
Tempore non multo celebret quos Virgo triumphos,
Post cum morte frui, Natus concesserit Illi:
Regnabunt solio; solio regnabis eodem.
Te, Patriarcha, manet dulcis sub marmore somnus.
Pallida ridentem vultum Libitina veretur;
Pulvere nec facie risus aboleverit unquam,
Queis recreatus erat subridens candidus Infans,
Laetis tum laribus Dominus retinendus et hospes,
Nunc cupidusque mori te iam laturus in astra.
Spiritus alme, tibi nullos dant fata timores:
Visurus pergens Abrahae felicia regna,
Pellis ibi veterem iucundo lumine noctem,
Candidus ut solem praecedit Lucifer umbris,
Christum praeveniens, laeta sic nocte refulges:
Tartareas tenebras rosea sic luce repellis.
Spes domibus moestis laetas iam fecerat umbras.
Aedibus ut magnus Patriarcha moratus in illis
Mirandus Patribus vasto concedit in antro,
Abstergens Adamus longos ob crimina fletus,
Ex oculis, tales referebat pectore voces:
Obtulit, heu, manibus sceleratis funera coniux;
Funera non metui, lacrymarum mortis et auctor.
Sponse beate, veni, citharis referendus ad astra.
Tunc loquutusque Noe: submersas fluctibus urbes,
Arvaque, tum silvas, cuntasque sub aequore gentes
Conspexi; populos servaverat arca futuros;
Terraque per nostros habitabitur usque nepotes.
Arca tibi melior, mundi Servator: ad alta,
Hic homines revocans, coelestia limina pandit,
Aethereasque domos; alternis gaudia regnis
Magnaque promittit populis sine fine beandis.
Has Abraham laudes laetanti reddidit ore:
Magnam tentavi rem; non tamen ipse peregi:
Morte Deum placans, et fuso sanguine Christus,
Te regem faciet cunctorum, teque Parentem.
Addidit haec Iacob: metuebam nocte furorem,
Fratris. Progenies visa est conscendere coelo:
Amplectens puerum, radiabas culmine in alto;
Teque Dei Patrem faciebat femina princeps,
Et soror, et summo tibi iam data munere coniux.
Ille per Ægyptum qui cesserat ante figura,
Tum citharam feriens, cantu retegensque futura.
Grandiloqua magnum Patriarcham laude canebat:
O Pater, o Ioseph regnans sine crimine salve.
Vir celebrande veni: nostro memoretur in antro,
Stella maris roseo fulgens candore Maria,
Quae tecum domibus felices condidit annos.
Magnus in Ægypto per te servatus alumnus,
Regnator coeli, per gesta incognita famam
Ingentem tribuet: claris resonantibus orbe
Iamque tubis toto, cunctis celebravere linguis.
Lilia dum generet vallis, dum silva columbas,
Dum nivibus celso fulgescant culmine montes,
Iesulus usque tuis pingetur pulcher in ulnis
Alma tuo Genitrix semper gaudebit amore:
Floribus ante focos, precibusque coletur imago,
Quae referat vestros ad solis lumina vultus;
Fulgidaque in templo thuris captabit honorem.
Deflentes populi te iam super astra vocabunt;
Auxilium poscent servanda sub aethere regna;
Tuncque Patronus eris, summo in discrimine ma-
[gnus,
Ereptum solium cum fleverit ille monarcha,
Cui sine labe Parens arriserit alma. Per illum
Servanda est puppis magnis agitata procellis.
Mira super tenebras fulgebit Stella Leonis:
Augur erit cernens flammantia lumina coelo.
Tum Pius et Ioseph ventura pericula pandens,
Omnia tentavit Christo instaurare. Triumphans,
Aeternus regnator eos non deerit unquam.
Ipse dabit claves, illis coelestia tradet,
Regnaque quae reserant, quae claudant tradet
[averni,
Servandosque greges quos verbo et sanguine pavit.
Eripient manibus sceptrum regale Tyranni;
Dextera quae claves rapiat non ulla sub astris.
Fatus erat Gabriel: rosea tum luce subebat.
Culmina iam retegens, stellis, Aurora, fugatis.
Penniger alta petit superas rediturus in arces;
Aethereasque domos, oculis quaerentibus astra,
Monstravit nostris coelestia regna patebant.
Rex aderat; solio Ioseph regnabat eodem,
Mater ibique manu pietatis sceptra tenebat.
Vestibus indutus niveis Patriarcha refulget;
Attrahit et risu iucundo et lumine moestos,
Qui exilio deflent, oculosque ad sidera tollunt.
Flentibus in terra solio tum prospicit alto,
Tum pede virgineo coelestia limina calcans,
Moesta fugat populis dilectis nubilo Ioseph,
Palmaque tum manibus, tum florida virga coruscat,
Almaque purpureos flores et lilia fundit,
In populos. Carmen pepigi recreatus odore.

(Raphael a Reyes, Soc. Iesu).

2807. **Memento.** — *Salutatio ad S. Ioseph.*

Ave, Ioseph, imago Dei Patris,
Ave, Ioseph, pater Dei Filii,
Ave, Ioseph, sacrarium Spiritus Sancti,
Ave, Ioseph, dilecte sanctae Trinitati,
Ave, Ioseph, magni consilii coadiutor fidelissime,
Ave, Ioseph, Virginis Matris sponse dignissime,
Ave, Ioseph, pater omnium fidelium,

Digitized by Google

Ave, Ioseph, custos sanctarum Virginum.
Ave, Ioseph, sacri silentii observantissime,
Ave, Ioseph, sanctae paupertatis amantissime,
Ave, Ioseph, exemplum mansuetudinis et patientiae,
Ave, Ioseph, speculum humilitatis et obedientiae,
Benedictus es tu inter omnes homines,
Et benedicti oculi tui, qui viderunt quae tu vidisti,
Et benedictae aures tuae, quae audierunt quae tu audisti,
Et benedictae manus tuae, quae contrectaverunt Verbum incarnatum,
Et benedicta brachia tua, quae portaverunt omnia portantem,
Et benedictum pectus tuum, in quo Filius Dei dulcissime requievit,
Et benedictum cor tuum, ardentissimo eius amore succensum,
Et benedictus Pater aeternus, qui te elegit,
Et benedictus Filius, qui te amavit,
Et benedictus Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit,
Et benedicta Maria sponsa tua, quae te ut sponsum et fratrem dilexit,
Et benedictus Angelus, qui te custodivit,
Et benedicti in aeternum omnes qui benedicunt tibi et qui diligunt te!

(Ven. Ioan. Eudes).

Digitized by Google

APPENDIX

I. — Acta S. Sedis de S. Ioseph [1].

DESPONSATIO B. M. V.

Commemoratio in hoc festo.

In Desponsatione B. V. M. non est facienda commemor. S. Ioseph, nisi constet de speciali concessione. N. 4044 ad Tit. IX.) die 5 Maii 1736.

2809. Ad dubium: An die 23. Ian. in festo Desponsationis B. M. V. sit facienda commemoratio Sponsi eius S. Ioseph tam in Officio quam in Missa? S. C. resp.: Servetur rubrica quae habetur in Officio Desponsationis. N. 4049 ad 3 die 23 Iunii 1736; N. 4056 ad 3 die 16 Febr. 1737.

2810. Omnibus Fratribus et Monialibus Ord. Min. S. Francisci indulgetur atque conceditur, ut in recitatione Officii Despons. B. V. M. cum S. Ioseph fiat ab ipsis commem. eiusd. S. Ioseph tum in utrisque vesp. tum in laud. et resp. etiam in Missa cum antiphonis et oratione a S. R. C. approbatis. S. R. C. 1. Iulii 1713. In una Ord. Min. Obs.

2811. Officium et Missa Desponsationis B. M. V. cum S. Ioseph recitatur in Dioec. Tudens. die 26 Nov., et in eis fit comm. S. Ioseph ante alias omnes Commemorationes. A multis tamen non fit talis comm., quam dicunt licitum non esse facere sine speciali concessione huius S. S. Quapropter quaeritur: an revera omittenda sit comm. S. Ioseph in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa Desponsationis B. M. V. iuxta Decretum, quod proferunt istius S. R. C. sub die 5 Maii de anno 1736 emanatum? Et si revera omittenda est, Orator humillime postulat pro illius extensione saltem ad Dioecesim Tudensem ob specialem Fidelium pietatem erga S. Ioseph Sponsum B. M. V.

2812. Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

2813. « Etsi fieri nequeat comm. S. Ioseph in Officio et Missa Desponsationis B. M. V., ubi non est concessa, attamen S. R. C. de speciali gratia annuit ut deinceps a Clero Civitatis ac Dioec. Tuden. ante omnes alias quascumque comm. in memorato Officio et Missa Desponsationis Deiparae, S. Ioseph eius Sponsi Commemoratio apponatur ».

2814. Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 17 die 23 Maii 1846.

VARIA DE S. IOSEPH.

Commemoratio.

2815. Consulendum SS.mo pro additione permissiva nominis S. Ioseph Sponsi B. M. V. in collecta: « A cunctis ». Et facta relatione S. S. benigne annuit. S. R. C. 17 Sept. 1815 in una Urbis et Orbis.

[1] Ex Collect. Gardellini, ex Bullario, ex actis Pii IX et Leonis XIII etc. Quoad decretorum vigorem, in praxi standum est novae collectioni authenticae, et recentioribus S. Sedis decretis cultus S. Ioseph generatim amplificativis; hic tamen omnia haec decreta et acta ponenda censuimus ad maiorem honorem S. Ioseph.

Digitized by Google

PIUS PP. VI.

2816. Emanavit nuper ad supplicationem dilectorum filiorum moderni decani nuncupati Cathedralis Ecclesiae Popayanensis in Indiis ac cleri eiusdem civitatis et dioecesis a Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis. videlicet:

Popayanen. in Indiis occidentalibus.

2817. Supplicationibus SS.mo Domino Nostro Pio PP. VI hodierno decano Ecclesiae Cathedralis Popayanensis in Indiis occidentalibus et clero eiusdem civitatis et dioecesis ob peculiarem devotionem, quam erga S. Ioseph B. Mariae Virginis sponsum profitentur, pro facultate peragendi in praefata civitate et dioecesi commemorationem praedicti S. Iosephi in Officio et Missa desponsationis eiusdem Beatae Mariae Virginis, Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem huiusmodi instantlis benigne annuendo, gratiam iuxta petita oratoribus benigne concessit. Die 15 Novembris 1787.

M. Card. Marefuscus, praefectus.

2818. Cum autem, sicut pro parte eorundem decani et cleri Nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Non obstantibus quibuscumque.

(Bull. Rom. Continuatio t. V. p. 470. Ed. Rom. 1847.

PIUS PP. VI.

2819. Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus Sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua suique populi erga Sanctum Iosephum devotione, in Officio et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis commemorationem eiusdem Sancti Iosephi eius Sponsi ab utroque clero suae civitatis et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat, Nos dictum modernum Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eius nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis Sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio Sancti Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis in Officio et Missa Desponsationis eiusdem Beatae Mariae Virginis peragi libere ac licite possit ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 30 Septembris 1785.

(Bull. Rom. Continuat. t. VII p. 447. Ed. Rom. 1843).

PIUS PP. VI.

2820. Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga Beatam Virginem Mariam et Sanctum Iosephum Sponsum, praecipuos dicti Ordinis patronos, devotionem, praesertim in Mexicana eiusdem Ordinis provincia summopere conduceret, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae huiusmodi tam in officio et in missa festivitatis Sancti Iosephi, quam in alia Desponsationis Beatae Mariae Virginis fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contigeret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosis Ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae tam in Officio et Missa festivitatis Sancti Iosephi quam in alia Desponsationis Beatae Mariae Virginis fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 9 Febr. 1787.

(Bull. Rom. Continuatio t. VII p. 693. Ed. Rom. 1843).

Dies festus, Ritus et Translat.

2821. Diem festum S. Iosephi, Sponsi B. M. V. deinceps perpetuis temporibus sub observantia et praecepto comprehendi, cunctosque Christifideles ubique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere et cessare debere, N. 598 die 8 Maii 1621.

2822. Officium S. Ioseph Sponsi B. V. M. cum novis antiph., versibus, lectionibus primi nocturni, respons. et capitulis approbavit et ab omnibus Christifidelibus tam saecul. quam regul.. qui ad horas canonicas tenentur, die 19 Mart. in festo S. Iosephi in po-

Digitized by Google

sterum recitari et in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3 Febr. 1714 annuente Clem. XI die 4 eiusd. mensis et anni.

(Bull. Rom. t. VIII p. 437).

2823. Occurrente festo S. Iosephi, quod est dupl. 2 class. in fer. 6 post Dom. Passionis (fest. 7 Dolor. B. V. M. quod est dupl. maius) faciendum est Officium de S. Iosepho ut dignius. N. 2883 ad 2 die 6 Maii 1679.

Vid. Septem dolor. B. V. M.

2824. Ad petitionem Episcopi Civitatis Angelorum in Indiis facultatem recitandi Officium transitus (obitus) S. Ioseph die 20 Iulii, S. C. resp.: Nihil videri concedendum. Siquidem irrepsit, ut credatur plerisque tali die obiisse S. Ioseph Sponsum B. V. M. et proinde celebretur transitus illius, cuius obitum Ecclesia celebrat die 19 Martii. Die autem 20 Iulii non Ioseph Sponsum B. V. sed Ioseph iustus, qui missus est in sortem cum Mathia, spiritum reddidisse fertur et quia tum Ioseph Sponsus Mariae nominatur iustus in Evangelio, ideo error inde manavit N. 2073 die 11 Septembr. 1660.

2825. Festum transitus S. Ioseph, Sponsi B. V. M. die 20 Iulii, cum in urbe prohibendum, tum extra Urbem omnino ne inducatur vel alio quovis pacto celebretur praecavendum esse et Breve Indulgentiarum R. P. D. Ugolinus repetat et laceret. N. 2081 die 20 Novembr. 1660.

2826. Ad dubium: An in anno, quo festo S. Ioseph cadit fer. 2, 3 vel 4 hebdom. mai., possint cantari duae missae, altera de feria, altera de festo, ubi est concursus Confraternitatis et totius populi, vel saltem possit fieri ab illis processio, aut etiam sit transferenda vel omittenda illo anno; et si non possunt cantari duae missae, an possit dici missa privata de S. Iosepho, faciendo postea processionem? S. C. resp.: In hebdom. mai. utraque omittenda. N. 2250 ad 1 die 4 Aug. 1663.

2827. Quando contingit transferri festum S. Ioseph et Annunciationis B. V. M. debet prius reponi festum, quod in Calendario celebrandum erat. N. 2988 ad 5 die 13 Iunii 1682.

2828. Ad idem dubium ut supra N. 2988: Quando contingit transferri S. Ioseph et Annunciationis B. V. M. festa ambo 2 cl. quaeritur: An recitari debeat prius Officium de Annuntiatione, non obstante decreto in contrarium, si tamen sit emanatum, ut affirmant nonnulli, ad hoc, ut fiat Officium altioris ordinis, saltem ratione personae, quamvis in ritu sint aequalia? S. C. resp.: Prius recitandum Officium translatum de Annunciatione. N. 3005 ad 6 die 28 Decembr. 1682; 28 Novembr. 1682 in Favent.; 30 Iunii 1689.

Decretum generale.

2829. Ad dubium: An occurrente festo S. Iosephi in fer. V mai. hebd. una cum Officio ipsius transferri debeat etiam obligatio audiendi missam ac vacandi ab operibus servilibus? S. C. respondit: Officium transferendum esse ad aliam diem iuxta rubricas; praeceptum audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus non esse transferendum, sed servandum esse in praedicta feria V, adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum ut eo die aliquae quidem missae privatae ante celebrationem solitae missae conventualis celebrandae pro praecepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in missa solemni eius diei, quo Ecclesia SS. Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur... N. 3289 die 13 Sept. 1692; n. 3294 ad 1 die 13 Sept. 1692 (Vid. etiam Bull. Rom. t. VII p. 307); 10 Ian. 1693 ad 13 in Galliar.

2830. Hae Missae dici debent cum Gloria et Credo. N. 4526 ad 15 die 7 Sept. 1816.

2831. Missa in praedicto casu dici non potest de S. Ioseph, etiam ubi est Titularis. Ibidem ad 16 Festum S. Iosephi concurrens cum festo S. Benedicti, Vid. S. Benedictus decr. n. 3702.

2832. Cum in Civitate et Dioecesi Lucana contra praescriptum Decreti Generalis die 13 Septembris 1692 occasione Festivitatis S. Iosephi Feria V in Coena Dom. occurrentis emanati, quo permissum fuit pro satisfaciendo praecepto dicta die plures Missas celebrari ante Missam conventualem, irrepserit abusus celebrandi in omnibus Ecclesiis tam Regularium quam Confraternitatum, ianuis semiapertis, plures Missas ante conventualem; propterea Episcopus Lucanus pro declaratione: An liceat a quibusvis Sacerdotibus in quacumque Ecclesia, seu Oratorio, etiam ianuis clausis, praeter Missam conventualem dictas Missas celebrari? humiliter supplicavit.

2833. Et S. eadem C.:

2834. Dictas Missas nedum non celebrandas, verum etiam prohibendas esse decrevit et declaravit: firmo tamen remanente Decreto Generali sub praedicta die emanato. N. 3922 die 28 Ianuarii 1719.

2835. Supplicatum fuit pro elevatione festi S. Ioseph a ritu dupl. 2 cl. ad ritum 1 cl. pro civitate et dioecesi Hispalen. S. C. resp.: Dilata et ad mentem. N. 4039 ad 1 die 26 Novembris 1735.

2836. Precibus Archiepiscopi Hispalen. pro elevatione Officii S. Ioseph dupl. 1 cl. S. C.

Digitized by Google

rescripsit: Pro gratia elevationis absque octava. N. 4041 die 21 Apr. 1736.

PIUS PP. VII.

2837. Quum V. Fr. modernus Archiepiscopus Valentinus ac dilecti Filii Capitulum et Canonici Cathedralis eius Ecclesiae nuper Nobis fecerint supplicari ut ob rationes et causas in eorum precibus enarratas dominicam secundam post Pascha festo S. Ioseph Sponsi Beatae Mariae Virginis cum officio et Missa, loco diei proprii 19 Martii, assignare in perpetuum pro civitate et dioecesi Valentina benigne dignaremur, Nos praenominatos Archiepiscopum Capitulumque et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, ut in posterum perpetuis futuris temporibus in Valentina civitate et dioecesi universa festum S. Ioseph Sponsi B. M. V. cum Officio et Missa loco diei proprii 19 Martii, libere ac licite celebrari possit ac valeat in dominica secunda post Pascha, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et ad hunc effectum festum huiusmodi transferimus praedictamque dominicam pro illo assignamus.

Datum Romae die 12 Decembris 1806.

(Bull. Rom. Continuatio t. XIII p. 73).

PIUS PP. VII.

2838. Quum, sicut Nobis exponi nuper fecerunt venerabilis frater Archiepiscopus et dilecti filii Capitulum Ecclesiae Cathedralis Valentinae, Nos alias ritum festi S. Ioseph Beatae Mariae Virginis Sponsi peculiariter in civitate et dioecesi ista servandum transtulerimus in perpetuum a die decima nona Martii ad dominicam secundam post Pascha; quumque iidem Archiepiscopus atque Capitulum cupiant nunc humiliterque deposcant super eodem ritu aliud a Nobis provideri opportune ac ut infra indulgeri, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus huiusmodi inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium ritum eiusdem Sancti praedicti a duplici secundae classis ad duplicem primae classis cum octava pro eadem civitate et dioecesi elevamus, atque ibidem in posterum diem ipsum XIX Martii inter feriales fore ac esse recensendum et tam praeceptum missam eo die audiendi quam cessandi a laboribus neminem amplius teneri declaramus atque decernimus.

Datum Romae die 15 Septembris 1807.

(Bull. Rom. Continuatio t. XIII p. 227).

Officium et Missa votiva.

PIUS PP. VI.

2839. Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus Sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ob maximam devotionem, qua uterque clerus et populus civitatis et dioecesis Sanctae Crucis della Sierra praedicta erga Sanctum Ioseph Beatae Mariae Virginis Sponsum (ut asserit) fervet in dies, Officium et Missam propriam eiusdem Sancti Ioseph semel in mense recitari et respective celebrari summopere cupiat, Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eius nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis Sanctae Crucis della Sierra in Indiis Officium et Missa propria dicti Sancti Ioseph semel in mense die non impedita sub ritu semiduplici (exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum vigiliarum sive cum ieiunio sive absque ieiunio, nec non feria secunda Rogationum, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae aut de festo duplici vel semiduplici translato) recitari et celebrari libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13 Septembris 1785.

(Bull. Rom. Continuatio t. VII p. 438. Ed. Rom. 1843).

PIUS PP. VI.

2840. Cum sicut dilectus filius modernus procurator generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum nomine superiorum et fratrum provinciae Mexicanae dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, provincia praedicta ad suae devotionis augumentum, Missam propriam Sancti Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis cum commemoratione desponsationis eiusdem, die decima nona cuiuslibet mensis cum cantu celebrare posse summopere cupiat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum a fratribus memorati Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum provinciae Mexicanae die decima nona cuiuslibet mensis celebrari possit cum cantu Missa propria Sancti Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis cum commemoratione de-

Digitized by Google

sponsationis eiusdem cum Sancto Iosepho, exceptis duplicibus primae et secundae classis, non omissa tamen missa conventuali de festo occurrente, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16 Iunii 1786.

(Bull. Rom. Continuatio t. VII p. 648 Ed. Rom. 1843).

PIUS PP. VI.

2841. Emanavit dudum a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Quiten.

2842. Ad magis promovendam devotionem, quae apud clerum et populum civitatis et dioecesis Quitensis in regno Peruano erga Patriarcham S. Iosephum Beatae Mariae Virginis Sponsum maxime viget, Reverendissimus hodiernus Episcopus una cum clero saeculari et regulari eiusdem civitatis et dioecesis pro indulto recitandi semel in mense die non impedita officium votivum cum missa praefati sancti patriarchae SS. D. N. Clementi PP. XIV humillime supplicarunt et Sanctitas Sua ex speciali gratia petitum officium cum missa a clero saeculari et regulari praedictae civitatis et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari et respective celebrari possint benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum ieiunio sive absque ieiunio, nec non feria secunda Rogationum, atque illis feriis, in quibus iuxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici vel semiduplici non translato. Die 8 Iulii 1769.

A. Card. Chisius praefectus.

V. Macedonius S. R. C. secr.

2843. Cum autem, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis necnon clerus et populus eiusdem civitatis et dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 12 Septembris 1786.

Bull. Rom. Continuatio t. VII p. 961 Ed. Rom. 1843.

PIUS PP. VI.

2844. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis Sancti Iosephi et animarum purgantium coemeterii hospitalis Bethlehem nuncupati civitatis SS. Trinitatis de Buenos Ayres in Indiis, quod ipsi pro eo, quod erga eumdem Sanctum Iosephum gerunt devotionis affectum, in septenario, quod in eius honorem quotannis celebrare consueverunt vel intendunt, unam missam votivam solemnem propriam, ut die eius festo, celebrari facere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem eo pro tempore existentibus confraternitatis praedictae confratribus, ut in posterum in eorum ecclesia per septem dies, in quibus quotannis peragetur dictum septenarium in honorem eiusdem Sancti Iosephi, una missa votiva solemnis propria, ut in die eius festo, ad instar votivae, quotidie, dummodo non occurrat festum duplex primae et secundae classis vel dominica aut feria privilegiata, celebrari libere ac licite possit et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 12 Iun. 1793.

(Bull. Rom. Continuatio t. IX p. 318).

PIUS PP. VI.

2845. Quum, sicut dilecti filii sodales titulo Sancti Iosephi et animarum defunctorum coemeterii hospitalis Bethlehem in ecclesia constituti civitatis de Buenos Ayres in Indiis exponi Nobis nuper fecerunt, pro eo ipsi, quo sunt incensi in patronum suum principem, studio ac pietate eius cultum invalescere in dies proferrique latius exoptent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut in praedicta ecclesia posthac die decima nona cuiusque mensis vel ea impedita, dominica sequenti celebrari una missa votiva propria valeat, ut in festo Sancti

Digitized by Google

Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis, cum cantu, duplicibus tamen primae et secundae classis exceptis rubricisque diligenter servatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 1 Apr. 1794.

(Bull. Rom. Continuatio t. IX p. 364).

PI S PP. VII.

2846. Cum, sicut dilecti filii clerus et populus civitatis et dioecesis Cusanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in S. Iosephum Beatae Mariae Virginis Sponsum afficiuntur devotionis affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, ut in posterum quotannis die decimonono uniuscuiusque mensis non impedito tamen officio novem lectionum ab utroque clero eiusdem civitatis et dioecesis recitari possit ritu semiduplici officium cum missa in honorem eiusdem Sancti Iosephi, ut in die proprio eius festi, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum ieiunio, sive absque ieiunio, feria secunda Rogationum ac iis in feriis, in quibus ex rubricarum dispositione sit reponendum officium de dominica sive de festo translato, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13 Septembris 1805.

(Bull. Rom. Continuatio t. XII p. 371).

LEO PP. XII.

2847. Quum, sicut venerabilis frater Raphaël Lazo de-la-Vega Episcopus Emeritensis Nobis exponi curavit, Christifideles illius dioecesis Divum Ioseph Beatae Mariae Virginis Sponsum praedictae Emeritensis civitatis patronum singulari et ferventi prosequantur devotione, cupiantque deinde quorumcumque anni mensium die decima nona eiusdem sancti missam votivam cum officio in universa praedicta dioecesi in posterum celebrari posse, praedictus Episcopus iteratis precibus a Nobis expostulavit, ut suae suorumque dioecesanorum devotioni Nostrae apostolicae indulgentiae calcar addamus: Nos igitur huiusmodi votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus atque permittimus, ut perpetuis futuris temporibus in universa Emeritensi dioecesi die decima nona cuiuscumque mensis, tempore tamen adventus, et quadragesimae ac omnibus et singulis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis exceptis, ac dummodo in die praedicta festum ritus maioris non occurrat, missa votiva cum officio D. Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis sub ritu semiduplici a clero tum saeculari tum regulari et a cuiuscumque ordinis monialibus servata in reliquis generali rubrica celebrari libere et licite possit et valeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die decima octava Aprilis 1828.

(Bull. Rom. Continuatio t. XVII, p. 354).

Commemoratio quotidiana.

Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

2848. S. Rituum Congregatio ad preces procuratoris generalis Carmelitarum discalceatorum congregationis Hispaniarum approbavit, ut singulis diebus in quotidiana commemoratione quae fit a dictis fratribus recitari possit in vesperis et laudibus immediate post commemorationem de B. Virgine sequens antiphona de S. Ioseph ab initio eorum erectionis patrono totius religionis.

Ant. Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuum; quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum.

Vers. Constituit eum dominum domus suae.

Resp. Et principem omnis possessionis suae.

Oratio. Sanctissime etc.

Die 31 Augusti 1669.

Festum de praecepto.

Ulixbonen.

2849. Populus Thomanen. nullius provinciae Ulixbonen, supplicavit ob devotionem quam gerit erga S. Ioseph praecipi servari in loco festum S. Ioseph de praecepto. Et SS. Rituum Congregatio respondit festum S. Ioseph sponsi B. Virginis Genitricis Dei Mariae ex praescripto Sedis Apostolicae in toto orbe celebrari debere de praecepto et eo die christifideles ab omni opere servili omnino abstinere teneri.

Die 21 Augusti 1632.

Angren.

2850. Idem agens pro Episcopo Angren. in eadem Sacra Congregatione supplicavit

Digitized by Google

praecipi in loco festum S. Ioseph servari de praecepto et supplicatione ad hanc Sacram Congregationem remissa eadem Sacra Congregatio respondit festum S. Ioseph non solum loco in praedicto, sed et in toto orbe esse celebrandum de praecepto et eo die ab omni opere servili abstinendum.

Die 15 Decembris 1632.

Festum I. Classis.

Indulgentiae.

Urbis et Orbis.

DECRETUM.

2851. Cum in patrocinio S. Ioseph sponsi B. Mariae Virginis maxima populo christiano iuvaminis et praesidii spes in dies effulgeat, Sanctissimus Dominus Pius Papa IX, quamplurium fidelium votis benigne annuens per rescriptum secretariae Brevium die 12 Iunii 1855 concessit omnibus christifidelibus peragentibus integro mense Martio pium exercitium, quod in libro Romae impresso continetur, cui titulus: « Considerazioni delle virtù del S. Patriarca Giuseppe a dedicargli il mese di Marzo », indulgentiam trecentum dierum quolibet die, plenariam vero in uno dierum mensis ad arbitrium eligendo, quo confessi et sacra communione refecti iuxta mentem Sanctitatis Suae oraverint.

2852. Nunc vero idem Sanctissimus, ut erga tantum coelestem patronum devotio magis magisque augeatur et illa precationis methodus facilius ac latius propagetur, in audientia 27 Aprilis 1865 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto clementer indulsit ut easdem indulgentias universi christifideles lucrari possint, dummodo pium aliquod precum ac virtutum exercitium per integrum mensem Martium peregerint ad instar illarum quae mense Maio in honorem B. M. V. solent persolvi, servato in reliquis tenore primae concessionis. Voluitque Sanctitas Sua has indulgentias animabus fidelium defunctorum per modum suffragii posse applicari et perpetuis futuris temporibus absque ulla brevis expeditione valituras.

Datum Romae ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 27 Aprilis 1865.

Fr. Antonius M. Card. Panebianco, Praefectus.

Loco † Signi

A. Colombo, Secretarius.

(Indulg. pia opera in hon. S. Ioseph exercitantium).

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

2853. Iam alias ab hac Apostolica Sede, ut nuper Nobis expositum fuit, concessae sunt indulgentiae tum plenariae tum partiales ab iis utriusque sexus christifidelibus lucrifaciendae qui pium quoddam exercitium, cuius exemplar in Nostrae secretariae Brevium tabulario asservatur, in honorem S. Ioseph Sponsi Deiparae Immaculatae peregerint. Huiusmodi pii exercitii ratio inter cetera in eo praecipue versatur, ut fideles illud praestantes unum anni diem, qui eidem S. Ioseph obsequiis et precibus colendo sit addictus, seligere debeant intendantque etiam ex singulorum obsequiis et precibus per vices in dies praestitis cultum veluti perpetuum B. Mariae Virginis Sponso exhibere; ideo praedictum illud exercitium etiam cultum perpetuum in honorem S. Ioseph Sp. B. M. V. appellarunt. Cum vero sicut quoque Nobis perlatum est, mirum in modum ubique inter fideles iam saepe memoratum exercitium seu cultus perpetuus mire diffusus sit, humiles enixaeque preces Nobis admotae sunt, ut pro fidelibus iterum coelestes indulgentiarum thesauros de benignitate apostolica reserare dignaremur. Nos quibus vel maxime cordi est, ut illum, qui Iesu custos et Deiparae Immaculatae Sponsus extitit, fideles perpetuo honore prosequantur illiusque praeclararum virtutum vere imitatores fiant, admotis Nobis supplicationibus obsecundandum censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praescripto pio exercitio seu cultui perpetuo in honorem S. Ioseph Sp. B. M. V. peragendo iam descriptis et pro tempore describendis, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti uno cuiuslibet mensis die eorundem fidelium arbitrio sibi eligendo statutas preces aliaque iniuncta pietatis opera in honorem S. Iosephi B. M. V. Sponsi rite praestiterint necnon quamlibet ecclesiam publicam devote visitaverint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. In con-

Digitized by Google

trarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae vel ostensae: necnon earum exemplar (quod nisi fiat nullas easdem esse declaramus) ad secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae iuxta decretum ab eadem S. Congregatione sub die 19 Ianuarii 1756 latum et a s. m. Benedicto PP. XIV Praedecessore Nostro die 28 dicti mensis adprobatum deferatur.

Datum Romae apud S. Petrum die 5 Iulii 1861.

Loco ✠ Sigilli

Pro Dom. Card. Pianetti

I. B. Brancaleoni Castellani, Substitut.

Nomen reponendum in Litaniis.

Urbis et Orbis.

Repositionis Nominis S. Ioseph in Litaniis maioribus.

Discursus R. P. D. Promotoris Fidei.

2854. In Congregatione SS. Rituum habita die 3 Februarii huius anni 1714 approbatum fuit pro ecclesia universali officium S. Ioseph, in quo praeter hymnos et lectiones secundi nocturni iam in Breviario Romano existentes superadditae fuerunt lectiones primi nocturni, capitula, antiphonae et responsoria ex novo potissimum testamento deprompta ita ut adimpletum fuerit desiderium Caroli Guyeti viri docti, eruditi et pii, qui in suo celebri tractatu de festis propriis lib. 3 cap. 16 p. 5 ita scriptum reliquerat: Miratus sum saepe saepius, cum tam multa suppetant ex evangelio, unde officium proprium de Sancto Ioseph Sponso B. Virginis texi facile potuisset, cur non saltem antiphonae aliquae aliquave responsoria deprompta fuerint, non hymni proprii inducti aeque ac de S. Magdalena, hocce praesertim tam pio tamque erudito saeculo, quo excitata est quae prius iacebat erga hunc Sanctum commendataque plurimum devotio.

2855. Exhibitus subinde fuit supplex libellus plurimorum, qui pio mentis affectu Sanctum Ioseph prosequentes enixe postulabant, ut Sedis Apostolicae auctoritate fas esset illius nomen in litaniis Ecclesiae maioribus reponere: nec enim haec et similia licite peragi possunt absque Summi Pontificis assensu, quemadmodum late probant Scacc. de not. et sign. Sanctor. sect. 10 cap. 3 pag. 783, Macr. in notit. vocab. Eccles. verbo Litania in fine, qui consimilium instantiarum examen remittere consuevit ad hanc SS. Rituum Congregationem iuxta bullam 122 Clementis VIII, Bull. tom. 3 in appendice, reservato sibi supremo de illis iudicio. Cumque Sacra haec Congregatio, ut moris est, responderit, quod audiretur fidei promotor, mandatis ea qua decet reverentia morem gero, et ut omnis de medio tollatur confusio praesens discursus in duas partes dividetur, in quarum prima tractabitur, an nomen S. Ioseph sit reponendus in litaniis maioribus, et in secunda, quatenus nomen apponendum sit, exponetur quo in loco sit recensendum.

Pars I.

In qua tractatur an nomen S. Ioseph sit reponendum in litaniis maioribus.

2856. Nulla penes me est difficultas, quin nomen S. Ioseph reponatur in litaniis maioribus; praetermissis enim illis excellentissimis praerogativis, quae a plerisque auctoribus S. Ioseph attribuuntur, qualis est illa, quod fuerit in utero sanctificatus, veluti post Ioannem Gersonem in sermone de Nativ. Virginis habito in Concilio Constantiensi plerique theologi docuerunt, quas late cumulat et sequitur Petrus Morales in capite primo Matthaei lib. 3, tract. 2, n. 13, et qualis pariter est alia, quod idem S. Ioseph corpore et anima coelos ascenderit et prope Christum Dominum post B. Virginem Mariam in sublimi gloriae throno fuerit collocatus, iuxta ea quae habentur apud S. Bernardinum Senensem tom. 3, art. 2, c. 1 et 2, pag. 473, col. 1 et 2, ibi: Pie quidem credendum est, quod piissimus Filius Dei Iesus pari privilegio decoravit suum putativum Patrem, sicut suam S. Matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die resurrectionis suae S. Ioseph in gloria resurrectionis secum, ut sicut illa sancta familia scilicet Christus, Virgo et Ioseph in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt in terris sic in amorosa gloria nunc et corpore et anima regnant in coelis iuxta regulam Ap. II ad Corinth. 1: « Sicut socii passionum estis sic eritis et consolationis », quam assertionem non improbabilem existimat eximius doctor Franciscus Suarez in 3 partem Divi Thomae tom. 2, disp. 8, sect. 2 in fin. Illud vero advertere non praetermittam ex quadam satis recepta sententia probabile fieri, Sanctum hunc corpore et anima glorioso cum Christo regnare, quia cum ante Christum mortuum fuerit verisimile est fuisse unum ex illis,

Digitized by Google

qui tempore mortis vel resurrectionis Christi surrexerunt, quos multi sentiunt ad immortalem vitam animae et corporis transiisse.

2857. Quandoquidem haec et similia firmum et stabile non habent in sacra theologia fundamentum, cum sanctificatio in utero tuto tantummodo asseri possit de B. Virgine, de Hieremia iuxta illud: « Antequam exires de vulva sanctificavi te » et de S. Ioanne Baptista iuxta illud: « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae »: nec videatur ad alios extendenda de quibus Scriptura non loquitur, iuxta doctrinam Divi Thomae 3 part. quaest. 27 art. 6 in corpore, ibi: Nec est credendum aliquos alios praeter videlicet Hieremiam et S. Ioannem Baptistam sanctificatos esse in utero, de quibus Scriptura mentionem non faciat, quia huiusmodi privilegia gratiae quae dantur aliquibus praeter legem communem ordinantur ad utilitatem aliorum secundum illud I ad Corinth. XII: « Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem », quae nulli proveniret ex sanctificatione aliquorum in utero nisi Ecclesiae innotesceret et quamvis iudiciorum Dei non possit ratio assignari, quare scilicet huic et non alii hoc munus gratiae conferat conveniens tamen videtur fuisse utcumque dictorum sanctificari in utero ad praefigurandam sanctificationem per Christum faciendam; et paulo post in responsione ad primum: ad primum ergo dicendum quod B. Virgo, quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Ioannes Baptista et Hieremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi, cuius signum est, ut B. Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter, aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent divina eos gratia protegente. Et concordat S. Bernardus in celebri epistola 174 ad Canonicos Lugdunenses: « Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum firmissime cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut sancta prodiret, et Hieremia siquidem lego, quod priusquam de ventre exiret sanctificatus sit et de Ioanne Baptista non secus sentio, qui ex utero Dominum in utero sensit ». Cumque assumptio S. Ioseph ad coelum in corpore et anima dependeat ab illa celeberrima inter partes theologosque controversia an illi, qui cum Christo Domino resurrexerunt, ad immortalem animae et corporis vitam transierint. Licet enim de fide sit, patres illos resurrexisse secundum illud Matth. XXVII: « Monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt », non est tamen concors sanctorum interpretum opinio, an illi videlicet resurrexerint iterum morituri, vel potius resurrexerint ad immortalem uti diximus animae et corporis vitam, teste Divo Thoma 3 p. quaest. 53, art. 3 ad 1, ibi: Ad secundum dicendum, quod de illis qui resurrexerunt cum Christo duplex est opinio, quidam enim asserunt quod redierunt ad vitam tamquam non iterum morituri etc. Augustinus autem sentire videtur, quod resurrexerint iterum morituri etc. et rationes Augustini multo efficaciores videntur.

2858. Multa sunt inconcussa et ex ipso evangelii fonte deprompta, quae et gratias gratis datas et gratum facientes Sancti Ioseph plenissime ostendunt; utque cetera praetereantur, certum est ipsum fuisse intemeratum B. Virginis Sponsum, iuxta illud Matthaei cap. I: « Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph antequam conveniret inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, Ioseph autem vir eius cum esset iustus et nollet eam traducere voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph a somno fecit sicut praecepit ei Angelus Domini et accepit coniugem suam et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum et vocavit nomen eius Iesum ». Certum est quoque ipsum S. Ioseph nomen et existimationem obtinuisse Patris Christi, adeoque in evangelio S. Lucae cap. III habetur: « Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph », et in evangelio S. Matthaei XIII: « Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria et fratres eius Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas? » et rursus in citato evangelio S. Lucae cap. II: « Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Certum est pariter Christum Dominum fuisse subditum S. Ioseph quemadmodum pariter legitur in eodem evangelio S. Lucae cap. II: « Et descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis », non ex debito, sed ex usu iuxta ea, quae bene ponderantur per Franciscum Suarez 3 partem Divi Thomae tom. 2, disput. 8, sect. 1: « Quamquam hoc magis

Digitized by Google

significet usum quam debitum, quia revera Christus propter dignitatem suae personae nulli hominum proprie subiectus fuit, tamen ad dignitatem Ioseph declarandam satis est, quod praecise considerata humana conditione et origine Christus futurus erat iure subditus Ioseph et quod licet ratione divinitatis esset exemptus, tamen de facto voluit illi esse subiectus eique tamquam patri ac superiori obedientiam honoremque deferre ». Certum est denique saepe memoratum S. Ioseph iustum fuisse in sacro textu appellatum : « Ioseph autem vir eius cum esset iustus » : et iuxta S. Scripturae phrasim idem est iustum esse ac omnes possidere virtutes, iuxta illud Lucae 1 : « Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela ; adeoque ad rem subdit S. Ioannes Chrysostomus homilia 4 in Matthaeum : « Ioseph enim vir eius, inquit, cum esset iustus, iustum hic in omni virtute dicit esse perfectum ». Haec autem omnia satis aperte demonstrant maximopere congruum esse, ut nomen viri tanta et tam eximia sanctitate celebris in litaniis Ecclesiae maioribus reponatur, veluti omissis generalibus in specie argumentatur Isidorus de Isolanis theologus Ordinis Praedicatorum in sua Summa de donis S. Ioseph, Adriano VI Summo Pontifici dicata, p. 4, cap. 7 : « His itidem rationibus nullo modo conticendum in litaniis est nomen eius ».

2°59. Multiplici potissimum concurrente circumstantia, quarum prima est, quod nomen S. Ioseph non solum nunc est, sed ab antiquo tempore fuit appositum in litaniis patrum Praedicatorum. Nunc autem praedictum nomen est in litaniis dictorum patrum cum legatur in litaniis impressis in missali eorum Romae edito et confirmato litteris apostolicis sac. mem. Innocentii XI. Fuit quoque illud idem nomen ab antiquo tempore in litaniis appositum, quia licet anno 1467 non esset in illis, ut desumitur ex breviario ipsorum patrum manuscripto et existente in celeberrima Casanatensi bibliotheca, anno tamen 1551 illud iam erat in litaniis eorumdem, uti habetur in psalterio chorali dicti Ordinis impresso Venetiis apud Iunctas anno 1551, quod pariter existit in bibliotheca Casanatensi et ex breviario eiusdem Ordinis sub Generali Romeo impresso Venetiis apud Iunctas anno 1552 et confirmato per litteras apostolicas in forma brevis Summi Pontificis Iulii III, quod breviarium est in archivio S. Mariae supra Minervam. Hoc autem exemplum aliqualiter conducere dicendum est ad comprobationem assumpti de quo nunc agitur, ita ut sicuti nomen S. Ioseph ab antiquo tempore est repositum in litaniis maioribus patrum Praedicatorum, ita accedentibus huius S. Congregationis consilio et SS. Domini Nostri approbatione reponi illud idem nomen valeat in litaniis maioribus universalis Ecclesiae, ut in simili observatum vidimus in festo Conceptionis B. Virginis Mariae; illud enim ex tolerantia S. Sedis in aliquibus ecclesiis olim celebrabatur, teste Divo Thoma 3 part., quaest. 27, art. 2, ibi : « Ad tertium dicendum, quod licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium: unde talis celebritas non est totaliter reprobanda » ; post illius cultum a pluribus Romanis Pontificibus ampliatum SS. tamen Dominus Noster divina providentia Clemens Papa XI praedictum Conceptionis festum ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus sicut alia festa de praecepto servandum mandavit et celebrandum, ut ex notissimo constat diplomate, quod per extensum refert pater Ioannes Antonius de Panormo meritissimus huius S. Congregationis consultor in suo Scrutinio doctrinarum cap. 16, art. 9 sub n. 12.

2860. Secunda circumstantia est, quod olim in litaniis quoque maioribus universalis Ecclesiae nomen S. Ioseph erat repositum, nec ullum reperitur decretum, quod illud a praedictis abstulerit litaniis, idque facit, ut illud sit in iisdem litaniis reponendum, si non ex nova concessione, medio saltem reintegrationis omni iure debitae, nulla cadente dubitatione in eo, quod attinet ad existentiam nominis S. Ioseph in litaniis maioribus universalis Ecclesiae, cum illud expresse legatur in litaniis impressis in missalibus romanis editis anno 1541, anno 1557 et anno 1563, quae extant in nostro archivio Vaticanae Basilicae, nullaque pariter cadente dubitatione in eo quod spectat ad aliam assumpti partem, quod videlicet nullum extet decretum, quod a litaniis universalis Ecclesiae nomen abstulerit S. Ioseph; de solo siquidem S. Pio V legitur, quod officium quoddam proprium S. Ioseph prohibuit et quod concessit officium de communi confessoris non Pontificis cum oratione propria et tribus lectionibus secundi nocturni ex S. Bernardo desumptis, ut bene adnotavit Adrianus Baillet in vitis Sanctorum gallica lingua conscriptis in vita S. Ioseph, cumque id factum fuerit, ex quo in officio illo proprio S. Ioseph aliqua reperiebantur, quae non erant undequaque tuta, quales erant signanter antiphonae ad vesperas sequentibus verbis conceptae: Coelesti Pontifex doctus oraculo virgae florentis Ioseph viso miraculo atque columbae apparentis indicio iubet Mariam tradi

Digitized by Google

Ioseph connubio ut impleretur divina dispensatio; Beatissima siquidem Virgo ab Isaia propheta describitur sub figura virgae de radice Iesse egredientis et ex hac locutione figurata nonnulli ascetici occasionem arripuerunt id accipiendi pro re facta et pro iudicio divino, ut sacerdotes cognoscerent S. Ioseph a Deo in Mariae sponsum fuisse destinatum, uti bene animadverterunt continuatores Bollandiani in vita S. Ioseph in commentario historico § 1 num. 8: « Non sunt evangelico textui usquequaque conformia, quale est illud de S. Ioseph virga prae ceterorum omnium cognatorum virgis instar Aaronicae illius frondente, quo prodigio cognoverint sacerdotes templi B. Virginis coniugio ipsum esse prae omnibus divinitus destinatum, nempe B. Virgo Maria ab Isaia propheta describitur sub figura virgae de radice Iesse egredientis, quae inusitato prodigio foecunditatem iungens virginitati mirabiliter floruit, quae eadem cum matrimonii lege in ius possessionemque Ioseph transisset, data est occasio locutionem figuratam quasi pro re facta accipiendi et ariolam virgam tribuendi Ioseph, quae divina Spiritus Sancti virtute viruerit ». Nemo idcirco est, qui non videat, hoc nihil habere commune cum nomine S. Ioseph a litaniis universalis Ecclesiae auferendo et consequenter nullum extare decretum, quod illud a litaniis abstulerit, et sic a primo ad ultimum fortissimam concurrere in hypothesi nostra circumstantiam pro nova repositione sive reintegratione saepe recensiti nominis S. Ioseph in saepe memoratis litaniis universalis Ecclesiae.

2861. Tertia circumstantia est quod quidquid sit de antiquiori Ecclesiae disciplina, de qua infra tractabitur, habet hodie S. Ioseph maximum in Ecclesia universali cultum, tum quia habet officium duplex et proprium, tum quia eius festum est de praecepto in tota universali Ecclesia, uti habetur in constitutione 291 Urbani VIII, Bull. tom. 5, eiusque nomen est in martyrologio romano. Si ergo S. Ioseph amplissimum habet per totam Ecclesiam cultum, congruum etiam consequenter esse videtur, ut eius nomen in litaniis maioribus reponatur, litaniae etenim, quae a primis apostolicis temporibus ortum suum habuerunt, teste Nicolao Serario, de litaniis lib. 1, cap. 4, pag. 62, ibi: « Denique nullus ab Agiomachis hactenus vere prolatus fuit vel deinceps proferri poterit, qui in litaniam Sanctos primus induxerit, uti iam dicetur, ideoque a primis apostolicisque temporibus profectum non absurde colligitur », nihil aliud sunt quam catalogus sanctorum, qui a fidelibus rite et licite invocari possunt. Teste Fortunato Scacco, de notis et signis sanctitatis sect. 10, cap. 3, litaniae habent rationem cuiusdam catalogi sanctorum, qui a fidelibus rite ac licite coli et invocari possunt.

2862. Quarta denique et ultima circumstantia residet in hoc, quod in benedictione aquae quae fit in vigilia Epiphaniae iuxta Rituale Romanum nonnullae recitantur litaniae et in his repositum est nomen S. Ioseph; in vigilia siquidem Epiphaniae post completorium vel etiam lecta nona lectione in matutino sacerdos indutus sacris vestibus cum pluviali et diaconus et subdiaconus sacris sui ordinis vestibus induti, praecedentibus accolitis cum cereis et cruce et thuribulo et aliis sequentibus clericis, veniunt ad locum ubi paratus est alveolus cum aqua illumque statis ab Ecclesia caeremoniis benedicunt: mos hic sacer est perantiquus et originem habuit ex quo in festo Epiphaniae olim baptismus maxime frequentabatur. Viget ille in orientali Ecclesia eiusque meminit S. Ioannes Chrysostomus in homilia de baptismo Chrysti: « In hac solemnitate, sub mediam noctem cum omnes aquam acceperint, domum calices referunt et recondunt, et per integrum annum conservant utpote quod hodierna die sanctificatae sint aquae »; ferebatur enim Christum Dominum hac ipsa die baptizatum fuisse a S. Ioanne, fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno atque biennio et triennio saepe quae hodie fuit hausta incorrupta et recens permanet, ac post tantum temporis cum iis quae nuper fuerint fontibus educta certat. Viget et idem mos sacer in Ecclesia occidentali, ut pluribus ostendit eruditus Edmundus Martene in tractatu de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis tom. 4, cap. 14, num. 2. Et hodierna die Romae quotannis fit in ecclesia Archiconfraternitatis Stigmatum S. Francisci. Approbatus est ille ab Ecclesia Romana adeoque in Rituali Romano edito iussu s. m. Pauli V eiusque apostolico diplomate confirmato caeremoniae describuntur et orationes inseruntur peragendae et respective recitandae in illa aquae benedictione cumque inter ceteras orationes particulares quaedam adsint litaniae in quibus, uti diximus, insertum est nomen S. Ioseph: circumstantia haec operatur, ut illud idem nomen in litaniis maioribus universalis Ecclesiae videatur reponendum, cum nulla dispar assignari possit ratio, cur tale nomen in litaniis maioribus universalis Ecclesiae videatur non reponendum, cum nulla dispar assignari possit ratio, cur tale nomen legatur in litaniis ab Ecclesia approbatis pro aquae benedictione et contra legi non valeat in litaniis maioribus Ecclesiae universalis.

Digitized by Google

2863. Non obstare posse existimarem si dicatur, quod iuxta antiquiorem Ecclesiae disciplinam cum magna cautela procedebatur in his quae spectant ad cultum S. Ioseph, hinc inferendo nullum esse posse locum repositioni nominis illius in litaniis; veritas etenim est, quod iuxta priora Ecclesiae tempora non erat adeo amplificatus cultus S. Ioseph, sed ex his deduci nequit non esse illius nomen hic et nunc in litaniis reponendum. Quod autem veritas sit, non fuisse prioribus Ecclesiae temporibus adeo cognitum et amplificatum cultum huius celeberrimi Sancti, patet quia tantummodo initium illius in Ecclesia occidentali referri potest ad finem noni saeculi adeoque videmus nec Usuardum nec Adonem S. Ioseph meminisse in suis martyrologiis, uti bene animadvertit Adrianus Baillet in vitis sanctorum, in vita S. Ioseph, saeculoque undecimo cultus ille incrementum accepit et talis incrementi causa adscribitur fratribus Carmelitis, qui ab Oriente in Occidentem transtulisse dicuntur laudabilem consuetudinem ampliorem venerationem praestandi tanto viro, iuxta ea, quae plene referunt continuatores Bollandiani in vita S. Ioseph in commentario historico § 3 n. 14, Tillemont in memoriis sex primorum saeculorum Ecclesiae in vita S. Ioseph p. 83, cumque institutum patrum Carmelitarum secutae sint ceterae religiosae familiae et signanter illa S. Francisci et altera S. Dominici, saeculis decimoquarto et decimoquinto sicuti late demonstrant praedicti continuatores loco citato n. 16, maximopere in idipsum cooperante S. Theresia, quae S. Ioseph cultum per totam Hispaniam propagavit teste Adriano Baillet loco citato, propter eximias videlicet gratias, quas eadem a Domino obtinuerat eius intercessione, ut ipsa testatur in sua vita cap. 6 et cap. 32, et latissime confirmant Didacus de Yepez lib. 2 vitae S. Theresiae cap. 27, Elias a S. Theresia in suo opere, cui titulus: Legatio Ecclesiae triumphantis ad militantem; in apparatu, paulatim factum est, ut maxima dicti cultus amplificatio secuta sit, sicuti bene adnotavit eruditus vir Franciscus Maria Florentinus in suis notis ad martyrologium ad diem 20 Martii, ibi: Quamquam anteactis saeculis sancti patres magnae venerationis testimonia de S. Ioseph non retulerint certum tamen est, posterioribus sancti viri cultum celebriorem esse et postremis saeculis ecclesiam templis, aris, sodalitatibus, encomiis magis in eumdem fuisse propensam, accedentibus praeterea Summorum Pontificum concessionibus; in breviariis enim editis tempore Sixti IV illius officium erat simplex et temporibus Innocentii VIII ad ritum duplicem elevatum est et quamvis dies S. Ioseph non esset per universalem Ecclesiam festiva tempore Ioannis Gersonis, videmus siquidem eumdem plures de hoc argumento conscripsisse epistolas, quae legi possunt in eius operibus t. 4 sicuti solide ponderat Thomassinus in suo tractatu de festis lib. 2 cap. 22 num. 11, idem nihilominus Sixtus IV Summus Pontifex multas veteribus solemnitates adiunxit ut Conceptionis, oblationis B. Virginis Deiparae, Sanctorum Annae, Ioseph et Francisci, quas in Ecclesia celebrari iussit; sed quia forte decretum illum non habuit executionem vel celebrationem festi de praecepto non importavit, anno 1621 praevio huius S. Congregationis consilio die 8 Maii Gregorius Papa XV illius observantiam tamquam de praecepto demandavit, iuxta ea quae late refert Ioan. Bapt. Thiers de festorum dierum diminutione cap. 56 pag. 389, et sequitur Guyet. de festis propriis sanctor. lib. 1, cap. 1, quaest. 12, ibi: « Festum S. Ioseph licet actis retro saeculis omnibus prope calendariis incognitum manserit, magno tamen huius saeculi bono ac decore a Sixto IV primum calendario romano insertum et a Gregorio XV anno 1621 publicae etiam feriationis praecepto auctum ubique deinceps celeberrimum evasit et confirmavit Summus Pont. Urbanus VIII in constitutione iam supra recensita ». Quod vero ex his inferri non possit nomen S. Ioseph non esse hic et nunc in litaniis reponendum nullo negotio demonstratur; si enim auctoritate S. Sedis et ex consensu universalis Ecclesiae cultus S. Ioseph posterioribus saeculis incrementum accepit, iterum reviviscit assumptum congruitatis, ut videlicet post descriptionem in martyrologio, post officium proprium extensum ad Ecclesiam universalem, post festum illius factum de praecepto, illius quoque nomen in litaniis recensetur vel mediante novo decreto vel mediante reintegratione omni iure debita, iuxta ea, quae in superioribus dicta sunt.

2864. Multoque magis, quia investigando causas, propter quas primis Ecclesiae saeculis incognitus quodammodo dici poterat cultus S. Ioseph, quisque facili negotio deprehendere poterit illas posterioribus non esse applicabiles et sic consequenter non valere argumentum, quod si primis saeculis non habemus vestigia cultus huius Sancti non debeat hic et nunc esse locus ampliationi illius et sic repositioni nominis in litaniis Ecclesiae universalis. Causae ad tria potissimum capita reducuntur, quorum primum est, quod ille descendit ad limbum, secundum quod pertinere videtur ad vetus testamentum, et tertium, quod haeretici suspicari possent illum non putativum sed naturalem haberi Patrem Redemptoris Nostri Iesu Chri

Digitized by Google

sti, ut recte admonuit S. Bernardinus Senensis in sermone de S. Ioseph art. 2, cap. 2, pag. 482, col. 1 in principio, tom. 3: « Ecclesia non multum solemnitatum eius ordinavit, primo quia ad limbum descendit et ad vetus pertinet testamentum, secundo propter vitandum scandalum haereticorum, unde nec nominant eum patrem, nisi cum determinatione scilicet putativi ». Descensus certe ad limbum nullum praestare potest obstaculum, nec in abstracto loquendo, nec in concreto: non in abstracto quidem, quia plurimorum Sanctorum veteris testamenti mentio fit in martyrologio romano non obstante, quod ad limbum descenderint, signanter Sanctorum Malachiae, Habacuc, Micheae, Agabi, Amos, Ezechielis, Hieremiae, Iob, Elisei, Aaron, Oseae et Aggaei, Ioelis et Esdrae, Isaiae, Eliae, Danielis, Samuelis, Iosue, Gedeonis et Annae prophetissae, Zachariae, Ionae, Abrahae, Abdiae, Nahum, Sophoniae, Ananiae, Azariae, Misaelis et Davidis, et non obstante pariter descensu ad limbum solemni celebritate recolitur memoria praecursoris Domini S. Ioannis Baptistae necnon martyrum Machabaeorum, quorum festum celebrari non posset, si descensus ad limbum impediret ne cultus praestaretur illis, qui in praedicto loco steterunt, uti bene argumentatur S. Bernardus epist. 98: Quaeris itaque quidnam visum patribus fuerit, ut solis ex omnibus antiquis iustis singulari quodam privilegio Machabaeis annuam celebritatem pari cum nostris martyribus veneratione decernerent in Ecclesia solemniter exhibendam? Si dixero dignos merito martyrum gloria iudicatos, quibus non impar fuit in martyrio virtus, erit forsitan solutum, cur ipsos, sed nedum plane cur solos, cum et alios nonnullos ex veteribus pari constet zelo pietatis occubuisse, non tamen pari et tripudio recoli meruisse. Quod si illis non immerito huiuscemodi negatur solemnis celebritas, quia nimirum quod praebuit virtus perhibuit tempus, cur non eadem fuit in Machabaeis consideratio? Siquidem et ipsi pro tempore non ad coeli mox gaudia sed ad inferni tenebras descenderunt, ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis qui aperiret credentibus regna coelorum, agno videlicet de tribu Iuda, qui aperit et nemo claudit, ad cuius introitum cum omni auctoritate supernis potestatibus diceretur: « Tollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae ». Proinde si incongruum videtur cum gaudio recolere transitum, qui gaudii non fuit, caveatur et in istis. Aut si istos ob suae virtutis meritum festivo prosequi favore placet, cur non itidem deferetur et illis? Et quod caput est multo minus descensus ad limbum impedire valet in concreto, ne nomen in litaniis reponatur, tum quia in litaniis universalis Ecclesiae invocantur omnes sancti patriarchae et prophetae tum quia in litaniis pro animae commendatione invocantur Sancti Abel et Abraham sicut bene ad rem argumentatur Castillan. in tractatu de canonizat. Sanct. quaest. 4, num. 78, Lezan. consultat. 3 n. 102 et sequent., Raynaud. tom. 15 heteroclit. spiritual. punct. 5, num. 15, pag. 278, Guyet. de festis propriis Sanctorum lib. 1, cap. 5, quaest. 8.

2865. Idemque iudicium ferendum est de secunda causa, quod scilicet S. Ioseph ad vetus pertineat testamentum vel quia Sancti etiam veteris testamenti iuxta supradicta coluntur in Ecclesia, uti praeter supra cumulatas bene ostendit Secarius in tractatu de litaniis par. 2, quaest. 17, vel quia proprie et absolute loquendo dici nequit Sanctum Ioseph ad vetus testamentum pertinere, sicuti docuit Suarez in tertiam partem divi Thomae 2 disput., 8, sect. 1 in fine: Officium autem Ioseph non pertinet ad novum testamentum neque proprie ad vetus sed ad utriusque auctorem et lapidem angularem, qui facit utraque unum; et sequitur saepe memoratus Guyet. de fest. propriis Sanctor. lib. 1, cap. 5, quaest. 8: « Idemque potiori iure assero de iis Sanctis, qui licet ante Christi passionem atque adeo ante conditam gratiae legem e vivis excesserint pertinere tamen ad evangelii statum ex eo vel maxime reputandi sunt quod ab ipsomet evangelista commendentur aut certe quod Christum ipsum propinquitate seu carnis affinitate proxime attingant, quales sunt Zacharias et Elisabeth, Simeon senex et Anna prophetissa ut taceam Ioachim et Annam Virginis Deiparae parentes Sanctissimae, Ioseph sponsum eius castissimum, Ioannem denique Christi ipsius Domini Nostri Baptistam ac Praecursorem ». Cumque pro adaequato assumpti examine nihil aliud supersit, quam verba facere de tertia causa, occasione videlicet, quae ab eximio cultu S. Ioseph derivari potest existimandi illum non haberi pro patre putativo sed naturali Iesu Christi Domini nostri, quemadmodum haec et similia bene congruebant temporibus, quibus mysteria fidei adeo perspecta non erant, ita inapplicabilia censeri debent subsequentibus et postremis temporibus in quibus fides iam est satis corroborata, secundum ea, quae pie ac docte insinuarunt continuatores Bollandiani in vita S. Ioseph in commentario historico § 2 in principio: « Eadem causa, quae potuit movisse Deum, ut antequam filium suum mundo et Iudaeis manifestaret putativum illius patrem Ioseph tolleret ex hac vita, videtur

Digitized by Google

etiam inter plures alias posse allegari, ob quam Divi Ioseph non aeque ac Virginis Deiparae cultus una cum christiana fide fuerit toto orbe propagatus per Apostolos vel saltem ab Apostolorum successoribus aeque ac sanctorum martyrum institutus. Semper periculosum videbatur rudibus in fidei mysteriis gentibus eum magnopere praedicare, cuius commendatio frequens virginei partus fidem posset utcumque labefactare, et ad vetus testamentum pertinere videbatur. Ioseph ante promulgatam legem gratiae mortuus, pro cuius defensione occisi martyres utilius proponebantur honorandi ad excitamentum fidelium inter persecutiones certantium. Fide tamen iam satis corroborata et ecclesiastici cultus honore etiam ad eos, qui citra sanguinem egregiis virtutum praeluxere exemplis, laudabiliter traducto visum est rationi congruum, ut non omnino praetermitteretur in sacris, cuius tanta laus erat in evangelio, quamvis ante evangelium defuncti.

2866. Minus facit si apponatur nomen S. Ioseph non reperiri in litaniis maioribus post reformationem Breviarii Romani secutam temporibus S. Pii V, ne enim quid dissimuletur ingenue admittendum est, quod in nullis breviariis impressis post tempora S. Pii V, quae aliquali diligentia inspicere volui tam in bibliotheca Casanatensi quam in nostro archivio Vaticanae Basilicae, reperiri potuit nomen S. Ioseph in litaniis, licet in missalibus ante praedicta tempora impressis et supra relatis nomen S. Ioseph in litaniis maioribus legeretur; et id non facit quia eius nomen hic et nunc non valeat in iisdem litaniis reponi, cum verisimile admodum sit hanc nominis subtractionem derivasse ex imperitia impressorum, qui audientes prohibitum fuisse a sancto illo Pontifice officium proprium S. Ioseph aliudque de communi confessoris non pontificis eius loco subrogatum, proprio marte privataque auctoritate Sancti huius nomen a litaniis abstulerunt concurrentibus nonnullis ad huius rei comprobationem coniecturis, quae non videntur undequaque contemptibiles.

2867. Prima est, quod iidem impressores proprio marte in litaniis maioribus recenserunt nomina nonnullorum aliorum, uti facile ostendere possem si necessitas id exigeret. Incredibile ergo non est ut qui privata auctoritate nomina addiderunt, privata etiam auctoritate unum nomen subduxerint.

2868. Secunda est, quod nullum reperitur decretum memorati Summi Pontificis S. Pii V, in quo demandatum fuerit nomen S. Iosephi a litaniis deleri. Attribuenda est ergo nominis deletio impressorum aequivocationi et eo fortius quia sicuti auctores meminerunt officii proprii Sancti Ioseph a S. Pio V prohibiti ita meminissent decreti quo nomen eius a litaniis auferretur, si illud revera editum fuisset. Tertia est, quod nulla adest excogitabilis causa, a qua sanctum Pontificem inductum dicere possimus ad decernendum quod nomen S. Ioseph a litaniis abradetur. Probat hoc autem, decretum non emanasse et in nominis deletionem per errorem irrepsisse. Quarta denique et ultima est, quod in litaniis approbatis pro aquae benedictione et insertis in Rituali Romano a Summo Pontifice Paulo V confirmato, S. Ioseph invocatur, uti supra ostensum fuit. Porro quemadmodum incomprehensibile est, ut post nomen S. Ioseph a litaniis maioribus abrasum, intercedente pontificia auctoritate S. Pii V, illud idem legeretur in litaniis approbatis ab alio subsequenti Pontifice, videlicet s. m. Paulo V, ita imperceptibile remanet, ut aliquod praecesserit decretum eiusdem S. Pii V de nomine S. Ioseph a litaniis auferendo, et cessante decreto a primo ad ultimum viget assumptum ab errore et aequivocatione derivasse quod in litaniis existentibus in breviariis impressis post tempora S. Pii V, nomen amplius S. Ioseph non repetatur errorque et aequivocatio obstare nequeant, quin illius nomen iure postliminii iterum in litaniis scribatur: haec quoad repositionem nominis S. Ioseph in litaniis dicta sufficiant.

Pars II.

In qua tractatur de loco litaniarum in quo nomen S. Ioseph recensendum sit.

2869. Postquam firmatum fuit maximopere congruum videri, ut nomen S. Ioseph in litaniis maioribus reponatur, reliquum est, ut examen instituamus de loco ipso litaniarum, in quo nomen S. Ioseph reponendum sit, ut S. Congregatio habere possit sub oculis omnia, quae sunt necessaria pro adaequata huius dubii resolutione.

2870. Quocirca initium desumendo a loco ante S. Ioannem Baptistam, pro illo facit ponderatio Suarez, qui probabile existimat, Sanctum Ioseph perfectiorem gratiam obtinuisse ipsomet S. Ioanne Baptista, veluti desumitur ex sequentibus eius verbis in 3 p. Div. Thomae tom. 2, disput. 8 sect. 2, p. 85, col. 1: « Quia probabile est Ioseph perfectiorem gratiam esse assequutum quam Ioannem Baptistam quia excellentius munus habuisse videtur et maiorem opportunitatem pluresque occasiones crescendi in gratia et charitate; et hinc sumitur confirmatio, quia Deus confert gratiam ministerio et dignitati accommodatam, ut iisdem locis citatis Divus Thomas dicit, et ostendimus

Digitized by Google

probabile esse Ioseph munus eo fuisse excellentius, quod ad altiorem ordinem pertinuit. Quid ergo mirum quod maiorem gratiam acceperit? » Et sequitur Cornelius a Lapide in comment. in Matth. cap. I pag. 48 in fine editionis Antuerpiensis, ibi: Quanto Ioseph fuit eximiae sanctitatis ac eximiis naturae et gratiae dotibus a Deo instructus, adeoque illo saeculo non fuit vir sanctior aut dignior, cui Mater Dei desponsaretur. Unde Franciscus Suarez probabiliter opinatur Ioseph in gratia et gloria antecellere Apostolos et Ioannem Baptistam, quia eius officium illorum officio praecellebat. Plus enim est esse patrem et rectorem Christi, quam praeconem et praecursorem eiusdem; cumque adversus hucusque deducta opponi possent illud Matth. cap. XI: « Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno coelorum maior est illo », quia nihilominus in evang. S. Lucae cap. VII haec alia habentur verba: « Dico enim vobis maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est, qui autem minor est in regno Dei maior est illo », binae hinc inferri possunt consequentiae, vel quod maioritas S. Ioannis Baptistae nullatenus intelligenda sit quoad sanctitatem, sed quoad donum prophetiae, iuxta interpretationem Caietani in Lucam cap VII: « Quarta laus Ioannis relativa est non ad omnes homines sed ad omnes prophetas, sic Lucas: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Immo literalis sensus est, quod inter prophetas nemo fuerit maior Ioanne ». Cui interpretationi adhaeret Toletus pluribusque exornat Hieronymus Perez in suo opere, cui titulus Lapidicina sacra tractat. I, sect. 20, n. 249.

2871. Vel quod quatenus maioritas S. Ioannis Baptistae intelligenda sit et quoad donum prophetiae et quoad donum sanctitatis, iuxta ea, quae docet S. Augustinus in festo Nativ. S. Ioan. Baptistae edit. Lugdnen. pag. 372 tom. 10: « Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Salvator testimonium perhibet dicens: non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, praecellit ceteros, eminet universis, antecellit prophetas, supergreditur patriarchas et quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanni. Dicet fortasse aliquis: Si inter natos mulierum Ioannes maior est, maior est Salvatore. Absit, Ioannes enim natus mulieris, Christus autem Virginis natus est. Ille corruptibilis uteri sinibus effusus est, iste impollutae Virginis flore progenitus ». Multoque magis cum iuxta scripturae phrasim prophetiae nomen non minus officium, quam sanctitatem ostendat, uti habetur Matth. XXI, 11: « Populi autem dicebant, hic est Iesus propheta a Nazareth Galileae »; et Marc. VI, 15: « Alii autem dicebant, quia Elias est, alii vero dicebant, quia propheta est, quasi unus ex prophetis ». Et bene adnotavit Maldon. in Matth. cap. XI p. 232: Quin enim prophetae sancti et esse solebant et habeantur. Viri sancti etiamsi prophetae non essent, prophetae vocabantur, quo sensu passim videmus Christum a Iudaeis prophetam appellari, non quod futura praediceret, sed quod suam miraculis sanctitatem declararet. Cum tamen maioritas illa S. Ioannis Baptistae et in prophetia et in sanctitate respiciat patres veteris testamenti, uti post S. Hieronymum docet Maldonat. loc. cit. pag. 233, breviter igitur et facile respondeo Ioannem, quemadmodum Hieronymus docet, non cum omnibus sed cum solis Sanctis veteris testamenti comparari; et sequitur Cornelius a Lapide in citat. cap. XI Matth. pag. 244, ibi: « Tacite ergo Christus Ioannem vocat omnium maximum; alioquin enim non recte hinc concluderet Ioannem esse plusquam prophetam quod tamen probare intendit ». Intellige hoc de hominibus veteris testamenti, praecedentis scilicet saeculi usque ad Christum, ab his facile deduci potest, allegatos evangelii locos nullatenus respicere Sanctum Ioseph, qui in sanctitate prae S. Ioanne Baptista a primo ad ultimum praecellit et ideo non alium illi in litaniis locum esse assignandum quam illum, qui sanctum praedictum Ioannem Baptistam immediate praecedit.

2872. Crescitque argumentum, quandoquidem in regulandis litaniis haberi consuevit ratio temporis, quo Sancti obierunt, ita ut qui primo mortuus est alium praecedat, qui subsequenter ex hac vita migravit. Porro probabile admodum videtur Sanctum Ioseph mortuum fuisse ante S. Ioannem Baptistam. Christus enim Dominus cum esset annorum duodecim venit Hierusalem ad celebrationem Paschae nec rediit cum parentibus, sed inventus est post triduum in templo in medio doctorum sedens, erudiens illos et interrogans, uti legitur in evangelio S. Lucae cap. II. Et cum factus esset annorum duodecim pauloque post S. Ioseph ex hac vita migravit, ita ut consequenter nulla amplius illius fiat mentio in evangelio teste S. Epiphanio, haeresi 78: « Ioseph post repertum Iesum puerum in templo haud multo post ex hac vita migravit et propterea in evangelica scriptura nulla amplius de eo habetur mentio »; et sequitur Card. Baronius in annalibus ad annum Christi 12 pag. 88, iuxta editionem typographiae vaticanae, quando e contra S. Ioannes Baptista suum ministe-

Digitized by Google

rium exercuit per integrum ferme annum, postquam Christum Dominum baptizaverit et Christus Dominus baptizatus fuerit ineunte aetatis anno trigesimo, ut facta veri temporis supputatione docet Pater Graveson ex dominicana familia theologus insignis collegii Casanatensis, in suo tract. de mysteris et annis Christi quaest. 1, pag. 215, et quaest. 3 pag. 234 ; adeoque Venerabilis Beda censet S. Ioannem Baptistam occisum fuisse currente anno trigesimo tertio aetatis Christi et Salianus in annalibus tom. 6 in fine ad annum Christi 32, num. 20 putat eumdem occisum fuisse in fine anni trigesimi secundi aetatis Redemptoris nostri.

2873. Verum his et similibus minime obstantibus tutum mihi nullatenus videtur neque conveniens reponere in litaniis nomen S. Ioseph ante nomen S. Ioannis Baptistae. Nomen solum est in litaniis patrum Praedicatorum, sed etiam erat in litaniis maioribus universalis Ecclesiae et hodie reperitur in litaniis pro aquae benedictione, cumque in his omnibus numquam illius nomen sit ante nomen Ioannem Baptistae concludendum hinc esse videtur, locum nominis eius non posse esse illum, qui immediate S. Ioanni Baptistae praecedit et specialius cum in litaniis patrum Carmelitarum nec Elias nec Eliseus S. Ioannem Baptistam praecedant, licet de regula sit, ut in litaniis Sancti veteris testamenti praecedant his, qui pertinent ad novum testamentum, iuxta bene deducta per Gavant. t. 2, sect. 5, cap. 18, num. 7.

2874. Secundo, quia totum fundamentum praeferendi S. Ioseph Sancto Ioanni Baptistae constituitur in maiori illius sanctitate; de qua tamen nullam habemus certitudinem ; tum quia deest auctoritas Scripturae tum quia non concurrit S. Ioseph maiorem gratiam obtinuisse S. Ioanne Baptista ; subdit tantummodo id esse probabile, sed non certum. En verba eiusdem in tertiam Divi Thomae tom. 2, disp 8, sect. 2, pag. 85, col. 1 in fine : « Nihilominus tamen cordati ac prudenti hominis esse existimo nihil temere aut nimium asseveranter affirmare quia re vera ubi deest Scripturae auctoritas aut Ecclesiae traditio nulla potest esse sufficiens certitudo in re praesertim ex divina electione ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt et abditissima mysteria. Tertio, quia per hanc semitam procedendo tanquam certum admitteretur Ecclesiam in litaniis ordinem deducere a maiori vel minori sanctitate Sanctorum, quae res periculosa videtur : quis enim est, qui seclusa revelatione divina dicere possit S. Antonium maiorem fuisse sanctitate S. Lucia et sic de ceteris? Quarto quia quatenus in litaniis admittendus esset ordo temporis quo Sancti mortui sunt, hinc tamen numquam sequitur Sanctum Ioseph esse S. Ioanni Baptistae praeponendum, incerta quippe sunt omnia, quae de die et tempore obitus S. Ioseph asseruntur nec desunt Ecclesiae patres qui existimant illum in Domini passione superstitem fuisse : et sunt S. Ciprianus in sermone de passione, et auctor inter illius opera de virtutibus Cardinalibus, S. Ioannes Chrysostomus hom. 5 in Matth. et tom. 3 in Acta Apostolorum, S. Ambrosius lib. 1, cap. 10 in Lucam et de instituto virginum cap. 6 et 7 et epist. 79, S. Aug. serm. 81 de tempore, et Arnoldus Abbas de laudibus Virginis Mariae.

2875. Quinto tandem et ultimo quia si S. Ioseph praeponeretur S. Ioanni Baptistae et unus et alter essent in classe patriarcharum et prophetarum, in hac classe confessor martyri praeponeretur, quod non videtur admittendum, citra siquidem omnem difficultatem S. Ioseph est confessor, quando e contra indubitatum esse videtur S. Ioannem Baptistam martyrem fuisse, atque de illo inquit S. Augustinus comment. in Psalm. CXL in fine : « Pro lege veritatis, pro aequalitate, pro iustitia ideo sanctus et ideo martyr » ; et sequitur S. Gregorius respons. ad interrogationem : « Capite truncatus est et sancto martyrio coronatus ». Neque dissentit S. Eulogius Cordubensis lib. 1 memorialis Sanctorum, quod habetur t. 9 Bibliothecae Patrum : Cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret, in ergastulo propter veritatis confessionem detruditur ibique absque ulla fidei persequutione truncatur, nec tali recusavit succumbere dispendio, quia sine dubio noverat divino revelante spiritu tantumdem esse propter iustitiam mori quam pro fidei professione prosterni, ad rationem siquidem martyrii, idem est mori pro fide ac pro operibus virtutum ; secundum quod referuntur in Deum, iuxta doctrinam Divi Thomae 2. 2. quaest. 124, art. 5 per tot. ubi in responsione ad 5 haec habet : « Nam in Ecclesia B. Ioannis Baptistae martyrium celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit, et de eodem martyrio S. Ioannis loquendo late prosequuntur Abulensis tom. 4 in Matth. cap. 14, 9, 41, Suarez in tertiam partem Divi Thomae quaest. 28, art. 1 disput. 24 ? postremo. Martyrem fuisse Ioannem dicit Cornelius a Lapide, comment. in Eccles. ad cap. 4, sect. 35.

2876. Post haec operae pretium est sermonem facere de alio loco, quem diximus assignari posse in litaniis S. Ioseph, et est primus inter confessores. Non est haec opinio improbabilis, habet enim Ecclesia S Io-

Digitized by Google

seph in classe confessorum eumque tamquam confessorem veneratur, ut ex martyrologiis, missalibus atque breviariis colligitur. Cumque Ill.mus Fontanius cubicularius honoris SS. D. N. vir prae sua eruditione ubique notissimus antiquum habeat in sua bibliotheca breviarium manuscriptum in membrana et ante illud registrata sint calendaria ad usum ecclesiarum Florentinae, Aquileiensis et Parentinae illaque recognoverim, non habet in eis S. Ioseph alium titulum quam confessoris, idque efficere posse videtur, ut nomen illius quatenus reponendum sit in litaniis primo reponatur loco inter confessores. Eoque fortius cum ita expresse docuerit Isidorus ille de Isolanis supra citatus in sua summa de donis S. Ioseph cap. 7, p. 4, p. 96, ibi: His idem rationibus nullo modo conticendum in litaniis est nomen eius sed Ioseph in sanctorum ordine confessorum primus nominandus est; non enim fas esse videtur, ut inferiorem obtineat locum, cui Salvator supra se locum concessit. Neque subiici debet nomen illius alteri cui Christus ipse se subiecit. Etenim propter Christum ac B. Virginem Matrem omnis honor Ioseph exhibitus praeclarissimus atque dignissimus esse debet. Non omisso quod si nomen S. Ioseph non ponitur in classe confessorum, de necessitate iuxta tertiam sententiam recensendus est in classe patriarcharum et prophetarum immediate post S. Ioannem Baptistam, quae res non satis congrua videtur, tum quia S. Ioseph non est patriarcha, tum quia pertinet ad novum testamentum et nemo est qui in novo testamento debeat praecedere Apostolos, ut in puncto argumentatur Guyet. de festis propriis Sanctorum lib. 2, cap. 7, quaest. 4. Prophetas omnino compellandos Ioannem Baptistam clausulam legis et prophetarum a Tertulliano dictum chorique huius ducis et magistrum, itemque Zachariam et Elisabeth, parentes eius sanctissimos, sicut et Simeonem senem et Annam prophetissam probant vel ipsa de singulis elogia in evangelio posita. Inde tamen duo nolim ut tu arguas: primum pertinere illos ad vetus testamentum; de S. Ioanne expresse negat Sanctus Thomas. Secundum si forte in litaniis inferuntur, iungendos esse protinus post Ioannem Baptistam ante Apostolos. Cum enim ad gratiam novi testamenti pertineant, nullatenus Apostolis praemitti debent. Idemque esto iudicium de SS. Ioachim et Anna, ipsoque S. Ioseph B. Virginis Sponso, quibus nec patriarchae titulus nec locus ante Apostolos ulla ratione est tribuendus, quidquid secus tentaverint devoti recentiores aliqui.

2877. Opinio haec reponendi nomen S. Ioseph in classe confessorum non est revera improbabilis cum illam rationes et auctoritates propugnent. Verum illam retinendam non esse aut amplectendam censerem: adversatur enim praxi Ecclesiae, quae, uti saepe diximus, non solum in litaniis patrum Predicatorum, sed etiam in litaniis antiquioribus et in aliis quae deserviunt pro aquae benedictione invocat S. Ioseph, sed illius nomen non recenset inter confessores. Ducto ergo argumento a partium enumeratione tutior esse mihi videtur sententia, quae autumat nomen S. Ioseph nominandum esse in litaniis immediate post S. Ioannem cum hic ordo nominandi habeatur in litaniis patrum Praedicatorum, et habitus fuerit antiquioribus temporibus in litaniis insertis in Rituali Romano pro aquae benedictione, uti desumitur ex missalibus et ritualibus supra recensitis, et absona profecto res esset, si nomen S. Ioseph, quod antiquitus in litaniis maioribus invocabatur immediate post S. Ioannem Baptistam et hodie etiam ita nominatur non tam in litaniis patrum Praedicatorum quam in aliis pro aquae benedictione in Rituali Romano appositis, in litaniis maioribus iterum reponatur sed non amplius immediate post S. Ioannem Baptistam, sed in classe confessorum.

2878. Absque eo quod quidquam faciat, quod S. Ioseph confessor vocatur in martyrologiis et quod ab Ecclesia in calendariis et breviario colitur tamquam confessor, quandoquidem non valet argumentum a breviario et officiis ad litanias, in litaniis siquidem habemus classem patriarcharum et prophetarum, in qua S. Ioseph reponi potest, et in breviariis et officiis non habent Sancti evangelici, in quorum numero est S. Ioseph, nisi commune unius vel plurimorum martyrum vel confessoris pontificis, teste ipso Guyeto de festis propriis Sanctorum lib. 3, cap. 16, quaest. 5, ibi: «Quorum Sanctorum in quatuor evangeliorum libris mentio fit cum laude ii merito appellari possunt evangelici. Sunt autem eiusmodi praeter B. Virginem Deiparam eiusque Sponsum castissimum S. Ioseph etc. De his ergo omnibus commune aliud non datur quam quod in breviario positum est unius vel plurimorum martyrum vel confessoris pontificis vel non pontificis, pro cuiusque statu ac conditione ut clarum est ex exemplis S. Ioseph, S. Mariae Magdalenae etc.»; quod ipsum repetit lib. 3, cap. 23, quaest. 7, hoc autem stante clarissime colligi potest haec duo non esse incompatibilia, sanctum videlicet Ioseph in officio coli tamquam confessorem eiusque nomen reponi in litaniis in classe prophetarum et patriarcharum immediate post S. Ioannem Baptistam.

2879. Maioris roboris non est, quod no-

Digitized by Google

minatio S. Ioseph immediate post S. Ioannem Baptistam sit devotioni quorumdam recentiorum adscribenda iuxta ea, quae in superioribus ex Guyeto deducta sunt, ut enim supra probatum fuit, ordo hic retentus fuit usque ab anno 1551 in litaniis patrum Praedicatorum et in litaniis maioribus universalis Ecclesiae usque ab anno 1541, in quo rerum statu nemo est qui non videat nullatenus subsistere methodum hanc esse recentioribus adscribendam, eoque fortius, cum hic idem ordo habeatur in litaniis pro aquae benedictione insertis in Rituali Romano quae res avertit quamcumque novitatis suspicionem.

2880. Ad partes posito, quod S. Ioseph praecederet Apostolis, praetermisso quippe quod munus et officium S. Ioseph apostolico muneri praeferendum esse videtur, iuxta ea, quae late docent Suarez in tertiam partem Divi Thomae tom. 2, disput. 8, sect. 1. Iam vero officium hoc cum aliis conferendo dubitari potest, an haec dignitas maior sit quam dignitas Praecursoris vel Apostolorum aut Evangelistarum; quod ad munus et officium attinet etc. ratio dubitandi esse potest quia hoc ministerium Ioseph videtur fuisse proxime coniunctum cum ipsamet Christi persona; item videtur maxime accessisse ad dignitatem Matris Dei, item videtur fuisse aptissimum ad perfectius exercendas omnes actiones vitae activae et contemplativae quam ullum aliud munus purae creaturae, sola Dei Matre excepta etc. In hac comparatione, quam a nemine video satis esse discussam ac declaratam, nihil temere affirmare valeo, probabiliter tamen dici posset, haec munera quodammodo diversorum ordinum et ideo non posse tam proprie comparari, habere tamen se mutuo sicut excedens et excessum, scio equidem apostolicum munus esse supremum omnium eorum, quae in Ecclesia Christi prout ab eo in lege gratiae instituta est inveniuntur, ut Anselmus et Divus Thomas expresse docuerunt et testimonia et rationes factae probant. Nihilominus tamen non existimo improbabile munus seu ministerium S. Ioseph quatenus quodammodo est altioris ordinis posset dici perfectius, intelligo enim quaedam esse ministeria praecise pertinentia ad ordinem gratiae gratum facientis et in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium et indiguisse fortasse pluribus gratiae praesertim gratis datae et sapientiae donis quam reliquos. Alia vero sunt ministeria, quae attingunt ordinem unionis hypostaticae qui ex suo genere perfectior est, ut de dignitate Matris Dei supra diximus, et in hoc ordine intelligo constitutum esse ministerium S. Ioseph et esse veluti in infimo gradu illius et in hac parte excedere reliqua tamquam in superiori ordine existens; quandoquidem haec et similia tota undequaque dici non possunt et sic deservire nequeunt nisi forte pro concionatoribus, nullatenus autem vel pro loco in litaniis praefigendo, ut in puncto explicando allegatam doctrinam Suarez perpendit Guyet. de festis propriis Sanct. lib. 4 cap. 13, q. 5, ibi: Et vero valeat Suarii docta non minus quam pia in gratiam Sponsi SS. Genitricis Dei Mariae argumentatio sitque vere Ioseph Apostolis ut sanctitate sic et gloria non impar; subscribam ego eius opinioni, nec invitus inter concionandum profitebor et non est privati cuiusquam ius illud de quo agimus praeferentiae in divinis officiis ei tribuere nisi accedente Ecclesiae auctoritate, legitima vis stat in hoc quod S. Ioannes Baptista pertinet ad novum testamentum, uti praeter supra deducta expresse docet S. Thomas secunda secundae quaest. 174, art. 4 ad tertium, ibi: « Ad tertium dicendum quod Ioannes pertinet ad novum testamentum, cuius ministri praeferuntur etiam ipsi Moysi, quasi magis revelata speculantes »; cumque in litaniis S. Ioannes Baptista praeferatur Apostolis, novum idcirco non est, ut praelatio competat alicui ad novum testamentum pertinenti comparative ad ipsos Apostolos et hoc vel quia est in classe patriarcharum vel prophetarum vel quia ante dictos Apostolos mortuus est, quae omnia sicuti non minus conveniunt S. Ioanni Baptistae quam S. Ioseph ita efficiunt, ut sicut ille praefertur Apostolis in litaniis ita huic eadem praelatio in litaniis concedenda sit absque eo, quod attinet ad S. Ioannem Baptistam, recursum haberi possit ad illud Matth. cap. XI: « Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista »; cum enim hoc intelligatur quoad Sanctos veteris testamenti, nec Christum Dominum consequenter nec B. Virginem nec Sanctos Apostolos comprehendit, uti ad rem argumentatur Maldonat. in Matth. cap. XI loco supra citato. Breviter igitur et facile respondeo Ioannem non cum omnibus, sed cum solis Sanctis veteris testamenti comparari posse et Christus et eius mater omnesque Apostoli ad novum pertineant testamentum, et sequitur Cornelius a Lapide in eumdem locum Matth. p. 244: « Non ergo Ioannes hic comparatur cum Christo, B. Virgine vel Apostolis qui Christum sequuti sunt et ob dignitatem apostolicam Ioanne non fuisse minores, sed potius maiores ».

2881. Parum urgente quod S. Ioseph non est patriarcha, quandoquidem patriarcha dici potest et simul propheta, quamvis ad effectum de quo agitur satis esset, ut pa-

Digitized by Google

triarcha vel propheta dici posset: quod autem S. Ioseph dici voleat patriarcha comprobatur, cum patriarchae iuxta sanctos patres et antiquos recentesque scriptores fuerint illi, qui totidem familiarum protoparentes extiterunt, quibus Dei populus constat, uti late ostendit Celada de bened. patriarch. in praef. num. 2: « Cumque S. Ioseph fuerit pater putativus Christi Domini Nostri qui praedestinatorum et electorum caput est, hac de causa nomen patriarchae iure merito Sancto Ioseph attribuitur et hoc eodem nomine ipse compellatur a plerisque scriptoribus hic inutiliter non congerendis »; quod vero ille dici possit etiam propheta desumitur ex allegato cap. 1 evangelii S. Matthaei: « Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; adeoque ad rem subdit Isidorus de Isolanis in sua summa de donis S. Ioseph part. 3, cap. 18: « Enimvero prophetarum tres sunt proprietates: superior illuminatio, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines, scripturarum interpretatio, occultorum propalatio unde etiam prophetae dicuntur, quasi a sensibus occulta loquentes, et haec tria evenere prophetis in lumine adumbrato et in figuris etiam enigmatibus, Ioseph vero lumine angelico illustrante clarius supremum cognoscit mysterium Filii Dei, quod omnium pariter est prophetarum finis. Quo cognito sacrarum literarum sensus abditissimos intellexit profundissime sategitque ut ipse mysterium opportuno tempore toti manifestaretur orbi, eumdem filium educando, pluribusque prosequitur Perez in sua lapidicina sacra tract. sect. 20, num. 250. Quod denique ad effectum de quo agitur satis sit ut S. Ioseph fuerit vel patriarcha vel propheta, ponitur in claris, cum hic et nunc de hac re tractetur non ad alium finem, quam ut reponi possit illius nomen in litaniis et in classe patriarcharum et prophetarum, in quae facti specie necesse non est, ut ipse utraque praeditus fuerit qualitate, patriarchae videlicet et prophetae, sed altera ex his est tantummodo necessaria, exemplo deducto ab iisdem litaniis maioribus in quibus videmus S. Mariam Magdalenam recenseri in classe virginum et viduarum licet virgo non fuerit nec coniugata et consequenter vidua uti censet auctor commentariorum in S. Marcum apud S. Hieronymum cap. xv vers. 40 et sequuntur Iansenius, Franciscus Lucas, Cornelius a Lapide ceterique in comment. ad cap. VIII S. Lucae, quae omnia tamen ad superabundantiam dicta censeri debent, quia S. Ioseph in litaniis patrum Praedicatorum, in antiquioribus litaniis universalis Ecclesiae et in litaniis insertis in Rituali Romano pro aquae benedictione est immediate positus post S. Ioannem Batistam et sic cum praeferentia quoad Apostolos et in classe patriarcharum et prophetarum; ab hac Ecclesiae praxi sublata dici debet quaelibet difficultas nisi aliter videatur huic S. Congregationi vel SS.mo Domino Nostro, quorum supremo iudicio hucusque scripta humillime subiiciuntur.

Atque haec dicta sint sub censura salva semper etc.

Prosper de Lambertinis Sacri Consistorii advocatus et Fidei Promotor.

Lege etiam infra n. 8.

PATRONUS ECCLESIAE.

Decretum publicatum die 8 Decembris 1870 in patriarchalibus Urbis basilicis inter missarum solemnia, quo S. Ioseph catholicae Ecclesiae Patronus declaratur.

Decretum Urbis et Orbis.

2882. Quemadmodum Deus Ioseph illum a Iacob Patriarcha progenitum praepositum constituerat universae terrae Aegypti, ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine adventante, cum Filium suum unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Ioseph cuius ille primus typum gesserat quemque fecit dominum et principem domus ac possessionis suae principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius Ioseph illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverunt, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus eumque paterno affectu complexus deosculatusque est; necnon solertissime nutrivit, quem populus fidelis uti panem de coelo descensum sumeret ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper beatissimum Ioseph, post Deiparam Virginem Eius sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit. Verum, cum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique insectata adeo

Digitized by Google

gravioribus opprimatur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tamdem praevalere antumarent, ideo venerabiles universi Orbis catholici sacrorum Antistites suas ac christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pontifici porrexerunt, quibus petebant, ut sanctum Ioseph catholicae Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde, cum in sacra oecumenica synodo vaticana easdem postulationes et vota enixius renovassent, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo sancti patriarchae Ioseph patrocinio se ac fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit eumque catholicae Ecclesiae patronum solemniter declaravit illiusque festum die decimanona Martii occurrens in posterum sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava, ratione quadragesimae, celebrari mandavit. Disposuit insuper ut hac die Deiparae Virgini Immaculatae ac castissimi Ioseph sponsae sacra huiusmodi declaratio per praesens Sacrorum Rituum Congregationis decretum publici iuris fierit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Decembris 1870.

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. Patrizi. S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi.

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

Epistola Circularis
ad Sacrorum Antistites eadem die data, qua publico cultui prospicitur, qui congrue respondeat novo titulo eidem patriarchae Ioseph tributo.

R.me Domine,

2883. Sanctissimus Dominus Pius Papa IX satisfacere volens postulationibus omnium ferme Sacrorum Antistitum in oecumenica etiam vaticana synodo manifestatis sanctum patriarcham Ioseph Deiparae Virginis sponsum declaravit Ecclesiae catholicae patronum, ut ipsa in miserrima hac temporum angustia plurimis exagitata calamitatibus, illius patrocinio, destructis tandem adversitatibus ac erroribus universis, secura Deo serviat libertate. Etsi autem sanctissimus idem Dominus praefati Sancti Ioseph natale festum die 19 Martii occurrens sub ritu duplici primae classis in posterum celebrari mandaverit, tamen a redintegrando in eodem festo duplici praecepto sese abstinuit voluitque, ut per praesentes Sacrorum Rituum Congregationis litteras significaretur locorum Ordinariis, se libenter eorum votis esse satisfacturum si Ordinarii ipsi, inspectis locorum ac temporum necnon respectivi Gubernii voluntate ita in Domino expedire iudicantes supplicia vota sua huic Sanctae Sedi Apostolicae porrexerint ad redintegrationem in huiusmodi festo utriusque praecepti.

2884. Interim ut Amplitudo tua diu felix et incolumis evadat ex animo adprecor.

Ex secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 8 Decembris.

Uti frater

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

Litterae apostolicae
quibus uberius consulitur ritui quo S. Ioseph, catholicae Ecclesiae patronus, sit celebrandus.

PIUS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

2885. Inclytum patriarcham Beatum Ioseph, quem Deus omnipotens prae omnibus Sanctis suis purissimum verumque sponsum esse voluit in terris Immaculatae Virginis Mariae ac putativum unigeniti Filii sui patrem quemque ad tam sublimia munera fidelissime implenda gratiis prorsus singularibus auxit et abunde cumulavit, merito catholica Ecclesia gloria et honore in coelis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu. Quamobrem Romani Pontifices Praedecessores nostri, ut augerent in dies ac ardentius excitarent in christifidelium cordibus devotionem et reverentiam erga sanctum patriarcham eosque cohortarentur ad Illius apud Deum intercessionem summa cum fiducia implorandam, haud omiserunt quoties opportuna esset occasio, novas semper ac maiores publici cultus significationes eidem decernere. Inter eos memoria repetere sufficiat Praedecessores nostros felicis recordationis Xistum IV qui festum S. Ioseph inseri voluit in Breviario et Missali Romano, Gregorium XV qui decreto diei 8 Maii an. 1621 festum ritu sub duplici de praecepto in universo orbe recoli mandavit, Clementem X qui die 6 Decembris an. 1714 festum praedictum missa ac officio integre propriis condecoravit, ac tandem Benedictum XIII qui nomen sancti patriarchae decreto edito 19 Decembr. an. 1726 Sanctorum litaniis addi iussit. Ac nos ipsi, postquam investigabili Dei iudicio ad supremam Petri cathedram evecti fuimus, moti tum illustrium Praedecessorum nostrorum exemplis tum singulari devotione, qua usque ab adolescentia erga eundem sanctum patriarcham affecti fuimus, decreto diei 10 Septembris an. 1847 magno animi nostri gaudio ad universam Ecclesiam sub ritu duplici

Digitized by Google

secundae classis extendimus festum Patrocinii eius, quod iam pluribus in locis speciali huius Sanctae Sedis indulto celebratur. Verum postremis hisce temporibus in quibus immane ac teterrimum bellum contra Christi Ecclesiam fuit indictum fidelium devotio erga S. Ioseph adeo increvit et progressa est, ut omni ex parte ad Nos innumerae ac fervidissimae pervenerint postulationes, quae nuper dum sacrum oecumenicum concilium vaticanum haberetur, ab omni fidelium coetu, et quod maxime interest, a plurimis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et Episcopis renovatae fuere, quibus flagitabant, ut luctuosis hisce temporibus ad mala omnia propulsanda, quae nos undique conturbant, efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem S. Ioseph exoraremus, ut illum catholicae Ecclesiae patronum declaremus. Nos itaque hisce postulationibus moti, divino lumine invocato, tot ac tam piis votis annuendum censuimus ac peculiari decreto nostrae Sacrorum Rituum Congregationis, quod inter missarum solemnia in nostris patriarchalibus basilicis Lateranensi, Vaticana ac Liberiana die 8 Decembris elapsi anni 1870 Immaculatae Conceptioni ipsius sponsae sacro publicari iussimus, eumdem Beatum patriarcham Ioseph Ecclesiae catholicae patronum solemniter declaravimus illiusque festum die decimanona Martii occurrens deinceps sub duplici primae classis, attamen sine octava ratione quadragesimae, in orbe universo celebrari mandavimus. Et quoniam aequum reputamus, post nostram declarationem sancti patriarchae in catholicae Ecclesiae patronum ipsi in publico ecclesiastico cultu omnes et singulas honoris praerogativas tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani rubricas sanctis patronis praecipuis competunt, ideo Nos ex consulto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum renovantes, confirmantes atque etiam ampliantes praesentibus nostris litteris praefatam dispositionem illius decreti mandamus insuper ac iniungimus, quae sequuntur. Volumus scilicet, quod tam in festo natali Sancti Ioseph quam in alio ipsius Patrocinii etiamsi occurrant extra dominicam diem addatur semper in missa symbolum seu « Credo ». Volumus insuper quod in oratione « A cunctis » quandocumque recitanda erit adiiciatur semper post invocationem Beatae Mariae Virginis et ante quoscumque alios sanctos patronos, exceptis angelis et Sancto Ioanne Baptista, commemoratio S. Ioseph per haec verba: « cum Beato Ioseph ». Volumus denique ut hoc ipso ordine servato inter suffragia Sanctorum, quandocumque illa a rubricis praescribuntur apponatur sequens commemoratio in honorem eiusdem Sancti Ioseph: — Ad vesperas antiphona: Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. ℣. Gloria et divitiae in domo eius. ℟. Et iustitia eius manet in saeculum saeculi. Ad laudes antiphona: Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph. ℣. Os iusti meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua eius loquetur iudicium. Oratio: Deus, qui ineffabili providentia Beatum Ioseph Sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris intercessorem habere mereamur in coelis. — Haec volumus et mandamus decernentes has litteras nostras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis litterarum seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Iulii 1871 Pontificatus nostri anno vicesimo-sexto.

Loco † Signi

Pro Domino Card. Paracciani Clarelli.
F. Profili Substitutus.

Ex actis consistorialibus.

Decretum de cultu S. Iosephi, catholicae Ecclesiae patroni, ab Apostolica Sede peragendo.

Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. IX decretum consistoriale quo capellae pontificiae celebratio die sacro S. Ioseph B. Mariae Virginis sponso Ecclesiae catholicae patrono decernitur, in consistorio secreto habito die 6 Maii an. 1872.

Venerabiles Fratres.

2886. Novum coeleste praesidium contra teterrima huius saeculi mala et calamitates Nobis et Ecclesiae parere cupientes ac vestris postulationibus aliorumque plurimum venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum et totius catholici orbis votis adducti, quae crebra ad Nos, praesertim in Vaticani concilii celebratione, pervenerunt, Nos, ut scitis, sanctissimum Immaculatae Virginis virum inclytum patriarcham Ioseph catholicae Ecclesiae patronum declarandum decrevimus, idque Deo adiuvante praestitimus die octava Decembris anno millesimo octin-

Digitized by Google

gentesimo septuagesimo decreto edito per Congregationem nostram sacris ritibus praepositam, quod deinde apostolicis litteris datis die septima Iulii anno superiori confirmavimus. Ubi hoc egimus nostri quoque muneris esse putavimus providere, ut recens adsciti Ecclesiae patroni honores etiam debito externi cultus splendore augeantur atque dies eius memoriae sacer, qui nunc sanctior et solemnior in tota Ecclesia habetur, praecipuarum aliarum solemnitatum more ab hac Apostolica Sede celebretur. Nos itaque annuo festo recurrente Sancti Iosephi universae Ecclesiae patroni coelestis capellam pontificiam in palatio nostro apostolico in honorem eius haberi volumus; quod quidem singulis quibusque annis fieri mandamus ac praecipimus, ita ut haec capella pontificia in honorem Sancti Ioseph quotannis celebranda ceteris adnumeretur quo nimirum ipse sanctissimus Deiparae sponsus suo patrocinio in tanta hostium oppugnatione non minus catholicam religionem quam hanc Apostolicam Sedem tegere velit ac tueri ac benigne respondere precibus, quae ad eum ab universo populo fideli effunduntur, pariterque spei et fiduciae, quam in ipso merito collocavimus. Hoc vobis significandum esse censuimus.

Ut debiti honores S. Iosepho B. Mariae Virginis Sponso a Conc. Oecumenico Vaticano in Sacra liturgia decernantur.

Postulatum (vid. pag. 537).

2887. Beatum Iosephum, singulari Dei providentia, prae ceteris creaturis electum fuisse, ut Deiparae Virginis Sponsus et Verbi incarnati, non generatione quidem, sed charitate, adoptione, ac matrimonii iure, Pater esse mereretur, nemo unus ignorat. Adeo ut, nedum in sacris Evangeliis atque ab ipsamet Beatissima Virgine, illum Christi Patrem passim nuncupari [1], sed et Dominum Nostrum Iesum Christum, in diebus carnis suae, ei tamquam *patri* humiliter subesse dignatum, legimus [2].

2888. Infrascripti Sacrorum Antistites, haec serio perpendentes, simulque probe noscentes magnum diu in Orbe exardescere desiderium ut *Sancti Ioseph* publicus cultus, quantum par est, augeatur, enixis precibus orant atque obtestantur, ut Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana, tot tantisque votis inclinata, pro sua auctoritate solemniter decernat:

2889. 1. Ut, quemadmodum *Beatus Ioseph*, ceu *pater* Christi, tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius prae illis nomen hereditavit [1], sic ipsimet, per Sacrorum Rituum Congregationem, publicus duliae cultus in Ecclesia Catholica atque in Sacra Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, prae omnibus coelitibus, in posterum tribuatur.

2890. 2. Ut idem *Sanctus Ioseph*, cui sacra familiae tutela a Deo iam credita fuit, universae Ecclesiae primarius, post Beatissimam Virginem, *Patronus* habeatur.

II. — Acta Leonis XIII de S. Ioseph.

2891. Leo XIII in Litt. Apost. « Militans Iesu Christi Ecclesia », 12 Mart. 1881, de Iubilaeo. ait: « Ipsum autem sacrum Iubilaeum in tutelam fidemque tradimus ac commendamus Sancto Iosepho, castissimo Beatae Virginis Mariae Sponso, quem gloriosae recordationis Pius IX P. M. totius Ecclesiae Patronum declaravit, et cuius opem suppliciter quotidie implorari ab omnibus Christi fidelibus optamus ».

Epistola Encyclica " Quamquam pluries ,,, de implorando auxilio B. Ioseph.

2892. Quamquam pluries iam singulares toto orbe deprecationes fieri, maioremque in modum commendari Deo rem catholicam iussimus; nemini tamen mirum videatur si hoc idem officium rursus inculcandum animis hoc tempore censemus. In rebus asperis, maxime cum potestas tenebrarum audere quaelibet in perniciem christiani nominis posse videtur, Ecclesia quidem suppliciter invocare Deum, auctorem ac vindicem suum, studio perseverantiaque maiore semper consuevit, adhibitis quoque sanctis coelitibus, praecipueque augusta Virgine Dei Genitrice, quorum patrocinio columen rebus suis maxime videt adfuturum. Piarum autem precationum positaeque in divina bonitate spei serius ocius fructus apparet. Iamvero nostis tempora, Venerabiles Fratres: quae sane christianae reipublicae haud multo minus calamitosa sunt, quam quae fuere unquam calamitosissima. Interire apud plurimos videmus principium omnium virtutum christianarum, fidem: fri-

(1) Cum inducerent puerum Iesum *parentes* eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, etc. Luc. II, 27. — Et erat *pater* eius et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo. Ibid. vers. 33. — Ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem. Ibid. ver. 41. — Cum redirent remansit puer Iesus in Ierusalem et non cognoverunt parentes eius. Ibid. ver. 43. — Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce *pater* tuus et ego dolentes quaerebamus te. Ibid. ver. 48.

(2) Descendit (Iesus) cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Luc. II, 51.

(1) Hebr. I, 4.

Digitized by Google

gere charitatem : subolescere moribus opinionibusque depravatam iuventutem : Iesu Christi Ecclesiam vi et astu ex omni parte oppugnari : bellum atrox cum Pontificatu geri : ipsa religionis fundamenta crescente in dies audacia labefactari. Quo descensum novissimo tempore sit, et quid adhuc agitetur animis, plus est iam cognitum, quam ut verbis declarari oporteat.

2893. Tam difficili miseroque statu, quoniam mala sunt, quam remedia humana, maiora, restat ut a divina virtute omnis eorum petenda sanatio sit. Hac de caussa faciendum duximus, ut pietatem populi christiani ad implorandam studiosius et constantius Dei omnipotentis opem incitaremus. Videlicet, appropinquante iam mense Octobri, quem Virgini Mariae a Rosario dicatum esse alias decrevimus, vehementer hortamur, ut maxima qua fieri potest religione, pietate, frequentia mensis ille totus hoc anno agatur. Paratum novimus in materna Virginis bonitate perfugium : spesque Nostras non frustra in ea collocatas certo scimus. Si centies illa in magnis christianae reipublicae temporibus praesens adfuit, cur dubitetur, exempla potentiae gratiaeque suae renovaturam, si humiles constantesque preces communiter adhibeantur? Immo tanto mirabilius credimus adfuturam, quanto se diutius obsecrari maluerit.

2894. Sed aliud quoque est propositum Nobis ; cui proposito diligentem, ut soletis, Venerabiles Fratres, Nobiscum dabitis operam. Scilicet quo se placabiliorem ad preces impertiat Deus, pluribusque deprecatoribus, Ecclesiae suae celerius ac prolixius opituletur, magnopere hoc arbitramur expedire, ut una cum Virgine Deipara castissimum eius Sponsum B. Iosephum implorare populus christianus praecipua pietate et fidenti animo insuescat : quod optatum gratumque ipsi Virgini futurum, certis de caussis iudicamus. Profecto hac in re, de qua nunc primum publice dicturi aliquid sumus, pietatem popularem cognovimus non modo pronam, sed velut instituto iam cursu progredientem : propterea quod Iosephi cultum, quem superioribus quoque aetatibus Romani Pontifices sensim provehere in maius et late propagare studuerant, postremo hoc tempore vidimus passim nec dubiis incrementis augescere, praesertim postea quam Pius IX fel. rec. decessor Noster Sanctissimum Patriarcham, plurimorum Episcoporum rogatu, patronum Ecclesiae catholicae declaravit. Nihilominus cum tanti referat, venerationem eius in moribus institutisque catholicis penitus inhaerescere, idcirco volumus populum christianum voce imprimis atque auctoritate Nostra moveri.

2895. Cur B. Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, caussae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine Beatissima maritale vinclum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est.

2896. Iamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribusfamilias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cuiusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri coniugem, divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit : res utrique ad victum cultumque necessarias labore suo parare consuevit : vitae discrimen, regis invidia conflatum, prohibuit, quaesito ad securitatem perfugio : in itinerum incommodis exiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Iesu comes, adiutor, solator extitit. Atqui domus divina quam Iosephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo Sanctissima, quemadmodum Iesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit : itemque Iesus Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. Quibus rebus caussa nascitur, cur Beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Iesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est

Digitized by Google

igitur consentaneum, et B. Iosepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat.

2897. Haec quidem, Venerabiles Fratres, facile intelligitis ex eo confirmari, quod non paucis Ecclesiae patribus, ipsa adsentiente sacra liturgia, opinio insederit, veterem illum Iosephum, Iacobo patriarcha natum, huius nostri personam adumbrasse ac munera, itemque claritate sua custodis divinae familiae futuri magnitudinem ostendisse. Sane praeterquam quod idem utrique contigit nec vacuum significatione nomen, probe cognitae vobis sunt aliae eaedemque perspicuae inter utrumque similitudines: illa imprimis, quod gratiam adeptus est a domino suo benevolentiamque singularem: cumque rei familiari esset ab eodem praepositus, prosperitates secundaeque res herili domui, Iosephi gratia, affatim, obvenere. Illud deinde maius quod regis iussu toti regno summa cum potestate praefuit: quo autem tempore calamitas fructuum, inopiam charitatemque rei frumentariae peperisset, Aegyptiis ac finitimis tam excellenti providentia consuluit, ut eum rex Salvatorem mundi appellandum decreverit. Ita in vetere illo Patriarcha huius expressam imaginem licet agnoscere. Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabiliter profuit, sic alter christiani nominis custodiae destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quae vere domus Domini est Deique in terris regnum.

2898. Est vero cur omnes, qualicumque conditione locoque, fidei sese tutelaeque B. Iosephi commendent atque committant. Habent in Iosepho patresfamilias vigilantiae providentiaeque paternae praestantissimam formam: habent coniuges amoris, unanimitatis, fidei coniugalis perfectum specimen: habent virgines integritatis virginalis exemplar eundem ac tutorem. Nobili genere nati, proposita sibi Iosephi imagine, discant retinere etiam in afflicta fortuna dignitatem: locupletes intelligant, quae maxime appetere totisque viribus colligere bona necesse sit. Sed proletarii, opifices, quotquot sunt inferiore fortuna, debent suo quodam proprio iure ad Iosephum confugere, ab eoque, quod imitentur, capere. Is enim, regius sanguis, maximae sanctissimaeque omnium mulierum matrimonio iunctus, pater, ut putabatur, Filii Dei, opere tamen faciendo aetatem transigit, et quaecumque ad suorum tuitionem sunt necessaria, manu et arte quaerit. Non est igitur, si verum exquiritur, tenuiorum abiecta conditio: neque solum vacat dedecore, sed valde potest, adiuncta virtute, omnis opificum nobilitari labor. Iosephus, contentus et suo et parvo, angustias cum illa tenuitate cultus necessario coniunctas aequo animo excelsoque tulit, scilicet ad exemplar filii sui, qui accepta forma servi cum sit dominus omnium, summam inopiam atque indigentiam voluntate suscepit. Harum cogitatione rerum debent erigere animos et aequa sentire egeni et quotquot manuum mercede vitam tolerant: quibus si emergere ex egestate et meliorem statum acquirere concessum est non repugnante iustitia, ordinem tamen providentia Dei constitutum subvertere, non ratio, non iustitia permittit. Immo vero ad vim descendere, et quicquam in hoc genere aggredi per seditionem ac turbas, stultum consilium est, mala ipsa efficiens plerumque graviora, quorum leniendorum caussa suscipitur. Non igitur seditiosorum hominum promissis confidant inopes, si sapiunt, sed exemplis patrocinioque B. Iosephi, itemque materna Ecclesiae charitate quae scilicet de illorum statu curam gerit quotidie maiorem.

2899. Itaque plurimum Nobis ipsi, Venerabiles Fratres, de vestra auctoritate studioque episcopali polliciti: nec sane diffisi, bonos ac pios plura etiam ac maiora, quam quae iubentur, sua sponte ac voluntate facturos, decernimus, ut Octobri toto in recitatione Rosarii, de qua alias statuimus, oratio ad S. Iosephum adiungatur, cuius formula ad vos una cum his litteris perferetur: idque singulis annis perpetuo idem servetur. Qui autem orationem supra dictam pie recitaverint, indulgentiam singulis septem annorum totidemque quadragenarum in singulas vices tribuimus. Illud quidem salutare maximeque laudabile, quod est iam alicubi institutum, mensem Martium honori Sancti Patriarchae quotidiana pietatis exercitatione consecrare. Ubi id institui non facile queat, optandum saltem, ut ante diem eius festum in templo cuiusque oppidi principe supplicatio in triduum fiat. Quibus autem in locis dies decimus nonus Martii, B. Iosepho sacer, numero festorum de praecepto non comprehenditur, hortamur singulos, ut eum diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem Patroni celestis, perinde ac de praecepto, agere ne recusent.

2900. Interea auspicem coelestium munerum et Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die 15 Augusti 1889, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LEO PP. XIII

Digitized by Google

Oratio ad S. Iosephum.

2901. Ad te, B. Ioseph, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice, coniunxit, charitatem, perque paternum, quo Puerum Iesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad hereditatem, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

2902. Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Iesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorem ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e coelo adesto; et sicut olim Puerum Iesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende: nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in coelis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Litterae Apostolicae " quod paucis ,,, de festo S. Iosephi in Hispania regionibusque ei subiectis restituendo.

2903. Quod paucis abhinc mensibus, Nobis christianum populum ad implorandum sanctissimi Deiparae Sponsi patrocinium cohortantibus, de studio sacrorum Antistitum, quibus litteras encyclicas dedimus, sperandum esse videbatur, id eventu ipso iam confirmari coepisse haud exigua animi Nostri laetitia percipimus. Huius enim studii luculentum extitit testimonium ex fervidissimis precibus, quas, certiore facto Hispaniae gubernio, Nobis exhibuerunt plures catholici illius regni Episcopi vota cleri et populi proponentes, qui inde occasionem captandam censuerunt, ut consilium, quod iamdudum susceperant, optatum exitum habere posset. Avitum nempe Hispanorum studium, et propensam omnium animorum erga Beatissimum Patriarcham voluntatem cogitantes, diem eius recordationi consecratum e festorum dierum numero sublatum publica religione carere aegre ferebant Venerabiles illi Episcopi, et universim quicumque christiano nomine censentur iure ac merito conquerebantur; ideoque a Nobis impensissimis precibus postularunt, ut diem S. Iosepho sacrum in pristinam dignitatem restituamus. Hunc sane honorem beatissimo Viro deberi nemo est qui non videat. Qui enim Virginis Deiparae Sponsus delectus eius dignitatis coniugali foedere particeps fuit, quem Christus Dei Filius et suum esse custodem et parentem existimari voluit, qui divinae in terris domui quasi patria potestate praefuit, qui Ecclesiam habet suae fidei ac tutelae concreditam, ea excellit praestantia, ut nullo non sit obsequio prosequendus.

2904. Verum inclita Hispaniae natio propriam habet causam, qua B. Deiparae Sponsum praecipuo prosequatur honore, excolat obsequio, quam Archiepiscopus Vallisoletanus una cum eiusdem provinciae Episcopis in precibus Nobis admotis opportune commemoravit. In Hispania enim, in illa ipsa provincia Vallisoletana, et ortum duxit et vitam omnium virtutum exercitatione insignem egit sancteque obiit intemerata Virgo Teresia, quae, quum vehementissimo Iesu amore exardesceret, S. Iosephi, quem Parentem suum Iesus Servator existimari voluit, eximiam dignitatem incredibili prosequuta obsequio, patrocinium praedicavit, cultum promovit. His igitur precibus, quae gratissimo animum Nostrum sensum perfuderunt, libentissime obsecundantes, suprema auctoritate Nostra constituimus atque edicimus, ut dies decimanona Martii B. Iosepho sacra per totam Hispaniam, et in regionibus ei subiectis, diebus festis accenseatur, ita ut omnes cum sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis profanis operibus quae servilia dici solent abstinere praecepto debeant, quo magno Ecclesiae Patrono debitum tribuatur obsequium, et efficacissimo eius patrocinio universa natio largius fruatur.

2905. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 28 Ianuarii 1890, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. Card. Ledochowski.

Litterae Apostolicae " Etsi apud ,,, de festo S. Iosephi in Lusitania regionibusque ei subiectis restituendo.

2906. Etsi apud nobilissimam Lusitanorum gentem de catholica fide optime meritam amor et studium erga immaculatum Deiparae Virginis Sponsum constans atque ardens semper extitit, non sumus tamen nescii encyclicas litteras Nostras, quibus proximo anno universi orbis christianos ad implorandum sanctissimi Patriarchae patrocinium co-

Digitized by Google

hortati sumus, non mediocre illorum pietati altissimi incrementum. Id quidem praeclare testantur vel supplices litterae, quas Lusitani Antistites nuper ad Nos dederunt, ut rei, quae iamdudum in communibus erat Lusitanorum votis, optatus tandem per Nos exitus contigeret. Quum enim ob adversas temporum vices dies S. Iosephi memoriae recolendae sacer e festorum numero apud Lusitanos sublatus esset, integra vero et incolumis maneret in eorum animis avita pietas, nihil optabant magis, quam ut ille dies ad observantiam et cultum veterem revocaretur. Quapropter Lusitani Antistites, populi votorum interpretes, certi aliunde Praepositos Lusitaniae gubernio pio huiusmodi desiderio non obstituros, communes ad Nos preces admoverunt, ut quemadmodum nuperrime cum Hispanis, quibus Lusitani non sunt in S. Iosephum amore secundi, diem eius memoriae sacrum in festos apud eos referri velimus. Praeclarum quidem hoc est pietatis documentum, quod ad alia vetera accedit, quae Lusitani Episcopi Nobis iure commendant. Nulli enim coelitum, post magnam Dei Matrem, qua late patet Lusitania tot honores, quot huic sancto Patriarchae tribuuntur, vel tot vota nuncupantur: sodalitates quamplures ipsius et fretae sunt patrocinio et laetae nomine: viri laudabili pietatis consuetudine diem undevigesimam mensis Martii sponte eligunt, qua Pascha agant: opifices vero S. Iosephum iure quodam suo coelestem sibi Patronum adsciscunt non operis non laboris ignarum: sacra denique ipsi dies in aliquot praesertim dioecesibus singulari veneratione recolitur, tanquam festa sit constituta.

2907. Quibus omnibus e rebus Nos Lusitanorum votis annuendum censuimus, eoque libentius, quod summa pietate immaculatum Dei Genitricis Sponsum observamus et colimus, magnamque in fide tutelaque eius spem repositam habemus. Neque enim sumus dubii quin ipse, qui nascentis Ecclesiae tutor a Deo est quondam constitutus, nunc eam laborantem auxiliumque petentem volens propitius respiciat e coelis validoque patrocinio tueatur. Quod autem S. Iosephi cultus provehatur quotidie magis et augeatur pietas, id quidem spes certa est fore gratum acceptumque Immaculatae Dei Matri Mariae, cuius demereri gratiam hanc etiam ob caussam valde confidimus. Quapropter supradictis Lusitanorum precibus et votis benigne obsecundare volentes, moti suffragiis Lusitaniae Antistitum, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi praecipimus, decernimus, ut dies undevigesima mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolendae sacra per totam Lusitaniam et per regiones Lusitanorum ditioni ac potestati subiectas in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes, quum sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis profanis operibus, quae servilia dici solent, abstinere praecepto debent, quo coelesti Ecclesiae Patrono meritum tribuatur honoris et obsequii officium et firmissimo eius patrocinio universa illa natio largius perfruatur.

2908. Non obstantibus, quamvis speciali, individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 3 Iunii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. Card. Ledochowski

Litterae Apostolicae "Quod erat ,,, de festo S. Iosephi in Pedemontis, Liguriae, Longobardiae et Sardiniae regionibus instaurando.

2909. Quod erat maxime optandum, ut nimirum apud omnes quibus continetur Italia regiones dies sacer S. Iosepho immaculato Deiparae Sponso tanta cultus observantia ageretur, quanto apud eas omnes studio in eundem Sanctum pietas colitur, id optima opportunitate per hos ipsos dies Nobis datum esse laetamur. Supplices enim a Venerabilibus Fratribus Pedemontis, Liguriae et Sardiniae Episcopis perlatae sunt ad Nos litterae, quibus ipsi votorum etiam cleri populique interpretes petunt a Nobis, ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Sancti Patriarchae recolendae addictus, quemadmodum in aliis Italiae regionibus, ita in suis dioecesibus sub duplici praecepto celebretur. Laeto quidem animo lubentique excepimus ea vota, quae cum digna sunt pietate rogantium, tum diutino desiderio Nostro apprime respondent. Siquidem, vestigia sequuti decessoris Nostri sanctae memoriae Pii PP. IX. qui singulari studio cultum Sanctum Dei Genitricis Sponsi provexit, illumque coelestem totius Ecclesiæ Patronum designavit, Nos die 8 Kalendas Septembris anno 1889, datis ad universum orbem Apostolicis litteris, christianos omnes ad fovendum in se augendumque erga castissimum Deiparae Sponsum piae mentis affectum, eiusque cultum ubique magis dilatandum efficacibus verbis cohortati sumus. Iis vero hortatibus praeceptisque Nostris tanta animorum alacritate ubique locorum obtempe-

Digitized by Google

ratum est, ut luculenter apparuerit quanta et quam penitus insideat in christianorum animis erga Sanctum Patriarcham pietas, et quantam in coelesti illius patrocinio spem universi reponant. Excitatis ita ubique pietatis studiis auctoque fervore, sibi quidem deesse non poterant Itali, apud quos non minus certe quam apud ullam, ex gentibus ceteris in S. Iosephum pietas viget et floret.

2910. Ex hoc evenit ut, nulla habita ratione regionum, nunc per Italiam totam ex ipsa populorum voluntate pari S. Iosephi cultui instituendo solerter detur opera. Certe nulla pietatis, nulla christiani cuiuslibet officii debet esse laus, quam sibi prae ceteris gentibus adipisci non contendant regiones Italiae, in qua Deus singulari beneficio et sedem sui in terris vicarii, et divinae veritatis cathedram, et catholicae unitatis centrum collocavit. Nos, qui dum populos universos et singulos paterna benevolentia pariter complectimur, singulari charitatis sensu ad Italos respicimus, spem bonam fovemus fore ut novum hoc pietatis pignus, quod in supra dictis regionibus Beato Maria Virginis Sponso tribuendum est, acceptum illi sit, cui defertur, iis vero qui deferunt, fructuosum. Nihil enim est difficilius hisce temporibus ad servandum patrimonium fidei, et ad vitam christiane agendam efficacius, quam patrocinium S. Iosephi demereri, atque adeo gratiam Mariae Dei Matris castissimi sui Sponsi clientibus conciliare. Quare admotis ad Nos precibus votisque benigne obsecundare volentes, moti suffragiis sacrorum Antistitum, qui supra memoratis dioecesibus praesunt, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi, praecipimus, decernimus ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolendae sacer in omnibus et singulis Pedemontis, Liguriae, Sardiniae nec non Longobardiae regionibus in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes quum sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis operibus, quae servilia dici solent abstinere praecepto debent.

2911. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 3 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

M. Card. Ledochowski.

Litterae Apostolicae " Neminem fugit ,,, de statutis Piae Consociationis a Sacra Familia.

2912. Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est, quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis charitatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa consistit, ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum.

2913. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in Sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui « erat subditus illis », habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem, et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes

Digitized by Google

respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum Sacra Familia sunt illis labores : communes curae de vita quotidiana ; debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere ; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit...

2914. Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur ; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, charitatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui et quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores... *14 Iunii 1892.*

Litterae Apostolicae " Quum nuper „, de indulgentiis et privilegiis Piae Congregationis a Sacra Familia (cum oratione et formula).

2915. Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque officio Nostro facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis çollaudaremus, eamque christianis familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus virtutum laudem exemplo Sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocaretur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo : quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur.

2916. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec Pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude ; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur : ea enim florente, facile fides, pietas, et omnis christiana laus in familiis revirescent *(sequitur oratio et formula).*

Oratio quotidie recitanda ante imaginem Sacrae Familiae.

2917. O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae domesticae exemplis Familiam a te electam in terris consecrasti, clementer aspice nostram hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc domum ; quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione Familiae tuae Sanctae iugiter perseveret ; ut mortalis suae vitae tempore in tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas tibi laudes persolvere in coelis.

2918. O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

2919. Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha S. Ioseph, potenti tuo patrocinio nobis succurre , et Mariae manibus vota nostra Iesu Christo porrigenda submitte.

Formula recitanda quocumque idiomate a christianis familiis quae se Sacrae Familiae consecrant.

2920. O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e coelo missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares, maiorem mortalis tuae vitae partem in humili domo Nazarena traducere voluisti, Mariae et Iosepho subditus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis christianis familiis futura erat exemplo ; nostram hanc domum, quae tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum tui timorem in ea confirma, una cum pace et concordia christianae charitatis : ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat, omnesque ad unum quibus ea constat, beatitatis sempiternae sint compotes.

2921. O amantissima Iesu Christi Mater

Digitized by Google

et mater nostra Maria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc nostram Iesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones largiatur.

2922. O Ioseph, sanctissime Iesu et Maria custos, in universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre; ut tecum una et Beata Virgine Maria aeternas divino Redemptori Iesu Christo laudes et gratias rependere possimus... *20 Iunii 1892.*

Decretum " Ex quo ,,, de translatione festi S. Ioseph ob Dominicae Passionis vel hebdomadae maioris occursum.

2923. Ex quo Summus Pontifex Pius IX Beatum Ioseph purissimum Deiparae Immaculatae Virginis Sponsum atque Christi Domini Salvatoris nostri putativum patrem, universae catholicae Ecclesiae Patronum constituit, antiqua Christifidelium pietas erga ipsum inclitum Patriarcham mirifice aucta est. Haec porro pietas, nova veluti addita flamma, ferventius exarsit postquam Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per suas encyclicas litteras, sub die XV Augusti anno MDCCCLXXXIX datas, gloriosi eiusdem Patriarchae dignitatis praestantiam et validissimum apud Deum patrocinium celebravit, atque erga coelestem Patronum devotionem cohortationibus favoribusque inter fideles fovere subinde non destitit. Hinc factum est ut ad Apostolicam Sedem undique transmissae sint postulationes, quo ampliores in sacra liturgia cuitus honores Beato Ioseph tribuerentur.

2924. Iamvero Sanctitas Sua, etsi de his supplicibus votis sibi delatis summo afficeretur gaudio, utpote quae populorum in dies succrescentem devotionem referrent; nihilominus eumdem Sanctum Patriarcham potiori liturgico cultu, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum, ditare minime censuit.

2925. Verumtamen quum saepe saepius illius festum XIV calendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae Passionis, vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii, quod suo coelesti Patrono universus catholicus Orbis una simul exhibet; Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto statuit ut iis annis, quibus praefatum festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem, et quoties inciderit in maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria: servato rubricarum praescripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium.

2926. Hoc autem decretum promulgari atque in rubricis Breviarii ac Missalis Romani adiici praecepit. Die XV Augusti 1892.

Littera Apostolica " Cum sicut ,,, de iubilari festo patronali Sancti Iosephi beatae Virginis Sponso.

2927. Leo PP. XIII universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

2928. Cum sicut ad Nos relatum, pluribus in catholici orbis dioecesibus hoc anno, die decimaquinta proximi Decembris mensis, solemni ritu iubilare festum patronale Sancti Iosephi Virginis Mariae Sponsi sit concelebrandum, Nos, quibus nihil est magis gratum quam ut, tam gravibus potissimum pro Ecclesia Dei temporibus, fidelium pietas erga coelestem suum Patronum excitetur, ac maiora in dies suscipiat incrementa, hac ipsa auspicatissima occasione coelestes thesauros, quorum Nobis Altissimus dispensationem commisit, reserare benigne censuimus Quare de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis in toto terrarum orbe degentibus fidelibus utriusque sexus, qui vere poenitentes ac confessi et sancta Communione refecti, supra memorata decimaquinta mensis Decembris die, vel uno e septem continuis immediate sequentibus ad cuiusque eorum lubitum sibi eligendo, quamlibet ecclesiam, in qua Sancti Iosephi Patriarchae festum agetur, dummodo tamen quinquies novemdialibus aut singulis triduanis diebus praecedentibus supplicationibus solemnibus adfuerint, secus rite parochialem propriam cuiusque ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero fidelibus, saltem corde contritis, quo die novemdialibus vel triduanis hisce precibus intererint, biscentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes ac singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Praesentibus hac vice tantum valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et perso-

Digitized by Google

nae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIV Septembris 1895, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Pro Domino Cardinali De Ruggiero
Nicolaus Marini, Substitutus.

III. — Breviarium secundum usum Fratrum Carmelitarum longe exactiori cura quam umquam alias emendatum [an. 1495].

2929. *In fine*: Explicit Breviarium secundum ordinem fratrum gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo: per venerabilem sacrae Scripturae bachalarium fratrem Ioannem Mariam de Poluciis seu Prandinis de Novolaria: eiusdem sacri ordinis . . . quod impensa sua et arte Andreas de Torresanis de Asula, in florentissima Venetorum civitate ad finem usque perduxit: atque diligentissime elaboravit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Die vero primo Februarii. Laus Deo.

2930. In festivitate Beatissimi Ioseph Sponsi gloriosissimae Virginis Mariae et nutricis Christi.

2931. *Ad Vesperas Capitulum.* — Benedictio illius qui apparuit in rubo venit super caput Ioseph: et super verticem nazarei inter fratres suos. Deo gratias.

2932. ℟. Ex Ægypto dum vocavit Deus Pater Filium: adoptivus hunc portavit pater post exilium Nazareth: Hic habitavit flos campi et lilium. — ℣. Dum Archelaus regnaret in Iudea: venit Ioseph in Nazareth. Hic habitavit.

HYMNUS.

COLLAUDEMUS toto corde
Dei sapientiam:
Virgini qui iunxit sorte
Ioseph diligentiam:
Qui nascentis sine sorde
Aleret infantiam.
Quem inviolatae Matris
Peperit integritas:
Ipsum putativi patris
Aluit virginitas:
Hostibus celatur atris
Hac arte divinitas.
Ioseph portat, Ioseph tractat,
Ioseph mulcet osculis:
Dum Herodes parvos mactat
Artubus minusculis;
Ioseph hunc quem Virgo lactat,
Subtrahit periculis.
Puer in Ægyptum ductus
Ioseph ministerio:
Ab eodem post reductus
Patris est imperio:
Maturescit coeli fructus,
Sit crucis mysterio.
Gloria summo Parenti,
Laus aequalis Genito;
Ab utroque procedenti
Par decus Paraclito,
Qui nos salvet praepotenti
Sancti Ioseph merito. Amen.

℣. Amavit.

2934. *Ad Magnificat, Ant.* — Felix matrimonium fide, sacramento: neque prole vacuum sed flore retento; vice-pater, Virgo parens, hic et illa labe carens; cum honore virginali, cura sibi coniugali mutuo subserviunt: et dulcem enutriunt pari voto filium; quorum ministerio, latens in mysterio: decepturus inimicum, verum Deus et antiquum perficit consilium.

ORATIO.

OMNIPOTENS et mitissime Deus, qui beatum Ioseph iustum filium David, Beatae Mariae Virgini tuae Matri Sponsum providisti: tuum nutricium elegisti; da quaesumus: ut eius precibus et meritis, Ecclesia tua tranquilla pace laetetur, et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducatur. Qui tecum.

2936. *Ad Matutinum Invitatorium.* — Virgo vir intactae Genitricis coelitus actae; Regna tenet vitae; iubilantes ergo venite.

Ps. Venite. — Hymn. Collaudemus.

2937. *In Primo Nocturno. Ant.* — Ioseph in consilio impiorum non abiit: Virginem cum Filio ipse virgo dum nutriit.

Psalmi unius Confessoris non Episcopi.

2938. *Ant.* — Dum Herodes meditatur adversum Christum Domini: cum Ioseph, peregrinatur, Deus cedens homini.

2939. *Ant.* — Puer Ægypto susceptus per Ioseph reducitur in Iudaeam: cum correptus hostis morte tollitur. — ℣. Amavit.

LECTIO PRIMA.

SI colligimus in unum quae sparsim de Sancto Ioseph Evangelica Scriptura commemorat: invenimus eum profecto magnis laudum praeconiis commendatum; propter quae sancta mater Ecclesia festivis gaudiis merito duodecim honores recitat. Namque primo ex nobilissima et regia stirpe propagatur: testante Evangelista qui librum Iesu Christi filii David ab Abraham inchoans

Digitized by Google

terminat: quod Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Secundo, Mariae Virginis-Matris et Iesu eius Filii verus consanguineus appellatur: quia omnes ex semine David nasci testimonio Scripturae comprobatur. Nam missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo David. Quod non tantum ad Ioseph refertur, sed etiam ad Virginem ei desponsatam.

2941. ℟. Novus novo generatur fructus paradiso: qui custodi deputatur coelitus proviso; quo serpentis elidatur dolus, et eliso protoplausto succurratur hinc recte gaviso. — ℣. Nimis profundae factae sunt cogitationes tuae, Domine. — Quo.

LECTIO SECUNDA.

Ad honorem cedit Sancti Ioseph tertium, quod sacratissimae Virgini Matri Dei matrimonialiter desponsatur: prout Sancti Evangelistae frequenter commemorant: desponsatam Virginem viro cui nomen erat Ioseph: et Ioseph virum Mariae. Non virili more carnaliter copulatus, sed virtuoso amore sacramentaliter iunctus. Sed quartus honor ei datur dum virginitatis decoratur titulo. Sane desponsata erat Maria Ioseph: quando missus est ad eam Gabriel. Cui cum dixisset: Ecce concipies et paries Filium, respondisse legitur: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? id est, numquam cognoscere propono. Sponsa igitur erat et Virgo: et consentiente Sponso perpetuae virginitatis propositum observabat.

℟. Ex Ægypto dum venit, *ut in primis Vesperis.*

LECTIO TERTIA.

Honoratur quinto Beatus Ioseph dum non solum ad Virginis Matris, sed etiam ad eius Filii obsequia singulariter deputatur. Nam ultra generales causas eius desponsationis, quaedam speciales a sanctis dicuntur: videlicet, ut diabolo Virginis partus celaretur; ut Ioseph eius testis castitatis esset, defendens eam ab infamia suspicionis: ne ut adultera iuxta legem damnaretur. Postremo, ut ab ipso Mater cum Filio sustentaretur, et eius foveretur obsequio.

2944. ℟. Ecce fabrum patriarcham: qui coelestem rexit archam, se cum omnibus salvantem a culpae diluvio, gratiae cum fluvio. — ℣. Quia iustus atque perfectus in generatione sua fuit. Qui.

2945. *In Secundo Nocturno. Ant.* — Vere singulariter in spe constituitur: cui coniugaliter Virgo viro traditur.

2946. *Ant.* Regi vero Deo suo mane Ioseph astitit, dum alumnus nato tuo, Virgo Mater, extitit.

2947. *Ant.* Nomen admirabile Ioseph promulgavit: quod prius amabile Gabriel vocavit.

℣. Iustum.

LECTIO QUARTA.

Honor sextus est, quod ei tamquam secretario coelesti secretum incarnationis mysterium a Deo per Angelum revelatur apparentem in somnis ac dicentem trepidanti: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Non humano, sed divino opere. Non virili semine, sed mystico Sancti Spiritus spiramine incarnatum est. Nec ei solum incarnationis mysterium, sed etiam per eum humanae salutis mysterium Angelus intimavit: Et pariet, inquit, filium, et vocabis nomen eius Iesum. Causam nominis subiungens: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

2949. ℟. Hic est cui nupsit Virgo, quae mundi fabrum peperit: princeps saeculi Deus homo in qua locum reperit: per quam nec pudor deperit. — ℣. Omnis homo quicumque audierit, congaudebit ei. Per quam.

LECTIO QUINTA.

Septimus Sancti Ioseph honor est: quod iustus evangelico testimonio comprobatur. Ioseph, inquit, vir eius cum esset iustus: hoc est, cum esset fide, spe et charitate, ac omnium bonorum morum et cunctarum virtutum honestate probatus. Nam in Scripturis sub iustitiae nomine, virtuosae vitae sanctitas generaliter accipitur: quare Ioseph etiam iustus dicitur: quia fide iustificatus sicut pater eius Abraham, de quo Apostolus: Credidit Abraham Deo et reputatus est ei ad iustitiam. Credidit et Ioseph quod Messias nasceretur non de virili semine: sed ex mystico spiramine; et de femina virgine ex semine David: qua fide iustificatus vere iustus est vocatus.

2951. ℟. Iacob amat ille Lyam: Ioseph diligit Mariam, Dei filio foecundam: sed ab omni tactu mundam. — ℣. Hanc amavit et exquisivit sibi sponsam. Sed ab.

LECTIO SEXTA.

Et eius octavum honorem testatur Evangelium, quod hoc nomen Iesus a Deo aeternaliter impositum, ab Angelo temporaliter revelatum: ab ipso Sancto Ioseph

Digitized by Google

hominibus solemniter publicatur. Ab angelo namque ante Christi nativitatem dictum est de futuro iusto Ioseph: Vocabis nomen eius Iesum. Quod factum non ambigimus. Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo antequam in utero conciperetur.

2953. ℟. Primus Ioseph alienae turpe stuprum renuit: hic cum sua florem plenae castitatis tenuit. Ille tunc Ægyptum pavit fame dum occubuit: mundo granum hic servavit quod Virgo progenuit. — ℣. Descendit Ioseph in Ægyptum: fuitque Dominus cum illo. Ille.

2954. *In tertio Nocturno. Ant.* — In immaculata via psallens intellexit; qui nascentem de Maria regem regum rexit.

2955. *Ant.* Magna huius gloria est in salutari omnique memoria digna celebrari.

2956. *Ant.* Innocens hic manibus vir et mundo corde: sanctum celat canibus partum sine sorde.

℣. Iustus ut.

Evangelium de Quadragesima. Si vero *hoc festum extra Quadragesimam fuerit celebrandum, pronuntietur Evangelium.* Cum esset, *ut in vigilia Nativitatis Domini.*

2957. ℟. Hic in rubo Deum cernit, quem non laesit ignis dum discalceatus sternit carnem vir insignis: Virgo servans virginem, Deum videt hominem et Mariam sine viro parientem modo miro. — ℣. Vidit quod arderet rubus et non comburetur. Virgo.

LECTIO OCTAVA.

NONUS honor iusti Ioseph attenditur ex hoc quod illo praesente multa magna nostrae fidei mysteria declarantur. Praesens erat dum Christus nasceretur: dum a pastoribus mira de ipso dicebantur. Nam ut Evangelista Lucas refert: Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio. Et mirati sunt de his quae dicta sunt a pastoribus ad illos. Praesens erat dum Christus circumcidebatur et sanguinis innocentis primitiae fundebantur. Et tunc propter nos Christi passio: et propter Christum Ioseph compassio inchoabatur. Praesens erat quando a magis adorabatur. Praesens erat dum Christus conferebatur in templo: quando ipse cum Maria tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Sed et honor Ioseph decimus fuit quod non solum veterum, sed novorum Prophetarum oraculis de his edoctus est, quae in Christo erant ventura. Nam Simeon senex benedixit eis: et prophetans de Christi passione dixit ad Mariam Matrem eius: Tuam ipsius animam pertransibit gladius; idest passio illius.

2959. ℟. Adest Aaron secundus, cuius frutex fit foecundus prius arens: Dum fit parens Virgo viso carens. — ℣. Ascendit sicut virgulam coram eo et sicut radix de terra sitienti. Dum fit.

LECTIO NONA.

SANCTI Ioseph honor undecimus est: quod non solum prophetica allocutione, sed etiam angelica saepe et familiariter consolatur. Quater ex relatione Evangelica audivimus verba consolationis Angelicae suis insonuisse auribus. Primo cum de impraegnatione uteri virginalis haesitaret, ait ei Angelus: Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Demum cum Herodis persecutio immineret, apparuit ei Angelus in somnis dicens: Ioseph, accipe Puerum et Matrem eius, et fuge in Ægyptum: futurum est enim ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum. Et post septennium mortuo Herode, rursum apparuit ei Angelus et dixit: Exurge et accipe Puerum et Matrem eius et vade in terram Israel. Postmodum cum venisset in Israel, timuit Archelaum regnantem pro patre: et tunc ammonitus ab Angelo secessit in partes Galilaeae. Duodecimus honor Beati Ioseph est, quod non solum Dei Mater, coelorum regina ac Domina Angelorum: sed et Dei Filius, rex regum, cui omne genuflectitur coelestium, terrestrium et infernorum, ei fuisse subditi, sacra Scriptura et Evangelica historia testantur. Nam de Matre Dei quis dubitat: cum vir sit caput mulieris, Sponsaque subdita Sponso et sub potestate eius existit. De Filio quoque astruit Evangelista, quod erat subditus illis. Quibus illis? Utique Mariae et Ioseph. O mira et stupenda novitas. O mira et miranda humilitas. Subditur servo dominus: humiliatur homini Deus.

2961. ℟. Saliunt in montibus Ioseph et Maria, nuptiis insontibus regit arte pia sese dulcis pusio quam suavis allusio cordi: Ioseph fuit illa verbum caro dum pusilla: Nunc ad eum vice patrem, nunc ad Sanctam repsit Matrem, per virgineas cervices gratas alternando vices. — ℣. Cor et caro eius exultaverunt in Deum vivum. Ioseph. Gloria. Nunc.

Te Deum.

℣. Ora pro nobis, Beate et iuste Ioseph.

2962. *In Laudibus. Ant.* — Ioseph in cubiculo Dominus regnavit ubi mundi speculo lectum praeparavit.

2963. *Ant.* Coeli Domino serviunt Ioseph in laetitia: cuius prolem Deum scivit integra fiducia.

2964. *Ant.* Iste Dei gloriam vidit et virtutem: cuius ipse floridam paruit iuventutem.

Digitized by Google

2965. *Ant.* Sancti benedicite Domino et humiles: quem parentes celibes vita fovent pariles.

2966. *Ant.* Laudet iam Christiferum Ioseph plebs fidelis: qui nutrivit Puerum Dominum de coelis.

2967. *Capitulum.* Iste cognovit, *ut in communi unius Confessoris non Episcopi.*

HYMNUS.

FESTA nutritoris Iesu
Colant fideles servuli:
Qui umano pavit esu
Nutritorem saeculi.
Hic parituraе Virgini
Digne Virgo coniugatur:
Et sic coelestis daemoni
Partus occultatur.
Illibatus habitavit
Desponsatus cum Virgine:
Quam divina foecundavit
Gratia sine semine
Ab aeterno praeparatur
Insignis Ioseph nomine:
Venerari quem dignatur
Christus natus ex Virgine.
Natum Virginis intactae
Virgo vir Ioseph aluit:
Grandiusculus a lacte
Quando cibari voluit.
Gloria summo Parenti,
Laus eius Unigenito;
Et ab illis procedenti
Pax, honor sit Paraclito.
Amen.

℣. Iustus germina.

2969. *Ad Benedictus. Ant.* — Nobis cornu dum salutis Dominus erexit de domo David: vir virtutis Iesseus surrexit servans Iesse virgulam floris novi gerulam, cui sic in sanctitate serviunt et iustitia: quod divinae proli natae integra virginitate illa Matris iste patris praeest diligentia.

Oratio ut supra.

Ad Horas Ant. de Laudibus. — Capit. ℟. ℣. *ut in communi unius Confessoris non Episcopi cum oratione ut supra.*

Ad Vesperas Ant. Ioseph in. — *As. Dixit. et cet. ad cet. Capit. ut in primis Vesperis.* — ℟. Saliunt. — *Hymnus ut supra in Laudibus.* — ℣. Amavit.

2970. *Ad Magnificat. Ant.* — Magnificat Dominum Sancti Ioseph anima: qui salutem hominum cura fovit maxima; nam in ventre Matris iste nazareus tibi Christe consecratur et notatur: quem nec Mater virginalis horreat nec Puer talis.

Oratio ut supra.

FINIS.

DEO GRATIAS ET MARIAE IMMACULATAE ET IOSEPH!

Digitized by Google

Digitized by Google

AUCTORES UNIUSCUIUSQUE " MEMENTO „

1. S. Chrysostomus, p. 3.
2. Conc. Prov. Neogranat. an. 1868, p. 8.
3. Alapide, p. 9, 49, 67, 70, 75.
4. Conc. Prov. Mexican. V., p. 35.
5. Synodus Prov. Ruthenorum, p. 37.
6. Con. Prov. Vallisoletan., p. 39.
7. Act. Conc. Prov. Hispal. an. 1893, p. 43.
8. Fasti Mariani, die XIX Martii, p. 47.
9. Lanspergius, p. 50, 108, 119, 133, 137, 140.
10. Act. et Decr. prim. Conc. Prov. Burgens. an. 1898, p. 53.
11. Conc. Prov. Viennense an. 1858, p. 56.
12. Card. Herrera, p. 58.
13. Cuvelhier, p. 60, 83, 96, 125, 130, 146.
14. Ianssens, p. 64.
15. Busaeus, p. 81.
16. Baeza, p. 90, 93, 105.
17. Conc. Prov. Quebec. II. an. 1854, p. 99.
18. Conc. Antequerense an. 1893, p. 112.
19. Conc. Prov. Pragens. an. 1860, p. 115.
20. Veni mecum pior. Sacerd., p. 144.
21. Scutum fidei, p. 149, 151, 159, 163, 179, 183.
22. Conc. Plen. Amer. Lat., p. 161.
23. Conc. Prov. Valentin. an. 1889, p. 167.
24. Faesulanae Eccles. Syn. an. 1903. p. 201.
25. Conc. Prov. Burdigal. an. 1868, p. 219, 227, 253.
26. Manuale pii Sac. ex op. S. Ligorii, p. 231.
27. Cardinalis Segna, p. 271.
28. Ludovicus Vives, p. 276.
29. Manuale piet. ex op. S. Gertrudis, p. 295, 298, 302, 307, 310.
30. Iamar, p. 304, 313, 355.
31. S. Fulgentius Episc. Rusp., p. 314.
32. S. Ambros. Autpert. Abb., p. 316, 337.
33. Ven. Ludov. de Ponte, p. 318, 322, 324, 327. 331, 334, 336, 377, 380, 387, 397, 399, 400, 405, 416.
34. Ratherius Episc. Veron., p. 340.
35. Ven. Godefridus, Abb. p. 344.
36. Innoc. Papa III, p. 347.
37. Cardinalis Caietanus, p. 349.
38. Ioann. Sylveira, p. 350.
39. Franc. Sylvius, p. 351.
40. Auctor collectionis, p. 427, 430, 432, 445, 446, 450.
41. Coeleste Palmetum, p. 486, 504, 505, 508, 511.
42. Ven. Ioan. Eudes, p. 517.

Nota. — Auctores prope innumeri, qui in corpore totius libri semel vel pluries citantur, ut Sancta Teresia, Isidorus de Isolanis, etc., nec non elenchus auctorum vel fontium hymnorum brevitatis causa omittuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM SERMONUM

I. — S. Bernardini Senensis . . . . . Pag. 1-9
II. — Ioannis Gersonii . . . . . „ 10-58
III. — Ioannis de Carthagena. . . . . „ 58-164
IV. — Bernardini de Busto . . . . . „ 164-183
V. — Eliae a S. Teresia. . . . . „ 184-219
VI. — Cardinalis Petri di Alliaco . . . . . „ 219-226
VII. — Ioann. Chrysost. Trombelli . . . . . „ 227-276
VIII. — Christophori de Castro . . . . . „ 277-295
IX. — Georgii Colvenerii . . . . . „ 295-301
X. — Benedicti Papae XIV . . . . . „ 302-303
XI. — Francisci Costero . . . . . „ 304-313
XII. — Raymundi Iordani seu Idiotae . . . . . „ 313-314
XIII. — Bedae Seeauer . . . . . „ 314-318
XIV. — Eusebii Caesariensis Episc. . . . . „ 318-321
XV. — S. Hilarii Episc. Pictaviensis . . . . . „ 323-324
XVI. — S. Gregorii Taumathurgi . . . . . „ 324-327
XVII. — S. Ioannis Chrysostomi . . . . . „ 327-331
XVIII. — S. Augustini Episcopi . . . . . „ 331-334
XIX. — S. Procli Episcopi . . . . . „ 334-336
XX. — S. Petri Chrysologi . . . . . „ 336-337
XXI. — S. Germani Patriarchae Constantinopolitani . . . . . „ 338-340
XXII. — S. Bedae Venerabilis . . . . . „ 340-344
XXIII. — B. Rabani Mauri Archiep. Maguntini . . . . . „ 344-347
XXIV. — Remigii Antissidiorensis Episcopi . . . . . „ 347-348
XXV. — Rudulphi Ardentis . . . . . „ 349-350
XXVI. — Ruperti Abbatis Tuitiensis . . . . . „ 350-351
XXVII. — S. Bernardi Abbatis . . . . . „ 351-355
XXVIII. — Vigilii Seldmayr . . . . . „ 356-377
XXIX. — B. Petri Canisii . . . . . „ 378-387
XXX. — Hippolyti Marraccii . . . . . „ 388-397
XXXI. — Sebastiani Sailer . . . . . „ 398-
XXXII. — Ioann. Pauli Berlendi . . . . . „ 399-400
XXXIII. — Aloisii Lipomani Episcopi Veronensis. . . . . „ 401-404
XXXIV. — Pelbarthi de Themeswar . . . . . „ 405-416
XXXV. — Sebastiani Barradas . . . . . „ 416-426
XXXVI. — S. Bonaventurae Episcopi . . . . . „ 427-432
XXXVII. — B. Dionysii Carthusiani. . . . . „ 432-445
XXXVIII. — S. Thomae a Villanova . . . . . „ 445-446
XXXIX. — Francisci Toleti . . . . . „ 447-449
XL. — Iustini Miechoviensis . . . . . „ 450-486
XLI. — Ioannis a Iesu Maria . . . . . „ 486-504
XLII. — Augustini Calmet . . . . . „ 504-505
XLIII. — Ioannis Harduini . . . . . „ 506-507
XLIV. — Didaci Stellae. . . . . „ 508-510
XLV. — Ven. Angeli del Pas . . . . . „ 511-516

APPENDIX.

I-II. — Acta S. Sedis de S. Ioseph . . . . . „ 519-548
III. — Breviarium Carmelitarum ann. 1495 (off. s. ioseph) . . . . „ 548-551

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

A

Adami et Evae matrimonium comparatur cum Iosephi matrimonio, 437, 438.
Aequalitas inter B. V. et S. Ioseph, 631-651. 953-957, 1055; v. etiam *Similitudo*.
Aetas S. Ioseph et B. V. tempore desponsationis, 542, 1926-1941, 2236, 2435.
Amor carnalis, 95.
Amor et ratio, 105.
Amor erga Deum in S. Ioseph, 675-677; v. *Caritas*.
Amor inter B. V. et S. Ioseph, 2514-2520, 646, 855.
Angelorum officia cum officiis S. Ioseph comparantur, 702-711.
Angelos praecellit S. Ioseph, 672-732, 1033, 2728.
Animae libertas vera nobilitas, 402.
Annae (S.) sterilitas, 143.
Annuntiatio, 87, 88, 1803.
Anulus desponsationis B. M. V., 94.
Arca foederis, figura matrimonii Ioseph et Mariae 586.
Ars S. Ioseph, 566-582, 1394-1424, 1655-1657, 1961-1967, 2387.
Augmentum interpretatur Ioseph et quotuplici sensu, 347-360, 511, 512.
Aureola triplex S. Ioseph, 491-494.

B

Balthasar Cossa, 93.
Begardi, 95; v. 239.
Benedictiones Iacob in S. Ioseph congruunt, 713-723, 1042-1076.
Bethlemitica caedes, 2203, 2377.

C

Candelarum ritus in festo Purificationis B. M. V., 711.
Carnoti templum virginis parituraе, 93 v. 82.
Castitas S. Ioseph, 898, 1291, 2457.
Charitas B. Ioseph erga Christum, 43-48, 2502.
Christi nativitas, 100-102; eaque multiplex 188-214; cur ex desponsata, 613-628.
Christi circumcisio, 104, 105, 1953-1960.
Christi praesentatio in templo, 108, 109, 824-827.
Christus inter doctores in templo, 84, 112, 909-917, 2145, 2149, 2266, 2408, 2802; eius *vita abscondita*, 1652-1657; subditus est parentibus, 113, 762-766; eius scientia humana, 79; nobilitas, 11; cur pauper, 2385; an etiam temporaliter rex Iudaeorum, 144-146; non obliviscitur obsequiorum sibi a S. Ioseph exhibitorum, 312.
Circumcisionis mystica significatio, 105.
Clavis V. T. est S. Ioseph, 50.
Communicatio bonorum inter B. V. et Ioseph, 595.
Conceptio immaculata B. V. Mariae, 200.
Confinium utriusque Legis erat S. Ioseph, 409.
Coniugium spirituale, 95.
Constantiense Concilium, 93.
Continentia in matrimonio. 921-930, 1721-1723.
Conversatio S. Ioseph cum Iesu, 1067; cum B. V. 2084-2040, 2521.
Cor S. Ioseph, 887-897.
Cortinae tabernaculi figura Mariae et Ioseph, 639.
Creatio mundi, 79, 425-429.
Cultus S. Ioseph, 1335-1391, 2158-2176, 2604; cur tam sero frequentatus, 993, 2599.
Curae S. Ioseph circa sacram familiam, 277.
Custodia a S. Ioseph Christo exhibita, 751-753, 845-850, 999, 2722.
Custos virginitatis B. V. erat S. Ioseph, 17, 20, 92.

D

David figura S. Ioseph, 95, 853-870.
Daemon delusus per nativitatem Christi ex desponsata, 626.
Desponsatio B. V. et S. Ioseph, 86, 1814-1824, 1828, 1848-1858, 1894-1910, 2093-2104, 2218-2230, 2268, 2300, 2327, 2344, 2368, 2442; eius

Digitized by Google

utilitas et necessitas, 920-932, 974-988, 2783; tempus, 934-971.
Devotio erga S. Ioseph commendatur, 299-306, 330.
Dialogus inter B. V. et S. Ioseph, 1747.
Dignitas S. Ioseph, 425-463, 634, 2552, 2778.
Dilectio inter S. Ioseph et B. V., 646, 850.
Dolores S. Ioseph, 47, 525-532, 1046, 1580, 1603-1608, 1614-1626, 1638-1657, 2792.
Dona S. Ioseph, 798, 2690.
Dubium S. Ioseph de virginitate B. V., 525, 735-743, 960, 1603, 1698, 1709, 1724, 1727, 1733, 1747, 1809, 1816, 1841, 1854, 1942, 2030, 2053, 2109-2126, 2369; cur permissum, 23-31, 90, 176, 241, 376, 617.

E

Educatio divinae prolis, 645.
Elisabeth a B. V. visitatur, 96, 1675-1676, 2105-2108.
Exempla protectionis S. Ioseph, 322, 323, 325, 559-561, 1002-1007.

F

Fabrilis ars, 566-582, 1394-1424, 1655-1657.
Famae Mariae et Iesu Ioseph consuluit, 419, 565.
Familia sancta imago Trinitatis, 680.
Festum S. Ioseph, 212, 217-225, 228-234, 237-253, 306, 2808, 2902, 2923.
Fidelitas S. Ioseph 42.
Fides S. Ioseph, 2501.
Fiducia in Deum 73.
Flagellantium secta, 95 v. 239.
Fomes in Maria et Ioseph repressus, 162 seq., 339 342.
Fratres Domini, 1805, 1923-1925.
Fuga in Aegyptum, 821-842, 71-82, 900-906, 1614-1626, 2138-2144.

G

Galilaea, 500.
Gaudia S. Ioseph, 563, 744, 1581, 2660, 2792.
Genealogia S. Ioseph, 6-10, 1680-1681, 1692, 1704-1706, 1792, 2338, 2363-2367, 2767.
Gloria S. Ioseph, 57-66, 226, 482-494, 2581, 2725.
Gratia, 103, 199-213.

H

Heli pater legalis S. Ioseph frater uterinus Iacob. 504.
Hominis creatio, elevatio, lapsus, 79.
Honores S. Ioseph, 1080-1102.
Humilitas S. Ioseph, 112, 641, 736, 1284, 2507.

Hymni et Carmina.

Ad Ioseph mittitur, 118.
Aethereo cum Patre, 652.
Almae sponsum, 307.
Alma Redemptoris, 214.
Angelus illaesum, 1702.
Astriferum valido, 495, II.
Atrox tyrannus, 1543.
Augustus rerum dominus, 2177.
Ave, felix altor, 907.
Ave, Ioseph, Deo gratus, 1846.
Ave, Ioseph Sponsa, 1425.
Ave, Ioseph, vir perfectus, 1868.
Benedictus, 2028.
Carnis servus, 152.
Christe, lux, 796.
Christus ecclesiae, 1745.
Clare de Davidis, 1690.
Clandestinis, 1719.
Collaudemus, 2325.
Collaudemus toto corde, 1131.
Cui bene Ioseph, 467. I.
Dei qui gratiam, 55.
Diceris esse faber, 254. II.
Dilecte mi, 160.
Dio favore, 423.
Dive, cui summi, 629.
En vagit, 1595.
Exsultet aula coelica, 918.
Festa nutritoris, 1275.
Gaude, Ioseph, 733.
Gaude, Ioseph, 744.
Gaude, Ioseph, 2043.
Haerebat Ioseph, 611.
Hic Iesu pater, 254. I.
Hunc de profundo, 2430.
Hunc diem totum, 306.
Iam ferus Herodes, 2266
Iessaea de stirpe, 564.
Immensam digitis, 495. I.
Inclyte Christi, 2679.
Infunde mihi, 1731.
Inter amplexus, 362.
Interea Mariae, 1694.
Ioseph accrescens, 2755.
Ioseph, David filius, 1812.
Ioseph exortus, 2776.
Ioseph fert mentem stupidam, 1040.
Ioseph sancte et fidelis, 1698.
Ioseph stirpis davidicae, 137.
Ioseph, virgo, 772.
Iste confessor patriarcha, 1077.
Iste nutritor, 1104.
Iubila, Christi, 1833.
Iucundare, 843.
Iusti Iosephi, 297.
Laudent aetherei, 1392.
Magne Ioseph, 67.
Maria cur coniugio, 932.
Matris intactae, 277.
Multaque mira, 2424.
Nascente Rege coelitum, 1582.
Nunc venias, 2440.
O accepte Deo, 480.
O decus coeli, 417.
O Domini custos, 1790.
O felix custos, 333.
O felix custos, 1839.
O gloriose, Domini, 186.
O gloriose Domini, 822.
O Pueri Iosephe, 392.
O veneranda trinitas, 1662.
O vere augmentum, 462. II.
O virginale vinculum, 1636.
Patriarcha quam laudandus, 851.
Plaude, coelestis curia, 1678.
Psallat mundus, 2342.
Pulchrum purpureo, 2806.
Quantus es, 523.
Quem patres, 1739.
Quicumque, 12.

Digitized by Google

Quos pompa, 2765.
Quum nostra, 2792.
Regia post partum, 2185.
Regum progenies, 690.
Rex erat Herodes, 2203.
Salve Pater Salvatoris, 344.
Sancte Ioseph fili David, 1673.
Sanctum Christi nutritorem, 828.
Scriptores evangelici, 898.
Sed Deus elatas, 2091.
Sorte tua felix, 1825. I.
Sponsum Mariae, 1612.
Stirpis davidicae, 989.
Te quoque quo memorem, 583.
Tibi Ioseph, 1557.
Tu sponsae, 1825. II.
Tutor et divi 226.
Ut collaudare, 2360.
Virginis sponsum, 215.
Vir tamen occurrens, 2155.
Vixerat interior, 235.

I

Iacob supplantator, 205.
Iesu nomen, 104.
Incarnatio D. N. I. C., 86, 1050.
Indulgentiae pro festis et devotionibus erga S. Ioseph, 2851.
Ioannes Baptista, quo sensu maior inter natos mulierum, 1018. 2002; eius nativitas, 97.
Ioseph sanctificatus in utero, 154, 335-343, 513-515.
Ioseph, cur electus sponsus B. M. V. et nutricius Christi, 853-897; eius aetas tempore desponsationis, 169, 173, 939-943, 1237-1274; cur sub senis forma pingatur, 95, 173, 941, 942. 1252; probabiliter B. V. comitatus est ad Elisabeth proficiscentem, 96; cum Maria Bethlehem proficiscitur, 100; quo sensu ipse et Maria non intellexerunt verbum, 914-917; factis praedicavit Christum, 352; erat vir iuxta cor Domini, 857-872; quantum profecerit ex conversatione cum B. V. et I. C., 14-54; omnes Sanctos excellit, 654-689, 951, 1015-1039, 1072-1075; protector contra stimulos zelotypiae, 326.
Ioseph patriarcha figura S. Ioseph, 50, 346, 432, 778-795, 798-821, 996-1001, 1042-1076.
Iosephina, Gersonii carmen heroicum, 69-115.
Iustitia S. Ioseph, 376-391, 701, 780-781, 2059-2070, 1278-1283; universalis, 378; legalis, 384; distributiva, 385; commutativa, 386; est specialis virtus S. Ioseph, 726-732.

L

Labor S. Ioseph, 564, 566-582.
Lia quid praefiguret, 94.

M

Magi Christum adorant, 106.
Magnalia S. Ioseph, 2205.
Martyr erat S. Ioseph, 492, 525, 1022-1026.
Matrimonium a Christo honoratum, 621; quomodo apud fideles celebrandum sit, 259; eius finis, 922-924; eius bona, 607-610, 1680, 1707, 1721, 2489-2529; S. Ioseph, 10. 16-55. 86. 91, 94, 257, 297, 430-440, 585-610, 613-628, 631-651, 1058-1060, 1131, 1133-1273. 1427-1542, 1544-1557, 1584-1594, 1597-1602, 1660-1672.
Mariae nobilitas, 4, 5, 128-151; virginitas, 17-20. 41, 42. 1797-1811, 2445; cur non revelavit S. Ioseph divinum secretum, 32; quantum dilexerit S. Ioseph, 35: immaculata conceptio, 100, 155; figurata in Sunamitide, 166; libera etiam a peccato veniali, 166, quis eius pater, 505; subiectio erga S. Ioseph, 2528; patientia, 2652; humilitas, 909; prudentia, 910; virginitas, 1693; nativitas 1731; pars in Incarnatione, 1050; aetas in desponsatione, 934, 1237-1274.
Mendicitas, 147-149.
Missa in honor. Desponsationis S. Ioseph a Gersonio composita, 279.
Mores S. Ioseph, 513-522.
Mors S. Ioseph, 51, 114, 183, 362, 466, 535-553, 813, 967, 1579, 1968, 2150, 2322, 2743.
Mulier complementum viri, 429.

N

Nativitas Christi, 1700, 1711, 1860-1862, 2126-2135, 2329, 2374, 2393.
Nativitas Christi in anima per gratiam, 199-213.
Navigantium protector S. Ioseph, 324.
Nazareth patria S. Ioseph, 499.
Nobilitas alia carnis, alia mentis, 1 in nota.
Nobilitas S. Ioseph secundum carnem, 1-11, 394-416. 782, ex novem capitibus deducitur, 401.
Nobilitatis bona, 139, 395;
— debet esse cum virtute coniuncta, 398;
— ex novem capitibus deducitur, 401.
Nomen S. Ioseph, 346-361, 510-512, 970, 1073, 2432, 2796.
Nomenclatura S. Ioseph, 746-771.
Nutritius, 749, 767, 768.

O

Obedientia Iesu erga S. Ioseph, 762-766, 1095-1102.
Obedientia S. Ioseph, 100, 180, 820, 834-842, 1286, 1288.
Officia S. Ioseph, 1294-1298, 1582.
Officium Desponsationis S. Ioseph a Gersonio confectum, 257 seq.
Officium S. Ioseph secundum usum fratrum Carmelitarum, 2929.
Oratio Leonis PP. XIII ad S. Ioseph. 2901.
Oratio Leonis PP. XIII ad S. Familiam, 2917.

P

Parentes S. Ioseph, 503, 1870-1884.
Paternitas S. Ioseph, 68, 191, 441-463, 746, 771, 872, 1726, 1885, 2058, 2308, 2338, 2530, 1835, 1052, 1061.
Patria S. Ioseph, 497-502, 1106-1130.
Patriarchas S. Ioseph sanctitate et dignitate superat, 692-700.
Patrocinium S. Ioseph quam efficax, 309-332, 2019, 2581, 2806, 2882. 2891.
Paupertas S. Ioseph, 13.
Pax tempore nativitatis Christi, 100.
Peccatum mortale non cadit in S. Ioseph, 338.
Perfectio S. Ioseph, quatuor principia, 128-136, 138-151.
Petrus de Luna, 93.
Pietas S. Ioseph nolentis accusare sponsam, 388, 389.

Digitized by Google

Pontifex summus sponsus Ecclesiae, 93.
Potentia S. Ioseph, 226, 557, 998.
Praerogativae S. Ioseph, 2686.
Praesentatio, 1863-1867, 2136, 2398.
Privilegia S. Ioseph, 2243-2265.
Protectio S. Ioseph quam efficax, 1001-1014, 1036-1039.
Providentia divina, 74.
Prudentia S. Ioseph, 2048, 2505.
Pulchritudo S. Ioseph corporalis, 364-368.
— animae, 368-375.
Purificatio B. V. 1867.
Puritas S. Ioseph, 39-41, 174.
Puteus altus quem dedit Iacob Ioseph filio suo, 2681-2716.

R

Rachel quid praefiguret, 94.
Rebecca quid figuret, 94.
Redemptioni cooperatus est S. Ioseph, 593-600.
Resurrectio S. Ioseph in obitu Christi, 482, 554, 968, 1071, 1975-1985, 2744.
Reverentia Christi erga S. Ioseph, 481.

S

Sacrae Familiae veneratio. 2912.
Sanctitas S. Ioseph, 654-689, 861-870, 950-957, 1277-1391, 1986-2016, 2216, 2231-2265, 2500, 2552.
Sapor Christi duplex 45-47.
Sara quid figuret, 947.
Scientia mysteriorum S. Ioseph, 914-917.
Sepultura S. Ioseph, 547, 552.
Servire Deo summa nobilitas, 140.
Signum contradictionis, 109.
Similitudo inter B. V. et S. Ioseph, 2494.
Sollicitudo S. Ioseph de B. V., 2675.
Somnium Ioseph patriarchae, 810-812.
Spiritus S. dona in S. Ioseph, 881-886.
Sponsi dignitas in S. Ioseph, 430-440, 635.
Stemmata S. Ioseph, 408-416.
Subiectio Christi ergo S. Ioseph, 762-766.
Sunamitis, 55, 166, 588.
Synderesis, 201.

T

Temperantia, 806.
Tentationis utilitas, 740, 280-283.
Testis virginitatis B. V. erat S. Ioseph, 616.
Theologia quid differat a philosophia 74 v. 235-240.
Thraces nativitatem hominum plorabant, 210.
Tituli S. Ioseph, 2299-2321.
Tribulationis prosopopoeia, 74.
Triumphi S. Ioseph, 2717-2754.

V

Virga Iosephi florens, 235,
Virginitas S. Ioseph, 16-35, 162-185, 519-522, 785-792, 802. 943, 1299-1334, 2187-2202.
Virginitatis dignitas a B. V. incipit, 1725.
Virginitatis in matrimonio exempla, 603-606.
Virginitatis votum B. V. 920-930, 1199-1235, 1682-1686.
Virtutes S. Ioseph, 518, 1297-1391, 1559-1578, 1709-1718.
Visitatio B. V., 96, 1675-1676, 2105-2108.

Z

Zacharias, pater praecursoris, 96.
Zelotypia, 526.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google